

ANNVS ET EPOCHÆ
SYROMACEDONVM
IN VETVSTIS VRBIVM SYRIÆ NVMMIS
præsertim MEDICEIS exposita.

ADDITIS

FASTIS CONSVLARIBVS
ANONYMI OMNIVM OPTIMIS.

Accesserunt nuper Dissertationes

DE PASCHALI LATINORVM CYCLO
ANNORVM LXXXIV.

AC RAVENNATE ANNORVM XCV.

AVCTORE

F. HENRICO NORIS
VERONENSI

Augustiniano, Serenissimi Magni Ducis Etruriæ COSMI III. Theologo, & in Academia Pisana Sac. Scripturæ & Ecclesiasticæ Historiæ Professore.





FLORENTIÆ, MDCXCI.

Typis Serenis. Magni Ducis propè Conductam.

SVPERIORVM PERMISSV.









SERENISS. AC REVERENDISS. PRINCIPI

FRANCISCO MARIÆ MEDICEO

S. R. E. CARDINALI,



VEtuſtiſſimæ ac florentiſſimæ quondam Syriæ Vrbes non tam ſenio confectæ, quàm irruentium barbarorum feritate deletæ, alto dudùm cinere obrutæ iacent. ut ne ipſarum quidem veſtigia ſuperſint. Illarum tamen symbola, tutelaria Numina, atque ea quibus floruere, tempora in earumdem Nummis ęre perenni ducta, ac ſeris poſteris ſervata,

obſignantur, ita ut quamvis illæ Temporis iniuria perierint, ipſum tamen Tempus ſuis in Nummis æreis veluti compedibus vinctum oſtentent. Cum verò ipſarum Epochæ hactenùs viris eruditis aut ignoratæ aut parùm feliciter expoſitæ fuerint, animum induxi, eaſdem MEDICEORVM Numiſmatum ope in optimo lumine collocare. Vereor tamen, ne iſtæ de varijs Syriarum Vrbium Temporibus diſſertationes parùm ſcitè aut commodè tempus capiant, ad Sereniſsimam tuam Celſitudinem adeundi. Nam vix Vaticana dibapha ſacri muricis cruore, ſed tuarum virtutum fulgore longè nitidior tuis in humeris præradiaverat, cum LEOPOLDVS Cæſar Auguſtus, Pius, Felix, ac Triumphator inter tot erecta de formidata à tot ſæculis Chriſtianorum regnis Turcarum gente trophæa, laureatis literis Tuam Celſitudinem Imperij Germanici apud Apoſtolicam Sedem Protectorem deſignavit; ſtatimque geminato honore, idem pariter munus pro Hiſpaniarum regnis inuictiſſimus eorumdem Monarcha Tibimet detulit, ſimulque in univerſum penè Orbem, quà mitiſſimum ac feliciſſi-

mum

mum Auſtriacorum imperium ad remotiſſimos usque Indiarum populos longè latequè diſtenditur, Tuæ Celſitudinis conſilia, ſtudia, operamque diſtraxerunt, ut iam vacui nihil temporis habere videaris, quo vel ſemel oculos ad retroacta vetuſtioris ævi tempora detorqueas. Patere tamen, Sereniſsime ac Reverendiſſime Princeps, meas haſce lucubrationes, quæ in ditiſsimis Mediceorum Cimelijs conceptæ ſunt, doctorum hominum oculos ſubituras, Tuæ Celſitudinis nomen, quod fama latiùs per Orbem cum plauſu circumfert, fronti præfigere; neque enim cum de Temporibus agant, profani cuiuſpiam hominis, ſed ſacri tantùm viri Principis auſpicijs in lucem prodire debent. Tempus rem eſſe planè cœleſtem eamque ſacram, tum eruditæ poetarum fabulæ, tum etiam vetuſtiora gentium inſtituta demonſtrant. Nam Saturnum, quem in ſuperſtitioſa Deorum turba veluti ceterorum parentem finxerunt, Κρόνον: Tempus verò priori tantùm variata parumper litera Χρόνον appellarunt; quod cum Tempus ex perenni Orbium cœleſtium motu oriatur, à Saturni præſertim


syde-

sydere ceteris eminentiori eiusdem originem deducendam esse putabant. Romani verò ordinandorum temporum potestatem Pontificum collegio tradiderunt, penès quos fastorum ac nefastorum dierum discretio esset, ac intercurrentium subinde intercalarium ordo ac dispositio. Hinc mea hæc de varijs Vrbium Syriæ Temporibus commentaria Tuæ Serenifs. Celsitudinis in sacrum Purpuratorum Patrum collegium cooptatæ, patrocinium non quidem temerè, sed congruenter implorant. Et illa quidem præterita plurium oppidorum Syriæ tempora exponunt; Te verò, Serenissime ac Reverendissime Princeps, præsens, Te futura ætas cum elogio loquetur, ac non Etruriæ tantùm vestræ ac Vaticanos Fastos, sed Christiani Orbis Annales rerum sapienter prudenterque gestarum gloria, nullo unquam ævo obliterandus, implebis.

Serenifs. ac Reuerendifs. Celsitudinis Vestræ

Florentiæ Kal. Augusti Anno 1689.

Humillimus ac addictissimus seruus
F. Henricus Noris Augustinianus.



APPROBATIONES

DOminus Antonius Maria de Saluinis dignetur inſpicere, & recognoſcere hoc opus, cui titulus: *De Anno & Epochis Syromacedonum &c.* à Fr. Henrico Noris conſcriptum, an contineat quicquam aduerſum S. Fidei Orthodoxæ, & bonis moribus, & referat. Dat. 10. Octobris 1687.

Nicolaus de Caſtellanis Vic. Gen. Flor.

Illuſtriſs. ac Reuerendiſs. Domine.

Quæ huiuſce Parens voluminis, ſcriptorum ſuorum fama literario Orbi notiſſimus ad illuſtrandos Syromacedonum annos, vrbiumq. Syriç Epochas in clara luce collocandas, protulit, diligenter inſpexi. Me verò in ijs beatiſſimam inexhauſtæ doctrinæ vim admirantem, nihil, quod Chriſtianam religionem, aut diſciplinam læderet, retardauit; verùm omnia animaduerti ſana quadam iucunditate florentia, & Hiſtoriæ tum externæ tum ſacræ plurimum opis allatura. Dat. Florentiæ VII. Kal. Nouembris, 1687.

Antonius Maria Saluinus Florentinus in patria Academia Græcarum Literarum Profeſſor.

Attentâ retrorsùm relatione, Imprimatur. Dat. 27. Octobris, 1687.

Nicolaus de Caſtellanis Vic. Gen. Flor.

Ad Illuſtriſs. Dominum Aduocatum Benedictum Gori, vt diligenter perlegat hoc opus inſcriptum: *De Anno & Epochis Syromacedonum, Auctore F. Henrico Noris*; & ſi nihil obſtiterit, probet. Datum ex ædibus S. Officij Florentiæ hoc die 9. Nouembris 1687.

F. C. Pallauicinus de Mediolano Ord. Min. Conuent. S. Franciſci S. Officij Flor. Vic. Gen.

Reuerendiſſime Pater.

Epochas haſce Syromacedonum à doctiſſimo Scriptore illuſtratas, ſedulò & accuratè peruolui, eaſque vt in annos perpetuò viuant, digniſſimas cenſeo, æternitatis (ſi fas eſſet) characteribus imprimendas. Eruditionem in eis ſummam, methodique concinnitatem plurimùm admiratus ſum; Religioni ac pietati diſſonum nihil prorsùs obuium fuit. Dat. Florentiæ VIII. Id. Ianuar. MDCLXXXVII. ab Incarn.

Benedictus Gorius Aduocatus ex Collegio Nobilium, & S. Officij Conſultor.

Imprimatur hac die 12. Ianuarij 1688.

Fr. Cæſar Pallauicinus de Mediolano Ord. Min. Con. Vic. Gen. S. Off.

APPROBATIO THEOLOGORVM ORDINIS.

Volumen *de Anno & Epochis Syromacedonum* inscriptum, multa eruditione ac non vulgari doctrina elucubratum, perlegi. Sufficiebat præscriptum fronti nomen Auctoris, cuius laudibus literarius Orbis personat. Hinc me non disceptatorem Operis huius, sed inspectorem: non censorem, sed admiratorem: non qui de Auctoris doctrina iudicarem, sed qui eandem nondum publicis typis vulgatam, ante ceteros prælibarem, Reuerendissimus P. Magister F. Fulgentius Trauallonius vniuersi Augustiniani nostri Ordinis Generalis instituit. Porrò nihil Catholicæ fidei aduersum, nihil morum probitati repugnans, sed omnia solidam ac probam doctrinam præferre cognoui. Ita censeo

Ego F. Alexander Argigli Florentinus Augustinianus
Sacra Theologia Magister.

Opus, cui titulus, *De Anno & Epochis Syromacedonum*, præfigitur, à P. Magistro F. Henrico Noris Veronense, viro summa eruditione omnique doctrinarum genere percelebri, luculenter elaboratum, in quo insignium Scriptorum anachronismi ex nummis emendantur, vnàque vetustiores vrbium Syriæ Epochæ exponuntur, iussu Reuerendissimi Patris nostri Generalis attentè perlegi; & nedùm typis dignum, sed cedro sanè liniendum, leuique cupressio in æternitatem seruandum censeo. Florentiæ pridie Kal. Iunij, anno 1688.

Ego F. Io. Baptista de Mengarellis Rauennas
Collegij S. Spiritus Florentiæ Mag. Regens.

MAGISTER F. FVLGENTIVS TRAVALLONI
A Monte Elparo Georginas totius Ordinis FF. Eremitar. S. P. N. Augustini Prior Generalis.

Cum Opus *de Anno & Epochis Syromacedonum* à Reu. P. Magistro F. Henrico Noris Veronensi nostri eiusdem Ordinis Auctore elucubratum, Viri per Nos deputati legerint, & approbauerint, facultatem, quatenùs ad Nos spectat, vt in lucem edi possit, præsentium vigore concedimus & impertimur. Dat. in Conuentu nostro S. Spiritus Florentiæ die 9. Iunij 1688.

F. Fulgentius Trauallonus Prior Generalis.

Magister Regens Fr. Nicolaus Seranus
Ordinis Secretarius.

Ruberto Pandolfini Senat. e Aud. di S. A. S.

IN

IN LIBRVM
DE
EPOCHIS SYROMACEDONVM

Bernardi Monetæ Diuionensis Poetæ celeberrimi

EPIGRAMMA.

O Libane, ò Syrios inter mons inclyte montes,
Celsius assueto nunc, age, tolle caput.
Ecce tibi circùm rediuiuas excitat Vrbes
Noris, & è tumulis surgere regna iubet.
Antiochi redeunt, decantatique Seleuci;
Fastorum obtritus qui fuit, ordo redit.
Eia, Viro exultans assurge cacumine toto,
Quis neget hunc cedris scribere digna tuis?

TETRASTICHON

Disticho quod in fronte libri legitur, oppositum,

Illustrissimus Abbas Claudius Nicasius Diuionensis misit.

Cogitur hìc Syrias iterùm ne destruat Vrbes,
Ferre, nec immeritò, vincula Tempus edax.
Vincula ferre tamen, quæ cogitur, ærea non sunt;
Æreus hic non est, aureus immò liber.

Aliud eiusdem

Dogmatis antiqui vindex Norisius olim,
Nunc prisci vindex Temporis atque loci.
Qui loca sic rebus iungit, sic Tempora nectit,
Omne tulit punctum Scriptor in historia.

IOANNES VAILLANT

HISTORIÆ REGVM SYRIÆ

SCRIPTOR INSIGNIS

Henrico Noris Auguſtiniano in eius librum

DE ANNO ET EPOCHIS SYROMACEDONVM.

En Syrius Macedo ſua rursùm littora noſcit,
Et Reges noſtro ſuſpicit ære datos.
Sed quid tot reduces, miro licèt ordine, Reges,
Ni populos vnà cenſeat ille ſuos?
Iſti hìc immunes, & vectigalibus adſunt.
Oppida Noriſius libera reſtituit.
Quæque per hunc facilè varios vrbs computat annos,
Et libertatis præmia priſca ſuæ.
Hinc Syria è tumulo nunquam peritura reſurgit,
Regibus aucta meis, Vrbibus aucta tuis.

PRÆ-



PRÆFATIO.

Occasio & Vtilitas Operis.



X quo summo ingenio viri ad vetustioris ætatis memorias reparandas, sua omnia studia operamque contulere, nihil illius antiquius fuit, quàm inscriptorum lapidum, ac veterum nummorum subsidio Romanos Fastos, Cæsarum historiam, Græcarum quoque vrbium ac barbarorum Regum monumenta partim ignorata, partim etiam neglecta, in publicam eruditorum notitiam reuocare. Et quidem initio priuati quidam viri cum è familiari re ipsorum non esset, aurea numismata aspera ac recentia cum vetustis ramentis iisque non semel scabra rubigine exesis commutare, exilem minutamque veterum nummorum seriem in domesticas thecas retulerunt. Magnus Etruriæ Dux Franciscus auito ad quodlibet eruditionis genus promouendum Genio ductus, imperantium primus, quò præclaras retroacti æui reliquias inuidis fatis ac temporum iniuriæ subtraheret, innumera vbique gentium vetusta numismata ingenti auri pondere redimens, ditissimo, & vt digniori epitheto vtar, eruditissimo thesauro regia Mediceorum Cimelia locupletauit. At ne tam preciosa supellex in ordinem ac indicem cogeretur, præcox fatum vetuit, quo ille vix alterum in principatu lustrum emensus, occubuit. Hinc factum est, vt tot rara antiquitatis monumenta è terræ ruderibus dudùm effossa, mala iterùm eruditorum sorte, sexaginta circiter annis, nobiliori licèt tumulo consepulta, iacuerint, quousque Magnus Dux Ferdinandus II. nummarij Cimeliarchij curam resumens, Petri Fittoni Angli insignis Antiquarij opera vsus, vniuersam numismatum Gazam in ordinem atque indicem redigens, priuatum thesaurum rem publicam fecit. Nam Lucas Holstenius poligraphicas in Stephanum notas, Ezechiel Spanhemius præclarum de præstantia & vsu numismatum opus, alijque viri eruditi

mutuata è nummis Mediceis luce, edita abs se ipsis volumina, illustrarunt. Ceterùm quamuis nummarij Indicis perlustrandi facultas quandoque concederetur, ipsorum tamen numismatum inspectio ac liberior contrectatio neutiquàm permittebatur; quòd illa intra vulgare armarium in coaceruatis altiori ordine tabellis, disposita, ac congesta, minùs commodè ostendi poterant. Cum verò Leopoldus Cardinalis Mediceus acerba sibi, sed literatis omnibus acerbiori morte raptus, insignem diuitemque veterum numismatum Gazam in uno & altero scrinio ordinatim locatam reliquisset, ac paulò post Serenissimus Magnus Etruriæ Dux COSMVS III. empta in Hispania tredecim millium ac trecentorum numismatum Gaza, grandem auitis Cimelijs accessionem fecisset, quò diuturnis Antiquariorum votis satisfaceret, ac tam pretiosi Cimeliarchij veluti pudorem tandem absolueret, selecta ex tribus locupletissimis Gazis numismata, in pluribus scrinijs ex Indico ligno affabrè eleganterque constructis, liberali custodia seruandos, occlusit, non tam ad nouum regij planè Musei ornamentum, quam ad vsum & commodum eorum, qui vetustioris æui memorijs reparandis incumbunt. Ipse quidem bono meo fato, id est, Magni & OPTIMI PRINCIPIS benignitate, in hocce ditissimum ac locupletissimum venerandæ antiquitatis sacrarium admissus, omniumque numismatum pro libito contrectandorum facultate impetrata, summa animi voluptate admiratus sum Romanam ac Græcam, imò & barbarorum Regum historiam aureis, argenteis, æreisque characteribus in omne æuum duraturis, descriptam; simulque cogitare cœpi ecquæ inde noua ad vetustioris ætatis Annales illustrandos subsidia comparare possem, cum iam eruditi Scriptores eo in campo tam copiosam messem messuerint, vt vix tenuioris spicilegij spes reliqua superesse videretur. Nam augusta illa ora Cæsarum & Augustarum Erizzius, Goltzius, Angelonus, Patinus alijque plurimi editis voluminibus exhibuerant. Deorum effigies, sacrorum instrumenta, aliaque id genus symbola ad profanam gentilium Theologiam spectantia, Iacobus Oysellius ære ductis nummorum typis, illustrauerat. Romanorum Consulum, ac magistratuum familias ex nummis, æneis illis ac paribus æternitati fastis, Fuluius Vrsinus iusto volumine collegerat, cui & recens eruditumque auctarium Eques Carolus Patinus adiecit. Colonias toto passim Romano Orbe deductas, ac plurium vbique ferè Romanarum gentium in Europa condita municipia, Ioannes Vaillantius cum eorumdem nummis summa diligentia parique eruditione procudebat. Vrbium tum Latinarum tum etiam longè plurium Græcarum numismata

mismata post Holstenium, Ioannes Harduinus insigni opere, cui eo in genere nil par aut secundum hactenùs prodijt, in clara luce posuerat, tam grandi rei geographicæ emolumento. Hinc ne actum agerem, ac in syluam ligna ferrem, consilium cœpi, exponendi varias diuersarum, Syriæ præsertim, Vrbium Epochas, quas in Mediceis numismatibus obseruaueram, quam reijculam nummorum supellectilem ceteri flocci fecisse videbantur. Iosephus Scaliger omnium primus vrbium Syriæ Epochas in earumdem nummis adnotauerat. Nam lib. 3. can. Isagog. pag. 296. scribit: *Porrò hæ omnes Aeræ ciuitatum Ascalonitarum, Gazensium, Laodicensium &c. sunt ἀπὸ τῆς αὐτονομίας αὐτῶν, quod crebrò occurrit in nummis*. Sed ille digitum ad fontes tantùm intendit; siquidem Æram statim in Sidoniorum nummo proferens, ait: *caput illorum annorum deprehendi nequit*. Quarumdam sanè vrbium Epochas eximiæ vir doctrinæ idemque magnus Nummorum interpres, Ezechiel Spanhemius Differt. IX. à pag. 866. proponit, vt saliuam tantùm moueat, ac palatum excitet. Harduinus in laudato volumine plurium ciuitatum Epochas recenset & in præfatione operis gloriatur ab se *Æras variarum gentium proprias, quæ Chronologicæ artis magistros fugerant, designatas*. At virum alias eruditum φιλαυτία decepit. Nam properante ad Nummariam geographiam illustrandam stylo, ac non quidem ingenio aut doctrina, sed locupletiori numismatum subsidio destitutus, easdem Epochas erroneis characteribus designauit, nec parem in nummaria Chronologia atque in Geographia laudem tulit. Ipse non ex ijs tantùm nummis, quos in Medicea Gaza inspexi; verùm etiam ex quibusdam alijs, quos ichthyocolla expressos, ex Christianissimi præsertim REGIS Cimeliarchio accepi, plurimas Syromacedonum Epochas intellexi. Easdem laudat Imperator Iustinianus in Nouella 47. qua iussit, vt publica monumenta priorem notam temporis ab annis imperij Augustorum ferrent. Est insigne testimonium in hæc verba conceptum: *Si qua vero apud Orientis habitatores, aut alios homines obseruatio custodiatur in ciuitatum temporibus, nec huic inuidemus; sed præscribatur quidem imperium; sequatur verò (sicut dictum est) Consul & Indictio, atque mensis & dies secundùm quem geruntur & conscribuntur quæ aguntur; & tunc inferatur etiam CIVITATIS omnibus modis ANNVS*. Iustinianus Orientis habitatores peculiariter appellat, quòd eædem gentes diuersas suarum quæque vrbium Epochas ad tempora rerum gestarum indicanda, adhibebant, quas in nummis pariter obsignabant. Auctor est Eusebius in Chronico, hæresim Manichæorum erupisse anno secundo imperij Probi, addens: *iuxtà*

Antio-

Antiochenos trecentesimus vicesimus quintus annus fuit ; *iuxtà Tyrios quadringentesimus secundus* ; *iuxtà Laodicenos trecentesimus vicesimus quartus* ; *iuxta Edessenos quingentesimus octogesimus octauus* ; *iuxtà Ascalonitas trecentesimus octogesimus*. Hasce planè Epochas aliasque longè plurimas nummorum ope hoc in volumine expono, quod in arcto & angusto est , quippè quod in chronologico , id est, arido ac sicco argumento versatur, ex quo tamen plurimum lucis ad sacram & profanam historiam illustrandam , fœneramur . Baronius tom. 1. Annalium ad A. Christi 280. Messalla & Grato Consulibus alterum imperij Probi annum inchoatum tradit , quo pariter initium hæreseos Manichæorum recenset. Ibi verò notat recitatos ab Eusebio plurium ciuitatum Syriæ annos , variatis numeris , apud alios legi , de quibus tamen ait haud necessarium esse disputare , *quòd nihil ad Ecclesiasticam ab annis Christi deductam chronologiam pertineat* , *quæ in diuersis ciuitatibus* , *diuersis ex causis* , *sunt annorum supputationes à maioribus introductæ* . Imò illæ supputationes Ecclesiasticam chronologiam quàm maximè illustrant . Petauius , qui *de doctrina temporum* nullo vnquam tempore interitura volumina mole æquè ac eruditione grandiora conscripsit , libro XI. caput 27. hisce exorditur ; *Probi Imperatoris tempus chronologiæ Christianæ cardinem ac velut vmbelicum continet* . Enimuerò in hoc opere ex nummis Antiochenorum ostendo, eorumdem Epocham cœpisse ab autumno A. V. Romæ 705. vnde annus Antiochenorum CCCXXV. Eusebio memoratus , exijt per autumnum A. V. Romæ 1030. Æræ Christi 277. Imperatore Probo II. & M. Aurelio Paulino Consulibus, quo idem Probus alterum imperij annum auspicatus est. Ita ex laudata Epocha in Antiochenorum nummis obsignata , triennij metrachr[o]nismus in Baronianis Annalibus intelligitur . Rursus idem Eusebius inferiùs scribit : *Anno XIX. Diocletiani , mense Martio , in diebus Pascha , Ecclesia subuersa sunt* ; *iuxtà Antiochenos anno* CCCLI. Baronius initium persecutionis Diocletiani recitat anno Christi 302. quod ipsum postea docuit Petauius lib. 11. cap. 32. At Scaliger lib. 5. de emend. Temp. pag. 469. ait : *Beauit igitur nos Eusebius , qui annum XIX. imperii Diocletiani cum 350. Iuliano comparat , hoc est , quo à Kalendis Octobribus Antiocheni annum 351. putare cœperunt* . Horum tamen insignium virorum anachronismos ex ijsdem Antiochenorum nummis emendamus . Nam cum Æra Antiochenorum cœperit sub autumnum A. V. Romæ 705. annus eiusdem CCCLI. mense Martio , decurrebat A. V. Romæ à parilibus 1056. Æræ Christianæ 303. Imperatoribus Diocletiano VIII. Maximiano VII. Coss. vti disertè etiam qui persecutioni interfuit ,

La-

Lactantius testatur, cuius verba pag. 143. mihi hic recitantur. Baronius ac Petauius vnius anni prochronismo Diocletianeæ persecutionis initia præuertunt. Scaliger biennij metachronismo eandem præcipitat, nec rectè Epochæ Antiochenorum exordium deducit. Nam annus primus Iulianus cœpit Kal. Ianuarijs A. V. Romæ à parilibus 709. qui erat quartus Antiochenorum ab Octobri decurrens; ac proinde annus Iulianus 350. fuit vrbis Romæ 1058. Christi 305. qui à Kalendis Octobribus putari cœpit annus Antiochenorum 354. qui Scaligero 351. perperàm numeratur. Idem tamen ductis diligentiùs calculis, in notis ad Eusebium num. 2319. ait: *Annus Antiochenus 351. hic appositus, designat tempus horrendæ huius persecutionis. Erat enim Christi Dionysianus* CCCIII. Quanti verò intersit, initium eius persecutionis rectè designare, inde colligitur, quòd Eusebius id temporis gesta Martyrum ordinatim singulis quibusque annis describit, quæ tamen omnia in Baronianis Annalibus vno anno anticipata, leguntur. Scriptores tum Catholici, tum etiam Heterodoxi, videlicèt Baronius in Apparatu à num. 85. Casaubonus Exercitat. 1. Montacutius in Apparatu IV. ad Origines Eccles. ac denique Petauius lib. XI. cap. 11. de Præsidibus Syriæ ac tempore eorundem regiminis fusè disputant, vt Christi Domini Natalem, tempus regni Herodis, ac pleraque alia ad Ecclesiasticam historiam & Hebræorum Annales pertinentia, accuratiùs exponant, quorum & ipse studia, longo licèt interuallo, æmulatus, in Cenotaphijs Pisanis prolixiùs in eodem argumento versatus sum. At ex nummis quos eorundem Præsidum Syriæ nominibus simulque annis Epochæ Antiochenorum obsignatos, postea inspexi, admissos tum memoratis Scriptoribus, tnm etiam mihi anachronismos dispungere coactus sum. Extat in Cimelijs Mediceis nummus cum epigraphe: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΤΥΡΙΩΝ. ΞΝΡ. *Regis Antiochi. Tyriorum*. Anno CXLVII. Est nummus Antiochi Epiphanis cum anno Epochæ Seleucidarum, quæ *Græcorum* in sacris literis appellatur. Et lib. I. Machabæorum cap. 3. de eodem Antiocho legitur: *Et exiuit ab Antiochia ciuitate regni sui, anno centesimo & quadragesimo septimo &c.* qui planè annus in laudato nummo obsignatur. Rursùs ex alio nummo Mediceo Hadriani Imperatoris à Tripolitis percusso, atque Æra Seleucidarum notato, pag. 62. ostendo Æram istam cœpisse ab autumno A. V. Romæ 442. vnde anni eiusdem totiès in vtroque Machabæorum libro appellati, optimè intelliguntur; quamuis eosdem Auctor libri prioris ab anno sacro Hebræorum cum Neomenia Nisan ineunte, auspicatur. Cum verò postea Tyrij specialem Epo-

chain

cham instituissent, eadem in pluribus Mediceis Tyriorum nummis occurrit, & à laudato superiùs Eusebio memoratur, ac insuper in duplici conuentu Ecclesiastico apud Tyrum celebrato recitatur, in cuius alterius anno designando viri summi Baronius, Petauius, ac Lupus aberrarunt. Nolo hic omittere insignis nummi notitiam, quam cum hanc ipsam Præfationem exararem, hausi ex literis eruditissimi amici mei Antonij Pagy. Nam scribit se vidisse in Cimelijs Domini Rigordi patricij Massiliensis, numisma Herodis cum antica epigraphe: ΗΡΩΔΗΣ ΤΕΤΡΑΡΧΗΣ, & circa palmam L. ΜΓ. nempè: *Herodes Tetrarcha. Anno* XLIII. Et in postica legitur; ΓΑΙΩ ΚΑΙΣΑΡΙ ΓΕΡ.. *Caio Cæsari Germanico*. Est nummus Herodis Antipæ, qui Lucæ III. dicitur *Tetrarcha Galilææ*, quam tetrarchiam post Herodis Ascalonitæ patris obitum ab Augusto accepit. Baronius anno Christi VIII. num. 19. recitat initium tetrarchiæ eiusdem Herodis, quem postea anno Christi 40. num. 15. narrat à Caio Cæsare Lugdunum in exilium missum; vnde iuxtà Baronium idem annis tantùm duobus ac triginta Galilææ principatum possedisset; cum tamen in laudato nummo annus XLIII. tetrarchiæ Herodis obsignetur. Iam verò ex hoc, modò spurius non sit, pretioso nummo facilè colligemus annum obitus Herodis Magni, aliumque qui præcessit, Natalis Christi Domini, quæ hoc loco satis sit indicasse. At non sacra & Ecclesiastica tantùm, verùm etiam profana Historia ex annis Principum ac Vrbium in nummis obsignatis, mirificè illustratur, cum ex ijsdem tempus imperij plurium Cæsarum demonstretur, certus annorum in Fastis Consularibus ordo colligatur, donatæ plerisque vetustissimis Syriæ vrbibus libertatis exordia indicentur; notæ etiam quorumdam numerorum apud Græcos siuè Syromacedones exponantur, quorum nusquàm alibi vestigium occurrit. Sed ne cauponarum more, hederam huic volumini prætendere videar, hoc vno præcipuè non inanem operam me posuisse puto, quòd scalptas in nummis literas expono, quas viri eruditi eas ipsas numerales Epocharum notas ignorantes, ac pro compendiarijs accipientes, sinistris prorsus interpretationibus explicarunt, vel earundem significationem non assequentes, ne muti viderentur, illasmet prorsus omiserunt. Ne verò sicca rerum Chronologicarum disquisitio continuam Lectoribus molestiam ingerat, ad amœniora quandoque diuerticula deflecto, vrbium Syriæ exordia, variosque casus recitans, vnaque etiam earumdem tutelaria Numina ac diuersa symbola, quæ cum ipsarum Epochis in nummis exprimuntur, describo, quò integra ipsorummet numismatum notitia habeatur.




...m D CXXVI ·

... Diameter est

... Roman · 4 ¼

...æ Sunt m · 4





DISSERTATIO PRIMA

DE ANNO AC MENSIBVS MACEDONVM.

CAPVT I.

Asia à Macedonibus subacta, annum eorumdem eademque mensium nomina admisit. Error Scaligeri ac Petiti de primo Mense anni Macedonum. Initio menses apud eosdem Lunares erant, omnesque tricenarij. Vsserij sententia de veteri anno Solari Macedonum expenditur.



Acedonas incertis olim sedibus errantes, inopes, ac passim sub pellibus gregem pascentes, Philippus rex urbes incolere iussos, optimis legibus ac institutis instruxit, ut eisdem in libro septimo apud Arrianum, Alexander Philippi filius exprobavit. Hinc sub prioribus regibus res illorum obscuræ ac vix finitimis notæ: quarum exoletam penè memoriam Diodorus Siculus ad posteros breviori narratione transmisit. Verùm ubi Alexander selectis ex Macedonia ac Græcia copijs, transmisso Hellesponto, Darij Persarum regis exercitibus uno & altero prœlio profligatis, Asiam pari celeritate ac felicitate subegit, gens Macedonum in ore famæ, ceterisque populis formidabilis esse cœpit. At Alexandro Magno in maximarum rerum conatu, improviso morbo è vivis erepto, præcipui eiusdem Duces amplissimi post homi-

 num

num memoriam imperij provincijs secum invicem divisis, nova per Asiam regna condiderunt; cumque in recèns abs se extructas, vel instauratas urbes, Macedones milites colonos deduxissent, suæ quoque gentis instituta Asiæ populis induxerunt. Hinc factum est, ut Asiatici Macedonum anni formam eiusdemque mensium nomina admitterent. Ita Iudæi rituum suorum aliàs tenacissimi, à Chaldæis in captivitatem abducti, avitis mensium nominibus antiquatis, victorum mensibus uti cœperunt, ut menses qui antea Zius, Bul, ac Ethanim ex 3. Reg. cap. 6. & 8. dicebantur, Iiar, Tisri, & Marchesuan Chaldaicis nominibus nuncuparentur. Romani quoque cum militum colonias sub Cæsaribus toto passim Orbe deduxissent, anni Iuliani formam victis abs se gentibus, passim imposuerunt. Annus Macedonum uti apud Ægyptios, Græcos, Romanos, aliosque populos, in duodecim menses dividebatur, licèt non ab eadem anni tempestate initium apud eosdem sumeret; siquidem Romani à Solstitio brumali, Attici ab æstivo annum auspicabantur. At Macedones ab autumnali Æquinoctio annum inchoabant. Ordo autem ac nomina mensium anni Macedonici hæc fuerunt.

Autumnales.	Verni.
I. *Dius*	VII. *Artemisius*
II. *Apellæus*	VIII. *Dæsius*
III. *Audynæus*	IX. *Panemus*
Hiberni.	Aestivi.
IV. *Peritius*	X. *Lous*
V. *Dystrus*	XI. *Gorpiæus*
VI. *Xanthicus*	XII. *Hyperberetæus*

Scaliger lib. 5. de emendat. Temp. pag. 333. ait certum esse in mensibus Macedonicis *semper principem fuisse Hyperberetæum*; quod pariter tradit Petitus in Eclogis Chronologicis lib. 4. cap. 14. Errant. Nam constat veteres Macedones annum à mense Dio inchoasse, ac Hyperberetæum postremum eiusdem anni mensem fuisse. Zenobius in proverbijs Cent. 6. num. 30. ait: *Quippè Macedonibus Hyperberetæus ultimus anni mensis est*. Suidas etiam V. *Hyperberetæus*, scribit: *Proverbio* Hyperberetæus *dicitur de cunctatoribus; apud Macedones enim ultimus anni mensis Hyperberetæus descriptus est*. Asiaticos proconsulares annum Macedonum à mense Dio deduxisse, locupletissimis Galeni testimonijs inferiùs demostrabitur.

Initio

Initio apud quasque nationes anni erant Lunares, ex puris mensibus Lunaribus collecti. Nam cum motus Lunæ eiusque in lucendo ordinata varietas, hominibus notior esset, ab uno ad alterum eiusdem coitum cum Sole mensium spacia metiebantur. Ita & anni Lunares eisdem erant; *omnibus tamen*, uti scribit Censorinus cap. 20. de die Natali, *fuit propositum suos civiles annos, variè interkalandis mensibus, ad unum verum illum naturalemque corrigere*, nempè ad annum solarem. Vtrumque enim sidus labentem annum cœlo deducit, cum à Deo condita fuerint *in signa & tempora, & dies & annos*, Geneseos cap. 1. Quare nulla natio fuit, quæ tametsi ad alterutrius annuum circulum mensium intervalla dirigeret, non utriusque pariter rationem habendam esse censuerit. Græci ac Romani Lunares primùm annos servarunt; & hi quidem anno demùm ab Vrbe condita DCCVIII. annum Solarem receperunt, cum Iulius Cæsar Dictator idemque Pontifex Maximus luxata anni tempora emendavit. Nullus dubito, quin ipsi quoque Macedones annos iuxtà Lunæ motus collegerint, eumque dierum ordinem in mensibus seruaverint, quem finitimi Græciæ populi vulgò usurpabant. Et quidem Græci menses omnes tricenarios antiquitùs habuere, uti veterum monimenta testantur, quæ dudum eruditi prænotarunt. Aristoteles lib. 6. Hist. Animal. cap. 20. scribit: *Sunt quæ parte quinta anni uterum ferant, hoc est, duobus & septuaginta diebus*. Et rursus: *Gerunt verò Laconicæ uterum parte sexta anni, hoc est, diebus sexaginta*. Si dies 72. sunt quinta pars anni, ac dies 60. pars sexta, annus apud Græcos id temporis erat dierum trecentorum ac sexaginta, ac proinde singuli illius menses erant tricenarij. Et lib. 2. cap. 17. de serpentibus scribit: *Costas totidem habent, quot dies mensem integrum complent; triginta enim habent*. Plinius lib. 34. cap. 16. ait: *Nullique arbitror plures statuas dicatas, quàm Phalereo Demetrio Athenis: siquidem CCCLX. statuere, quas mox laceraverunt, nondum anno hunc numerum dierum excedente*. Laertius lib. 5. ex Demetrio Magnesio tradit Demetrium Phalereum cœpisse Atticam Rempublicam administrare eo tempore, quo Harpalus Alexandri Magni iræ se subducens, Athenas venit. Eundem Phalereum Athenis præfectum anno primo Olympiadis CXVII. auctor est Diodorus Siculus lib. 19. Ex his colligimus regnante Alexandro, ac proximis successoribus ex eiusdem exercitu regibus, annum apud Græcos habuisse dies CCCLX. ac omnes eius menses fuisse tricenarios. Hinc cum Demetrius regis Antigoni filius ac socer Seleuci regis, anno tertio Olympiadis CXVIII. ante Aeram Christi 306. Athenas, expulso Demetrio

Phalereo, occupaſſet, Athenienſes eidem aſſentantes, diem trigeſimam menſis *Demetriada* nuncuparunt, teſte Harpocratione in Lexico, ac Scholiaſte Ariſtophanis in Nubibus. Et ſanè Græci diutiùs eam anni Lunaris formam tenuerunt; quamuis paſsim in Romano Orbe anni Iuliani Solaris methodus prævaluiſſet. Langius lib. 1. de annis Chriſti cap. 12. unam & alteram Inſcriptionem producit, ut demonſtret annos Lunares ex 360. diebus à Græcis ſeruatos. Extant apud Gruterum pag. 1087. in quarum una dicitur Nonius Victor cum Aurelio Victore, *Datiano & Cereale Coſſ.* tradidiſſe LEONTICA XVI. KAL. APRIL. & in altera memorantur ijdem *Euſebio & Hypatio* Coſs. & iterùm tradidiſſe LEONTICA IV. IDVS MARTIAS. Erant ſacra anniverſaria, quæ anno evoluto ab ijſdem inſtaurata fuerunt. Priora peracta ſunt anno Chriſti 358. die 17. Martij; altera anno 359. die eiuſdem menſis 12. iam evolutis diebus à prioribus Leonticis, 360. nempè anno integro Lunari. Hinc S. Auguſtinus lib. 5. de civit. Dei cap. 12. ait: *Sexies autem ſeni, qui numerus quadratum ſenarium facit, triginta ſex dies fiunt, qui multiplicati decies, ad trecentos ſexaginta perueniunt, id eſt, duodecim menſes Lunares*. Et in lib. 4. de Trinit. cap. 4. *Annus etiam*, inquit, *unus, ſi duodecim menſes integri conſiderentur, quos triceni dies complent, talem quippè menſem veteres obſervaverunt, quem circuitus Lunaris oſtendit, ſenario numero pollet*. Et ſtatim: *Sexagenarius ergo numerus ſexta pars anni eſt*. At planè non eſt ſexta pars niſi anni Lunaris ex 360. diebus conflati. Hinc vanus eſt Allatius contendens cap. 14. de menſura temporum, menſes quidem fuiſſe Lunares, annum verò ex eiſdem compoſitum fuiſſe ſolarem. Annus enim ſolaris diebus quinque ac ferè quadrante eum Lunarem ſuperat. Et quamvis annus Lunaris iuxtà Lunæ motus dies 354. & horas 8.48.' 38.'' &c. non excedat, apud Græcos tamen civili ac populari uſu cenſebatur dierum 360. quòd quoslibet eius menſes pari dierum 30. numero decurrere exiſtimabant. Quid quòd poſt tot periodos ac Cyclos inventos, plerique adhuc obſtinatiùs in eadem opinione perſeverarunt, tot licèt Aſtronomicis demonſtrationibus protrita. Dionyſius Exiguus qui initio ſexti Chriſtiani ſæculi floruit, in epiſtola ad Petronium Epiſcopum ait: *Sed nec hoc prætereundum eſſe putavimus, quòd nimis errant, qui Lunam peragere curſum ſui Circuli triginta dierum ſpacijs æſtimantes, duodecim Lunares menſes in trecentis ſexaginta diebus annumerant &c.* Quamvis annus ex 360. diebus medius eſſet inter verum Lunarem ac Solarem, populari tamen ac vetuſtiſsima conſuetudine pro Lunari accipiebatur, quem tamen varij varia dierum intercalatione ad ſolarem redigebant. Ex

Ex his quæ de veteri ac populari anno Græcorum vulgò prænotata sunt, anni quoque Macedonum vetusti methodus mihi colligitur, quam mox etiam non uno testimonio comprobabo. Vsserius cap. 1. de anno solari Macedonum & Asianorum, scribit Macedones inter annum secundum Olympiadis CVIII. ac itidem secundum Olympiadis CXI. quo Alexander ad Granicum Persas devicit, Lunares suos menses in Solares commutasse, ita ut annum ex 365. diebus ac quadrante admiserint. Mensium verò Macedonum quosdam tricenarios, quosdam unius & triginta dierum proponit in diagrammate cap. 4. Idem etiam tom. 1. Annal. ad annum ante Christum 322. diem quintum mensis Dij cum Septembris vicesimo octavo componit; & anno sequenti diem 18. Dæsij Macedonici cum 12. Maij comparat. Hæc tamen dierum in mensibus Macedonum dispositio trecentis ferè annis ab obitu Alexandri à Macedonibus Asiam Proconsularem incolentibus post receptam anni Iuliani formam, invecta fuit; cum antiquitùs apud eosdem singuli quique menses fuerint tricenarij. Diodorus Siculus lib. 18. recitat edictum Polysperchontis insignis sub Alexandro Magno Ducis, quo nomine regio Græcis libertas donatur, ac exules, quibusdam tantùm exceptis, etiam ij qui iussu Alexandri paucos antè annos demortui, in exilium deportati fuerant, suis in urbibus recipi iubentur πρὸ τῆς τριακάδος τοῦ Ξανθικοῦ μηνὸς: *ante diem trigesimum Xanthici mensis*. Præterea in lib. 2. Maccabæorum cap. 11. recitantur literæ Antiochi Eupatoris ad Iudæos datæ, in quibus hæc leguntur: *His igitur qui commeant* μέχρι τριακάδος Ξανθικοῦ *usque ad diem trigesimum Xanthici mensis, damus dexteras securitatis*. Hinc patet Xanthicum tum anno ante Christum 317. quo exules Græcorum revocati fuerunt: tum anno ante eandem Aeram 163. quo Antiochi Eupatoris literæ scriptæ sunt, fuisse mensem ex triginta tantùm diebus conflatum; cum tamen ab Vsserio dierum XXXI. in diagrammate describatur. Etenim postrema dies Xanthici pro termino & Græcis ab exilio revocandis, ac Iudæis tutò Antiochiam redeundi, decreta fuit; cur enim utrobique dies penultimus Xanthici constitutus fuisset? Eumenes Cardianus & Diodorus Erythræus diaria Alexandri Magni iuxtà dies mensium anni Macedonum concinnarunt, quæ si superessent, vetustam anni Macedonum formam extra omne dubium ponerent. Plutarchus tamen in fine lib. de vita Alexandri Magni testatur se in eius regis Diarijs legisse illum febre correptum, in balneo dormivisse die decimo octavo mensis Dæsij, dein *vicesimo die*, post peractum sacrificium, audivisse Nearchum peractam abs se in Oceano navigatio-

nem

nem exponentem; poſtea *τῇ δεκάτῃ φθίνοντος die viceſimo primo* eiuſdem Deſij *deficientis* vehementiori calore vexatum; denique regnandi, ac vivendi finem feciſſe *τῇ δὲ τρίτῃ φθίνοντος, die viceſimo octavo* eiuſdem pariter Deſij. Dies menſis viceſimus à Græcis *εἰκάς* vel *εἰκοστή* dicebatur. At dies viceſimus primus, ſi menſis ille erat plenus, id eſt, dierum triginta, dicebatur *δεκάτη φθίνοντος, decimus deficientis*; ſin verò menſis erat cavus ſive dierum 29. tunc dies 21. vocabatur *ἐνάτη φθίνοντος, nonus deficientis*. Quare cum Alexander in laudato diario dicatur morbo læviori vexatus *die decimo Dæſij deficientis*, Dæſius Macedonum erat dierum triginta. Ariſtobolus, qui Alexandri expeditionibus interfuit, auctor eſt apud Plutarchum eundem regem *τριακάδι Δαισίου μηνὸς* die *trigeſimo Deſij menſis* è vivis abijſſe. Ita præter Xanthicum etiam Dæſius erat tricenarius. Præterea cum Alexandro Tyrum obſidenti ſeptimus iam obſidij menſis clauderetur, ac Ariſtander ex fibris victimæ capiendam eo ipſo menſe urbem prædicens, à cunctis riſu exciperetur, quòd iam ille ultimus erat menſis dies, Alexander, uti narrat in eius vita Plutarchus, iuſſit eum diem non *τριακάδα ἡμέραν trigeſimum diem*, ſed *τρίτην φθίνοντος, viceſimum octavum deficientis* nuncupari. At eo ipſo die Tyrus expugnata fuit. Arrianus lib. 2. ait Tyrum captam fuiſſe Archonte Athenis Aniceto, menſe Hecatombæone, anno primo Olympiadis CXII. ex Diodoro Siculo lib. 17. Vſſerius verò cap. 5. notat annum illum fuiſſe ſextum Cycli Metonici, quo Neomenia Hecatombæonis in diem 20. Iulij in anno Iuliano proleptico incidit, qui dies erat trigeſimus Loi Macedonici. Ita Vſſerio auctore etiam Lous erat menſis tricenarius. Et ſanè Plutarchus ſcribit natum Alexandrum menſe *Loo, quem Athenienſes Hecatombæonem vocant*. Nuſquam apud hiſtoricos ullus Macedonum menſis unius & triginta dierum occurrit, ſed quorum dies poſtremi appellantur, omnes triceni affirmantur; cum tamen Vſſerius Xanthicum dierum 31. prodiderit. Hinc etiam patet Scaligerum lib. 1. de emend. Temp. pag. 45. perperam putaſſe Macedones primùm à regno Philippi Cyclo Metonico uſos, cui poſtea anno duodecimo à morte Alexandri Philippi filij, periodum Calippicam ſubſtituerint. Nam cum oſtenſum ſit Dium fuiſſe primum menſem anni Macedonum, hic in periodis laudatis fuiſſet plenus ſive dierum 30. ſiquidem gentes omnes, quæ anno Lunari utebantur, Græci, Romani, Hebræi, Arabes, ceterique primum menſem plenum adhibebant; ſecundum verò alioſque pari in ordine numero collocatos, ex diebus 29. componebant; quod ipſum conditores variorum Cyclorum perpetua methodo obſervarunt. At ex laudatis teſtimonijs

nijs constat Xanthicum mensem sextum, Dæsium octauum, ac denique Loum decimum fuisse tricenarios, qui tamen cavi & dierum tantùm 29. fuissent, si Macedones Metonis aut Calippi periodos adhibuissent. Hæc antiquior mensium in anno Lunari Macedonum forma fuit, quam tamen tum Asiatici tum etiam Syromacedones mutarunt, cum solaris anni methodum receperunt, ut proximè expono.

CAPVT II.

In Asia ultra Euphratem menses Macedonum usurpati. Eorundem coloniæ in Asia minori ijsdem mensibus usæ. Menses iuxtà numerum quem in anno servabant, ibidem frequenter expressi. Asiatici Proconsulares anni cardines à Iulio Cæsare præscriptos, admiserunt. Annum ab Autumno die 24. Septembris inibant. Quinam menses eorundem tricenarij: quinam dierum XXXI. Diagramma Anni Asianorum. In exitu anni Bissextilis intercalabant, cum Aegyptij ante initium eiusdem, diem adderent. Alexandri Monachi in encomio D.Barnabæ dicta expenduntur. Num Smyrnenses annum à mense Dio cum ceteris Asiaticis inirent. Mensis Tertius *in epitaphio Smyrnensi, itemque dies passionis SS. Polycarpi, ac Pionij apud Smyrnam Martyrum exponuntur. Menses Posideon ac Lenæon apud Iones Aristidi laudati, fusiùs explicantur, ac Interpretis errores corriguntur.*

MOrtuo apud Babylonem Alexandro Magno, ut initio lib. 1. Maccabæorum legitur, *obtinuerunt pueri eius regnum unusquisque in loco suo: & imposuerunt omnes sibi diademata*. Priorem totius Asiæ quà ab Hellesponto ad Indos usque protenditur, divisionem, singulosque provincijs impositos rectores: tum alteram extincto post biennium Perdicca, eorundem regnorum sive satrapiarum distributionem recensent Diodorus Siculus lib. 18. Arrianus apud Photium Cod. XCII. Dexippus Cod. LXXXI. ibidem, Iustinus lib. 13. Curtius lib. 10. Cum verò demortui Alexandri duces cum decretis sibi Macedonum copijs, in adsignatas provincias profecti essent, Macedonum colonias tota passim Asia constituerunt. Hinc

factum

factum est, ut Asiatici unà cum legibus, anni Macedonici formam ac nomina mensium eorundem acceperint. Chaldæos ac Babylonios, quorum regimen Seleuco obtigit, menses Macedonum usurpasse prodit Ptolemæus lib. 9. magnæ Syntaxeos cap. 7. recitans observationem Astronomicam ex Chaldæorum libris *anno LXXV. Chaldæorum*, *Dij mensis XIV.* & rursus alteram *anno LXVII. iuxtà Chaldæos, Apellæi mensis die V.* Et lib. 11. cap. 7. tertiam observationem memorat *anno LXXXII. iuxtà Chaldæos*, *Xanthici mensis die V.* Seleucus priusquàm Syriam totamque cis & ultra Taurum Asiam Antigono cum vita eriperet, Medos, Parthos, Bactrianos aliasque ad Indum usque fluvium gentes imperio suo adiecit, ac deductis in devictarum gentium oppida militum colonijs, Macedonici anni formam ijsdem præscripsit. Parthi anno postea trigesimo primo à morte Seleuci, qui fuit Vrbis Romæ 498. C. Atilio Regulo, L. Manlio Vulsone Coss. teste Trogo apud Iustinum lib. 41. duce Arsace à Macedonibus defecerunt; eosdem tamen recepta semel nomina mensium Macedonum retinuisse colligimus ex insigni nummo apud Tristanum tom. 2. pag. 83. & ex altero cuius typum ab eruditissimo amico nostro Ioanne Vaillantio acceptum, hic appendo.



In antica parte nummi visitur imago Arsacis cum diademate capillati, ac barbati, uti apud Tristanum delineatur. In postica legitur: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΒΑΣΙΛΕΩΝ ΑΡΣΑΚΟΥ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ ΦΙΛΕΛΛΗΝΟΣ ΔΙΚΑΙΟΥ. ΓΟΡΠΙΑΙΩ. *Regis Regum Arsacis Benefici, Illustris, Amici Græcorum, Iusti.* Huic gemini nummi typum exhibet Illustrissimus Spanhemius Dissert. 5. pag. 426. cum altero ferè similis epigraphes ex Museo Mediceo. In neutro tamen legitur ΓΟΡΠΙΑΙΩ, *Gorpiæo*, qui mensis erat tunc penultimus anni Macedonum. Tristanus satis probabiliter opinatur Gorpiæum in nummis obsignatum fuisse, quòd eo mense Arsaces Parthorum regnum accepit; illum verò putat Arsacem qui à Macedònibus deficiens, Parthici in Oriente imperij auctor fuit. Ipse tamen arbitror quempiam potiùs memorati Arsacis successorum ibi-

dem

dem indicari illo titulo *Amici Graecorum*, quo nomine Macedones veniunt. Nam primus Arsacidum Macedones rerum in Asia ultra Euphratem ac Tigrim potientes, persecutus, eosdem in Parthorum potestatem redegit, ut planè non amicus Graecorum, sed eorundem infestissimus hostis appellandus esse videatur. Si cui tamen Tristani opinio probetur, is facilè reponet Arsacem hostem quidem fuisse Seleucidarum regum Syriç, quibus plurimas ultra Euphratem provincias eripuit, eundem tamen, *cum clementiam atque mansuetudinem in primis coleret*, ut ait Diodorus Siculus in excerptis Valesij pag. 359. modestè victoria usum, Macedonum colonias veteri earumdem iure sancito, in fidem ac tutelam recepisse. Ita Pompeius cum Syriam in potestatem populi Romani redegisset, plurimas eiusdem urbes liberas esse iussit, nempe ut sub Romanis Proconsulibus suismet magistratibus ac legibus regerentur. Seleucia ad Tigrim maxima in regno Parthorum urbs, dicitur Plinio lib. 6. cap. 26. *libera hodie & sui iuris, Macedonumque moris*; Tacito verò lib. 6. Ann. *civitas potens, septa muris, neque in barbarum corrupta, sed conditoris Seleuci retinens. Trecenti opibus aut sapientia delecti ut Senatus; sua populo vis, & quoties concordes agunt, spernitur Parthus*. Et fortassis illi nummi apud eandem Seleuciam sculpti sunt; cuius cives uti mores, ita etiam annum ac nomina mensium Macedonica retinebant. Eosdem quoque menses in Syriacis provincijs per plura saecula in usu fuisse capite proximo demonstrabo.

Asia quae minor dicitur, post mortem Alexandri, in varias Satrapias divisa, Macedones passim colonos recepit. Hinc Plinio lib. 5. cap. 29. nominantur *Macedones Cadueni*, *Macedones Hyrcani*, *ac Mysomacedones*; & cap. 30. *Poemaneni Macedones*. Extat in Cimelijs Mediceis paruus nummus inscriptus: ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ, *Claudius Caesar*; & in postica cum figura galeata ac barbata, baculum tenente: ΕΠΙ ΜΕΛΙΤΩΝΟΣ ΑΣΚΛΗΠΙΑΔΟΥ. ΚΑΔΟΗΝΩΝ, *sub Melitone Asclepiade. Cadoenorum*. Erat haec urbs in Mysia. Iacobus Sponius par. 1. Itinerarij post pag. 446. edit. Amstelod. nummi typum exhibet, in cuius antica visitur caput turritum, & in postica cum Fortuna temonem ac cornu copiae tenente, legitur: ΥΡΚΑΝΩΝ, *Hyrcanorum*. Erat urbs Lydiae, ut eruditè post doctissimos Holstenium ac Cuperum, V. C. Harduinus pag. 523. voluminis mihi hoc in opere saepiùs appellandi, ex Plinio ac Tacito ostendit; & huic quidem inter cives duodecim urbium Asiae proconsularis ingenti terrae motu vexatos, lib. 2. Ann. recitantur *Macedones Hyrcani*. In Synodo Constantinopolitana S. Flaviani legitur subscriptus Ioannes Episcopus πόλεως Ὑρκανῶν, *urbis Hyrcanorum*.

 rum.

rum. In Synodo VII. Oecumenica inter Episcopos Lydiæ legitur Eustathius Ὑρκάνης, *Hyrcanes*. Denique Pœmanenum erat in Mysia. Aristides serm. 4. sacr. sub initium nominat Ποιμανηνὸς χωρίον τῆς Μυσίας, *Pœmaneni agrum in Mysia*. Extat in Museo Mediceo hic rarissimus nummus primæ, uti vocant, magnitudinis.



Anticæ partis Inscriptio Latinè vertitur: *Imperator Cæsar M. Aurelius Antoninus*. Posticæ verò cum Dea Cybele: *Macedonum Docimensium*. Diodorus Siculus lib. 19. de Lysimacho Synnada in Phrygia obsidente, scribit: *Docimum Antigoni præfectum suas in partes induxit*. Hic Docimus milites Macedones in urbem abs se conditam, siue instauratam, colonos deducens, eandem de suo nomine *Docimium* nuncupavit, cuius in Prygia oppidi Ptolemæus ac Stephanus meminere. Strabo lib. 12. *Docimiam* vocat, eamque propè Synnada locat. In lib. 9. Cod. Theod. *L. 9. & 11. de indulgent. debit.* metalli *Docimeni* mentio occurrit. In Latinis subscriptionibus Synodi Ephesinæ recensetur Eustathius Episcopus *Docimij provinciæ Phrygiæ Salutaris*. Eustochius Δοκιμίου *Docimij* Episcopus in pseudo Synodo Ephesina, ac Oecumenica postea Calchedonensi nominatur. Et hæ quidem urbes in Asia minori Macedonum cognomen ob maiorum memoriam sibi adsciverunt. Cum Seleucus Nicator post necem Antigoni, Asiam usque ad Hellespontum occupasset, plurimas in singulis eiusdem provincijs urbes condidit, in quas suos milites colonos deduxit. Nam in Phrygia Laodiceam; in Lydia Antiochiam ad Mæandrum; in Pisidia alteram Antiochiam, Apameam, ac Seleuciam; in Isauria Seleuciam ad Calycadnum, & Antiochiam ad Tragum, aliasque urbes condidit. Stratonicea in Lydia, & altera in Caria à Stratonice eiusdem Seleuci, ac postea Antiochi Soteris eiusdem filij uxore nomen sortitæ sunt; ac Stratonicea in Caria *Macedonum colonia* dicitur Straboni lib. 14. pag. 454. Porrò Asia minor ab Alexandri Magni contra Persas expeditione per annos CXLIV. sub imperio Macedonum fuit, quousque Antiochus III.

cogno-

cognomine Magnus, Syriæ rex, anno Vrbis Romæ 564. circa Magnesiam ad Sipylum victus, Asiam ultra Taurum amisit.

Asiatici in Macedonum potestatem redacti, ac conditis tota passim Asia Macedonum militum colonijs, victorum mores ac instituta sequuti, annum ac nomina mensium Macedonicorum admiserunt. Et illi quidem annum ab autumno, uti Macedones, auspicabantur. Simplicius in comment. ad lib. 5. Physicorum Aristotelis, ait: *Quæ verò à nobis statuuntur initia, anni quidem circa solstitium æstiuum apud Athenienses; vel circa Aequinoctium autumnale, velut in Asia modò sic dicta; vel circa brumam, quod Romanis; vel denique ineunte vere, quod Arabibus & Damascenis in usu est.* Itaque in Asia minori sive Proconsulari annus ab autumno more Macedonum, initium capiebat, eiusque menses nominibus pariter Macedonicis appellabantur. Galenus lib. 4. de sanitate tuenda cap. 8. de abiete scribens, ait: *Est itaque eius pulcherrimum semen circa Arcturi emersionem: quo tempore Romæ quidem September mensis vocatus est; apud nos verò Pergami Hyperberetaus, Athenis autem Mysteria.* Ita Pergami in Troade urbis plurium Asiæ regum usque ad Attalum Philometorem sedis, ac Galeni Medicorum principis natalibus illustris, nomina mensium Macedonica servabantur. Sponius in laudato Itinerario par. 1. pag. 398. prolixam Inscriptionem sepulchralem recitat Thyatiræ in Lydia abs se exscriptam, quæ dicitur posita:

ΕΝ. ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΗ. ΘΥΑΤΕΙΡΗΝΩΝ. ΠΟΛΕΙ
ΑΝΘΥΠΑΤΩΙ. ΚΑΤΙΛΛΙΩΙ ΣΕΒΗΡΩΙ.
ΜΗΝΟΣ. ΑΥΔΝΑΙΟΥ. ΤΡΙΣ. ΚΑΙ. ΔΕΚΑΤΗ

Videlicèt: *In clarissima Thyatirenorum urbe, Proconsule Catillio Severo, mensis Audnai die decima tertia.* L. Catilius Severus collega T. Aurelij Fulvi, qui postea Antoninus Pius nuncupatus, Imperator fuit, consulatum gessit A. V. 873. eodemque tertio imperij Hadriani; ac in Romana Inscriptione legitur Gruteri pag. 599. 9. ad quem etiam extant epistolæ Plinij XXII. libri primi, ac XII. libri tertij. Ille verò post consulatum Asiam suo tempore sortitus, Proconsul administravit. Num scalptoris errore ΑΥΔΝΑΙΟΥ *Audnai* pro ΑΥΔΥΝΑΙΟΥ *Audynai*, omissa litera Υ, legatur, vel iuxtà popularem fortassis pronuntiationem mensis *Audynæus* scalptus fuerit, haud vacat disputare. Strabonis lib. 13. pag. 431. *Thyatira Macedonum colonia* laudatur. Hinc illa Macedonum menses adhibebat. Ecclesia Smyrnensis in epistola de martyrio S. Polycarpi, quam mutilam apud Eusebium lib. 4. cap. 15. integram è vetusto codice

Vſſerius publicavit, ſcribit eundem paſſum apud Smyrnam *μηνὸς Ξανθικοῦ δευτέρᾳ ἱσταμένου : inſtantis Xanthici* menſis *die ſecundo*. Ita Pergami, Thyatiræ, ac Smyrnæ, quæ urbes in Aſia erant celeberrimæ, nomina menſium anni Macedonum uſurpabantur. Quædam tamen civitates Aſiæ vetuſta menſium nomina retinebant. Nam inter marmora Oxonienſia extat Inſcriptio, in qua recitatur fœdus inter Magneſios ac Smyrnæos initum, ad maieſtatem Seleuci Callinici regis Syriæ & Aſiæ conſervandam, quod dicitur ibidem ſancitum ΜΗΝΟΣ ΛΗΝΑΙΩΝΟΣ : *Menſe Lenæone*. Proxima etiam Aſiæ proconſulari Bithynia, ut mox oſtendo, ac Cappadocia alia menſium nomina adhibebant; ſiquidem in Synodo V. Collat. 5. *menſis apud Cappadoces provinciali vocabulo Dathuſa* nominatur, qui *Tethuſia* dicitur Gyraldo pag. 108. de Annis & mens. ubi aliorum quoque menſium Cappadocum nomina recitat. At in Epiſt. 90. S. Gregorij Nazianzeni ad Theodorum, Δαθοῦσα *Dathuſa* idem menſis appellatur. Rurſus aliæ in Aſia urbes, quamvis nomina menſium Macedonica ſervabant, in eorundem tamen ordine diſponendo, cum alijs neutiquam conveniebant. In vetuſto fragmento Saviliani codicis apud Vſſerium cap. 4. de Anno ſolari Aſianorum, Romanorum Ianuarius à Lycijs *Dius*; ab Epheſijs verò *Peritius* vocatur, quem Bithynij *Dionyſium*; Cyprij autem *Iulium* nuncupabant. Hinc factum eſt, ut Aſiatici ad hanc menſium, quorum erant diverſa nomina, confuſionem evitandam, eoſdem penès numerum, quo in anno recenſebantur, deſignarent; quod Hebræos quoque feciſſe ſacra præſertim Prophetarum volumina oſtendunt. Itaque in Aſia menſis *Primus*, *Secundus*, *Tertius* uſque ad Duodecimum appellabantur. In epitaphio Smyrnenſi apud Equitem Patinum legitur: ΜΗΝΟΣ ΤΡΙΤΟΥ, *Menſe Tertio*. Ariſtides in Orat. 5. ſacr. ait: *Pergamum proficiſcor eo die profeſto qui Romanis eſt anni principium*. Quòd nempè in Aſia ab alia tempeſtate annum auſpicabantur. Dies erat Kalendarum Ianuarij, quæ Pergami cum nono die Peritij concurrebant. Idem verò Orat. 1. ſacr. ait: *Menſis erat Poſideon, bieme qualem noſtis*. Vbi varijs eiuſdem Poſideonis diebus enumeratis, ait: *Ληναιῶνος νουμηνίᾳ Lenæonis die prima*. Hic non appellat menſes Atticos, licèt Poſideonem nominet, qui ſextus erat menſis in anno Athenienſium, apud quos Poſideoni ſuccedebat Gamelion, non autem Lenæon, qui ex laudato marmore erat menſis Magnetum ac quarumdam aliarum urbium Aſiæ proconſularis, quarum vetuſtiora menſium nomina Ariſtides ibidem uſurpavit. Proclus in illa verba Heſiodi V. 499. Μῆνα δὲ Ληναιῶνα, *menſem Lenæonem*, ait: Ἴωνες δὲ τοῦτον οὐδ' ἄλλως, ἀλλὰ Ληναιῶνα καλοῦσι, *Iones autem*

autem hunc non aliter, quàm Lenaonem vocant. Verùm de utroque mense Posideone ac Lenæone, prout illis Iones utebatur, prolixius postea hic disputabo. Rursus idem Aristides Orat. 2. sacr. ait: *Praterea cum aliquando lacte opus esset ex Dei mandato, nec reperiri posset; erat enim* τετρὰς ἐπὶ δέκα τοῦ δευτέρου μηνὸς; ὡς νομίζουσιν οἱ ταύτῃ, *dies decima quarta mensis secundi, ut nos hic appellamus*. Vbi ille in priori testimonio Posideonem & Lenæonem, proprijs apud Iones nominibus designavit, hic mensem *Secundum* communi apud Asiaticos vocabulo appellavit. Huius verò dies XIV. cum sexto Novembris concurrebat; quo tempore cum rari sint ovium partus, lac non tam facilè in promptu erat; quod tamen ait in proximo Rufi prædio se reperisse, cum proxima nocte ovis ibidem peperisset.

Postquàm Iulius Cæsar annum solarem apud Romanos induxit, vulgata opinione quatuor anni cardines in octavis partibus signorum fixi sunt. Plinius lib. 2. cap. 19. ait: *Sol autem ipse quatuor differentias habet, bis aquata nocte diei, vere & autumno, & in centrum incidens terra octavis in partibus Arietis & Libra; bis permutatis spacijs in auctum diei: bruma, octava in parte Capricorni; noctis verò solstitio totidem partibus Cancri*. Eadem repetit lib. 18. cap. 25. ubi ait sequi se *observationem Casaris*, qui Sosigene auctore, solis transitum in signa cardinalia octo ante Solstitia & Æquinoctia diebus fieri in anno Romano reformando, notaverat. Idem tradit Columella lib. 9. cap. 14. quod ipsum produnt vetusta Kalendaria in lapidibus scalpta, in quibus Gruteri pag. 138. legitur mense Martio: ÆQVINOCTIVM VIII. KAL. APR. & mense Iunio: SOLSTITIVM VIII. KAL. IVL. Rursus mense Septembri: ÆQVINOCT. VIII. KAL. OCT. Denique mense Decembri: TROPÆ. CHIMERIN. Græcis hisce vocibus conversiones brumales exprimuntur. Eadem tradit S. Anatolius in fine sui canonis Paschalis. Beda cap. 28. de ratione Temporum scribit: *De Aequinoctijs, quòd VIII. Kal. Aprilis, & VIII. Kal. Octobrium; & de Solstitijs quòd VIII. Kal. Iuliarum, & VIII. Kal. Ianuariarum die sint notanda, multorum latè & sapientium saculi & Christianorum sententia claret*. Communis ea quidem, sed falsa erat opinio. Nam Hipparchus teste Ptolemæo lib. 3. Sytaxeos cap. 2. anno 32. tertiæ periodi Calippicæ observavit Æquinoctium autumnale contigisse die tertia epagomenarum. Et rursus eodem anno die 27. Mechir manè Æquinoctium vernum notavit. Fuit annus Nabonassari 602. ante Æram Christi 147. quo Thoth cœpit die 29. Septembris in anno Iuliano proleptico. Quare dies tertia Epagomenarum fuit 26. Septembris; dies verò 27. Mechir fuit 24. Martij Iuliani. At Astronomis observata

est

est annua præcessio Æquinoctiorum esse minut. 11. 12." quæ singulis quadriennijs evadit minutorum 44. 48." ita ut post annos centum & viginti octo, Æquinoctia uno die præcedant; unde in reformatione Kalendarij Gregoriani in quadringentis annis tres centesimi communes sine bissexto ordinati sunt, ne Æquinoctium vernum à die 21. Martij demoveretur. Itaque anno Romæ 709. Nabonassari 704. ante Æram Christi 45. qui fuit primus anni à Cæsare reformati, Æquinoctium vernum non contigit die 25. Martij; aliàs post annum centesimum ab Hipparchi observatione Æquinoctium uno die tardiùs contigisset. Ceterùm licèt Æquinoctij Astronomici certa dies atque hora assignetur, Æquinoctium tamen civile, quod sensibus vulgò percipi potest, triduum amplectitur, quia dies æquales noctibus sine magna differentia, iudicio sensus triduò decurrunt, uti scitè notat Clavius cap. 4. Calend. Gregor. §. 7. Hinc Columella lib. 11. cap. 2. ait: *VIII. Kal. Octobris, & VII. & VI. Aequinoctium autumnale*. Non quòd reapse toto triduo dies æquati noctibus laberentur, sed quòd per triduum nulla eorundem inæqualitas sensui apparebat. Quare à Iulio Cæsare æquinoctia ac Solstitia in octava parte signorum, seu octava die ante Kalendas Aprilis, Iulij, Octobris, ac denique Ianuarij locata sunt, quòd id à civili usu non abhorrebat, quamuis unius, aut alterius diei discrepantia iuxtà Astronomicos calculos notaretur.

Asiatici Proconsulares cum annum ex Lunari in Solarem commutarunt, eius initium certæ cuipiam diei affixum voluerunt, ut post dies 365. cum quadrante, ad eandem decurreret. Cum verò ab autumno, teste Simplicio, annum auspicarentur, primam eius diem in VIII. Kal. Octobris, quæ ex Cæsaris decreto, autumno initium dabat, collocarunt. Itaque Dius primus mensis anni solaris Macedonici in Asia minori die 24. Septembris inchoabatur. Galenus in comment. lib. 1. Hippocratis epidimiorum, sive de morbis vulgaribus, ex Vsserij cap. 1. laudati opusculi interpretatione, ait: *Si quis didicerit in principium mensis Dij autumnale aequinoctium incidere, intelliget brumale quidem Solstitium post tres circiter menses futurum, ineunte quotannis mense Peritio (nam hoc nomine denotatur apud Macedonas) vernum verò aequinoctium Artemisio, sicut & aestiuum Solstitium Loo. Nam circa initia dictorum mensium aequinoctia & solstitia contingunt ijs, qui secundùm Macedonas menses numeraverint & nominaverint*. Cum verò notasset Palæstinos, nempè Hebræos, annum Lunarem ex diebus 354. servare, ait: *Quare apud illos qui menses hoc pacto numerant, non est dies constituere, quibus æquinoctia & solstitia, & oriantur illustria sydera; apud eos qui ad solem*

solem rationem ineunt, *statuas*, *id quod à Romanis dixi*, *Macedonibus*, *nostratibusque Asiaticis & verò etiam ab alijs nationibus observari non paucis*. Ex his colligimus Macedones & Asiaticos ante Galenum annum solarem recepisse, ac Macedones in Asia initia quatuor tempestatum anni statuisse quatuor hisce mensibus ineuntibus, Dio, Peritio, Artemisio, & Loo. Præterea scribit ibidem Galenus: *Sicut Arcturi ortus finis æstatis est*, *principium verò autumni*, *quod ad XII. dies æquinoctium autumnale antecedit*. Plinius verò lib. 2. cap. 47. ait: *Post eos rursus Austri frequentes usque ad sydus Arcturi*, *quod exoritur XI. diebus ante æquinoctium autumni*. Et lib. 18. cap. 31. *Quinto Eidus*, inquit, *Septembris Cæsari Capella oritur vesperi*; *Arcturus verò medius pridie Eidus*, id est, die 12. eiusdem Septembris. Plinius undecim, Galenus duodecim diebus vespertinum ortum Arcturi ante Æquinoctium recitant; quòd hic inclusivè, ille verò exclusivè diem 12. Septembris acceperunt. Rursus Galenus lib. 4. de sanitate tuenda laudat, uti prænotavi, semen abietis *circa Arcturi emersionem*, *quo tempore Romæ quidem September mensis vocatus est*, *apud nos verò Pergami Hyperberetæus &c.* Quare Arcturus postrema parte Hyperberetæi oriebatur, ac post diem duodecimum inibat Dius primus mensis Macedonum Asianorum, cuius neomenia cum 24. Septembris Romanorum concurrebat, in qua Cæsar initium æquinoctij autumnalis statuerat. Hoc ipsum ex Christianis Scriptoribus locupletissimè ab Vsserio demonstratum est. Nam S. Epiphanius ad Hæresim LI. Alogorum tradit Christum Dominum baptizatum fuisse *secundùm Aegyptios Athyr mensis die duodecima*, *ante sextum Iduum Novembrium*; *iuxtà Græcos Dij mensis octava*, *&c. iuxtà Macedones Apellæi decima sexta*. In primis appellat annum fixum Ægyptiorum, cuius primus dies cum mense Thoth inibat die 29. Augusti Romanorum. Ita in eorumdem mensibus tricenarijs dies duodecimus Athyr correspondet diei octavo Novembris, sive ante sextum Iduum Novembris. Græci quos postea laudat, sunt Antiocheni, Laodiceni, Cæsarienses, alijque in Syria populi, qui à Kalendis Novembris Dium mensem auspicabantur, ut inferiùs exponam. Denique Macedonas quos nominat, sunt Asiatici, qui annum ac mensem Dium die 24. Septembris inibant, cuius dies trigesima ac postrema exibat die 23. Octobris, ac sequenti Apellæus inchoabatur; ac proinde huius dies XVI. cum octava Novembris concurrebat. Petrus Halloix in notis ad cap. 7. vitæ S. Polycarpi ex Actis martyrij S. Timothei hæc recitat: *Obijt autem Sanctus & gloriosus Apostolus & Patriarcha*, *& Martyr Timotheus post dies tres festivitatis illius*, *qua Catagogiorum nomen obtinet*,

qui

qui dies secundùm Asianos mensis Quarti est trigesimus ; iuxtà Romanos vicesimus secundus Ianuarij. Iam verò à 24. Septembris ad diem 22. Ianuarij colliguntur dies CXXI. Quare cum totidem dies numerandi sint à prima Dij ad trigesimam mensis Quarti Macedonum Asianorum, id est, Peritij, patet tres priores menses anni Asianorum non fuisse æqualiter tricenarios ; siquidem ea ratione à prima Dij ad 30. Peritij Quarti mensis, dies tantùm haberentur CXX. Hinc Apellæus aut Audynæus erant dierum unius & triginta. Ptolemæus lib. 7. magnæ Syntaxeos cap. 3. refert Agrippam Astronomum in Bithynia *anno duodecimo Domitiani, mensis iuxtà ipsos Metroi die septima* observasse Lunam coniunctam cum Australi succedente Vergiliarum seu Pleiadum, quod contigit, inquit, *anno* 840. *Nabonassari, iuxtà Aegyptios die secunda Tybi*. Anno Nabonassari 840. prima dies Thoth mensis apud ipsos primi in anno eorumdem vago, cœpit die 31. Iulij, anno vulgaris Epochæ Christi 92. quo Idibus Septembris Domitianus annum imperij XII. inivit. Cum verò mensem Tybi quatuor menses tricenarij in anno Aegyptiorum præcedant, dies secunda Tybi eo anno concurrebat cum 29. Novembris. Scaliger lib. 1. de emendat. Temp. pag. 49. sibi fingit Bithynios adhibuisse periodos Olympicas, eorumque annum à solstitio æstivo cœpisse. Errat ; siquidem cum ceteris Asiaticis annum à 24. Septembris exordiebantur. Ioannes Noviomagus in scholijs ad cap. 9. libri Bedæ de ratione Temporum, menses anni à duodecim gentibus varijs nominibus appellatos recitans, annum Bithyniorum iuxtà ordinem mensium disponens, scribit: *Ireos, Ermos, Metroos, &c.* Cum verò Ereus iniret uti ceteri primi menses anni Asianorum, die 24. Septembris, ac dies quæ Agrippæ Bithynio septima Metroi dicitur, à Ptolemæo componatur cum secunda Tybi, id est, 29. Novembris, uti Scaliger rectè prænotavit, Metrous inijt die 23. Novembris, ac proinde primi duo menses anni Asianorum erant tricenarij, ac tertius eorundem mensis erat dierum XXXI. unde dies 30. Quarti mensis Asianorum cum XXII. Ianuarij iungebatur, uti simul concurrentes legimus in laudatis Actis S. Timothei. Metrous Bithyniorum, qui alijs Asiaticis Audynæus, vel vulgari nomine *Tertius* dicebatur, exibat die 23. Decembris. Columella lib. XI. cap. 2. ait. *Nono Kalendas Ianuarias brumale solstitium, sicut Chaldæi observant, significat*. Ita etiam Asiatici censebant, qui IX. Kal. Ianuarij sive die 24. Decembris ab eodem solstitio brumali Peritium seu Quartum mensem, teste Galeno, ordiebantur. Plinius lib. 18. cap. 25. ait: *Bruma Capricorni ad VIII. Kal. Ianuarij ferè*. Hinc quòd Romæ solstitium ad diem 24. vel 25. Decembris alligabatur,

batur, in lapideis Kalendarijs apud Gruterum, uti proximè notabam, legitur: TROPÆ CHIMERIN: nulla die certa Decembris adsignata, secùs ac in alijs tribus anni tempestatibus, quarum certa dies scalpta ibidem legitur.

In tomo V. operum S. Ioannis Chrysostomi Græcæ editionis Henrici Savilij, à pag. 948. legitur Homilia Paschalis, quæ alium planè à Chrysostomo, ac multò recentiorem Auctorem habet, qui in fine eius Orationis tradit eo anno Lunam XIV. biduo antè æquinoctium contigisse, ac proinde sequentem Lunam pro Paschali assumptam fuisse, cuius cum dies XIV. *in diem vicesimam sextam mensis Septimi*, quæ erat Dominica, incidisset, hebdomade superaddita, Pascha celebratum fuit *secunda die mensis octavi*. Quæ cum fusiùs exposuisset, orationem concludens ait: *Nunc quidem secunda Octavi mensis dies existit Resurrectionis*; *sequente verò anno decima septima Septimi mensis erit*; *atque iterùm proximo nona mensis Septimi*; *& rursus anno tertio vicesima nona mensis*, nempè eiusdem Septimi, *Resurrectionis dies celebrabitur*. Vsserius eruditè cap. 5. ostendit hic designari quatuor Paschata ab anno Christi 672. ad 675. Primum autem Pascha anno bissextili 672. Cyclo Solis IX. Lunæ VIII. litt. DC. contigit die 25. Aprilis, quæ Asiaticis fuit secunda mensis Octavi; nempè apud plerosque Dasij. Hoc anno plenilunium Martij secundùm medium motum, iuxtà meridianum Vrbis, contigit Martij die 19. Hor. 0. 24.' 22." ante Meridiem. Quare quòd præcedebat Æquinoctium, non fuit plenilunium Paschale; sed adsumptum fuit proximum Plenilunium, quod contigit mense Aprili die 17. hor. 12. 20.' 41." post meridiem. Iuxta Cyclos Alexandrinorum passim ab Ecclesijs Asiæ, Græciç, ac Italiç id temporis receptos, eo anno Luna XIV. Paschalis incidit in diem 18. Aprilis, quç cum esset Dominica, ne solemnitas Resurrectionis Domini die termini contra canones ageretur, Pascha dilatum fuit ad diem 25. Aprilis, Luna XXI. quç erat longior terminus, ad quem Paschale festum iuxta Cyclos Theophili Patriarchç Alexandrini extendebatur. Porrò eo anno bissextili Christi 672. à die 24. Septembris ad 25. Aprilis colliguntur inclusivè dies CCXV. quot pariter numerantur à neomenia Dij sivè mensis Primi Asianorum ad secundam diem mensis Dçsij sivè Octavi. Cum autem ex laudatis Actis S. Timothei dies 30. Quarti mensis Asianorum cum 22. Ianuarij concurreret; & ab hac exclusivè, ad 25. Aprilis inclusivè in anno Iuliano bissextili numerentur dies XCIV. quorum duo postremi fuerunt primus ac secundus mensis Octavi, reliqui XCII. distribuendi sunt in menses Quintum, Sextum, ac Septimum,

fivè in Dyftrum, Xanthicum, & Artemifium. Eos inter quintus Dyftrus erat dierum 30. fextus Xanthicus, uti & feptimus Artemifius, erant dierum unius & triginta. Enim verò proximè oftendam ex Actis martyrij S. Polycarpi diem 23. Februarij cum fecundo Xanthici combinari; unde Dyftrus feu menfis Quintus qui inibat die 23. Ianuarij, exibat die 21. Februarij, ac proinde erat tricenarius. Verùm ut tum ea quę hactenùs pofita funt, tum quę proximè difputabuntur, faciliùs intelligantur, proponendum eft diagramma Anni Macedonum Afianorum, quod omnium primus Iacobus Vfferius præformavit, à quo Langius, Ricciolius, alijque idem exfcripferunt. Quartus tamen anni cardo mihi hic aliter difponitur, cuius rei poftea rationes proferam.

DIAGRAMMA ANNI ASIANORVM

MENSES		Dierũ	An. fimplici ineunt.	An. biffextili
Primus.	Dius.	30.	24. Septembris	24. Septembris
Secundus.	Apellæus.	30.	24. Octobris	24. Octobris
Tertius.	Audynæus.	31.	23. Novembris	23. Novembris
Quartus.	Peritius.	30.	24. Decembris	24. Decembris
Quintus.	Dyftrus.	30.	23. Ianuarij	23. Ianuarij
Sextus.	Xanthicus.	31.	22. Februarij	22. Februarij
Septimus.	Artemifius.	31.	25. Martij	24. Martij
Octauus.	Dæfius.	30.	25. Aprilis	24. Aprilis
Nonus.	Panemus.	30.	25. Maij	24. Maij
Decimus.	Lous.	31.	24. Iunij	23. Iunij
Vndecimus.	Gorpiæus.	31.	25. Iulij	24. Iulij
Duodecimus.	Hyperberetæus.	30.	25. Augufti	24. Augufti Dies 23. Sept. intercalatur.

In hoc diagrammate Dius 24. Septembris, Peritius 24. Decembris, quibus Æquinoctium autumnale, ac folftitium brumale iuxtà anni folaris correctionem Iulianam ab Afiaticis receptam, contingebant, initium, uti monuit Galenus, defumunt, uti etiam Artemifius init die 25. Martij, quo Cæfar Æquinoctium vernum fignavit. Deniquè neomenia five initium Loi ftatuitur die 24. Iunij, ad quam in eadem Iuliana emendatione folftitium æftiuum alligatur, quocum menfem Loum in anno Macedonum Afianorum inchoari idem Galenus teftatur. Vfferius tamen æftiuum anni cardinem fivè initium

tium Loi Asianorum protrahit ad diem 25. Iunij, unde & Panemo dies 31. assignat; quòd Euthalius Diaconus in vita S. Pauli Apostoli quæ præfixa legitur commentarijs Oecumenij in Acta Apost. scribit eundem martyrio coronatum *quinta die*, *iuxtà Syromacedones*, *mensis Panemi*, *qui apud Aegyptios dici potest Epiphi*; *apud Romanos verò III. Kalendas Iulias*, *vicesimo nono mensis Iunij*. Verùm Euthalius non loquitur de Macedonibus Asiaticis, apud quos, ut ait Galenus, *vernum Aequinoctium Artemisio*, *& aestiuum solstitium Loo* ineuntibus contingebant; illi enim Panemum die 25. Maij inchoabant, ut in posito diagrammate. Euthalius disertè appellat *Syromacedones*, nempè Gazenses, Raphiotas, Ascalonitas, aliosque in Syria populos Ægypto proximiores, qui annum Macedonicum ex puris mensibus tricenarijs cum diebus epagomenarum in anni exitu servabant, ac Dium primum anni mensem die 28. Octobris auspicabantur; unde prima Panemi cum 25. Iunij, ac quinta cum 29. prout ab Euthalio scribitur, concurrebant. Id ad oculum patebit in diagrammate anni eorumdem Syromacedonum, ubi de Epocha Gazensium dissert. 5. cap. 1. disputabitur. Vti verò Romani duos iunctim menses æstivos dierum XXXI. habebant, ita etiam Asiatici cum solarem annum Romanorum exemplo induxerunt, Loum ac Gorpiæum Iulio & Augusto ferè correspondentes, ex uno ac triginta diebus conflarunt.

Rectè tamen Vsserius aduertit Asiaticos annum Bissextilem in exitu intercalasse, ita ut Hyperberetæus evaderet dierum XXXI. Ægyptij annum solarem fixum die 29. Augusti, à prima die Thoth inchoabant; at si annus sequebatur bissextilis, consuetis quinque diebus Epagomenarum alium insuper diem adijcientes, annum die 30. Augusti inibant. Sanctus Martyr ac Patriarcha Alexandrinus Proterius in epistola ad S. Leonem magnum scribit: *In centesimo sexagesimo anno à Diocletiani imperio*, *Dominicum Pascha XXVIII. die mensis Pharmuthi*, *qui est IX. Kalend. Maij* celebratum fuisse. Annus CLX. ab imperio Diocletiani cœpit apud Ægyptios anno Christi 443. sequente proximo Bissextili 444. Cyclo Solis V. Lunæ VIII. litt. BA. Cum verò omnes menses Ægyptiorum essent tricenarij, prima dies Thoth inijt die 30. Augusti; prima verò Pharmuthi incidit in diem 27. Martij, & 28. eiusdem Pharmuthi in diem 23. Aprilis, seu IX. Kal. Maij, quo die Pascha celebratum fuit, ut testatur etiam Prosper in integro Chronico, tom. 1. Biblioth. Labbeanæ edit. At Asiani modo opposito, in exitu anni Bissextilis intercalabant. Hoc Anonymus auctor laudatę Homiliæ Paschalis prodidit, dum ait: *Nunc quidem secunda Octavi mensis dies existit*

 Resur-

Resurrectionis ; sequente verò anno decima septima Septimi mensis erit. Nempè Pascha A. Christi 672. Bissextili fuit die 2. mensis Octavi, quæ in tabula correspondet diei 25. Aprilis, eo quòd Luna Paschalis XIV. incidit in Dominicam diem 26. Artemisij sivè Septimi mensis, quæ erat 18. Aprilis apud Romanos. Pascha anni proximi 673. ponitur die 17. mensis Septimi, sive 10. Aprilis, Cyclo Solis X. Lunæ IX. lit. B. & Dominica in Albis hoc anno fuit die 24. mensis Septimi, sivè 17. Aprilis. Anno Christi 672. dies 26. Septimi mensis cum die 18. Aprilis concurrens, erat Dominica, in quam cadebat Luna XIV. Paschalis. A die verò 18. Aprilis inclusivè ad 24. Septembris exclusivè colliguntur dies 159. At à die 26. mensis Septimi inclusivè, ad diem 30. eandemque postremam mensis Duodecimi inclusivè, ut patet in tabula, colliguntur dies 158. Itaque anno memorato Bissextili 672. dies 30. mensis Duodecimi alias Hyperberetæi concurrebat cum 22. Septembris ; ac proinde Hyperberetæus intercalatus fuit, quæ dies addita cum 23. Septembris concurrebat, ut à die sequenti annus nouus Asianorum cum mense Dio iniret. Quare anno Bissextili Hyperberetæus, sivè mensis XII. anni Asianorum euadebat dierum XXXI.

Verum descriptum mensium Asianorum diagramma infirmare videtur Alexander Monachus in encomio S. Barnabæ, qui apud Surium ad diem XI. Iunij tom. 3. ait : *Diem verò festum quo beati & generosi martyris Barnabæ memoria celebraretur, Patres agi per singulos annos constituerunt tertio Idus Iunij, ut Romani loquuntur ; ut autem Cyprij Constantienses die XI. eius mensis qui ab illis dicitur Mesores, & numeratur decimus ; ut autem Asiatici homines vel Paphij numerant, decimo nono mensis qui Phithipatus dicitur, & Nonus numeratur.* Duo ex his colliguntur. Et primò quidem Constantienses in Cypro id temporis à Kalendis Septembris unà cum novis Indictionibus, annum inchoasse, cum dies XI. Mesoris decimi apud ipsos mensis cum XI. Iunij combinetur. Rursus infertur prioribus mensibus anni Asianorum sex fuisse purè tricenarios, binos verò tantùm unius & triginta dierum. Nàm à die 24. Septembris, qua incipiebat annus Asianorum, ad diem XI. Iunij, inclusis terminis, colliguntur dies CCLXI. At in posito diagrammate, inter octo priores menses ponuntur quinque tricenarij, ac tres dierum XXXI. qui simul dant dies CCXLIII. quibus si addas dies XIX. Noni mensis, fiet summa dierum CCLXII. Cum verò dies 19. Noni mensis Asianorum concurrat, teste Alexandro, cum die XI. Iunij, in posito diagrammate in octo prioribus mensibus una dies abundat. Vsserius ac Langius respondent ab Alexandro Monacho designari

gnari annum bissextilem quo S. Barnabas passus est; in anno verò bissextili Nonus mensis init die 24. Maij; ac dies XIX. illius cum undecima Iunij in posito diagrammate combinatur. Nam à die 24. Septembris, anno sequente Bissextili, ad XI. Iunij numerantur dies CCLXII. Hæc tamen responsio facilè confutatur. Etenim cum ille Scriptor prænarrasset Anthemium Episcopum Constantiensem in controversia de autocephalia cum Petro Fullone Patriarcha Antiocheno, causam in Synodo vicisse, addit eundem Anthemium eam victoriam S. Barnabæ auspicijs acceptam ferentem, eidem insigne templum extruxisse, ubi & nuper inventas S. Apostoli reliquias summa veneratione deposuit, ac Episcopos decrevisse festum eiusdem sancti *per singulos annos* celebrandum die XI. Iunij iuxtà Romanos; ut autem Asiatici homines numerant, XIX. mensis Noni. Non ergo designatur dies passionis S. Barnabæ in anno Bissextili, ut ait Vsserius, sed annua eiusdem memoria publica solemnitate recolenda die XI. Iunij, quę est iuxtà Asianos XIX. mensis Noni. Sanctus Epiphanius ad Hæresim LI. quæ est Alogorum, diem VI. Idus Novembris vocat *iuxtà Paphios Apogonici XVI. & iuxtà Macedonas Apellæi XVI.* Quare Paphij in Cypro ac Macedones Asiatici unà simul menses pari dierum numero dispositos inibant. At cum tot insignibus characteribus in laudata Homilia Paschali inter octo priores menses Asianorum, tres demonstrentur fuisse dierum XXXI. dubio procul error in numerum apud Alexandrum Monachum irrepsit, ac cum XI. Iunij non dies XIX. sed XVIII. Noni mensis Asianorum iungenda est. Et sanè Septimum mensem fuisse dierum XXXI. ex memorata Homilia evidenter ostenditur; ibi enim Anonymus ait Lunam Paschalem XIV. eo anno Christi 672. contigisse die 26. mensis Septimi quæ erat Dominica, & cum vetitum esset in ipso termino festum celebrare, *καὶ οὕτω τῇ εἰκάδι ἕκτῃ τοῦ ἑβδόμου μηνὸς ἑβδομάδα ἐπισυνάπτοντες, εἰς δευτέραν ὀγδόου μηνὸς τὴν ἀνάστασιν ἄγομεν: atque ita diei vicesimæ sextæ Septimi mensis hebdomaden superaddentes, die secunda Octavi mensis Resurrectionem celebramus*. Si dies 26. Septimi mensis fuit Dominica, & rursùs dies secunda Octavi mensis fuit Dominica Paschalis, Septimus mensis erat dierum XXXI. Præterea in eadem Homilia Pascha anni Christi 673. dicitur fuisse die decima septima Septimi mensis, quod in Latinis tabulis eo anno signatur die X. Aprilis, Cyclo Solis X. Lunæ IX. lit. B. Iam vero à die 24. Septembris qua Asiatici primum anni mensem inibant, ad diem 10. Aprilis, inclusis terminis, supputantur dies 199. qui dant quatuor menses tricenarios, duos dierum XXXI. ac insuper dies 17. Septimi mensis. Itaque in

prioribus

prioribus sex mensibus Asianorum quatuor illorum sunt dierum triginta, duo unius ac triginta. Hi verò characteres Paschales cum certissimi sint, ex illis corrigendæ sunt numerales notæ, quæ secùs ac illi, tempora designant. Quare in Encomio S. Barnabæ legendum est, uti iam dixi, *tertio Idus Iunij &c. ut autem Asiatici homines, vel Paphij numerant ιη'*, id est, *XVIII. mensis, qui Phethipatus dicitur, & Nonus numeratur*. Hæc diligentiùs discutiet vir eruditissimus Daniel Papebrochius in illustrandis vitis Sanctorum, quorum annua memoria mense Iunio recolitur; siquidem vasti laboris, ac plurium Scriptorum opus ad hunc usque mensem summa cum laude exactum eidem est.

Carolus Patinus Equestris Ordinis vir, idemque in literaria Republica dudùm senator ac Consularis, sepulcralem Inscriptionem è Smyrnensi agro effossam, & Venetias delatam, ac abs se emptam, sua inter Cimelia reposuit, quam etiam erudito commentario illustratam, euulgavit. Eo in lapide dicitur Aurelia Triphæna heredibus mandare, ut defunctæ cineres intra vas Proconnesium condant, indicta secùs facientibus mulcta *Matri Deorum Sipylenæ*, quam ita à proximo monte Sipylo Smyrnenses vocabant, solvenda. In fine verò eius Epitaphij dicitur autographum in Archivis repositum: ΕΠΙ ΣΤΕΦΑΝΗΦΟΡΟΥ ΑΙΛ. ΒΙΩΝΟΣ. ΜΗΝΟΣ ΤΡΙΤΟΥ. *Sub Stephanephoro Aelio Bione: Mense Tertio*. Philostratus lib. 2. in Heraclide, scribit hunc Sophistam apud Smyrnam degentem, ibidem Στεφανηφόρον ἀρχὴν *Stephanephoream dignitatem* obtinuisse, ἀφ' ἧς τοῖς ἐνιαυτοῖς τίθενται Σμυρναῖοι τὰ ὀνόματα: *à qua Smyrnæi annis nomina imponunt*. Vt enim Romani nomina Consulum, Athenienses Archontum Fastis prænotabant, ita apud Smyrnam is qui annuam Stephanephori dignitatem gerebat, suo nomine labentem annum signabat. Stephanephori sacerdotium annuum Smyrnæ gerebant, eo nomine appellati, quòd coronam, quæ Græcè στέφανος dicitur, ferebant, uti apud Romanos XV. viri Sacris faciundis lauream gestabant. Smyrnæi cum Pionium ac socios martyres ad immolandum allicere conarentur, *tunc illis coronas imposuerunt, quas ipsi discerptas, abiecerunt*, ut in Actis martyrij eorundem recitatur. In vetusto epigrammate satis prolixo propè Smyrnam reperto, nominantur Consules *Titus Augustus VIII.* & Domitianus *Divi Vespasiani Augusti filius VII.* ΕΠΙ ΣΤΕΦΑΝΗΦΟΡΟΥ ΤΙ. ΚΛΑΥΔΙΟΥ ΒΙΩΝΟΣ. Designatur annus urbis Romæ 833. quo *Tiberius Claudius Bion* Smyrnæ fuit Stephanephorus. Rursus in eadem Inscriptione nominantur Consules Imperator Cæsar Domitianus Augustus IX. Quintus Pettilius Rufus II. & statim: ΕΠΙ ΣΤΕΦΑΝΗΦΟΡΟΥ

ΚΟΣ-

ΚΟΣΚΩΝΙΑΣ ΜΥΡΤΟΥ: *Sub Stephanephoro Cosconia Myrto.* Annus fuit urbis Romæ 836. quamuis in vulgatis Fastis alterius Consulis nomen perperàm describitur. Hanc Inscriptionem Smyrna acceptam à Daniele Cossonio, Antonius Magliabechius vir summi ingenij parisque doctrinæ ac bono literatorum fato natus, mihi ostendit; eiusquè fragmentum inserui pag. 55. epistolæ Consularis. At post biennium eandem Inscriptionem integram edidit Sponius sect. X. Miscell. pag. 353. Plura de Stephanephoris nuper scripsit eruditissimus Cuperus pag. 138. in Harpocrate. Ceterùm cum in Patiniano lapide nulla nota temporis appareat, præter mensem tertium, nec Smyrnæorum Fastos compertos habeamus, in obscuro manet annus, quo ille Ælius Bion fuerit ibidem Stephanephorus.

Postrema verba eius epitaphij sunt ΜΗΝΟΣ ΤΡΙΤΟΥ, *Mense Tertio.* Plura de mense Tertio notat eruditus memorati lapidis possessor, ac tandem probabilius putat designari ibidem mensem tertium ab inita eidem Bioni Stephanephori dignitate. Verum ex hactenùs dictis patet notari eo in marmore mensem Tertium anni Macedonici Asianorum, cuius prima dies concurrebat cum 23. Novembris Romanorum; postrema verò, quòd erat dierum unius ac triginta, correspondebat 24. Decembris, ut in posito Diagrammate apparet. Quo verò nomine Smyrnæi huncce Tertium mensem nuncuparent, paucis hic inquirendum. Smyrnæos posteriori saltèm ætate nomina mensium Macedonica adhibuisse produnt literæ Ecclesiæ Smyrnensis de martyrio S. Polycarpi eiusdem urbis Episcopi. Prolixam eius epistolæ partem recitat Eusebius lib. 4. cap. 15. quam integram Iacobus Vsserius publicavit, eamque Valesius suis in Eusebium notis inseruit. In ea autem Smyrnæorum Ecclesiæ epistola ad Philomelienses legitur: *Passus est autem beatus Polycarpus die secundo mensis Xanthici, ante diem VII. Kal. Martias; magno Sabbato, hora octava.* Character diei magni Sabbati viros eruditos in varias sententias distraxit de anno ac mense Iuliano, quo Polycarpus martyr occubuit. Interim constat mensem à Smyrnæis *Xanthicum* appellari. Rursus iuxtà vetustum Interpretem dies secunda Xanthici erat VII. Kal. Martias, id est, dies 23. Februarij, ac proinde Smyrnenses annum Macedonicum Asianorum servabant, in quo neomenia Xanthici cum die 22. Februarij concurrebat. Vsserius cap. 3. de anno Solari Asianorum scribit in Græco textu dici passum Polycarpum *μηνὸς Ξανθικοῦ δευτέρα ἱσαμένου, πρὸ ἑπτὰ καλανδῶν* Μαΐων &c. *Secundo die mensis Xanthici, septimo Kalendas Maias &c.* At notat Lunam Paschalem XIV. Nisan nunquam post diem 25. Aprilis contigisse, ac proinde nec Sabbatum magnum

quod

quod proximè Lunam XIV. Paſchalem præcedebat, potuiſſe contingere VII. Kal. Maias. Hinc ait rectiùs in Chronico Alexandrino dici paſſum Polycarpum τῇ πρὸ ἑπτὰ καλανδῶν Ἀπριλλίων, τοῦ μεγάλου Σαββάτου : *Septimo Kalendas Aprilis, magno Sabbato*, nempè, inquit Vſſerius, die 26. Martij, quæ Iudæis anno Chriſti 169. fuit magnum Sabbatum, cum eo anno terminus Paſchalis Calippicus contigerit die 30. vel 31. Martij. Ex his infert Smyrnæos non inchoaſſe annum uti ceteri Aſiani, à menſe Dio, ſed ab Hyperberetæo; unde Xanthicus ibidem inibat die 25. Martij, atque ita ſecunda Xanthici eo anno Chriſti 169. fuit Sabbatum, Cyclo ſolis X. lit. B. Iuxtà hanc Vſſerij opinionem, quam etiam ſequitur Langius lib. 1. de annis Chriſti cap. 14. propè finem, Tertius menſis in Patiniano lapide ſcalptus, fuiſſet Smyrnæ Apellæus, qui tertius numeratur ab Hyperberetæo.

Henricus Valeſius Vſſerij opinionem refellit in notis ad laudatum locum Euſebij. Etenim prorſus improbabile videtur Smyrnæos præter urbium Aſiæ morem, annum non à Dio menſe, ſed ab Hyperberetæo auſpicatos fuiſſe. Hinc iure putat in vetuſto codice ſcriptum fuiſſe : μηνὸς Ξανθικοῦ δευτέρᾳ ἱσταμένου, πρὸ ἑπτὰ καλανδῶν Μαρτίων : non autem Μαΐων : *die ſecundo Xanthici inſtantis, ſeptimo Kal. Martias*; non verò *Maias*. Auctor Chronici Alexandrini, qui paſſim appellat Xanthicum Antiochenorum cum Aprili Iuliano pari dierum numero concurrentem, cum in depravato codice legiſſet ſecundum diem Xanthici dici πρὸ ἑπτὰ καλανδῶν Μαΐων, perperàm refinxit *menſe Aprili* pro Xanthico, ac diem ſecundum omiſit, quòd typum anni Aſiatici ignorabat. Et ſanè Smyrnæorum Eccleſia ſcribit ſe deſtinaſſe quotannis, favente Deo, *natalem eius martyrij diem cum hilaritate & gaudio celebrare.* At in omnibus Græcorum Menæis Natalis S. Polycarpi celebratur die 23. Februarij, uti teſtatur etiam Baronius in notis ad diem 26. Ianuarij. Nempè quòd ex ſacris tabulis eius Eccleſiæ dies 23. Februarij erat natalis martyris Polycarpi. Præterea in Actis paſſionis S. Pionij apud Smyrnam presbyteri hæc initio leguntur: *Viceſima tertia menſis Februarij die, cum Sabbatum magnum inſtaret, natalis ſcilicèt beati martyris Polycarpi, urgente Decij perſecutione, Pionius presbyter & Sabina &c. comprehenſi ſunt*. Hæc verò ſcripta ſunt ab ipſis Chriſtianis, qui Smyrnæ paſſioni martyris Pionij interfuerunt; ſiquidem cum narraſſent eundem apud Smyrnam iuſſu Proconſulis combuſtum fuiſſe, hæc addunt : *Etenim cum ignis extinctus eſſet, nos qui præſentes eramus &c.* Itaque Chriſtiani qui martyrio Pionij interfuere, diſertè teſtantur natalem Polycarpi die 23. Februarij quotannis apud Smyr-

Smyrnam celebratum, quæ dies cum ſecunda Xanthici à Smyrnæorum Eccleſia dicatur, rectè colligit Valeſius eoſdem cum cæteris Aſiaticis annum à menſe Dio inchoaſſe. Quare Tertius menſis Smyrnæorum erat Audynæus, qui tamen vetuſtiori Ionum vocabulo Poſideon dicebatur, quod ex Ariſtide mox oſtendo. Interim aduerto Valeſium minùs rectè martyrium Polycarpi referre ad annum Chriſti 167. hoc enim anno dies 23. Februarij ſive ſecundus Xanthici fuit Dominicus dies, Cyclo Solis VIII. lit. E. At Polycarpus *magno Sabbato* martyrium ſubijt; & quamuis fateatur Valeſius incompertum eſſe, cur illud Sabbatum *magni* epitheton tulerit, negare nequit die Sabbati S. Martyrem occubuiſſe. At anno ſuperiori Chriſti 166. dies 23. Februarij fuit Sabbatum. Quòd idem Valeſius Quadratum Proconſulem, à quo Polycarpus ignis ſupplicio addictus fuit, Aſiam adminiſtraſſe anno Chriſti 167. colligit ex orat. 4. ſacr. Ariſtidis; nihil ex illo Sophiſta diſcimus, ex quo annus certus proconſulatus Quadrati indicetur, ut alias demonſtrabo. Errat planè Valeſius pag. 71. ſcribens: *In Orat. 4. ſacrarum ait Ariſtides, paulò poſt peſtem illam quæ in Aſia graſſari cœpit, Severum Proconſulem fuiſſe*. Nam Ariſtides initio eius orat. 4. narrat ſe ſomnio monitum, ad Æſepum fluuium, ſanitatis recuperandæ gratia, perrexiſſe; unde poſtea diſcedens, priſtinæ incolumitati ſe reſtitutum dicit, ac ab omnibus urbibus ſummis honoribus exceptum; quibus narratis, ait: *Poſt aliquod tempus peſtis illa graſſari cœpit &c.* At paulò inferius addit: *Atque hæc in profectione ad Aeſepum; & reditu contigerunt, cum quidem Aſiæ proconſul eſſet vir celeberrimus Severus*. Itaque hic fuerat Proconſul, antequàm peſtis *æſtate media*, ut ait Orat. 2. erumperet. Peſtis verò illa plures annos per Aſiam deſævijt, ut ex Galeni libris alia occaſione oſtendam; neque enim ivvat hinc tam longiùs divertere. In laudatis Actis paſſionis Pionij hæc recitantur: *Pionius igitur pridie natalis diei S. Polycarpi futurum prævidit, ut eo ipſo die caperentur &c. Cum igitur precationibus incubuiſſent, & Sabbato ſanctum panem & aquam cepiſſent, ſupervenit Polemo Aedituus cum ſatellitibus ſuis &c.* Narrant Pionium captum, ac in forum ductum Græcis Iudæiſque refertum; *nam cum magnum eſſet Sabbatum, feriabantur*. Pionius presbyter paſſus eſt in perſecutione Decij, qua Eudæmon Epiſcopus Smyrnæ minis territus, Idolis immolaverat. Anno autem Chriſti 250. Imperatore Decio Aug. II. & Grato Coſs. dies 23. Februarij natalis S. Polycarpi, fuit Sabbatum, Cyclo Solis VII. lit. F. Quare eo anno Pionius Smyrnæ paſſus eſt, ut in fine legitur: *Traiano Decio Auguſto, ante quartum Idus Martias, more Romano; Aſiæ autem more,*

D *Septimi*

Septimi mensis undecimo, *die Sabbati*, *hora decima*. Hæc Smyrnæ ab aliquo tunc Ecclesiæ eiusdem Notario scripta ait Baronius tom. 2. A. 254. num. XXI. Ex quibus patet Smyrnæos designasse menses iuxtà numerum, quem in anno Macedonico Asianorum servabant; siquidem hic *mensis Septimus* legitur, ut in Epitaphio apud Equitem Patinum *mense Tertio* scalptum est. In Chronico Alexandrino dies passionis S. Pionij memoratur mense ac die variatis; dicitur enim passus *Smyrnæ in Asia sub Proclo Quintilliano Proconsule Asiæ*, *ante IV. Idus Martias*, *sive iuxtà Asianos* (*μηνὶ ἕκτῳ ιϐ'*) *mense sexto*, *die duodecimo*, *Sabbato*, *hora decima*. Vnius literæ variatione *ἑπτῷ* pro *ἕκτῳ*, mensis *Sextus* in *Septimum* in Actis laudatis mutatus fuit. At Auctor Chronici in ijsdem Actis emendatioribus legit *ἕκτῳ Sexto*. Nam Pionius dicitur captus die 23. Februarij, Natali S. Polycarpi, nempè iuxtà Asianos die secundo mensis Sexti sivè Xanthici, qui decurrebat usquè ad diem 24. Martij. Quare cum in Actis ac in Chronico dicatur Pionius combustus iuxtà Romanos, *ante IV. Idus Martias*, passus fuisset die undevicesimo Xanthici sivè Sexti mensis iuxtà Asianos. At dies IV. Idus Martias eo anno Christi 250. non fuit dies Sabbati, sed feria III. In Menologio Græcorum Pionij Martyris memoria ut in Actis, recolitur die XI. Martij. Auctor Chronici Alexandrini passionem eiusdem recitat die XII. mensis Sexti. Vtrobique mensis Sextus cum Martio æquato dierum numero combinatur; cum tamen mensis Sextus Asianorum septem diebus ante Kalendas Martij inchoaretur, nempè die 22. Februarij. Præterea dies feriæ septimæ sivè Sabbati utrobique aliena manu infartus est. Interim quod ad institutum facit, inde constat Smyrnæos penès numerum, quem in anno servabant, menses frequenter appellasse.

Aristides qui M. Aurelio & Commodo imperantibus, in Ionia floruit, ac Smyrnæ plerumquè degit, in Serm. 1. sacr. menses Posideonem ac Lenæonem apud Iones laudat, cuius verba à nemine hactenùs observata, ac Interpreti perperàm etiam exposita, hic mihi accuratiùs explicanda sunt. Nam laudato serm. 1. prolixiùs recitans superstitiosa somnia, quæ uno & altero mense sibi contigerant, ait *ἦν μὲν γὰρ Ποσειδεὼν μὴν, ἦσαν οἷου χειμῶνος*: Quæ interpres Canterus Latinè reddit: *Mensis erat December*, *hieme qualem nostis*. Mensem *Posideonem* Aristidi nominatum, pro Iuliano Decembri accipit. Cum verò ibidem narrasset somnia sibi somniata die duodecimo Posideonis ac proximè insequentibus; & quæ sibi immissa fuerant *ὀγδόῃ ἐπὶ δέκα* ac postea *ἐνάτῃ ἐπὶ δέκα*, videlicèt *die decimo octavo*, ac *decimonono* Posideonis, refert somnium, quod sibi contigerat

rat δεκάτη ὑστέρα : *Decimo Kalendas*, vertit Canterus. Tum ſigillatim recitat ſomnia ſibi viſa ἐνάτη : ὀγδόη : ἑβδόμη : ἕκτη : πέμπτη, nempè *Nono, octavo, ſeptimo, ſexto, quinto Kalendas*, ut idem ſcribit; ac cum nominata eidem fuiſſet dies ἡ δὲ ἐπιοῦσα *inſequens*, addit : τρίτη φθίνοντος : *tertio Kalendas*, ait Canterus. Denique cum meminiſſet τῆς ἐπιούσης *diei ſequentis*, addit : Γαμηλιῶνος νουμηνία : *die prima Ianuarij*, reddit idem interpres, quem cum menſem Poſideonem pro Romanorum Decembri perperàm accepiſſe, tum etiam eiuſdem menſis dies falſis characteribus explicaſſe, paucis oſtendo. Nam dies δεκάτη ὑστέρα non erat, ut ait interpres, *decimo Kalendas Ianuarij*, nempè dies 23. Decembris; ſed erat dies 21. Poſideonis, id eſt, *duodecimo Kalendas* Ianuarij iuxtà Canteri opinionem, qui Poſideonem pari cum Decembri Romanorum numero dierum componit. Hesychius in Lexico ait : δεκάτη προτέρα ἡ πρὸ εἰκάδος; ὡς ὑστέρα ἡ μετ' εἰκάδα : *Decima prior, quæ ante viceſimam; quemadmodum decima poſterior, quæ poſt viceſimam*, Et in magno Etymologico : ὑστέρα δεκάτη, ἡ ἐξ εἰκάδος ἡμέρα καλεῖται; ὑπὸ τῶν Ἀττικῶν; ἣν ἡμεῖς πρώτην καὶ εἰκοστὴν καλοῦμεν : *decima poſterior, quæ eſt poſt viceſimam, dies appellatur iuxtà Atticos; quam nos primam ac viceſimam nuncupamus*. Quare dies δεκάτη ὑστέρα Poſideonis apud Ariſtidem erat dies viceſima prima eiuſdem menſis. Hoc ipſum ex eodem Oratore evidenter colligitur. Etenim cum ipſe Ariſtides ibidem antea dixiſſet : ἑβδόμη ἐπὶ δέκα ἀλουσία ἐξ ὀνείρατος; ὀγδόη δ' ἐπὶ δέκα ἀλουσία : *die decimo ſeptimo* Poſideonis, oraculum *abſtinentiam à balneis imperat. Decimo octavo rursùs abſtinentia à balneis*; cum poſtea dies δεκάτη ὑστέρα eidem nominata fuiſſet, ait : καὶ ἡ αὐτὴ πέμπτη ἀλουσιῶν ἑξῆς : *& hæc erat dies quinta illotionum*, ſivè abſtinentiæ a balneis. Quare cum dies XVII. Poſideonis dicatur eidem prima abſtinentiæ à balneis, ac ab hac quinta dies vocetur δεκάτη ὑστέρα, hæc dubio procul erat viceſima prima Poſideonis. At dies XXI. menſis pleni ſivè 30. dierum à Græcis dicebatur δεκάτη φθίνοντος *decima deficientis*; ſi verò menſis erat cauus, id eſt, dierum 29. in anno ipſorum Lunari, ἐνάτη φθίνοντος : videlicèt *nona deficientis* appellabatur. Cum verò annum Solarem receperunt, ac menſes quoſdam haberent dierum XXXI. tunc horum menſium dies XXI. ἑνδεκάτη φθίνοντος *undecima deficientis* dicebatur. Ita Gyraldus in Calendario ac Viterius in Ephemeridis diem XXI. menſis dierum XXXI. in anno Solari Græcè nuncuparunt. Vnum hic veterem teſtem appellabo Scholiaſtem Ariſtophanis in Nubibus, ubi dies menſium Atticorum ſui temporis deſcribens, ait : εἰκοστὴ ἡ αὐτὴ δὲ καὶ εἰκάς. Μεθ' ἣν ἑνδεκάτην φθίνοντος, ἡ δεκάτην, ἡ ἐνάτην &c. id eſt, *vigeſima, quæ & Icas. Poſt*

quam undecimam deficientis, *vel decimam*, *vel nonam* pro quantitate mensis, nuncupatam scribit. Theodorus Gaza apud Allatium cap. 12. de mens. Temp. cum diem vicesimam numerasset, ait: μεθ' ἣν ἑνδεκάτην φθίνοντος, ἢ δεκάτην &c. *post quam undecimam deficientis*, *vel decimam* iuxtà mensis quantitatem recitat. At constat in Solaribus tantùm mensibus unius ac triginta dierum, diem eorundem XXI. dici potuisse *undecimam deficientis*. Cum autem ex Galeno probatum sit Asiaticos Proconsulares M. Aurelio Antonino Philosopho imperante, menses anni Solaris adhibuisse, quod de Smyrnæis præsertim Acta passionis S. Polycarpi testantur, Aristides qui in Ionia ac Smyrnæ sæpiùs degebat, menses utique anni Solaris appellavit, cum eas orationes eodem M. Aurelio Imperatore conscripserit. Ille autem diem XXI. Posideonis δεκάτην ὑστέραν appellavit, quæ uti dixi, ab alijs in mense Solari dierum triginta δεκάτη φθίνοντος *decima deficientis* dicebatur. Eidem verò post eam statim diem, numerantur ἐνάτη, ὀγδόη, ἑβδόμη &c. ac denique τρίτη φθίνοντος, idest, *nona*, *octava*, *septima &c.* ac *tertia deficientis* Posideonis; ita ut *nona* deficientis fuerit dies vicesima secunda, *octava* verò itidem deficientis, vicesima tertia &c. ac denique *tertia deficientis* fuerit dies 28. eiusdem mensis; ac proinde eadem perperam Cantero Latinè redditur *tertio Kalendas*, cum IV. Kalendas dicenda sit. Equidem ideo erratum est interpreti, quòd cum Aristides post tertiam deficientis, meminerit τῆς ἐπιούσης *diei insequentis*, statim ait: Ληναιῶνος νουμηνίᾳ, *die prima Lenæonis*; quasi inter tertiam deficientis Posideonis ac primam Lenæonis una tantùm dies intercesserit. At Aristides ut in ea dierum enumeratione omittit diem εἰκάδα sivè vicesimam, ita tricesimam quoque eiusdem mensis transilit. Etenim certum est mensem Posideonem ab Aristide tricenarium designari; siquidem in mensibus tantùm plenis sivè dierum triginta, dies post vicesimam primam, ἐνάτη *nona* deficientis dicebatur; τρίτη φθίνοντος, *tertia deficientis* erat dies 28. mensis, quam consequebatur δευτέρα φθίνοντος *secunda deficientis*, nempè 29. mensis, post quàm dies ἕνη καὶ νέα, sivè τριακὰς *vetus & nova*, sivè *tricesima* mensem claudebat, cui proxima succedebat νουμηνία *dies prima* alterius mensis. Quare eo loci Aristides silet diem tricesimam Posideonis; uti postea narrans somnia mensis proximi Lenæonis, omittit diem undecimam, & à sequenti duodecima transilit ad decimam septimam, quòd illis medijs diebus nihil sibi somnianti, sivè vigilanti contigerat, quod in litteras mittendum videretur.

Præterea non solùm in diebus Posideonis numerandis Canterus erravit; verùm etiam dum eundem mensem cum Decembri pari

dierum

dierum numero decurrentem exhibet. Aristides Hadrianis in Mysia Asiæ proconsularis provincia natus, Smyrnam ut plurimùm incoluit, ubi & dignitates obtinuit, ac ibidem honorificè habitus fuit ab Imperatore M. Aurelio, cum A. V. Romæ 929. Asiam perlustraret; ad quem etiam de Smyrna motu terræ postea collapsa, monodiam scripsit, ut ex eiusdem orationibus ac Philostrato lib. 2. de vitis Sophistarum intelligimus. Hinc cum mensem Posideonem appellavit, mensem eo nomine quo à pluribus in Ionia vocabatur, expressit. In marmore Arundelliano Smyrna in Angliam translato, dicitur fœdus pro Antiochi Callinici Syriæ ac Asiæ regis maestate tuenda, Smyrnæos inter ac Magnesios initum ΜΗΝΟΣ ΛΗΝΑΙΩΝΟΣ, *mense Lenæone*, quem mensem Posideoni proximum successisse ex laudato Aristide prænotavi, qui Posideonem disertè mensem fuisse hibernum testatur: *Mensis erat*, inquiens, *Posideon*, *hieme qualem nostis*. Ptolemæus lib. 7. magnæ Syntaxeos cap. 3. recitat observationem Astronomicam Timocharidis anno 36. primæ periodi Calippi, die 25. Posideonis, anno Nabonassari 454 Paophi 16. horis tribus post mediam noctem. Fuit annus ante Æram Christi 295. quo Thoth cœpit iuxtà Astronomos in meridie diei 5. Novembris in anno Iuliano proleptico; unde dies 16. Paophi desijt 21. Decembris, quæ Atticis erat 25. Posideonis, qui mensis in anno ipsorum Lunari ut plurimùm partim cum Decembri, partim cum Ianuario anni Iuliani concurrebat. Plutarchus in Cæsare narrat eundem bello Pompeiano in Epirum cum classe transmisisse *sub brumale solstitium*, *ineunte mense Ianuario*, *qui Atheniensibus est Posideon*. Cæsar verò lib. 3. bel. civil. scribit se ex Italia in Epirum transmisisse Nonis Ianuarijs. Quamuis verò Nonæ Ianuarij in anno tunc luxato, inciderint circa medium Octobris, unde Plutarchi, Appiani, ac Flori errorem rectè corrigit Vsserius tom. 2. Annal. ad Annum periodi Iulianæ 4665. Plutarchus tamen tempus navigationis memoratæ, iuxtà annum emendatum designans, Posideonem iam tum Solarem apud plurimos Atticorum cum Ianuario composuit. Ita verò ille mensis ab Atheniensibus vocabatur, quòd prima die eiusdem certamen Palladis ac Neptuni, qui Ποσειδῶν *Posidon* Græcis vocabatur, annua religione celebrabant. Aristides in eodem sermone primo narrat in Ionia quoque ante diem XVI. Posideonis peractos dies festos τοῦ Ποσειδῶνος *Neptuni*, à cuius solemnijs idem quoque mensis in Asia nomen acceperat. Ceterùm apud Athenienses Posideoni succedebat mensis Gamelion; ubi in Ionia mensem Posideoni proximum nuncupabant Lenæonem, uti ex Aristide ac laudato marmore Arundelliano colligimus. Seldenus

nus ac alij qui eam Inſcriptionem notis illuſtrarunt, memoratum Ariſtidis in Ionia ſcribentis teſtimonium neutiquam obſervantes, menſem Lenæonem ab Heſiodo in lib. cit. de oper. & diebus nominatum, cum Iuliano Februario componunt. Verùm ab Heſiodo Lenæon in anno Lunari Bœotiorum ponitur circa ſolſtitium brumale, ita ut partim cum Decembri, partim cum Ianuario in anno Iuliano decurreret. Enimverò oſtenſum eſt ex Galeno Ariſtidi synchrono ac ex actis paſſionis S. Polycarpi, Aſiaticos proconſulares M. Aurelio Antonino imperante, annum Solarem ſervaſſe, quem à die 24. Septembris Romanorum auſpicabantur. Duo verò priores anni menſes, uti diximus, erant tricenarij; tertius verò unius ac triginta dierum, qui die 23. Decembris deſinebat. Quare cum Poſideon & menſis hibernus, & inſuper tricenarius Ariſtidi deſcribatur, erat idem planè Quartus anni Aſianorum menſis in Ionia, ac die 24. Decembris inibat, ac à Bithynijs *Dionyſius*, à Pergamenis, teſte Galeno, alijſque paſſim Aſiaticis proconſularibus nomine Macedonico *Peritius*; idem autem à Magneſijs ac quibuſdam alijs in Ionia dicebatur Poſideon, vetuſtiori nomine ac ante Macedonum in Aſia imperium ijſdem gentibus uſitato. Ex his facilè eiuſdem Poſideonis dies ab Ariſtide deſignati cum diebus Romanorum componuntur. Nam cum Poſideon inierit die 24. Decembris, illius dies *duodecima* fuit quarta Ianuarij; dies *δεκάτη ὑςέρα vicesima prima* correſpondit diei III. Ianuarij; dies *τρίτη φθίνοντος tertia deficientis* cum XX. Ianuarij decucurrit; ac denique poſt biduum die 22. eiuſdem Ianuarij Poſideone exeunte, incœpit *Ληναιῶνος νουμηνία Lenæonis neomenia* ſivè dies prima quæ & Ianuarij viceſima tertia, qua menſis Dyſtrus ſivè communi in Aſia nomine Quintus inibat.



CA-

CAPVT III.

DE ANNO SOLARI SYRO MACEDONVM.

Syri à Macedonibus victi, annum ac nomina mensium Macedonica admiserunt. Annus in Syria ab autumno, non tamen ubique eadem die inchoatus. Scaliger ac Petavius S. Epiphanij dicta non assequuti. Syri mensem Hyperberetæum cum Romanorum Octobri, Asiatici cum Septembri componebant. Iosephus in libris de bello Iudaico menses anni Lunaris Iudæorum, nominibus mensium Syromacedonum appellat. Idem semel mensem Apellæum anni Solaris Tyriorum adhibuit. Dies necis Galbæ, Othonis, ac Vitellij eidem Iosepho Romanis scriptoribus similiter designantur.

SYria quondam terrarum maxima & pluribus distincta nominibus, latiùs extendebatur. Etenim, ut inquit Plinius lib. 5. cap. 12. Palæstina vocabatur quà contingit Arabas, & Iudæa, & Cœle; ac dein Phœnice, & quà recedit intus, Damascena, & magis etiamnum meridiana Babylonia; & eadem Mesopotamia inter Euphratem & Tigrim: quaquè transit Taurum, Sophene; citra etiam Commagene. Ita legimus cap. 28. Geneseos. *Mesopotamiam Syriæ*; & lib. 2. Reg. cap. 8. dicitur David præsidium posuisse *in Syria Damasci*. Cum verò postea Parthi Babyloniam occupassent, & Mesopotamia suis regulis pareret, utraque regione à Syria aulsa, hæc angustioribus spacijs claudebatur. Nam Syria quæ in Romanorum potestatem venit, ab Septemtrione Ciliciam & Cappadociam habebat; ab Occidente Mediterraneo mari prætendebatur; ab Ortu verò eandem Euphrates terminabat; & à meridie Ægyptus & partim etiam Arabia Petræa. Cum verò Seleucus Nicator, occiso Antigono anno IV. Olympiadis CXIX. Vrbis Romæ CCCCLIII. superiorem Syriam occupasset, ac in plures abs se ibidem aut conditas, aut restauratas urbes, milites Macedones colonos deduxisset, Syri victoris populi instituta amplecti, eorum sermone uti, annumque ac eiusdem menses Macedonicis nominibus appellare cœperunt. Iudæi tamen qui in Syria censebantur, patrios & avitos ritus Dei lege sancitos servarunt, nec anni menses novis Macedonum nominibus nuncuparunt, quod alterum etiam

ij

ij Syri fecerunt, qui Græcorum idioma non receperunt, & præsertim in Mesopotamia, ubi etiam posteriori ætate non pauci Episcopi Syriacè tantùm loquebantur, Græcæ linguæ prorsus ignari. Nam in Synodo Calchedonensi Act. X. ex gestis apud Berytum in causa Ibæ Edessæ in Mesopotamia Episcopi, legitur: *Rogamus ut ea quæ dicuntur, dicantur Syra lingua propter sanctissimum Episcopum Vranium*. Et in Actis pseudosynodi Ephesinæ habetur: *Vranius Episcopus Himeriæ Osrhoenæ provinciæ, interpretante eo Eulogio presbytero Edesseno, dixit*. Theodoretus in lib. de vitis Patrum laudat Abramum Charrarum in eadem Mesopotamia Episcopum, qui ne intelligere quidem poterat linguam Græcam. Vti verò certum est Syros annum Lunarem Macedonicum servasse, ita incompertum est quandonam post Iulianam Solaris anni correctionem, etiam ipsi, ut rerum Dominis Romanis morem gererent, solarem annum admiserint.

Syri annum solarem Macedonicum ab autumno ordiebantur, quemadmodum Asiatici qui Asiam postea proconsularem à Romanis appellatam, incolebant; hoc tamen ab ipsis discrepantes, quòd ab Hyperberetæo annum inibant, cuius initium erat in Asia minori mensis Dius. Sanctus Hieronymus in illa initio prophetiæ Ezechielis: *Et factum est in trigesimo anno, in Quarto, in quinta mensis*, ait: *Illud intelligendum quòd in tricesimo ætatis suæ anno Dominus ad baptisma venerit: in Quarto mense qui apud nos vocatur Ianuarius, & est in anni primus exordio, præter Nisan mensem novorum, in quo Pascha celebratur. Apud Orientales enim populos post collectionem frugum & torcularia, quando decimæ deferebantur in templum, October erat primus mensis, & Ianuarius quartus*. Idem Hieronymus in cap. 1. Zachariæ de mense Hebræorum Schebat scribens ait: *Est autem in acerrimo tempore hiemis, qui ab Aegyptijs Mechir, à Macedonibus Περίτιος, à Romanis Februarius appellatur*. At Februarius est quintus mensis ab Octobri, & Peritius Macedonum itidem quintus ab Hyperbereteo. Hic verò Syromacedones a Hieronymo intelligi inde constat, quod apud Asiaticos Macedones Dystrus cum Romano Februario concurrebat. S. Athanasius in lib. de Synodis Arimini & Seleuciæ celebratis pag. 678. ait: *Mensis erat a Romanis September, ab Aegyptijs Thoth, à Macedonibus Gorpiæus nominatus; eius autem mensis decima sexta secundùm Aegyptios*. At dies XVI. Thoth cum decima tertia Septembris componitur. Galenus alias mihi appellatus lib. 4. de valet. tuenda cap. 8. laudat semen abietis circa Arcturi emersionem, *quo tempore*, inquit, *Romæ quidem September mensis vocatus est; apud nos Pergami Hyperberetæus*, cuius dies XX. cum decima tertia Se-

ptembris

ptembris copulabatur. Itaque Athanasius Syromacedonum Gorpiæum ibidem appellat. Huiusce verò in ordinandis mensibus diversitatis Asianos inter ac Syros causam ab Alexandro Magno derivatam putant. Nam cum Alexander ad Granicum amnem Phrygiæ aciem contra Persas instrueret, *quidam Dæsij mensis religionem observandam existimabant*, uti scribit Plutarchus in Alexandro; veteri enim instituto cautum erat, ne Macedones eo mense prœlia committerent: *Quam rem facilè correxit Alexander, ipsum Dæsium secundum vocari Artemisium edicens*. Quare cum iteratus Artemisius Dæsij locum occupasset, ceteri quoque menses veteri sede moti, in proximorum locum protusi sunt; atque ita Hyperberetæus, qui in anno veteri Macedonum cum Iuliano Septembri proleptico magna parte decurrebat, cœpit postea Octobri correspondere. At Asiatici vetustum ordinem servarunt. Hæc tamen subtiliter excogitata, quamuis memoratæ diversitatis causam probabilem faciunt, sine ullo tamen teste dicuntur. Et sanè cum id temporis menses essent Lunares, Alexander alterum Artemisium anno communi inserens, vetustum facilè ordinem ac situm mensium restituisset, proximo anno aliàs embolimæo, nullo mense intercalato. Hinc puto Syros annum Solarem recepisse anno currente apud ipsos intercalari, quo cum Hyperberetęus magna sui parte cum Romanorum Octobri decurreret, alium ab Asianis eidem situm in anno Solari assignarunt. Ptolemæus lib. 9. Syntaxeos cap. 7. referens ex libris Chaldæorum quandam siderum observationem, ait: *Anno LXXV. Chaldæorum, Dij mensis XIV. Mercurius matutino tempore conspiciebatur supra lancem Austrinam sivè meridionalem &c. Est verò tempus hoc annus DXII. Nabonassari, IX. mensis Thoth Aegyptiaci, sequenti decimo manè*. Anno Nabonassari 512. qui fuit ab urbe Roma condita 517. ante Christum 237. Periodi Iulianæ 4477. prima dies Thoth anni vagi Ægyptiorum incidit in diem XXI. Octobris anni Iuliani proleptici. Quare Neomenia Dij fuit die XVI. Octobris, cui proxima exierat ultima Hyperberetæi, qui cum in anno Lunari modò maiorem, modò minorem partem Octobris occuparet, ad annum postea Solarem traductus, cum Octobri Romanorum ęquatus fuit. Et quidem Syros pro arbitrio initium Hyperberetæi in Octobri fixisse probat varietas dierum à quibus variæ in Syria gentes eundem mensem inibant. Nam Antiocheni Hyperberetæum Kalendis Octobris auspicabantur, uti patet ex Evagrio; itemque Cæsarienses in Palæstina, ex Eusebio passim in libro de Martyribus Palæstinis. At Tyrij neomeniam sivè diem primam Hyperberetæi à die 19. Octobris deducebant, cuius initium Gazenses à 23. Septembris capiebant, omnesque menses ha-

bebant tricenarios. At alij Syri à sequenti die 24. Septembris Hyperberetæum inchoabant, ita ut menses aliquos servarent tricenarios, alios unius & triginta dierum. Sanctus Epiphanius in lib. de mens. & ponder. scribit Valentinianum II. laqueo necatum *Sabbato pridie Pentecostes &c. In ipsa autem die Pentecostes elatus est. Erat autem tunc secundùm Aegyptios Pachon XXI. iuxtà Græcos Artemisij mensis XXIII. secundùm Romanos XVII. Kal. Iunias.* Hic fuit annus Christi bissextilis 392. quo Dominica Pentecostes incidit in diem XVI. Maij, apud Ægyptios Pachon XXI. Cyclo Solis IX. Lunæ XIII. litt. DC. Arcadio Augusto II. & Rufino Coss. quo anno ab Idacio & Prospero nex Imperatoris Valentiniani rectè statuitur. Scaliger ac Petavius anni Syromacedonum formam ab Epiphanio propositam neutiquam assequuti sunt. Etenim ille lib. 5. de emend. Temp. pag. 482. ait: *Sed obscurum quod addit Epiphanius eam*, nempè diem XVI. Maij, *fuisse XXIII. Artemisij secundùm Græcos, hoc est, Syrogræcos. Erat enim XVI. non XXIII. Artimysius Syromacedonicus est purus putus Maius Iulianus.* Easdem ferè voces licèt aduersarij, reddit Petavius in notis Epiphanianis: *Si Artemisij*, inquit, *vicesima tertia dies est Mai Iuliani XVI. cœpit Artemisius Aprilis XXII. Ac tum noua & inaudita mensium dispositio nascetur. Nam* Ἕλληνες *sunt Syromacedones, quorum menses Iuliani sunt.* Neuter varia initia annorum apud Syromacedones ab Epiphanio indicata, intellexit. Nam quemadmodum Macedones Asiatici annum à die 24. Septembris inibant, ita alij Macedones Syri ab eadem die anni initium capiebant; hoc tamen inter utroque discrimine, quòd Asiatici Hyperberetæum: illi verò Syri Dium primum anni mensem habebant, ut de Gazensibus demonstrabo; quamuis hi mensem Dium à die 28. Octobris inirent. Iam verò si a 24. Septembris usque ad 16. Maij anni Christi bissextilis 392. dies colligantur, fit summa dierum 236. quot pariter numerantur à prima Hyperberetæi ad XXIII. Artemisij, è septem mensibus ante Artemisium quatuor positis tricenarijs, ac tribus dierum XXXI. uti in diagrammate Anni Macedonum Asianorum cum Vsserio exposui, in quo priorum septem mensium quatuor sunt tricenarij, tres verò unius ac triginta dierum. Tyrij annum suum ab Hyperberetæo inibant die 19. Octobris apud Romanos; Gazenses autem, uti dicebam, à mense Dio cuius initium cum 28. eiusdem Octobris componebant. Hinc fortassè alij in eadem Syria annum à 24. Octobris auspicabantur, cuius primum mensem, uti Gazenses, Dium habebant. At à 24. Octobris ad diem 16. Maij anni bissextilis dies 206. numerantur, quot planè colliguntur ab initio mensis Dij ad 23. Artemi-

temisij, ex sex integris mensibus Artemisium precedentibus partim tricenarijs, & partim dierum XXXI. Hic autem alter Epiphanij explicandi modus probabilior videtur, quòd Syromacedones annum ab Octobri id temporis auspicabantur; licèt non eadem die Iuliani Octobris eidem initium concorditer darent, ut suo inferiùs loco mihi demonstrabitur.

In gestis Schismaticorum in Synodo Ephesina recitatur epistola, quam Ioannes Patriarcha Antiochenus cum collegis Orientalium Episcoporum Legatis Chalcedone Ephesum ad suæ factionis Antistites misit; ibi verò hæc leguntur: *Expectamus autem hodie, hoc est, undecima mensis Gorpiæi, transiturum pientissimum nostrum Regem ad Rufinianum, & illic causam auditurum.* In vetusto codice Cassinensi quem ex varijs Patrum epistolis conflatum, edidit incomparabilis eruditionis scriptor Christianus Lupus, iuxtà aliam interpretationem cap. 26. legitur: *Sustinemus verò præsenti die, id est, Gorpiæi mensis undecimo, Imperatorem pijssimum transmeare, atque in Rufinianis caussæ audientiam facere.* Vterque interpres mensem iuxtà Græcum codicem Syromacedonum nomine expressit. Ioannes Antiochenus alijque sex cum eodem Schismaticorum Legati erant in Syria Episcopi; siquidem Himerius Nicomediensis Metropolita ex eorumdem numero, nondum Calchedonem advenerat, ut ibidem testantur. Hinc Syri ad Orientales scribentes, Gorpiæum mensem populari vocabulo eoque iam inde à Macedonum regno usitato appellarunt; uti Cyrillus scribens ad Clerum ac populum Alexandrinum in literis Ephesо datis, ait Nestorium damnatum fuisse *die vicesima octava mensis Payni* iuxtà suos Ægyptios, nempè die 22. Iunij Romanorum. Porrò laudatus Lupus in Notis ad idem cap. 26. ait: *Epistola data est undecimo Gorpiæi mensis, qui est quartus dies Romani Septembris. Ex quo lucet, quòd Legati sub Augusti finem advenerint Chalcedonem.* Ita vir summus Vsserij opinionem secutus est, qui cap. 4. de Anno Solari Asianorum pag. 41. in diagrammate tradit Antiochenos mensem Gorpiæum die 25. Augusti Romanorum inchoasse; unde undecimus eiusdem Gorpiæi cum die quarto Septembris componitur. At Syri suos menses in anno Solari iam recepto, unà cum Romanorum mensibus auspicatos fuisse ex Sanctis Anatolio Laodicensi, Epiphanio, itemque Eusebio Cæsariensi, qui ante Ephesinam Synodum vixerunt, satis superque probatum est, quod ipsum ex Evagrio, Ioanne Malela Antiocheno, alijsque posterioribus scriptoribus constat. Inter epistolas quæ post Act. VI. Synodi Ephesinæ recitantur, extant literæ quorumdam Episcoporum Costantinopoli ad Ephesinos Patres conscriptæ,

quæ initio notantur datæ *die vicesima mensis Mesori* Ægyptiorum, id est, decima tertia Augusti iuxtà Romanos. Illi verò petunt, num opus sit ipsos quoque Ephesum ad Synodum proficisci; vel potiùs in regia urbe remanere; *nam*, inquiunt, *& Dei amantissimus & pijssimus Imperator propter adorandum Deum, meliora de nobis cogitare dicitur*. His verò literis Synodus Ephesina reposuit epistolam, cuius initium est: *Qui ita affecti sunt &c.* At constat utramque epistolam scriptam fuisse, antequam Orthodoxorum ac Schismaticorum Legati iussu Theodosij Augusti, ad Comitatum destinarentur. Nam in laudatis literis scribit Synodus: *Tam arctè enim terra marique nunc obsidemur, ut nihil eorum quæ evenerunt, vestræ sanctitati significare potuerimus*; & in fine addunt se *alteram relationem* Imperatori Theodosio offerendam transmittere. Nondum ergo Legati discesserant; siquidem hi universa in Synodo gesta, Principi postea renuntiarunt, ac literas Synodi ad quoscumque in regia urbe degentes, ullo fine impedimento detulerunt. At priores literæ scriptæ Costantinopoli die 13. Augusti, vix nono die Ephesum pervenerunt, quæ urbs erat in Ioniæ confinijs propè Cariam. Et quidem V. C. Lupus in notis ad cap. 21. pag. 83. ait: *Proinde Irenaus Epheso abire non potuit nisi circa Iulij medium, nec nisi ad eius finem pervenisse Constantinopolim*. Quare Ephesus itinere XV. dierum Constantinopoli distasse eidem putatur; quod rursùs repetit in notis ad cap. 21. pag. 112. Ex Itinerario Antonini Costantinopoli Calchedonem M. P. IV. per fretum numerantur; inde Nicæam Bithyniæ M. P. CV. Itaque Calchedone Nicæam erat iter quatuor circiter dierum. Nicæa in ultimo sinu Ascanij lacus sita erat, ex Plinio lib. 5. cap. 32. Vuillelmo Tyrio lib. 3. de bello Hierosol. cap. 6. qui lacus *miræ latitudinis ac longitudinis* dicitur Alberto Aquensi lib. 2. de eodem bello cap. 24. ac describitur Iacobo Sponio par. 1. Itinerarij pag. 215. Idem verò Sponius à proxima huic lacui mansione, quæ *Loupadi* incolis dicitur, Smyrnam usquè iter quinque dierum enumerat; Smyrna verò Ephesum intra diem ac dimidium idem pervenit. Itaque Calchedo itinere decem dierum Epheso distabat. Hinc literæ scriptæ Constantinopoli die 13. Augusti, ante 23. eiusdem mensis Ephesum neutiquam delatæ sunt. At nondum hac die Legati utriusque partis ad Comitatum evocati fuerant, ut ex rescriptis à Patribus Synodi intelligimus. Quòd si fingamus eosdem legatos post biduum evocatos, videlicèt die 25. Augusti; aliud insuper biduum insumendum fuit, quo à Synodo ij deligerentur, quibus publicam legationem imponerent, ac mandatum eisdem consignandum, traderetur, quod legitur antè

tè Act. VII. pag. 779. tom. 3. Concil. postremæ edit. Parisiensis; ubi & octo Legatorum nomina recitantur. Quamuis verò Legati circa diem 28. Augusti Ephelo discessissent, sexta tantùm Septembris die Calchedonem pervenire potuerunt, quò etiam totidem Legati Schismaticorum se contulerunt. Et hi quidem unà cum Orthodoxis apud Calchedonem regio mandato sistere iussi, ad suos scripsere se expectare Imperatorem ea die nempè *undecima mensis Gorpiæi* Calchedonem ad partium querelas audiendas, transmissurum. Ex his patet mensem Gorpięum neutiquam à die 25. Augusti inchoatum, ita ut illius undecima cum quarta die Septembris decurreret; siquidem hac quarta Septembris die nondum Legati Calchedonem pervenerant, quorum tamen adventus una aut altera saltem die Theodosij Augusti eandem in urbem transmissionem præcessit, quę contigit undecima Gorpięi, id est, undecima die Septembris. Hinc intelligimus Actionem VII. Synodi Calchedonensis, quę dicitur celebrata *pridie Kalendas Septembris*, habitam fuisse S. Cyrillo ac Memnone Ephesio sub militari custodia positis, ac Arcadio Episcopo & Philippo Presbytero Apostolicę Sedis Legatis unà cum sex alijs collegis à Synodo ad Principem missis, unà cum Relatione ad eundem Augustum, quę duo in Actis Ephesinis etiam laudatę Actioni VII. proximè pręponuntur.

Iosephus in libris de bello Iudaico menses Syromacedonum sępiùs appellat; nec sibi scriptores conveniunt in eisdem mensibus apud eundem exponendis. Nam Scaliger lib. 5. de emend. Temp. pag. 444. Baronius in Annal. ad annum Christi 72. & Vsserius tom. 2. Annal. ad A. Christi 70. putant Iosephum intelligere illis in libris menses Syrorum Solares, qui cum Romanis pari dierum numero decurrerent. At Petavius lib. XI. doctr. Temp. cap. 17. Bucherius cap. 8. de Paschali Iudæorum Cyclo, ac Langius lib. 1. de annis Christi cap. 9. scribunt Iosephum uti ibidem mensibus Iudaicis Lunaribus, nomine tamen Macedonicorum mensium expressis. Denique Petitus lib. 4. Eclog. Chronol. cap. 15. contendit eundem menses Lunares designare iuxtà periodum Macedonicam, quam ille scriptor comminiscitur. Hęc mihi paucis excutienda sunt. Iosephus lib. 7. de bello cap. 12. scribit: *Modò ante defectionem primosque belli motus, populo conveniente ad diem festum Azymorum, octavus erat dies mensis Xanthici* (*ὀγδόη δ' ἦν Ξανθικοῦ μηνός*) *hora nona nocturna, circa aram itemque templum tantum lumen effulsit &c.* Baronius interpretem Iosephi secutus, ad annum Christi 68. qui est æræ vulgaris 66. C. Suetonio Paulino & Caio Luccio Telesino Coss. ut ex Ariminensi Inscriptione Gruteri pag. 1102. & Dione in Nerone,

rone, secundi Consulis prænomen ac familiam restitui in additis ad epistolam Consularem, scribit num. 34. illud prodigium contigisse Hierosolymis *hoc eodem anno*, *octava Aprilis*; Xanthicum apud Iosephum pro Romanorum Aprili accipiens. Verùm eo anno Romæ 819. Paulino ac Telesino Coss. Novilunium Paschale contigit iuxtà meridianum urbis Romæ secundùm medium motum, die 14. Martij Hor. 10. 17.′ 21.″ post meridiem; ac proinde die 15. Martij fuit Luna prima, Cyclo Lunæ X. Solis XIX. lit. E. feria Sabbati. Plenilunium fuit die 29. Martij, Hor. 4. 39.′ 23.″ post meridiem; unde etiam iuxtà Cyclos Christianorum Pascha eo anno signatur die 30. Martij à Dionysio Exiguo tom. 1. operum Bedæ pag. 311. & ab ipso etiam Beda pag. 360. Itaque certum est illud miraculum non contigisse anno Æræ Christi 66. At anno superiori 65. urbis Romæ 818. A. Licinio Nerva Siliano & M. Vestino Attico Coss. ut hoc quoque collegium emendavi pag. 43. eiusdem epistolæ Consularis, Novilunium Paschale fuit die 25. Martij, Hor. 1. 28.′ 43.″ post meridiem iuxtà urbis Romæ meridianum; nempè hora 4. post meridiem Hierosolymis. Ptolemæus statuit Romam sub altitudine Graduum poli 41. 40.′ Hierosolyma verò Grad. 31. 40.′ Ricciolius verò post examinatas aliorum opiniones lib. 7. & 9. Geogr. reform. locat Romam sub Grad. 42. 0.′ Hierosolyma verò sub Grad. 32. 0.′ Itaque differentia meridiani Romani ac Hierosolymitani est horarum duarum; licèt iuxtà aliorum opiniones quædam minuta desint, de quibùs hic superfluum est disputare, cum satis sit notare duabus circiter horis meridianum Hierosolymorum Romanum præcedere. Iam verò Plenilunium Paschale eo anno Christi 65. accidit die 9. Aprilis, hor. 4. 10.′ ante meridiem. Quare cum Luna XIV. cœperit die VII. Xanthici Solaris sivè Aprilis iam ad occasum declinante, Hebræi ad vesperam eiusdem diei potuerunt Pascha, agno immolato, celebrare, ac die insequenti octava Xanthici Azymorum diem primam peragere. Hinc Iosephus quibusdam videtur nomine Xanthici ipsum Solarem Syromacedonum mensem indicare, qui Romanorum Aprili correspondebat. Verùm qui putant Lunares menses ibidem à Iosepho designari, facilè reponunt eundem diem VIII. Xanthici notare, non qua festum Azymorum celebratum est, sed qua memoratum prodigium Hierosolymis contigit, populo Iudæorum ex diversis Orbis provincijs Hierosolyma conueniente ad festa Paschalia die XIV. Xanthici sivè Nisan Iudaici peragenda. Et cum Iosephus annum quo prodigium illud contigit, non designet, æquè poterit etiam referri cum Baronio ad annum Christi 66. quo bellum Iudaicum cœpit. Hæc magis etiam expo-

exponentur in examine proximi testimonij ex eodem Iosepho appellati, in quo rursus alteriùs anni Pascha memoratur.

Nam lib. 6. de bello cap. 4. ait: *Instante die Azymorum decima quarta mensis Xanthici (hoc enim se primùm tempore opinantur Iudæi ab Aegyptijs esse liberatos) &c.* Narrat gesta initio obsidionis Hierosolymorum, quæ contigit A. V. Romæ 823. Æræ Christi LXX. Vespasiano Augusto II. & Tito Cæsare Coss. ex Tacito lib. 5. Hist. Iosepho & alijs. Baronius in Annal. tom. 1. ad annum Christi 72. siquidem biennio vulgarem Christianorum Epocham prævertit, num. 2. ait: *Quidnam est quòd Iosephus anno obsidionis & excidij Hierosolymæ incidisse dicat diem Azymorum in decimam quartam mensis Aprilis, quod cum nullo poterit conuenire nec Astronomico, nec Cyclico, neque Iudaico computu nec Christiano*; additque eo anno, *quo & secundus annus Vespasiani incipit*; *diem decimam quintam mensis Nisan secundùm omnem motus Lunaris computum vigesima secunda die Aprilis, vel modo ciuili tardiùs contigisse*. Vir summus in Ecclesiastica historia Lunares Cyclos minùs perspectos habuit; & quod miror, neque Paschales Cyclos tomo priori operum Bedæ descriptos consuluit; imò & Lunam XIV. Paschalem Iudæorum ad vicesimam usque secundam diem Aprilis extendit. Nam Iudæi Lunam XIV. qua Pascha celebrabant, ad diem tantùm sextamdecimam Aprilis diffundebant. Sanctus Ambrosius in epistola Paschali ad Episcopos per Æmiliam scribens de Paschate anni Christi 387. ait: *Denique in futurum Iudæi duodecimo, non primo mense celebraturi sunt Pascha, hoc est, decimotertio Kal. Aprilis secundùm nos*. Quo anno ait ab sua Mediolanensi Ecclesia Pascha celebrandum fore *septimo Kal. Maij*. Neomenia Paschalis eo anno iuxtà Cyclos Theophili Alexandrini, fuit die V. Aprilis, Luna verò XIV. incidit die XVIII. eiusdem mensis, quæ cum esset Dominica, in proximam Dominicam 25. Aprilis Pascha dilatum fuit, uti etiam testatur S. Proterius Alexandrinus Antistes ac Martyr in Epistola ad S. Leonem Magnum. Eo autem anno 387. Nouilunium secundùm medium motum contigit Romæ die 6. Martij, Horis 2. 53.′ 14.″ ante meridiem. Quare Luna XIV. exivit die XIII. Kal. Aprilis, id est, 20. Martij, qua Hebræi teste Ambrosio, in Italia Pascha celebrarunt, ne proximam Lunam Aprilis cum Christianis pro Paschali accipientes, Lunam XIV. præter morem ad diem 18. Aprilis prorogarent. Et quidem etiam Romanam Ecclesiam sub initium quinti Sæculi recusasse festum Paschatis ad diem 22. Aprilis protrahere, tradit disertè Paschasinus Episcopus Lilybitanus, Apostolicæ Sedis in magna Synodo Calchedonensi Legatus, in Epistola ad S. Leonem Magnum

gnum

gnum : *Tempore*, inquit, *beatæ recordationis domini mei prædecessoris vestri Zosimi*, *anno consulatus* Honorij *Augusti XI. & Constantij II.* nempè ex Fastis anno Christi 417. *ne decimo Kal. Maij dies Pascha teneretur*, *celebratum est VIII. Kal. Aprilis*, *id est*, *pro embolismo communis est annus tentus*, *& error gravissimus est ortus &c.* Eo anno Christi 417. iuxtà Cyclos Alexandrinorum, quos postea universa Ecclesia secuta est, Pascha contigit die 22. Aprilis, Luna XIX. At Romana Ecclesia, ne tam longiùs Paschale festum prorogaret, præcedentem Lunam Martij pro Paschali accipiens, Pascha die 25. Martij celebravit. Et sanè Lunam XIV. Paschalem non ultrà diem XVIII. Aprilis diffundi, Alexandrini harum rerum scientissimi docuerunt. Vnus S. Cyrillus audiatur in prologo sui Cycli : *Quæ quidem*, inquit, Luna *efficitur decima quarta à XII. Kalendarum Aprilium die*, *usque in XIV. Kalendarum Maij*. Ex his patet Baronium nec Iudæorum nec Alexandrinorum Patrum Cyclos attendisse, cum scripsit eo anno quo Vespasianus alterum imperij inivit, qui fuit vulgaris Æræ Christi LXX. *diem decimam quintam Nisan secundùm omnem motus Lunaris computum vigesima secunda die Aprilis*, *vel modo civili tardiùs contigisse*, ac proinde apud Iosephum pro die ιδ' *decima quarta* legendum esse κβ' *vicesima secunda Xanthici*. Quæ correctio ex hactenis dictis refellitur.

Iam verò laudatum Iosephi testimonium diligentiùs expendendum est. Eo anno Christi 70. quo Hierosolyma à Tito Cæsare obsessa sunt, Novilunium Paschale secundùm medium motum, ad meridianum urbis Romæ, fuit die trigesima Martij hora 1. antè meridiem. Anticipa horas duas, habebis Novilunium iuxtà meridianum Hierosolymorum. Verùm iuxtà eos, quibus modò Iudæi utuntur, Cyclos, neomenia Nisan die 31. Martij statuenda est, quo etiam die Lunam primam Paschalem produnt Cycli Dionysij Exigui ac Bedæ, in quibus Luna XIV. Paschalis die 13. Aprilis signatur. Iosephus laudato loco obsidionem Hierosolymorum describens, ait : *Instante die Azymorum decima quarta mensis Xanthici*. Petitus cit. pag. 283. contendit designari à Iosepho mensem Lunarem Syromacedonum, cuius neomenia cum Kalendis Aprilis ab eodem Petito componitur, cum neomenia Nisan Iudaici, ut ille ait, die 31. Martij contigerit. Hiusce verò opinionis rationem ex laudatis Iosephi verbis arcessit, qui ait : *Instante die Azymorum decima quarta mensis Xanthici* ; etenim dies Nisan XIV. erat dies Paschatis ; dies verò XV. Nisan erat prima solemnitatis Azymorum. Quare cum Iosephus diem XIV. Xanthici vocet diem Azymorum, nomine Xanthici non exprimit Iudaicum Nisan, sed Lu-

Lunarem menſem Syromacedonum, cuius dies XIV. eo anno cum XV. Niſan concurrebat, quæ prima erat ſolemnitatis Azymorum. Hæc tamen opinio lubrico nititur fundamento; quia apud Iudæos ipſummet Paſcha dies Azymorum vulgò dicebatur. Ita Lucæ XXII. initio legimus: *Appropinquabat autem dies feſtus Azymorum, qui dicitur Paſcha*. Ipſe etiam Ioſephus lib. 10. Antiquit. capite 5. ſcribit Ioſiæ regis iuſſu populum Hieroſolyma aduocatum, ad celebrandam *Azymorum feſtiuitatem, quæ dicitur Paſcha*. Et quidem Deus capite XII. Exodi iubet agnum ſervari *uſque ad quartam decimam menſis huius*, nempè Niſan, & poſtea ait: *immolabitque eum univerſa multitudo filiorum Iſrael ad veſperam*. Et poſtea ver. 18. *Primo menſe quartadecima die menſis ad veſperam, comedetis Azymos uſquè ad diem vigeſimam primam eiuſdem menſis ad veſperam*. Itaque ſolemnia Azymorum à veſpere diei XIV. Niſan inibant, qua etiam die pariter ad veſperam agnus Paſchalis immolabatur. Hinc Paſcha & Azyma eadem die celebrabantur; quamuis Azymorum ſolemnia integra hebdomade agerentur uno inſuper die addito. Præterea incompertum eſt, num Iudæi ante exciſa Hieroſolyma, ad neomenias deſignandas, Aſtronomicis calculis, vel potius Cyclis uterentur, vel eaſdem à phaſe tantùm indicarent; quo poſtremo modo uſos fuiſſe vetuſtiores eorumdem Rabbini tradunt apud Langium lib. 1. de annis Chriſti cap. 6. quam & ipſe ſententiam ſequitur, uti & Petavius lib. 2. doctr. Temp. à cap. 30. & 43. alijque plures, quos inter Panvinius in Faſtis ad A. V. 786. quorum ſententiæ disertè favet vetus Auctor apud Clementem Alexandrinum lib. 6. Strom. ſcribens de Iudæis: *Et niſi Luna apparuerit, non agunt Sabbatum, quod dicitur primum, neque agunt neomeniam, neque Azyma, neque feſtum, neque magnum diem*. Cum verò anno Chriſti 70. Novilunium Aſtronomicum iuxtà medium motum fuerit Hieroſolymis paulò ante meridiem diei 30. Martij, ac phaſis Lunæ poſt horas 27. haberi poſſit, prima dies ſeu neomenia Niſan eo anno ex phaſe fuit Kalendis Aprilis, ita ut dies XIV. Niſan Iudaici correſponderit diei XIV. Xanthici Solaris Syromacedonum ac XIV. pariter Aprilis Romanorum. Hinc ex laudato Ioſephi teſtimonio neutiquàm probatur eundem ibidem Xanthicum Solarem Syromacedonum appellaſſe, cum à phaſe neomenia Niſan deducta, eiuſdem dies XIV. cum die pariter XIV. Solaris Xanthici eo anno componatur; etenim quandoquè dies menſium Lunarium Hebræorum cum diebus menſium Solarium Syrorum ac Romanorum conveniebant. Ita Ioſephus lib. 3. belli cap. 13. ſcribit Iotapata à Veſpaſiano deleta fuiſſe *Πανέμου νουμηνίᾳ, die prima Panemi*; & antea cap.

10. ait Romanos eandem urbem aggressos *εἰκάδι μὲν ἐν Δαισίου μηνός, die vicesima Desij mensis*. Hæc gesta sunt anno Christi 67. quo Novilunium Nisan iuxtà medium motum ad meridianum Hierosolymorum fuit paulò antè noctem, quam sequebatur dies tertia Aprilis, quæ proindè, si ex calculis Astronomicis neomenias colligebant, fuit prima dies Nisan. Ita dies 20. Sivan Iudaici, qua Romani memoratæ urbis mœnia aggressi sunt, fuit vicesima etiam Dæsij Solaris; & rursùs neomenia Tamuz Lunaris mensis Hebræorum fuit dies prima Panemi Syromacedonum, qua die Iotapata diruta fuisse qui eidem urbi cum imperio præerat, Iosephus testatur. Interim aduerto Iosephum lib. 2. Antiq. cap. 5. scribere Moysem populo iussisse, ut sacrificium paratum haberent *tertia decima Xanthici mensis in quartam decimam, qui apud Aegyptios Pharmuthi vocatur; Macedones verò ipsum appellant Xanthicum*. Pharmuthus mensis semper apud Ægyptios fuit Solaris, & ætate Iosephi inibat die 27. Martij. Hinc quoties dies XIV. Nisan Iudaici cadebat inter 18. ac 27. Martij, Iudæi Pascha celebrabant mense apud Ægyptios Phamenoth. Ita anno Christi 387. uti in laudata epistola scribit S. Ambrosius, Iudæi egerunt Pascha die 20. Martij iuxtà Romanos; at *secundùm Aegyptios*, inquit, *vicesimo quarto die Phamenoth mensis*, qui erat 20. Dystri Solaris Syromacedonum. Quare uti Iosephus Lunarem suorum popularium Nisan notiori nomine Pharmuthi Solaris Ægyptiorum mensis quo sæpius quam mense Phamenoth, Pascha contingebat, exposuit; ita potuit Xanthici quoque Solaris nomine, Nisan Iudæorum exteris nationibus ignotum indicare.

Idem Iosephus lib. 7. belli cap. 15. narrat iussu Titi milites construendis aggeribus distributos, *Loi mensis vicesima*; eosque cap. 16. ait perfectos *septima Gorpiæi mensis, decima octava die*, videlicèt ab opere incœpto. Si Lous ponatur Solaris Augusto mensi æquatus, à decima eiusdem ad 7. Gorpiæi, id est, Septembris Romanorum, dies undeviginti numerantur, qui cum octodecim tantùm Iosepho colligantur, nomine Loi suorum popularium Lunarem Ab mensem dierum 30. intellexit. At facilè reponetur, Iosephum ab eo numero diem 20. Loi excludere, quo aggeres iussi sunt construi; vel ex parte posteriori eiusdem diei ac priori septimi Gorpiæi unum integrum diem conflasse. Ita antea lib. 6. cap. 12. scripserat: *A Romanis enim duodecimo die mensis Artemisij aggeres incohati, vix nono & vicesimo perfecti sunt, cum septemdecim dies continenter laborassent*. Vbi à 12. Artemisij ad 29. eiusdem diem, uno termino excluso, septemdecim dies numerat. Idem historicus lib.

2. cap.

2. cap. 17. narrat festo die, qui Xylophorias dicebatur, cum omnes ligna ad perpetuum ignem servandum, in templum conuehe-rent, seditiosos publica archiva, domum Pontificis, ac regis Agrippę palatium incendisse; quibus narratis ait: *Postridie autem decimaquinta mensis Loi fecerunt impetum in Antoniam*, munitissimam ibidem turrim. Scaliger lib. 7. de emend. Temp. pag. 609. scribit hæc contigisse anno Christi 65. Cyclo Solis XVIII. quo neomenia mensis Ab Iudaici cœpit Iulij 24. feria IV. ac proinde dies 14. Loi Solaris, quo festum Xylophorias ex Iosepho agebatur, erat XXII. mensis Ab. Sed neque ex hoc testimonio menses apud Iosephum Solares colliguntur. Nam cum in Kalendarijs Hebræorum, utpotè post excisum templum descriptis, dies festi Xylophorias non signetur, sed eius tantum mentio lib. 2. Esdræ cap. X. & ultimo habeatur, nec die, imò nec mense ibidem designato, nihil inde discimus, quo mensium apud Iosephum ratio sivè modus indicetur. Errat tamen Scaliger eum tumultum referens ad annum Christi 65. qui planè anno sequenti proximo 66. contigit, ut Vsserius tom. 2. Annal. alijque prænotarunt. Hoc autem anno cum neomenia Nisan fuerit die 15. Martij, ut antea dixi, Ab Iudaicus cœpit die XI. Iulij; illius verò XIV. qua solemnitas Xylophorias celebrabatur, fuit die 24. Iulij, feria V. Cyclo Solis XIX. lit. E. Nam proximè ostendo locupletissimo Iosephi testimonio menses Lunares illis in libris nominibus tamen Solarium mensium Syromacedonum designari.

Præterea Iosephus lib. 7. belli cap. 9. notans tempus combusti à Romanis Templi Hierosolymitani, scribit fuisse *diem decimam mensis Loi*, qua pariter prius etiam templum ab exercitu regis Nabuchodonosor incensum fuerat. Petitus pag. 285. ait certissimè sibi constare erratos esse apud Iosephum eorum dierum numeros; siquidem Iudæi in suis Kalendarijs utriusque templi combustionem recitant die 9. mensis Lunaris Ab. Sed haud necesse est ea Kalendaria consulere, cum Ieremias cap. LII. 12. scribat: *In mense autem Quinto, decima mensis, ipse est annus nonus decimus Nabuchodonosor regis Babylonis, venit Nabuzardan princeps militiæ, qui stabat corām rege Babylonis in Ierusalem. Et incendit domum Domini, & domum regis*. Cum ergo Ieremias, qui id temporis vivebat, & destructo nupèr templo, ac populo in captivitatem abducto, sacram monodiam, quę Threni dicitur, recitavit, testetur prius Templum conflagrasse die decima mensis Quinti, id est, Ab, & Iosephus qui postremi Templi excidio interfuit, scribat idem die decima Loi flammis absumptum, frustrà à Petito mustea illa Iudæorum Kalen-

daria appellantur. Petavius lib. 11. cap. 17. cum aduertat à Iosepho affirmari utrumque templum eadem die incensum fuisse, ac constet prius templum die decima Lunaris Ab conflagrasse, eadem quoque decima Loi Lunaris quo notiori nomine Iosephus gentilem Ab indicavit, alterum quoque templum incensum existimat. Verùm Romani Palilia Vrbis die 21. Aprilis tum in anno Lunari tum etiam postea Solari celebrarunt; & Tacitus lib. 2. Hist. scribit Vitellium de cæremonijs publicis *decimo quinto Kal. Augusti edixisse, antiquitùs infausto die Cremerensi Alliensique cladibus*; cum tamen illæ clades die 18. Quintilis Lunaris mensis contigerint; edictum verò Vitellij eadem die 18. Iulij Solaris emissum fuerit. Cum anno Christi LXX. urbis Romæ 823. quo templum Hierosolymorum à Romanis incensum fuit, neomenia Nisan iuxtà posteriores Iudæorum Cyclos, fuerit die 31. Martij, Ab mensis Iudæorum Quintus cœpit die 27. Iulij. Quare dies decima Ab cum quinta Loi Solaris Syrorum, ac quinta pariter Augusti Romanorum concurrit, qua postremum templum flammis absumptum fuit. Idem Iosephus ibidem cap. 18. scribit Hierosolyma eversa fuisse à Romanis *anno secundo imperij Vespasiani, die octava mensis Gorpiæi.* Hoc nomine Elul mensem Iudæorum indicavit, qui cœpit die 26. Augusti; cuius videlicèt dies octava fuit secunda Septembris, Dominica, Cyclo Solis XXIII. lit. G. Dio tamen in Vespasiano scribit: *Itaque Hierosolyma die Saturni, quem diem in primis Iudæi colunt, conciderunt.* Hinc Baronius ad A. Christi 72. num. 18. ait eam urbem oppugnatam *septima die Septembris*; octava verò captam, *ipso die Sabbati.* Et sanè cum eo anno dies 8. Septembris inciderit in Sabbatum, alij etiam cum Baronio ex collatis Iosephi ac Dionis testimonijs, putarunt à Iosepho nomine Gorpiæi mensem Solarem Syromacedonum pari dierum numero cum Septembri decurrentem, designari. Verùm idem Dio lib. 37. scribit etiam antea à Pompeio Hierosolyma die Saturni expugnata, quòd Iudæi festo die propugnationem intermittentes, *Romanis eo libero spacio occasionem muri subruendi dederunt.* At dudùm Hebræi eum scrupulum exuerant, ut patet ex lib. 2. Maccab. cap. II. 41. ac Iosepho lib. 14. Antiq. cap. 8. Nam quamuis illi putarent haud sibi licere diebus Sabbati hostes ultrò aggredi, vel eorum machinas disijcere vel incendere; vim tamen sibi ab hostibus illatam, salva feriatorum dierum religione, propulsandam esse ducebant. Petavius lib. 11. de doctr. Temp. cap. 17. scribit: *Templum quidem succensum est Augusti V. hoc est, Loi vel Ab Lunarium mensium decima die. Vrbs verò capta Augusti XXXI. feria septima, uti Xiphilinus ex Dione prodidit.* Erratum tamen est

viro

viro eruditiſſimo; cum enim proximè ſcribat anno Chriſti 70. novilunium menſis Elul fuiſſe *Auguſti* 25. *feria ſeptima*, perperàm poſtea dies eiuſdem menſis 31. feria ſeptima dicitur, cum reapſe fuerit feria VI. ſivè dies Veneris. Eo anno Elul menſis in anno Iudæorum ſextus, iuxtà hodiernos ipſorum Cyclos cœpit die 26. Auguſti; eius verò dies octavus fuit ſecundus Septembris, idemque dies Dominicus, ſivè Solis, qui poſtremus urbi toto Orbe celeberrimæ illuxit. Ioſephus Elul nomine Gorpiæi Macedonici expoſuit, ut mox oſtendo.

Idem Hiſtoricus lib. 5. belli cap. 13. ſivè Græcæ edit. lib. 4. capite 42. ſcribit Imperatorem Vitellium occiſum fuiſſe τρίτη μηνὸς Ἀπελλαίου, *die tertia menſis Apellæi*. In libro verò 12. Antiq. cap. 11. ait templum à Iuda repurgatum *die* 25. *Casleu*, *quem Macedones Apellæum vocant*, cum illud antè triennium ea ipſa die *quinta ac viceſima Apellæi menſis* rex Antiochus Epiphanes profanaſſet; quæ profanationis dies *quinta ac viceſima menſis Noni*, qui & *Casleu*, dicitur lib. 1. Maccab. cap. I. 53. 54. Vbi certum eſt Ioſephum ſuorum gentilium Casleu nomine Apellæi Lunaris exprimere, cum diem 25. Casleu vocet etiam 25. Apellæi. At difficile eſt planè aſſignare quem ille Apellæum intelligat, cuius die tertia Vitellium interemptum ſcribit. Nam Apellæus Solaris Syromacedonum pari dierum numero cum Romanorum Decembri decurrebat. At ex Tacito lib. 3. Hiſt. Vitellius feſtis Saturnalibus, quorum prima dies agebatur XVI. Kalendas Ianuarias, erat ſuperſtes, & ut ibidem ait, *XV. Kal. Ianuarij* audita militum apud Narniam defectione, pullo amictu palatio digreſſus fuit. Itaque certum eſt Vitellium non fuiſſe occiſum die tertia Apellæi Solaris. Sed nec die tertia Casleu ſivè Apellæi Lunaris idem interfectus dici poteſt. Nam cum anno Chriſti 70. novilunium Nisan iuxtà Iudæorum Cyclos, uti prænotavi, fuerit die 31. Martij, anno ſuperiori Chriſtianæ Epochæ 69. quo Vitellius interijt, neomenia Casleu fuit die tertia Novembris; erat enim hic annus embolimæus, cuius menſis intercalaris Veadar cœpit Kalendis Martij. Quare dies tertia Casleu fuit quinta Novembris, poſt quam ultrà dies 40. Vitellius imperavit. Scaliger lib. 5. pag. 443. de tempore imperij Galbæ, Othonis, ac Vitellij diſputans, concludit nihil ex Tacito ac Suetonio colligi *præter argumenta quæ incerta eorum Imperatorum initia, & vacillantes Scriptorum ſententias magis prodant, quàm explicent*. Baronius Latinum Ioſephi interpretem ſecutus, ad A. Chriſti 71. num. 5. ait: *Sed à Ioſepho idem diſſentit Tacitus, dum ille tradit Vitellium occiſum eſſe menſis Octobris die tertia; Tacitus verò menſe Decembri*. Et qui-

quidem interpres, qui mensem apud Iosephum lib. 2. belli cap. 24. *Hyperberetæum* Latinè *Octobrem* vertit, insigni errore loco laudato tertiam diem Apellæi, *tertiam Octobris* Latinè reddidit. Cum Iosephus anno quo Vitellius interijt, in castris Romanorum cum honore fuerit, ac paulò post diutiùs Romæ degerit, prodigio propius videri possit, eundem in designando non tantùm die, sed etiam mense necis Vitellij aberrasse. Cum verò Iosephus omnium accuratissimè tempus imperij Galbæ, Othonis, ac denique Vitellij adnotaverit, suo veluti iure poscit, ut hæc ipsa paucis exponam. Nero semet interfecit die 9. Iunij A. V. 821. Æræ Christi 68. C. Silio Italico & M. Galerio Trachalo Coss. Iam verò Galba à nece Neronis dicitur Iosepho lib. 5. belli cap. 6. imperasse *menses septem ac totidem dies*. Tacitus lib. 1. Hist. ait: *Decimo octavo Kal. Februarij sacrificanti pro æde Apollinis Galbæ, haruspex Vmbricius tristia exta & instantes insidias, ac domesticum hostem prædicit*; ac paulò post eadem die 15. Ianuarij occupante imperium Othone, Galbam occisum tradit, cui similiter loquitur Suetonius cap. 19. in Galba. Porrò à die 9. Iunij qua Galba, occiso Nerone, solus imperare cœpit, ad diem XV. Ianuarij, qua idem Galba perijt, numerantur menses septem ac dies septem; uti optimè scripsit Iosephus. Aurelius Victor idem testatur narrans Galbam interemptum *mense imperij ac die septimo*.

Otho qui Galbæ vitam cum imperio eripuit, dicitur Dioni imperasse *dies nonaginta*. Suetonius cap. ult. de vita eiusdem, tradit illum celeriter funeratum, *trigesimo octavo ætatis anno, & nonagesimo quinto imperij die*. At Iosephus lib. 5. cap. 8. scribit Othonem semet interfecisse *postquàm biduum tresque menses imperium tenuit*. Otho, cum *manè*, ut ait Suetonius cap. 19. citato, Galba sacrificaret, inde digressus, siquidem sacrificio eidem aderat, à militibus Imperator consalutatus fuit. Occiso verò Galba, eadem XV. Ianuarij *vergente iam die*, Otho in Senatum à prætore advocatum, ingressus, coactum se dixit ad suscipiendum imperium &c. ex Suetonio cap. 7. ac Tacito lib. 1. laudato. Quare cum Otho antè necem Galbæ, Imperator salutatus fuerit, dies XV. Ianuarij fuit Natalis imperij eiusdem, à qua menses tres ac biduum eiusdem principatus cum Iosepho numerantes, erimus ad diem XVI. Aprilis, quam Otho imperij ac vitæ sibi postremam fecit. Otho teste Dione, vixit *annos triginta septem, detractis diebus undecim*. Natus erat ex Suetonio cap. 2. de vita eiusdem, *IV. Kal. Maij*, M. Furio Camillo Scriboniano & Cn. Domitio Ahenobarbo Coss. A. V. Romæ 785. Christianæ Æræ 32. Adde annos vitæ illius 37. quot cum vixisse

xisse etiam Tacitus testatur, eris ad A. V. 822. Christi *69.* quo die 27. Aprilis Otho annum vitæ 37. explevisset, cui tamen complendo cum dies XI. defuerint, idem die XVI. Aprilis suo se pugione interemit. Scribit de eodem Tacitus lib. 2. *Luce prima, in ferrum pectore incubuit*, nempè sub auroram eius diei XVI. Aprilis. Cum verò dies XV. Ianuarij fuerit Natalis imperij eiusdem, accuratissimè tempus principatus Othonis à Iosepho trium mensium ac bidui spacio circumscribitur. Dio nonaginta dies imperij eidem assignat, utrumque terminum excludens, cum tamen manè diei 15. Ianuarij imperium inuaserit, ac pleraque iam Imperator eadem die egerit, quæ Tacito enarrantur. Suetonius triduum superaddit: Otho, inquiens, *celeriter (ita praeceperat) funeratus, trigesimo octavo ætatis anno, & nonagesimo quinto imperij die*. Hinc Panvinius lib. 2. Fast. ad A. V. 822. scribit Othonem sibimet necem intulisse XII. Kal. Maij sivè 20. Aprilis, *computatione satis certa*, addit Lipsius in notis ad lib. 2. Taciti At ea computatio Panvinij tum in initio tum in fine imperij Othonis statuendo, erronea est. Nam vir insignis ait ex Tacito illum iniuisse imperium XVII. Kal. Februarias, cum Tacitus die anteriori *XVIII. Kalendas Februarias* scribat. Idem postea Panvinius à die 16. Ianuarij cum Suetonio dies 95. enumerans, finem imperij eiusdem Othonis prorogat ad diem 20. Aprilis. Hoc verò egregio Taciti testimonio confutantur. Nam ibidem scribit: *Et mors Othonis quo laudabilior, eo velociùs audita. At Romæ nihil trepidationis. Cereales ludi ex more spectabâtur, ut cessisse vita Othonem &c. certi auctores in theatrum attulerunt*. In veteri Kalendario Gruteri pag. 133. die 19. Aprilis legitur: CER. N. LVDI IN CIRCO, nempè *Cerealia* eo die agebantur; & in altero Kalendario à Lambecio tom. 4. Bibliothecæ Vind. edito, mense Aprili legitur: *XIII.* Kal. Mai *Cerealici*. C. M. XXIIII. id est, *Circensium Missus XXIIII.* Itaque dies 19. Aprilis erat postrema Cerealium, qua Romam mortui Othonis nuntius pervenit. Cum ergo die 19. Aprilis inter solemnia Cerealium, mors Othonis Romanis innotuerit, perperàm idem die sequenti 20. extinctus dicitur; inde etiam rectè eiusdem obitus die 16. Aprilis statuitur, ut Brixello ad Padum M. P. VIII. Parma distante, intra quatriduum nuntius occisi Othonis, Romam mutatis equis, peruenerit. Ex his patet Iosephum diligentissimè tempus imperij Othonis statuisse; Suetonium verò errasse, dum & Othonis vitæ annum & imperio tres insuper dies superaddidit. Scio V. C. amicum meum insignem Chronologum pag. 203. Dissert. Hypaticæ scribere Othonem mortuum quidem fuisse die XVI. Aprilis, sed XIX. eiusdem

mensis

menſis ſepulturæ mandatum, ac Suetonium de die funeris 95. ab initio Othoni imperio, locutum eſſe. Eſt benigna, at falſa interpretatio. Nam Tacitus lib. 2. cit. narrata morte Othonis, ait; *Funus maturatum; ambitioſis id precibus petierat, ne amputaretur caput, ludibrio futurum*. Idem ipſi etiam Suetonio dicitur *celeriter funeratus; ita præceperat*. At non fuiſſet maturatum funus, ſi in quartum ab obitu diem illud milites diſtuliſſent.

Cum Ioſephus adeo exactè tempus imperij Galbæ, & Othonis adnotaverit, Vitellius eidem libro 5. cap. 13. dicitur occiſus *die tertia Apellæi*, à nece Othonis *octo menſes & dies quinque potitus imperio*. Dio in excerptis à Xiphilino, ait Vitellium imperaſſe *ab eo die quo in Germania ſalutatus fuit Imperator à militibus, annum unum, minùs diebus decem; poſt Othonem verò menſes octo, dies quinque*; Et hoc poſtremum Ioſepho ſimiliter. Cum ergo Otho prima luce diei XVI. Aprilis ſemet interemerit, eadem dies prima fuit imperij Vitellij poſt necem Othonis, ut proinde die XVI. Decembris nonum imperij menſem inierit; unde cum occiſus fuerit die quinta poſt menſem principatus octavum, idem die 20. Decembris interfectus fuit. Panvinius lib. 2. Faſt. laudato, Pighius tom. 3. Annal. ad A. V. 821. alijque ſcribunt Vitellium periiſſe IX. Kal. Ianuarij; uti enim mortem Othonis recitant die 20. Aprilis, ab eodem menſes octo ac dies quinque imperij Vitelliani deducentes, die 24. Decembris Vitellium extinctum produnt. At cum demonſtratum mihi ſit Othonem die XVI. Aprilis extinctum fuiſſe, nex Vitellij XIII. Kal. Ianuarij ſivè die 20. Decembris recitanda eſt. Panvinius ac Pighius locis proximè laudatis ſcribunt Vitellium imperium iniſſe *III. Nonas Ianuarij* Imperatore Galba II. T. Vinio Coſſ. A. V. Romæ à palilibus 822. At diem IV. Nonas, ſeu ſecundam Ianuarij fuiſſe Natalem imperij Vitellij ex Tacito ac Suetonio paucis oſtendo. Auctor eſt Tacitus lib. 1. Hiſt. quartam ac duodevicefimam legiones *ipſo Kalendarum Ianuariarũ die* Imperatoris Galbæ imaginibus diruptis, in S. P. Q. R. verba iuraſſe; *ac nocte quæ Kalendas Ianuarias ſecuta eſt*, legionum ſeditionem ab aquilifero epulanti Vitellio nuntiatam. Tum narrat *poſtero die*, id eſt IV. Nonas Ianuarij, Fabium Valentem cum equitibus atque auxiliarijs primæ legionis quæ in proximo hibernabat, coloniam Agrippinam ingreſſum, Vitellium conſalutaſſe *Imperatorem*, ac dein ſuperiorem quoque exercitum *tertio Nonas Ianuarij* Vitellio acceſſiſſe. Itaque Vitellius die ſecunda Ianuarij primitùs Imperator conſalutatus fuit. Suetonius cap. 8. de Vitellio ſcribit. *Neque diei, neque temporis habita ratione; ac iam veſpere ſubitò à militibus è cubiculo raptus, ita ut erat*

in

in veste domestica, Imperator *est consalutatus*. Dies IV. Nonas Ianuarij erat postridie eiusdem Kalendas, ac proinde nefasta. Macrobius lib. 1. Sat. cap. 16. scribit: *Dies autem postriduanos ad omnia maiores nostri cavendos putarunt*, *quos etiam* atros *velut infausta appellatione damnarunt*; veteri enim Pontificum decreto statutum fuerat, *postridie omnes Kalendas*, *Nonas*, *Idus*, *atros dies habendos &c.* Hinc in laudato veteri Kalendario apud Lambecium legitur ad IV. Nonas Ianuarij *Dies Aegyptiacus*. Diuus Ambrosius in epistola Paschali ad Episcopos per Æmiliam scribit etiam sua ætate plerosque veteri superstitione ductos, *posteros dies vel Aegyptiacos declinare consuevisse*. Plura de his scripsi in Cenotaphijs Pisanis pag. 373. Hinc Suetonius ait Vitellium *nec diei neque temporis habita ratione*, Imperatorem salutatum, quia erat dies postridie Kalendas Ianuarij, ac proinde atra & nefasta, quam ad omnia cavendam esse Pontificum collegium decreverat. Idem etiam Tacitus diem vitæ ac imperij Vitellij postremam indicat lib. 3. Hist. ubi narrat eundem intellecta suorum militum apud Narniam rebellione, *decimoquinto Kalendas Ianuarias* pullo amictu palatio digressum, quasi imperium eieraret, cum interim Senatores ac plerique equestris Ordinis viri domum Flavij Sabini, fratris Vespasiani iam in Oriente imperantis, se contulerunt. At milites Vitellij captis armis, Imperatorem in palatium reverti, Sabinum verò vitæ servandæ causa, in Capitolium semet recipere coegerunt. Addit Sabinum in Capitolio obsessum *noctem adeo quietam egisse, ut digredi sine noxa potuerit.* Hęc die XVIII. Decembris contigere. At Sabinus *luce prima*, inquit Tacitus, nempè illucescente die XIX. Decembris, Martialem cum mandatis ad Vitellium misit. Verùm *vix dum regresso in Capitolium Martiale*, furentes milites sine duce, cito agmine Capitolium aggressi, ipsum incenderunt, captumque Sabinum necarunt, cuncta sanguine, ferro flammisque miscentes. Interea Flaviani Duces, qui Ocriculi per otium cum exercitu festos Saturni dies agitaverant, obsessi Capitolij nuncio accepto, Romam magna celeritate properarunt. *Antonius per Flaminiam*, inquit Tacitus, *ad Saxa rubra*, *multo iam noctis*, *serum auxilium venit*. Erat nox quæ diem XIX. ~~Ianuarij~~ consequebatur, qua iam Capitolium conflagraverat, ac Sabinus alijque necati fuerant. Aurelio Victori in lib. de Cæsaribus dicitur Maxentius *ab Vrbe in Saxa rubra millia fermè novem ægerrimè progressus*. In fine Itinerarij Hierosolymitani, initio itineris Roma Mediolanum legitur: *Mutatio. Rubras M. P. IX.* Vitellius hostium aduentu intellecto, legatos ad eorum ducem Antonium Primum misit, & ut ait Tacitus: *obuia fuere & Virgines Vestales cum episto-*

lis Vitellij ad Antonium scriptis. Eximi supremo certamini unum diem postulabant. Hæc legatio missa fuit die 20. Decembris ad Antonium, qui sub auroram è Saxis rubris iam propiùs Vrbi copias dubio procul admoverat. Addit Tacitus: *Virgines cum honore dimissæ: Vitellio rescriptum, Sabini cæde & incendio Capitolij, dirempta belli commercia. Tentavit tamen Antonius vocatas ad concionem legiones mitigare, ut castris iuxtà pontem Miluium positis, postera die urbem ingrederentur*. At milites qui omnem prolationem ut inimicam victoriæ suspiciebant, Antonij verba surdis auribus excipientes, tripartito statim agmine, Romam irruperunt, ac cuncta cædibus ac rapinis fœdantes, ipsum etiam captum Imperatorem Vitellium, ac ad Gemonias tractum, congestis vulneribus trucidarunt. Vti verò constat missos fuisse legatos cum Vestalibus die 20. Decembris ad Antonium aliosque Flaviani exercitus duces iam suburbana occupantes; ita incertum est, num Antonius ea ipsa die 20. concionem ad milites habuerit; an potiùs die insequenti 21. eiusdem Decembris; cum enim à militibus impetrare non potuerit, ut *postera die* Romam ingrederentur, illi eadem die qua eosdem alloquutus fuerat Antonius, in urbem irrumpentes, Vitellium interfecerunt. Suetonius cap. 16. in Vitellio scribit eundem suasisse Senatui, ut legatos cum virginibus Vestalibus mitterent; & statim ait: *Postridie responsa opperienti, nuntiatum est per exploratorem, hostem appropinquare*. Cum legati ac Vestales die 20. memorati mensis in castra Flaviana venerint, die insequenti 21. Vitellio responsa opperiente, hostes in urbem irruperunt. Itaque si Suetonio fides præstetur, eadem 21. Decembris Vitellius interijt. At iuxtà numeratum à Iosepho Vitelliani imperij tempus à morte Othonis, contigit mors Vitellij die 20. Decembris. Nam uti initium principatus Galbæ ac Othonis ab ea primùm die numerat, qua decessoribus pereuntibus, uterque imperium primitùs auspicatus fuit; ita primam quoquè diem principatus Vitellij à morte Othonis illam statuisse dicendus est, qua *luce prima* eodem Othone occiso, solus usque ad inaugurationem novi Augusti Vespasiani, cœpit imperare. Idem verò Iosephus lib. 5. cap. 6. testatur ea bella civilia *à multis Græcorum itemque Romanorum copiosè descripta fuisse*, quorum tamen Scriptorum nullus nobis superest; cum Tacitus Iosepho posterior, imperante Traiano, libros Annalium descripserit. Hinc Hebræus historicus in tot Auctoribus quos laudat, tempus imperij trium illorum principum exactè notatum legit, quod etiam ab innumeris civibus in Vrbe didicit, qui eosdem Cæsares totiès suismet oculis viderant. Hic verò diligentiùs diem occisi Vitellij indagandum

dum putavi, ut alterum Iosephi testimonium vero conforme demonstrarem. Nam cum laudato lib. 5. cap. 13. scribit Vitellium interfectum fuisse *die tertia mensis Apellai*, ibi nomine Apellæi nec suorum popularium Casleu Lunarem intelligit, nec ipsum Apellæum Solarem Antiochensium aliarumque in superiori Syria gentium, sed planè designat Apellæum Solarem Tyriorum aliorumque in Phœnicia, qui quidem Tyriorum mensis in eorumdem anno Solari inibat die XVIII. Decembris, ut inferiùs Dissert. IV. cap. 1. ostendam; unde tertia Apellæi cum 20. eiusdem Decembris concurrebat. Cum Phœnicia esset provincia Palæstinæ finitima, Iosephus Apellæum mensem loco laudato Phœnicum more expressit. Hanc puto germanam memorati textus interpretationem. Cum enim Iosephus menses & insuper dies imperij Galbæ, Othonis, ac Vitellij adeo exactè designaverit, qui fieri possit, ut in mense necis Vitellij indicando aberraverit?

Ægidius Bucherius cap. 8. de Paschali Iudæorum Cyclo insigne Iosephi testimonium fusiùs alia licèt occasione, expendit, ex quo planè demonstratur Hebræum historicum Lunares suorum menses nominibus tamen Macedonicis in laudatis libris de bello Iudaico designasse. Nam lib. 2. cap. 23. & 24. narrans susceptam Cestio Gallo Syriæ præsidi contra Iudæos Hierosolymis rebellantes expeditionem, scribit eundem Liddam, quæ à laudata metropoli M. P. XXXII. distabat, cum exercitu pervenisse, urbemque vacuam offendisse; *nam*, inquit, *propter Scenopegiorum dies festos in Hierosolyma populus omnis ascenderat*. Cestius Lidda incensa, contra Hierosolyma movit. At Iudæi metropoli metuentes, *omissis*, ut idem ait, *dierum festorum solemnijs &c. ne dierum quidem septem feriatorum, erat enim Sabbatum, quod apud eos magna religione colitur*, cultum servantes, facta ex urbe eruptione, impetum fecerunt contra Romanos qui apud Gabao, ita loco nomen intrà sextum ab Hierosolymis lapidem, castra metati erant. Illos tamen Cestius facilè in urbem repulit. Hæc contigere anno urbis Romæ 819. Æræ Christi 66. C. Suetonio Paulino & C. Luccio Telesino Coss. cum Nero in Græcia ludos ederet, ex Iosepho initio lib. 3. de bello, ac Suetonio cap. 4. in Vespasiano. Eo anno, uti superiùs notavi, Nisan cœpit die XV. Martij. Hinc neomenia Tisri septimi à Nisan mensis, fuit die 8. Septembris. In lib. 3. Regum cap. VIII. 2. dicitur populus conuenisse ad deferendam arcam in templum *in mense Ethanim, in solemni die, ipse est mensis septimus*; qui mensis, inquit Iosephus lib. 8. Antiq. cap. 2. dicitur *Macedonibus Hyperberetæus: inciditque in idem tempus Scenopegia, festum apud Iudæos sanctissimum &*

 maxi-

maximum . Et antea lib. 3. cap. 3. ſcripſerat ſolemnia Scenopegiæ annua religione celebrari *Septimo menſe* , *quem Macedones Hyperberetæum vocant* . Cum prima dies Scenopegiæ eſset decimaquinta Tisri; cumque hic menſis, uti dixi, anno memorato inierit die 8. Septembris, ſolemnia Scenopegiæ inchoata ſunt die 22. Septembris, feria II. Cyclo Solis XIX. lit. E. Itaque Ceſtius poſt diem 22. Septembris Liddam ingreſsus, vacuam offendit, ciuibus Scenopegiæ ſolemnia Hieroſolymis agitantibus. Iudæi verò *Sabbato*, nempè die 27. Septembris, eademque die ſexta ſolemnis hebdomadis, ac 20. Tisri Iudaici, Hieroſolymis erumpentes, impetum in Romanos fecerunt. Ceſtius hoſtibus intra mœnia compulſis, *triduò in agris moratus* dicitur Ioſepho, nempè diebus 28. 29. ac 30. Septembris, ſivè Tisri diebus 21. 22. ac 23. Interim Iudæi proximos montes armati occupabant, ut Romanorum in urbem tranſitum impedirent. Tum rex Agrippa, qui cum auxiliaribus copijs in Romana caſtra deſcenderat, duos in urbem legatos miſit, ut cives ad obſequium revocaret. At Iudæi iure gentium violato, alterum legatorum interfecerunt, altero fuga ſibi conſulente; quo facto ſeditio in urbe orta eſt, pluribus legati necem unaquè bellum deteſtantibus. *Ceſtius verò*, inquit Ioſephus, *qui inteſtinam eorum diſcordiam noverat, opportunum ad irruendum tempus invenit, ac totum in eos duxit exercitum, inquè fugam verſos, uſquè ad Hieroſolyma perſecutus eſt*, Hæc biduò contigere, die 24. ac 25. Tisri ſivè prima & altera die Octobris. Dein Ceſtius die 25. Tisri, tertia Octobris, caſtris Gabao motis, ad Scopon progreſſus eſt, qui locus ſeptem tantùm ab urbe ſtadijs diſtabat, unde Templum ac ſuperior urbis pars conſpiciebantur, ex eodem lib. *6*. cap. 3. Ibi Ceſtius tentoria figens, ut ait Ioſephus, *nihil per triduum aduerſùs civitatem conabatur*; nempè Tisri 27. 28. & 29. ſivè Octobris IV. V. ac pridie Nonas Octobris. Tum Ioſephus: *Quarta autem die* (ἥτις τριακὰς ὑπερβερεταίου μηνός) *quæ erat trigeſima menſis Hyperberetæi, urbem ingreſſus, &c. propè aulam regiam caſtra poſuit*. Ita trigeſimam Tisri diem Hyperberetæi trigeſimam appellavit, Lunari menſe Iudæorum ſeptimo menſis Solaris Syromacedonum nomine indicato. Hæc dies 30. Lunaris Hyperberetæi cum Nonis Octobris Romanorum ac ſeptima die Hyberberetæi Solaris Syromacedonum concurrebat. Itaque erratum eſt Scaligero lib. 7. de emend. Temp. pag. 593. ſcribenti: *Nam & Ioſephus tempora belli Iudaici deſcriptionibus dierum Iulianorum Antiochenſium deſignat*; Etenim apud Antiochenos trigeſima Hyperberetæi Iuliani cum trigeſima Octobris componebatur, apud Ioſephum verò eadem 30. Hyperberetæi, quem ille ibidem menſem appellat,

cum

cum ſeptima Hyperberetæi Iuliani Antiochenſium copulatur. Ioſephus Ceſtij in Iudæos expeditionem narrans, eandem à ſolemnijs Scenopegiæ per inſequentes dies deſcribens uſquè ad trigeſimam Hyperberetæi, hunc planè Lunarem menſem prodit, uti hactenùs eſt demonſtratum. Nam à Sabbato inter ſolemnia Scenopegiæ die 20. Tisri ſivè Iuliani Septembris ac Gorpiæi Antiochenſium viceſima ſeptima, uſque ad 30. Hyperberetæi undecim tantùm dies enumerat, cum à 27. Iuliani Gorpiæi Antiochenſium ad 30. eorundem Hyperberetæi quatuor ac triginta dies colligantur, ita ut Ceſtius per aliquot hebdomadas exercitum per otium in ſuburbanis continuiſſet, priuſquàm in inferiorem Hieroſolymorum partem ingrederetur, ſecùs ac Ioſephus teſtis omni exceptione maior, affirmat.

Ne quid tamen diſſimulem, cetera quæ ibidem Ioſephus proſequitur, paucis recitabo, quòd inde Hyperberetæus Solaris unius ac triginta dierum colligi videatur. Nam ſcribit Ceſtium eo ipſo die, quo inferiorem urbis partem occupavit, eodem facilè impetu potuiſſe in ſuperiorem etiam partem evadere, niſi prava quorundam conſilia intempeſtivas eidem moras inieciſſent. Cum verò Ceſtius Iudæorum pertinacia cognita, ſuperiora aggreſſus fuiſſet, *per dies QVINQVE Romanis undique tentantibus, fruſtrabatur conatus*, uti ſcribit Ioſephus; *SEXTO autem die Ceſtius cum plurimis ſelectis &c.* à Septemtrionali tractu urbem aggreditur; cum præter expectationem ſigno receptui dato, non modò milites ab oppugnatione revocavit, verùm etiam ex occupata inferiore parte urbis improvisò copias educens, in caſtra ad Scopum rediјt; ac ſtatim *die ALTERO* inde diſcedens, hoſtibus audaciam addidit, qui facta eruptione, recedentes Romanos inſecuti ſunt. Ceſtius tertio ac quadrageſimo ab urbe ſtadio, ſivè intra ſextum ab urbe lapidem caſtra apud Gabao poſuit. *Hic autem*, inquit Ioſephus, *Ceſtius BIDVVM commoratus, inops conſilii quid ageret, cum TERTIO die maiorem hoſtium numerum vidiſſet*, fugienti ſimilis, Bethoron movit. At Iudæi Romanos undiquè aggreſſi, quinque mille ac trecentos pedites, equites verò octoginta obtruncarunt. Ceſtio proxima nocte ad triginta ſtadia progreſſo. Cum Iudæi MANE Romanorum fugam aduertiſſent, occiſo apud Bethoron eorundem præſidio, *inſequendo Romanos, Antipatridem uſque venerunt*. Verùm cum fugientes aſſequi non poſſent, relicta ab eiſdem tormenta bellica aſportantes, atque hoſtium ſpolijs onuſti, Hieroſolyma reverſi ſunt. His autem narratis, Ioſephus ait: *Hæc quidem geſta ſunt* OCTAVO *DIE menſis Dij, anno duodecimo imperij Neronis*. Hanc Romanorum cladem memorat etiam Sueto-

Suetonius cap. 4. in Vespasiano. In hac narratione à Iosepho à die 30. Hyperberetæi ad 8. Dij, quo Romani cladem acceperunt, decem dies numerantur, qui tamen posito Hyperberetæo Lunari dierum 30. octo solummodò dies dicendi essent. Cum verò Cestius motis Scopo castris, dicatur Iosepho *biduum* apud Gabao commoratus, dies quo Scopo discessit, primus idem etiam fuit factæ apud Gabao moræ, cum ea loca stadijs tantùm triginta sex, nempè quater mille ac quingentis passibus invicem distarent. Ita à die 30. Hyperberetæi ad 8. Dij, novem dies numerabuntur, ac proindè Hyperberetæus erit Solaris dierum XXXI. Romanorum Octobri ac Solari Hyperbertæo Antiochensium æquatus. Samuel Petitus lib. 4. Eclog. Chronol. pag. 280. cum huncce dierum apud Iosephum excessum adnotasset, ait se suspicari *à Syromacedonibus fuisse intercalatum inter Hyperberetæum mensem & Dium. Quare*, inquit, *mensis intercalaris elapsus est, dum fugit Cestius, instant Iudæi, & in urbem sacram redeunt.* Ita ne diem adimeret, mensem addidit. Verùm præcipitata Cestio fuga, nullum intercalari mensi locum relinquit. Nam post 30. Hyberberetæi, qua die Cestius cum exercitu Hierosolymis egressus est, usque ad diem, qua Bethoron movens, ingentem à Iudæis cladem accepit, novem omninò dies Iosepho numerantur; si dies qua Scopo digrediens, Gabao pervenit, pro priori qua in hoc altero loco subsistit, die una eademque accipiatur. Cum Cestius die cladis Bethoron se recepisset, quadringentis ibidem præsidiarijs relictis, nocte *cum ceteris silenter* (ita vox ἡσυχῆ vertenda est, non autem *otiosè*, ut illam reddit interpres) *usquè ad triginta stadia progreditur: Vnde MANE Iudæi cum locum, in quo Romani tetenderant, desertum vidissent*, relictos apud Bethoron præsidiarios interfecerunt. Hoc *manè* signat diem decimam à 30. Hyperberetæi exclusivè. *Mox*, addit Iosephus, *Cestium persequi properabant; sed ille cum nocte*, nempè qua Bethoro excesserat, *non parvum spacium itineris peregisset, die vehementiùs quoque fugiebat*, quæ videlicèt diem cladis consecuta est. At Iudæi, inquit, *insequendo Romanos, Antipatridem usquè venerunt*. In Itinerario Hierosolymitano legimus.

ITEM AB HIEROSOLYMA SIC.

Civitas	*Nicopoli.*	M. P. XXII.
Civitas	*Lidda.*	M. P. X.
Mutatio	*Antipatrida.*	M. P. X.

Itaque

Itaque Antipatris M. P. XXXXII. Hierosolymis distabat. Cum autem Iudæi fugientes Romanos assequi desperarent, Antipatride cum spolijs ac bellicis machinis quas Romani, ne fugam retardarent, reliquerant, Hierosolyma victores reversi sunt. Cum Romani tanta celeritate fugam intenderent, ut & bellica tormenta hostibus rapienda relinquerent, ac ipsa etiam nocte iter continuarent, & Iudæi fugientes non ultra Antipatridem duobus ac quadraginta tantùm milliarijs Hierosolymis distantem urbem, insecuti fuerint; frustrà ijs peragendis mensis intercalaris à Petito fingitur, ac Dij insuper octo dies Iosepho memorati. Cum constet Tisri Lunarem nomine Hyperberetæi à Iosepho appellari; in gestorum postea mense Dio narratione, unus eiusdem calamo dies superfluus excidit, quod non semel alijs quoque Scriptoribus contigit, & ne extra hoc in qno sumus campo, procul excurramus, Iacobus Vsserius tom. 2. Annal. ad annum vulgaris Epochæ Christi 68. scribit Cestium *die IV. Octobris* Hierosolyma ingressum; ubi 30. Hyberberetæi apud Iosephum cum 4. Octobris componens, mensem Hyperberetæum iuxtà Iosephum, Lunarem facit. Deinde scribit cladem Romanis à Iudæis illatam fuisse *die octavo Novembris*, quam cum Iosephus scribat contigisse *die octava mensis Dij*, Vsserius mensem Dium à Iosepho appellatum, solarem facit, pari cum Novembri Romanorum numero dierum decurrentem. In quo eidem planè erratum est, dum Hyperberetæum Lunarem, huic verò proximum Dium mensem Solarem constituit. Sed & alter eidem Vsserio insignis error admittitur. Nam si dies 30. Hyperberetæi à Iosepho laudati, concurrit cum quarta Octobris Iuliani, ac postea dies VIII. Dij ab eodem Iosepho memorati, cum octava pariter Novembris copulatur, Dius cœpit Kalendis Iuliani Novembris; cum verò proximus huic mensis Hyperberetæus exierit iuxtà Vsserium die IV. Octobris, remanent reliqui 27. Octobris dies ante neomeniam Dij sivè antè Kalendas Novembris, ex quibus sanè 27. diebus mensis intercalaris conflatur in opinione Vsserij, cuius decurtati mensis nullum uspiàm gentium exemplum invenitur. Itaque cum Iosephus ait cladem illam Romanorum contigisse die VIII. mensis Dij hoc nomine Iudæorum Marchesuan intellexit, cuius dies octauus cum XV. Iuliani Octobris eo anno decurrebat. Cum verò addit *anno duodecimo imperij Neronis*, annum XII. ante triduum tamen Neroni exactum intellexit, quòd dies passim ab Historicis in tempore designando, omittuntur.

Interim ex hoc insigni Iosephi testimonio, quod dudùm Ægidius Bucherius ac Samuel Petitus aliud licèt probantes, protulerunt,

runt, optimè demonſtratur, Ioſephum ibidem Lunarem Hebræorum menſem Tisri deſignaſſe nomine Hyperberetæi, qui apud Syromacedones in ſuperiori Syria ac Phœnice annum aperiebat. Hinc fit, ut cum aliȷs laudatis ſuperiùs locis Artemiſium, Panemum, alioſque Macedonum menſes nominat, Lunares Iudæorum menſes notioribus apud Græcos vocabulis appellaverit. Hæc de anno ac menſibus Syromacedonum præſcribenda duxi, ut eorumdem Epochas, quas hoc in opere exponendas mihi propoſui, faciliùs intelligeremus; cum illæ nil aliud ſint quàm certa quorundam annorum enumeratio, qua Syromacedones temporum intervalla publice privatimque deſignabant.




DIS-



DISSERTATIO SECVNDA.

DE EPOCHA SELEVCIDARVM.



Vemadmodum in locorum intervallis indicandis, Romani fixis subindè intrà æqualia spacia lapidibus, quos *milliarios* vocabant, utebantur, ita ad determinatas temporum mensuras exponendas, quædam intervalla, quæ Græci ἐποχὰς *Epochas* vocant, inuenta sunt, quibus tanquam indicibus rerum gestarum tempora demonstrarentur. Harum verò Epocharum initia vel ab urbium conditu aut earumdem parta libertate & autonomia, vel ab exordio regni Principum, aut ab celebratissimis ludis deducta sunt. Ita anni ab Vrbe condita apud Romanos : ab initio regni Seleuci Nicatoris apud Syromacedones : & à primis ludis Olympicis apud Græcos Epochas constituerunt, quibus deinceps Scriptores usi sunt, ad rerum gestarum ordinem indicandum. In præsentia Epocham Seleucidarum exponam, qua initio Syromacedones eisdemque subditæ gentes usæ sunt; dein ad speciales alias Epochas descendam, quas variæ in Syria urbes, priori illa Æra antiquata, inuexerunt; earumque causas & initia hactenus partim confusa, partim ignorata, in optimo, ni mea me fallit opinio, lumine collocabo.

CAPVT I.

Seleucus Nicator è satrapia Babylonis ab Antigono pulsus, eandem recuperat. Hinc regni & Aerae Seleucidarum anni coepti numerari. Idem Rex Syriam superiorem occupat. Epochae Seleucidarum anni ab Autumno inchoati ex nummis demonstrantur. Antiochi Epiphanis ac Demetrij Soteris numismata cum annis laudatae Epochae. In libro priori & altero Maccabaeorum anni Seleucidarum non ab eadem utrobique anni tempestate deducti.

ALexandro Magno apud Babylonem immaturo fato surrepto; ac maximo imperio in varias satrapias sub Aridaeo Rege Alexandri fratre, fatali divisione distributo, quòd nullus aut parem aut superiorem pati poterat, civilia statim bella eruperunt, quae ut plurimis provinciarum Praefectis exitium, ita quibusdam meliori sorte, ingentium regnorum incrementa pepererunt. Initio in prima regni Macedonum divisione, nullius provinciae praefectura Seleuco, qui postea Nicator dictus est, demandata fuerat, sed sociorum equitum ducatus, ut ait Arrianus apud Photium cod. XCII. sivè castrorum tribunatus, uti scribit ex Trogo Iustinus lib. 13. Verùm in altera provinciarum divisione anno à priori tertio ab Antipatro peracta, Seleuco Babyloniae ditio obtigit; cum Syria in utraque distributione Laomedonti Mytilenaeo decreta fuisset, à qua tamen à Ptolemaeo Lagi filio, cui Ægyptus obtigerat, pulsus fuit. Interea Antigonus maiori cis & ultrà Taurum Asiae parte occupata, capto etiam cum exercitu Eumene, Mediam suam in potestatem redegit, ac Seleuco metu Antigoni Babylone in Ægyptum secedente, huius quoque satrapiam invasit. Hinc Seleuco auctore, Ptolemaeus contra Antigonum in Syriam cum copijs profectus, Demetrium eiusdem Antigoni filium inito apud Gazam proelio, superavit, magnamque Syriae partem eadem victoria occupavit. Castor Chronologus apud Iosephum lib. 1. contra Apionem, & Diodorus Siculus lib. 18. scribunt hoc proelium contigisse anno primo Olympiadis CXVII. qua vicit in stadio Parmenio Mitylenaeus, urbis Romae A. 442. antè Æram Christi 312. Seleucus post fugatum Demetrium, mille peditibus ac ducentis equitibus, ut ait Appianus in Syriacis, à Ptolemaeo acceptis, iunctisque alijs apud Charras in Mesopotamia militibus, ad Babyloniae satrapiam recuperandam

perandam properavit, ac populárium benevolentia exceptus, eadem obtenta, Nicanorem Antigoni præfectum sibi occurrentem, copijs exuit, eodemque victoriæ impetu Susianam ac Mediam Antigono eripuit. Hinc verò initium regni, quod postea amplissimum ab Hellesponto ad Indos usquè obtinuit, Seleucus deduxit, quamuis nondùm diadema aut regium titulum usurparet. Eusebius in Chronico ad annum primum Olympiadis CXVII. scribit: *Regnum Syriæ, & Babylonis, & superiorum locorum nascitur*. Et in lib. 8. de demonstr. Euang. ait: *Cum Seleucus Babylonem cepisset, Asiæ sibi diadema circumdedit, anno post Alexandri mortem duodecimo*. Iosephus etiam lib. 13. cap. XI. ait Iudæos Simonis Maccabæi opera Macedonum iugo excusso, libertatem indeptos anno CLXX. ex quo Seleucus Nicator Syriæ regnum obtinuit. Hæc non paucos in errorem traxere; quippè qui scripserunt Æram Seleucidarum, uti nuper loquitur Ioannes Harduinus pag. 67. cœpisse *A. V.* 442. *cum Seleuci Nicatoris principatu in Syria*. Quæ dubio procul falsò dicuntur. Nam eo ipso anno Antigonus cum prævalido exercitu in Syriam descendens, Ptolemæum Cœlesyria ac Phœnicia exactum, intra Ægypti terminos compulit, uti fusiùs narrat laudatus Diodorus; cuius verba sunt: *Porrò Antigonus eum citrà periculum Syriam totam, Phœnicenque recuperasset, in regionem Arabum qui Nabatæi dicuntur, expeditionem suscepit*. Idem lib. 20. anno secundo Olympiadis CXVIII. de Antigono scribit: *Is per id tempus in superiore Syria commorans, urbem suo nomine Antigoniam vocitatam, iuxtà Orontem flumen condebat*; quo anno cum Ptolemæus navali prœlio à Demetrio victus fuisset, Antigonus diadema sibi imposuit, ac Regis deinceps nomen usurpavit, quod ipsum eiusdem exemplo Lysimachus, Cassander, Ptolemæus, ac ipse etiam Seleucus, teste eodem scriptore, fecerunt. Verùm hi contra Antigonum rerum successu superbientem, ac finitimis regibus, suis quondam sub Alexandro commilitonibus, formidabilem conspirarunt, ictoque fœdere, eundem apud Ipsum Phrygiæ oppidum ingenti prœlio victum, regno ac vita privarunt. Id contigit anno IV. Olympiadis CXIX. ab urbe Roma condita 453. ante Christi Æram 301. Tum victores occisi Antigoni regnum secum invicem partiti sunt, ac Seleucus superiorem Syriam obtinuit; Ptolemæo autem Cœle Syria, Phœnicia, ac Palæstina datæ sunt, Demetrio Antigoni filio Tyrum adhuc ac Sidonem valido cum præsidio retinente. Itaque Seleucus anno tantum undecimo post Babyloniam recuperatam, Syriam indeptus est, cum antea varias in Oriente nationes subegisset, ac Babylonici regni fines ad Indos usquè promovisset, uti narrant Appianus in Syria-

 cis,

cis, & Iustinus lib. 15. Porrò Seleucus annos sui regni ab eo tempore numerauit, quo Babylone recepta, ad maximum omnium Asiæ regum post Alexandrum, imperium aditum sibi aperuit; quamuis nondum regium diadema aut nomen assumpsisset. Hæc est celeberrima Epocha Seleucidarum ab anno recuperatæ Babylonis, non autem Syriæ obtentæ, à Seleuci successoribus, eorumque subditis deducta, qua Syri, Phœnices, Iudæi, Palæstini, Chaldæi, alijque diutiùs usi sunt. Hæc Epocha in regum ac urbium Syriæ nummis obsignata legitur; hac in utroque libro Maccabæorum anni designantur; eadem Chaldæorum Astronomi cœlestium observationum tempora antiquitùs indicarunt. Hanc pariter & sacra Nicæna Synodus adhibuit, ac illa Archiepiscopi Apamenses Metropolitæ secundæ Syriæ in literis Paschalibus usi sunt. In libris Maccabæorum cum subinde *anni Græcorum* numerantur, Epocha Seleucidarum intelligitur. Iudæi eandem *Aeram contractuum* nuncupabant, quòd in nundinis ac ceteris contractibus publicæ ac privatæ tabulæ eiusdem Epochæ annis obsignabantur. Et quamvis à Seleucidarum iugo se se in libertatem asserentes, novam Epocham ab anno primo regiminis Simonis Maccabæi induxissent, Epocham tamen Seleucidarum retinuerunt. Hinc in æreis tabulis hæc initio inscripta dicuntur 1. Maccab. cap. XIV. 27. *Octava decima die mensis Elul, anno centesimo septuagesimo secundo*, nempè Epochæ Seleucidarum, sivè regni Græcorum, *anno tertio sub Simone Sacerdote magno in Asamel, in conventu magno Sacerdotum & populi & principum gentis &c.* Novę verò Epochæ ab anno primo Pontificatus ac principatus Simonis institutio cap. 13. recitatur. Epocha Seleucidarum ab Arabibus dicitur *Dul Karnaim*, nempè *Bicornis*, quòd Alexander Magnus cum Iovis Ammonis filium se iactaret, in nummis cornutus scalpi voluit, quod etiam in nummis Seleuci passim observamus. Arabes tamen scriptores eius cognominis etymologiam produnt, quòd Alexander, uti loquitur Abul Pharagius Dyn. 5. *duo Solis cornua adsecutus esset, Orientem & Occidentem*.

Epocha Seleucidarum ab inito principatu Seleuci Nicatoris apud Babylonem eruditis Chronologis colligitur ab Autumno anni periodi Iulianæ 4402. ac primo Olympiadis CXVII. ab urbe Roma condita 442. ante Æram Christi 312. Cyclo Lunæ XIII. Solis VI. In magna Synodo Calchedonensi Act. II. Symbolum in Concilio Nicæno compositum, hisce chronologicis notis præsignatur: *Consulatu Paulini & Iuliani Clarissimorum Consulum, anno post Alexandrum 636. mensis secundùm Græcos Dasij XIX. quod est XIII. Kalendarum Iuliarum, in Nicæa metropoli Bithyniæ &c.* Socrates etiam an-


annum Synodi Nicænæ designat consulatu Paulini & Iuliani. Epocha Seleucidarum cœpit anno Vrbis 442. adde annos in Synodo positos *636.* eris ad A. V. 1078. Christi 325. quo in Fastis signantur Consules Paulinus & Iulianus. Ibi anni post Alexandrum non indicant tempus ab obitu Alexandri, sed novi post Alexandrum regni à Seleuco in Asia conditi. Interim patet Æram Seleucidarum iniri ab Autumno, non à verno tempore; aliàs die 19. Dæsij, sivè Iunij anno Christi 325. numeratus fuisset annus Seleucidarum 637. à verno tempore cœptus. Et sanè cum Syromacedones annum ab Autumno inchoarent, ut de Antiochenis, Tyrijs, ac Gazensibus inferiùs demonstrabo, ab Autumno quoque annos Epochæ Seleucidarum multiplicabant; eademque dies annum nouum cum civilem tum ipsorum etiam Epochę aperiebat. Vlug Beghus ultrà citraquè Gangem princeps, idemque insignis Astronomus, in libro de Epochis celebrioribus, quem Latio Ioannes Gravius donatum, Londini publicavit anno Domini 1650. cap. 4. scribit: *Sciendum etiam est quòd Epocha Græca prior sit Arabica diebus* 340700. *prior autem Epocha Persica diebus* 344324. Et antea cap. 2. de eadem Epocha *Rumæa* sivè Græca dixerat: *Hæc Epocha die Lunæ elapsis annis duodecim Solaribus à morte Alexandri Philippi Græci filij, initium duxit. Eius anni & menses sunt communes Solares. Annus è trecentis sexaginta quinque diebus cum quadrante diei præcisè constat.* Quamuis verò ea anni Solaris forma apud Syromacedones adeo vetusta mihi non probetur; laudatus tamen Astronomus ita uniformiter annos eiusdem Epochę collegit, uti eosdem à scriptoribus sua ætate antiquioribus acceptos, observabat. Iam verò annus duodecimus à morte Alexandri Magni fuit ab Vrbe Roma condita 442. ante Christum 312. quo Cyclo Solis VI. lit. G. Kalendę Octobris in anno Iuliano proleptico, sivè in eo simili quem Vlug Beghus perpetuò in Epocha Græcorum in Syria servatum putat, contigerunt die Lunę, à qua die ad initium Hegirę sivè Epochę Arabum numerat dies 340700. Hæc verò Arabum Epocha cœpit anno Christi 622. Vrbis Romę 1375. die XV. Iulij, qua incidit Novilunium Muharram primi mensis anni Lunaris Arabum, ut ex eiusdem sectę Astronomis Scaliger, Petavius, alijque passim prænotarunt. Porrò à Kalendis Octobris A. V. Romę 442. ad annum 1375. ac pridie Kalendas Octobris numerantur anni Iuliani exacti DCCCCXXXIII. qui dant dies 340778. Deme ab hac dierum summa dies 78. eris incluso termino ad diem XV. Iulij anni Christi 622. sivè Vrbis Romę 1375. quo anni Hegirę exordium sumpserunt, ac proinde Epocha Seleucidarum, sivè Græcorum in Syria initium habuit

habuit ineunte Octobri anni Iuliani proleptici A. V. 442. ac prior est altera Arabum diebus 340700. Preterea ab hac ipsa die atque anno numerando dies 344324. erimus ad annum Christi 632. Vrbis Romæ 1385. ac diem 16. Iunij, qua cœpit Æra Persica sivè Iezdegirdis, quæ est posterior Hegira diebus 3624. uti tradunt Alfraganus, Alcabitius, Albumasar Astronomi Arabes apud Ricciolium lib. 5. Chronol. Refor. cap. 11. num. 2. Albategnius cap. 30. de scientia stellarum narrat anno 1224. ab obitu Alexandri Magni, & 1212. Dhyl Karnain, nocte inter secundum ac tertium diem mensis Ab, hora 15. 20.' post meridiem Antiochię sibi observatam Lunæ eclipsim ferè totalem. Epocha Dhyl Karnain sivè Bicornis, est ipsamet apud Arabes Æra Seleucidarum, quæ cum inierit ab autumno A. V. 442. annus eiusdem 1212. concurrit cum anno Vrbis Romę 1654. Christi 901. quo tabulę Astronomicę post meridiem diei 2. Ab, sivè Augusti, Hor. 15. 20.' exhibent eclipsim Lunę, Sole in Leonis Gr. 14. ac totidem in Aquario Luna existentibus. Idem alias ibidem Solis ac Lunę eclipses memorat cum annis Epochę Seleucidarum, ex quibus patet initium eiusdem Æræ deducendum esse ab autumno A. V. Romę 442. ut dudum eruditi ex eodem Astronomo observarunt.

Hoc ipsum ex nummis, quod hactenùs nemo præstitit, paucis in præsentia demonstro. Extat in Gaza Medicea nummus Imperatoris Hadriani, cuius typum cap. 2. §. 4. proferam, cum postica epigraphe: ΤΡΙΠΟΛΕΙΤΩΝ ΗΚΥ. *Tripolitarum. Anno* CCCXXVIII. Sunt anni Epochę Seleucidarum. Nam si ab autumno A. V. Romæ 442. numeres annos Seleucidarum exactos 427. devenies ad Autumnum A. V. 869. quo cœpit annus Epochę Seleucidarum quadringentesimus vicesimus octavus, qui anno insequenti Vrbis 870. per Autumnum exijt. At Hadrianus imperium inivit A. V. 870. die XI. Augusti, Nigro & Aproniano Coss. Quare ille nummus scalptus fuit primo aut secundo mense imperij recèns initi ab Hadriano in Syria, antequam incumbente Autumno, inciperet annus Seleucidarum 429. Hinc patet Epocham Seleucidarum non posse inchoari ante A. V. 442. alias annus illius 428. non posset concurrere cum novo imperio Hadriani. Rursus palàm intelligimus annos Æræ Seleucidarum deduci ab Autumno; siquidem A. V. 870. post diem XI. Augusti natalem imperij Hadriani, adhuc numerabatur annus CCCCXXVIII. Vnde falsa est opinio viri insignis, qui ob arietem in nummis Antiochensium scalptum, putat annos Æræ Seleucidarùm verno tempore inchoatos. Præterea extat nummus Antonini Caracallę, quem itidem ære delineatum proximo cap.

cap. 2. §. 3. proferam, in quo legitur: ΕΜΙΣΩΝ ΚΟΛΩΝΙΑΣ. ΗΚΦ· *Emisenorum Coloniæ. Anno DXXVIII.* Qui anni sunt Epochę Seleucidarum, quę cum cœperit ab Autumno A. V. Romę 442. annus eiusdem in nummo signatus 528. inijt ab autumno A. V. 969. qui fuit Christi 216. Caracalla occisus fuit die 8. Aprilis, eodem A. V. 969. usque ad palilia, Christi 217. C. Bruttio Præsente, T. Messio Extricato Coss. At si Epocha Seleucidarum initium habuisset per autumnum A. V. 443. annus abhinc illius 528. cœpisset in autumno A. V. 970. Caracalla ante sex menses occiso, ac Macrino imperante. Itaque ex duobus laudatis nummis initium Epochę Seleucidarum necessariò desumendum est ab autumno A. V. 442. Periodi Iulianæ 4402. ante Æram vulgarem Christi 312. Idem quoque probatur ex nummo Antonini Elagabali, quem eodem cap. 2. §. IV. producam.

Hæc Seleucidarum Epocha sivè eiusdem anni in pluribus Regum Syrię nummis sculpti leguntur, quos omnium primus V. C. Ioannes Vaillantius amicus noster pari laude ac diligentia collegit, ac in Historia regum Syrię publicavit, à quibus plurimum lucis ad sacros Maccabęorum libros illustrandos accipimus. Ex Cimelio Mediceo unum & alterum æreum numisma profero.



Primum in antica exhibet Antiochum capite diademato, & in postica: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΤΥΡΙΩΝ. ΞΜΡ. *Regis Antiochi. Tyriorum. Anno CXLVII.* Is est Antiochus Epiphanes, octavus à Seleuco Nicatore, Syrię rex. Nummus à Tyrijs percussus est anno Seleucidarum 147. qui inijt ab Autumno A. V. 588. antè Christianam Æram 166. anno regni eiusdem decimo; siquidem Antiochus Epiphanes sivè Illustris, uti legitur 1. Maccab. cap. I. 11. regnare cœpit *in anno centesimo trigesimo septimo regni Græcorum*, nempè Seleucidarum. Et cap. III. 37. de eodem dicitur: *Et rex assumpsit partem exercitus residui, & exivit ab Antiochia civitate regni*

sui

sui, *anno centesimo quadragesimo septimo*, *&c.* qui annus in laudato Tyriorum nummo scalptus legitur. De eodem Antiocho in 2. Maccab. cap. IV. 18. hęc recitantur: *Cum autem quinquennalis agon Tyri celebraretur*, *& rex præsens esset &c.* Ita Epiphanes festos Tyriorum ludos regia pręsentia augustiores efficiebat; undè & Tyrij in ipsius honorem nummos plurimos percusserunt. Et inferiùs in eodem capite V. 44. dicitur: *Et cum venisset rex Tyrum*. Ita ille in urbem Phœnicię nobilissimam subindè se conferebat. Alter nummus ab ijsdem Tyrijs scalptus, in antica pręfert caput regis diadematum cum epigraphe in parte altera: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΤΥΡΙΩΝ. ΗΝΡ. *Regis Demetrij*. *Tyriorum*. *Anno CLVIII*. Hic est Demetrius I. cognomento *Soter*, Seleuci IV. filius, ac Antiochi Epiphanis nepos, qui cum diutiùs fuerit Romę obses, à Polybio celebri historico ad regnum Syrię occupandum animatus, Senatu inconsulto, clàm navi ex Italia fugiens, ac à Syris cum plausu exceptus, regnum simulque vitam Antiocho Eupatori Antiochi Epiphanis filio ac tum pupillo abstulit. Initio cap. 7. lib. 1. Maccab. legitur: *Anno centesimo quinquagesimo primo exijt Demetrius Seleuci filius ab urbe Roma*, *& ascendit cum paucis viris in civitatem maritimam*, *& regnavit illic*; nempè Tripolim urbem Phœnices, ex initio cap. 14. lib. 2. Maccabęorum. Itaque annus Seleucidarum CLVIII. in delineato nummo signatus, fuit octavus regni Demetrij Soteris, ac cœpit ab autumno A. V. 599. ante Christum 155. Verùm aduertendum est Scriptorem libri primi Maccabęorum annos Epochę Seleucidarum non ab Autumno, sed à neomenia Nisan verni mensis auspicari, à quo Hebręi annos legales inchoabant ex Dei pręcepto Exodi XII. initio & ver. 18. & Levitici XXIII. 5. Esther III. 7. scribitur: *mense primo*, *cuius vocabulum est Nisan &c.* Iosephus lib. 3. Antiquit. cap. 10. ait: *Mense autem Xanthico*, *qui Nisan nobis vocatur*, *& anni initium est*. Hinc in lib. 1. Maccab. cap. IV. 52. encænia repurgati Templi Hierosolymorum dicuntur celebrata *quinta & vigesima die mensis noni* (*hic est mensis Casleu*) *centesimi quadragesimi octavi anni*, id est, Seleucidarum. Iosephus verò lib. 12. cap. XI. tradit ea solemnia peracta *quinta ac vigesima Apellæi mensis*, *anno centesimo quadragesimo octavo*. Apelleus apud Syromacedones erat secundus, vel apud quosdam tertius mensis anni Syrorum, qui cum nono mense Iudęorum à Iosepho componitur. In eodem lib. 1. Maccab. cap. 10. legitur: *Et induit se Ionathas stola sancta septimo mense*, *anno centesimo sexagesimo*, *in die solemni Scenopegiæ*. Quę solemnitas agebatur die 15. Tisri, septimi mensis, ex Levitici XXIII. 34. Et cap. ult. ver. 14. *anno centesimo septuagesi-*

mo

mo ſeptimo, menſe undecimo: hic eſt menſis Sabath, qui hiemalis menſis eſt. Quare Scriptor libri primi Maccabæorum annos Seleucidarum à Nisan inchoans, ſemeſtri ſpatio annos Syromacedonum ab autumno cœptos, antevertit. Hinc ſi Demetrius Soter Roma clàm ſe ſurripuit verna tempeſtate A.V. 592. ea fuga contigit altera parte anni Seleucidarum CL. qui tamen ab eo Scriptore dicitur CLI. ob annum à neomenia Nisan inchoatum, qui tantum apud Syros per autumnum initium ſumebat. Viri eruditi dudum tradiderunt diverſitatem quæ in annis deſignandis in duobus libris Maccabæorum apparet, inde ortam, quòd Scriptor libri primi annos Seleucidarum inchoat à menſe Nisan; alter verò (nempè Iaſon Cyrenenſis qui eandem hiſtoriam quinque libris complexus eſt, quam Anonymus in unum compendio coegit) usus eſt annis Seleucidarum à neomenia Tisri, qui ſeptimus eſt menſis anni Iudęorum, à quo menſe annos etiam Sabbaticos colligebant. In lib. 1. Maccab. cap. VI. bellum contra Iudęos a novo rege Antiocho Eupatore motum recitatur *anno centeſimo quinquageſimo*; quod tamen lib. 2. initio cap. 13. dicitur contigiſſe *anno centeſimo quadrageſimo nono*. Scriptor libri primi à Neomenia Niſan orditur annum Seleucidarum CL. Scriptor verò libri ſecundi poſt ſex menſes, à Tisri eundem annum auſpicatur. Hinc bellum per æſtatem geſtum uni dicitur anno CL. alteri verò CXLIX. Rurſus lib. 1. initio cap. 7. hæc narrantur: *Anno centeſimo quinquageſimo primo exiit Demetrius Seleuci filius ab urbe Roma, & aſcendit cum paucis viris in civitatem maritimam, & regnavit illic*. At in lib. 2. cap. 14. à vers. 1. recitatur initium regni eiuſdem Demetrij; ſtatimque dicitur Alcimus qui ſummo Sacerdotio deiectus fuerat, veniſſe ad regem *Demetrium centeſimo quinquageſimo anno &c.* Demetrius A. V. Romæ 592. poſt Nisan, clàm ex Vrbe in Syriam transmiſit. Polybius qui eidem Demetrio fugæ auctor vel præcipuus ſaltem adhortator fuit, ſcribit Legat. 114. illum navem Carthaginenſem aſcendiſſe, quæ una illarum erat, quas ſolebant cum cura ex ceteris deligere, *quæ ſunt Carthagine, ad deferendas primitias, quas illuc Carthaginenſes Diis patriis mittunt*. Carthaginenſes Tyriorum colonia erant, ac proinde annua dona aperto ſtatim mare, Herculi Tyrio aliiſque vetuſtæ patriæ Dijs mittebant. Itaque Demetrius verno tempore labente, Roma fugit, anno Seleucidarum CL. qui tamen CLI. dicitur Scriptori memorato, ob annum popularem à Nisan inchoatum. Vaillantius pag. 243. Hiſt. Regum Syrię nummum Demetrij exhibet cum epigraphe: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ ΣΩΤΗΡΟΣ. ΒΞΡ: *Regis Demetrii Soteris. Anno* CLXII. In L. 1. Maccab. cap. X. 50. dicitur Demetrius ab Alexandro,

vulgò Bala, acie victus, ac interemptus; dein narrantur nuptiæ eiusdem Alexandri regis cum Cleopatra filia Ptolemęi Philometoris, quæ dicuntur celebratę ver. 58. *anno centesimo sexagesimo secundo.* Annus Seleucidarum CLXII. cœpit ab autumno A. V. 603. Itaque Demetrius post initum autumnum, occisus fuit, anno regni labente duodecimo, quot illum annos regnasse testatur synchronus ac regis eiusdem familiaris Polybius. Cum verò Alexander Syrię rex post necem Demetrij, Cleopatram sibi uxorem dari à Ptolemęo rege Ægypti per legatos petierit, ac postea ingenti apparatu nuptię coràm utroque rege apud Ptolemaidem celebratæ fuerint, quę dicuntur confectę anno centesimo sexagesimo secundo, vere ineunte contigisse dicendę sunt ante initium Nisan, à quo ille Auctor annum Græcorum CLXIII. auspicabatur.

In libro 2. Maccab. cap. XI. recitantur literæ Antiochi Eupatoris ad Iudęos, quę signantur datę: *Anno centesimo quadragesimo octavo, Xanthici mensis quintadecima die.* Interpretibus atq; eruditioribus Chronologis nota illa temporis visa est difficillima, ita ut Scaliger lib. 5. pag. 406. cum prænotasset Antiochum Eupatorem pacem cum Iudęis fecisse post Scenopegiam anno 149. putans illam regis epistolam pertinere ad pacem ineundam, ait: *Quis Oedipus hæc solverit? Itaquè benè de illo Auctore meruerit, qui illum à suspicione erroris vindicaverit.* Petavius lib. 2. de doctr. temp. cap. 21. putat Xanthicum cuius dies 15. ea in epistola appellatur, pertinere ad annum centesimum quinquagesimum. Vsserius tom. 1. Annal. pag. 15. ait scriptas illas literas anno 148. Æræ Chaldęorum, ac die 15. Xanthici itidem Chaldaici; & pag. 49. scripserat ab autumno anni periodi Iulianę 4550. ante Christum 164. qui fuit urbis Romę 590. inijsse annum Æræ Contractuum sivè Dhyl Karnaim CXLIX. *Aera verò Chaldaeorum in Principum rescriptis CXLVIII.* Verùm vix animum inducere possum, ut credam Reges Seleucidas in signandis literis ac rescriptis, usos fuisse Æra Chaldaica, quę à Syris certè numquam in usum redacta fuit. Vrbes Syriacę regum Seleucidarum numismata eorumdem Epocha ab anno primo Olympiadis CXVII. obsignabant; cur verò Reges non hac communi Æra, sed Chaldaica, quę anno altera posterior erat, usi fuisse credantur? At si Reges Syrię Epocha communi utebantur, ac nullus in illius anni characterem librariorum negligentia error irrepsit, ea Epistola scripta fuit ab Eupatore primis initi regni diebus, quod non obscurè superioris epistolę verba indicant: *Patre nostro inter Deos translato, nos volentes eos qui sunt in regno nostro, sine tumultu agere &c.* Quare scripta est anno Seleucidarum CXLVIII. quo sub initium

Nisan

Nisan mortuo Antiocho Epiphane, Eupator eiusdem filius regnum capessiverat. Sed his repugnat rerum series post mortem Antiochi Epiphanis gestarum, priusquàm illę literę à novo rege ad Iudęos scriberentur. Nam cum constet Epiphanem mortuum esse post Nisan, cum eius obitus à scriptore libri primi dicatur contigisse anno CXLIX. qui à neomenia eius mensis inchoatur, ac deinde cap. X. lib. 2. post recitatam V. 9. mortem Antiochi, narrentur prœlia, quę secunda fecit Iudas cum Idumęis, ac postea cum Timotheo Eupatoris in Asia duce; ac cap. XI. recitetur bellum à Lysia Eupatoris pueri regis tutore cum Iudęis infeliciter gestum, ac denique pax inita dicatur, scriptis memoratis literis ab Eupatore, atque hæ signętur datę die 15. Xanthici, profectò non eodem anno quo Antiochus Epiphanes obijt, scriptæ dici possunt, cum Nisan ac Xanthicus sint primi menses verni, & in anno Lunari potuerint unà simul decurrere. Num illę literę ab Eupatore initio regni scriptę sunt, sed à Scriptore libri secundi historię Maccabaicę alia occasione altero anno recitatę? Spero fore ut hunc nobis nodum solvat Nicolaus Toinardus Aurelianensis in Harmonia libri utriusque Maccabęorum. Nam cum in sacra æquè ac profana historia sit versatissimus idemque peregrinarum linguarum peritissimus, simulque veterum nummorum Regum Syrię aliorumque curiosus perscrutator ac interpres doctissimus, in laudato opere typis quidem impresso, sed nondum publici iuris facto, historiam Maccabęorum ac rerum ab ijsdem gestarum tempora summa eruditione explicabit.

CAPVT II.

Apamenses, Damasceni, Emiseni, ac Tripolitæ Epocha Seleucidarum usi ex ipsorum Nummis.

QVamuis omnes Syrię urbes iam indè à Seleuco Nicatore communi Seleucidarum Epocha usæ fuerint, plures tamen earundem autonomia vel à quibusdam Syriæ regibus, vel postea à Romanis obtenta, antiquata veteri Epocha, novam instituerunt, ut in sequentibus Dissertationibus ostendam. At quædam alię everso regno Macedonum in Syria, ac in Romanorum potestatem redactę, etiam sub imperio Cæsarum vetustam Seleucidarum Æram retinuerunt, ut ex earundem nummis intelligimus.

§. I.

EPOCHA APAMENSIVM.

Apamea à Seleuci Nicatoris uxore nomen sortita. Eiusdem situs ex Strabone. Metropolis Syriæ secundæ. Insigne templum Iovis apud eandem à S. Marcello Episcopo destructum. Elephanti regum Syriæ in agro Apameno nutriti. Aera Seleucidarum in literis Paschalibus à Metropolitis Apameæ adhibita. Errores Chronici Alexandrini. Eadem Epocha in nummo regis Alexandri Balæ ex sacris literis illustratur. De Axio flumine propè Apameam V. C. opinio insigni Sozomeni testimonio refellitur.

APamea sivè Apamia è quatuor præcipuis urbibus fuit, quas in Syria Seleucus Nicator aut condidit, aut prolato pomœrio, auxit. Macedones initio eandem de nomine patriæ Alexandri Pellam nuncupaverant, quam postea Seleucus novis ædificijs instauratam, alijsque auctam colonis, ab Apama uxore, Artabazi Darij regis ducis filia, Apameam appellavit. Errat Stephanus scribens Apameam *ab Apama Seleuci matre* nomen traxisse. Nam Laodice fuit mater Seleuci, uti testantur ex Trogo Iustinus lib. 15. Appianus in Syriacis, alijque antiquorum. Pinedo in notis ad Stephanum Apameam propè Orontem in Cœle Syria cum Apamea trans Euphratem ex aduerso Zeugmatis perperàm confundit. Plinius lib. 5. cap. 23. scribit: *Cœle babet Apamiam Marsya amne divisam à Nazerinorum tetrarchia*; & cap. 24. laudat Zeugma *transitu Euphratis nobile. Ex aduerso Apamiam Seleucus idem utriusque conditor, ponte iunxerat*. Apamea in Cœle Syria distabat Antiochia M. P. LXIX. in itinere Emesam, ex Antonini Itinerario. Strabo lib. 6. pag. 196. ait: *Quemadmodum Orontes in Syria hiatu terræ, qui inter Apamiam est & Antiochiam, ac dicitur Carybdis, absorptus, post* 20. *stadia rursùs emergit*. Idem lib. 16. pag. 517. laudatæ urbis situm describens, *Apamia*, id est regio, inquit, *urbem habet magna ex parte probè munitam. Est enim collis quidam in campo muris benè cinctus, quem Orontes & ingens quidam lacus circumpositus, & latæ paludes peninsulam faciunt; tum prata pascendis equis & bobus amplissima circumiacent. Vrbs in tuto sito est, & Chersonesus è re ipsa vocata*. Cæcilius Bassus Cæsaris Dictatoris legato in Syria occiso, eamdem urbem belli sedem elegit,

elegit; ubi à ducibus Cæsarianis frustrà diutiùs obsessus, Cassio tandem Cæsaris interfectori se urbemque dedidit, uti narrant Dio lib. 47. & Appianus lib. 4. bel. civil. ac paucioribus Strabo laudato lib. 16. & Iosephus lib. 14. Antiq. cap. 17. Vnus audiatur Cassius epist. 12. famil. lib. 12. ad Ciceronem: *Nam Bassus miserè noluit mihi legionem tradere; quòd nisi milites inuito eo, legatos ad me misissent, clausam Apameam tenuisset, quoad vi esset expugnata*. Cum verò ab Imperatoribus Christianis Syria in duas provincias, nempè primam ac secundam, sivè Salutarem divisa, suos unaquęque Rectores sortita fuisset, Apamea evasit metropolis Syrię secundę; unde & eiusdem Episcopus provincię metropolita constitutus fuit. In subscriptionibus Synodi Nicænę & Antiochenę Arrianorum anno Christi 341. ac deniquè Constantinopolitanę sub Damaso, Episcopi Apamenses inter suffraganeos recitantur. Quare Arcadio imperante, Apamea Ecclesiastica Syrię secundæ metropolis constituta videri possit. In Concilio schismaticorum apud Ephesum nominatur post Ioannem Antiochenum *Alexander Apamea metropolitanus*, uti & in literis Patrum ab eximiæ eruditionis viro Christiano Lupo publicatis cap. 7. 8. & 13. quo postremo loco *Amasa* Typographus perperàm excudit. In Synodo C. P. sub Menna Act. V. recitantur prolixa gesta iudicialia contra Petrum hæreticum Apameę Episcopum, quæ ibidem Præses provinciæ Eutychianus ait lecta coràm populo, qui incolit *τὴν Ἀπαμέων μητρόπολιν Apamensium metropolim*. Euagrius lib. 5. cap. 10. scribit Apameam a Seleuco colonis auctam, *civitatem quondam beatam, temporis tamen diuturnitate multùm diminutam, ac labefactatam*, à Persis Iustino II. imperante, captam, atque incensam, civibus cum urbis Præfecto ac etiam Episcopo in servitutem abductis. In Museo Mediceo huncce Apamensium Nummum vidi.



In antica parte Nummi cernitur caput Iovis sine epigraphe. Theodoretus lib. 5. cap. 21. describit Apameæ *delubrum Iovis amplissimum, multis ac variis ornamentis illustratum*, quod cum iussu Theodosij Magni

Magni Præfectus Orientis cum duobus hominum millibus Apameam missus, demoliri non posset, ob ingentes lapides ferro plumboque colligatos, sanctus Marcellus eiusdem urbis Episcopus, unius cæmentarij arte deiecit. Rem narrat pluribus Theodoretus. In postica nummi visitur elephas cum epigraphe: ΑΠΑΜΕΩΝ ΤΗΣ ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΣΥΛΟΥ: *Apamensium* urbis *sacræ & inviolatæ*; addita Epocha ΖΛΣ: *Anno CCXXXVII.* Strabo lib. 16. cit. describens agri Apamensis fertilitatem, ait: *Hoc loco Seleucus Nicator quingentos illos elephantos alebat, & magnam exercitus partem; sic etiam posteriores reges.* Inter condiciones pacis, quas Romanorum legati apud Apameam Phrygiæ legatis Antiochi Magni Syriç regis A. V. 566. coram Cn. Manlio Proconsule, præscripserunt, una hæc erat: *Elephantos omnes, quos Apameæ habet, tradito, nequè alios parato*; apud Polybium Legat. 35. Quos elephantos ab Antiocho acceptos, Proconsul Eumeni Asiæ apud Pergamum regi dono dedit, uti tradit Livius lib. 38. Hinc elephantus in Apamensium nummis scalptùs est, quòd regij elephanti propè Apameam nutriebantur, cum ob agri fertilitatem, optima ibi essent pascua. Extat in lib. 7. Cod. Theod. lex 3. *de pascuis*, qua Imperator Arcadius animalia militum *à publicis pratis Apamenis* prohiberi præcipit. Apamea in Phrygia, ubi laudatæ pacis leges victo Antiocho datæ sunt, condita fuerat ab Antiocho Sotere, *cui*, inquit Strabo lib. 12. *à matre Apama ipse nomen fecit, filia Artabazi, quæ nuptum data fuerat Seleuco Nicatori.* Hinc tres Apameas urbes à Seleuco conditas, teste Appiano in Syriacis, intelligimus; nempè Apameam in Tetrapoli Syriæ; alteram ex Plinio ad Euphratem ex aduerso Zeugmatis; tertiam deniquè in Media ad Tigrim, ex eodem Appiano. Anni verò 237. in eo nummo obsignati, sunt Epochæ Seleucidarum. In Chronico, uti vocant, Alexandrino anno III. Olympiadis CXVII. qui fuit V. C. 444. hęc leguntur: *Ab his Consulibus numerantur anni Syromacedonum sivè Apameorum secundùm Faschalia.* Patriarchæ Alexandrini in literis encyclicis ad Ecclesias suæ diœceseos datis, quibus diem proximè celebrandi Paschalis festi indicabant, annos ab imperio Diocletiani nominabant, qui erant postrema Ægyptiorum Epocha, uti patet ex Epistola S. Proterij Alexandrini ad S. Leonem Magnum, ac S. Cyrillo in suo Cyclo Paschali, teste Dionysio Exiguo in epistola ad Petronium Episcopum, ubi ait: *Noluimus Circulis nostris memoriam impii & persecutoris*, videlicèt Diocletiani, *innectere, sed magis elegimus ab Incarnatione Domini nostri Iesu Christi annorum tempora prænotare.* Quare Dionysius Exiguus ea in epistola scripta anno Christi 525. Probo Consule, primum se auctorem prodit Æræ ab Incarna-

carnatione Christi, quam diu postea Christiani in usum admiserunt. Verùm Metropolitæ Apamenses in suis literis Paschalibus, quas singulis quibusque annis de futuro die Paschatis ad suæ diœceseos Ecclesias mittebant, annos iuxtà Epocham Syromacedonum, qua Apamenses vulgò utebantur, prænotabant. Ceterùm nullus dubito, quin Auctor laudati Chronici biennij metachronismum admiserit; dum Epocham Seleucidarum, qua initio omnes Syromacedones ac postea plures eorundem urbes annos designabant, inchoat ab anno tertio, non autem primo Olympiadis CXVII. Idem Scriptor tradit Pulcheriam Augustam obijsse Vincomalo & Opilione Coss. mense Peritio, die XII. Kal. Martij, *anno Syromacedonum septingentesimo sexagesimo tertio*. Ille consulatus signat in Fastis A. V. Romæ 1206. Christi 453. Si Epocha Syromacedonum cœpisset anno III. memoratæ Olympiadis, V.C. 444. annus Syromacedonum 763. correspondisset A. V. 1207. à parilibus. Itaque ille Chronologus in designando anno obitus Pulcheriæ, initium Epochæ Syromacedonum auspicatur ab A. V. 443. Quare utrobique eidem erratum est; siquidem Æra Syromacedonum sivè Seleucidarum inijt ab autumno A. V. 442. Hinc annus eius Epochæ 237. in Mediceo Apamensium nummo scalptus, cœpit ab autumno A. V. Romę 678. Cn. Octavio, C. Scribonio Curione Coss. Extat Parisijs in Musæo D. Francisci Dron mihi hoc in opere ob eruditæ antiquitatis studium sæpius commendandi, nummus in cuius antica parte visitur caput diadematum Alexandri Balæ regis Syrię. In postica Iuppiter sedens galeam dextra prefert, cuius numinis splendidissimum templum, uti prenotavi, Apameæ frequentabatur, cum epigraphe: ΑΠΑΜΕΩΝ. ΓΞΡ. *Apamensium. Anno* CLXIII. In lib. 1. Maccab. initio cap. X. legitur: *Et anno centesimo sexagesimo ascendit Alexander Antiochi filius, qui cognominatus est Nobilis, & occupavit Ptolemaidam; & receperunt eum, & regnavit illic*; Demetrio interim Sotere in reliqua Syria regnante. Cum verò uterque certatim Ionatham Iudæorum ducem suas in partes trahere conaretur, hic oblato sibi ab Alexandro novo rege summo Pontificatu, ad eiusdem factionem transijt. Ibidem V. 21. *Et induit se Ionathas stola sancta septimo mense, anno centesimo sexagesimo, in die solemni Scenopegiæ*. Cum verò hic Scriptor à neomenia Nisan annos Seleucidarum ordiatur, qui Syromacedonibus ab autumno inchoabantur, colligimus Alexandrum Theopatorem Syris vulgò *Balam* nuncupatum, regnum Demetrij invasisse anno labente Seleucidarum CLIX. siquidem Ionathas ab Alexandro rege Pontifex designatus, stolam sanctam in festo Scenopegię, die XV. Tisri, insigni pompa induit. Itaque

annus

annus primus regni Alexandri Theopatoris concurrit cum A. V. 601. ante Christum 153. ac proindè annus Seleucidarum CLXIII. inijt ab autumno A. V. 604. qui erat quartus regni Alexandri.

Eruditus amicus noster Ioannes Vaillantius pag. 260. Hist. Regum Syriæ nummum è suo Museo profert, in quo cum eiusdem regis Alexandri effigie, in altera parte Iuppiter sedens cum victoriola & hasta visitur, cum epigraphe: ΑΠΑΜΕΩΝ ΤΩΝ ΠΡΟΣ ΤΩ ΑΞΙΩ: *Apamensium qui sunt ad Axium*. Vbi notat Apameam sitam fuisse propè Orontem, cui flumini novum Axij nomen ab Axio celebri Macedonię flumine a Seleuco Nicatore impositum putat, quemadmodum idem urbes abs se in Syria ac alibi conditas, Macedoniæ aut Gręcię urbium nominibus appellavit. Hęc laudati nummi interpretatio haud placuit V. C. Harduino, qui pag. 57. laudat Plinij verba ex lib. 5. cap. 23. *Cœle habet Apamiam, Marsya amne divisam*. Quem amnem Macedones, cum rerum ibi potirentur, *Axium*, inquit, *quòd eo nomine in Macedonia insignis amnis est, appellarunt*. Et postea more sibi familiari, ait: *Affertur hic nummus à Scriptore historiæ Regum Syriæ: à nemine ante nos feliciter explanatus*. Sed planè infeliciter nummum explicuit, qui & ipsa Plinij, in quo aliquot annos vixit, verba intelligere dissimulavit. Hęc ibi noster Veronensis Plinius scribit: *Cœle habet Apamiam Marsya amne divisam à Nazerinorum tetrarchia*. Quibus verbis neutiquàm describitur ipsamet urbs Apamea amne Marsya divisa; quasi urbem ille fluuius interflueret, ut textu Plinij dedita opera mutilato, Lectori eruditus alias Interpres imposuit; sed illis verbis ager Apameæ designatur Marsya amne divisus à tetrarchia proxima Nazerinorum. Strabo lib. 16. pag. 517. de Apamea ait: *Regione multa & ubere abundat, per quam Orontes fluit, & multus in ea vagatur*. Hanc Apameæ regionem Plinius ait Marsya amne divisam ab illa tetrarchia. In Itinerario Antonini iter à Callicome Emesam pag. 42. ita describitur.

Chalcidica	M. P. XVIII.
Temmelison	M. P. XX.
Apamiam	M. P. XXV.
Larissam	M. P. XVI.

Porrò Strabo ibidem scribit: *Apamiensium regioni ad ortum finitima est regulorum ditio Arabum, quæ Farapotamia dicitur, & Chalcidica à Marsya descendens*. Narrat Cæcilium Bassum, qui occiso Sex. Cæsare, Syrię administrationem usurpaverat, Apameæ à legatis Cæsaris

faris Dictatoris obsessum, à proximis regulis suppetias tulisse, quos inter nominat Ptolemęum Mennęi filium, *qui Heliopolim, Chalcidem, & Marsyam, & Ituraeorum montes obtinebat*. Erat Marsya conuallis inter radices Libani & Antilibani egregiè descripta Polybio lib. 5. pag. 390. edit. Casauboni. Equidem Ptolemęo Geographo in Apamensi regione numerantur *Nazama*, *Thelminissus*, *Apamia*, *Emesa*. Vti verò Thelminissus in laudato Itinerario Temmelison dicitur; ita Nazama eadem fortassis fuit quę Nazerinorum ditio Plinio appellatur; ubi an legendum sit *Nazamanorum*, harum rerum curiosi viderint. Interim hoc certum sit ex Plinij verbis apertè colligi amnem Marsyam procul ab ipsa Apamea fluxisse, nempè in confinijs agri perampli Apamensium versùs tetrarchiam Nazerinorum, ac proindè vanam esse interpretationem numismatis ab Harduino & quidem sibi ob eandem plaudente, confictam. Quis enim Apameam propè Marsyam dixerit, à quo flumine ea urbs plurimis, uti Syri dicebant, schœnis distabat? Ex Sozomeno lib. 7. cap. 15. nummi explicatio petenda erat. Is numerans quosdam populos, qui Christianis Imperatoribus subditi, etiam tum avita Deorum templa armis tutabantur, eos inter recenset Syros, qui pro templo ΑΠΑΜΕΙΑΣ τῆς ΠΡΟΣ ΤΩ ΑΞΙΩ ποταμῷ: *Apamiæ propè Axium flumen* pugnabant. Est nummi Inscriptio: ΑΠΑΜΕΩΝ ΤΩΝ ΠΡΟΣ ΤΩ ΑΞΙΩ. Erat illud ex Theodoreto templum vetustissimum Iovis, cuius effigies eo in nummo scalpta est. Itaque Axius erat fluvius Apameæ propior quam Orontes; unde quo eadem civitas à ceteris eiusdem nominis urbibus distingueretur, tum in nummo recitato, tum etiam à Sozomeno Apamea *apud Axium* nuncupatur. Hac de urbe Strabo lib. 16. scribit: *Olim Pella dicta fuit à primis Macedonibus, propterea quòd maxima Macedonum pars, qui in Asia militaverant, hic habitavere*. Casaubonus in notis ad hunc locum, hanc vetustioris nominis Pellam cum altera Pella in Decapoli Syriæ ab Antiocho Magno captam ex lib. 5. Polybij, supina allucinatione confundit. Pellam Macedoniæ urbem Philippi Græcię, ac Alexandri filij Asiæ domitorum natales nobilitaverant. Hinc Iuvenalis Sat. X. ver. 168. scribit.

Vnus Pellæo iuveni non sufficit orbis.

Eius Macedonicę urbis situm describit Livius in fine lib. 44. *Sita est*, inquit, *in tumulo vergente in Occidentem hibernum: cingunt paludes inexuperabilis altitudinis æstate & hieme, quas restagnantes faciunt lacus*. Propè eandem Pellam Axius amnis decurrens, in proximum mare exonerabatur, uti docet Ptolemęus lib. 3. Geographię in descriptione Macedoniæ. Livius etiam ibidem antea narrat regem

Perſeum acie à Romanis victum, ac fugam capientem, varijs viæ difficultatibus *ad mediam ferè noctem* vexatum, Pellam regiam Macedonum ſedem perveniſſe, ac paulò poſt inde etiam *quarta vigilia* profugiſſe. Additque Livius: *ſed nocte à Pella exierat, properans ante lucem Axium amnem traiicere*. Quare aurora ferè proxima, Pella ſe proripuit. Itaque Axius propè Pellam decurrebat. Cum ergo urbs illa Syriæ, in quam Macedones coloni deducti fuerant, uti ipſorum in Macedonia Pella, in colle ſita, paludibus ac circumſtagnanti lacu cingeretur, eandem de memoratæ in Macedonia urbis nomine *Pellam* nuncuparunt, unàque proximè permeantem fluvium eodem, quo propè Pellam fluens amnis dicebatur, nomine *Axium* appellarunt. Ita urbem Meſopotamię ad Scirtum, quòd ibidem aquarum catarractę viſebantur, quales erant apud Edeſſam Macedoniæ urbem M. P. XXXX. Pella diſtantem, Edeſſam pariter nuncuparunt, ut proximè cap. 3. §. 1. oſtendam. Strabo loco laudato ſcribit de Apamea Syriæ: *Vrbs in tuto ſita eſt, & Cherroneſus è re ipſa vocata*. Et Dionyſius Periegetes: *Huius*, inquit, *ad ortum labitur liquidus Orontes*. Hinc ſatis ampla illa planicies, in cuius medio colle Apamea ſita erat, hinc Oronte, inde verò lacu, ac propiori Axio flumine cincta, Cherroneſus, ſivè peninſula Syriæ dicebatur. Strabo teſtatur regios equorum greges, in quibus triginta mille equæ numerabantur, in eadem peninſula alitos fuiſſe. Auctor eſt Plutarchus in Demetrio, hunc à militibus Seleuci Nicatoris captum, in Χεῤῥόνησον τὴν Συριακὴν *Cherroneſum Syriæ* relegatum fuiſſe; ubi ſub libera cuſtodia corpus venationibus ludiſque exercebat. Hanc verò Syriæ Cherroneſum eam fuiſſe, in qua ſita erat Apamea, rectè notavit eruditiſſimus Scriptor regiuſque Geographus idemque amicus meus Auguſtinus Lubin provinciarum Auguſtiniani noſtri Ordinis in Gallia, uti vocamus, Aſſiſtens, pag. 18. Tabul. geograph. in Annales Vſſerij. Itaque cum ex tot millium equarum numero ac ex Demetrij venationibus eadem Cherroneſus ſatis iuſtę amplitudinis fuiſſe colligatur, non ab uno Oronte, & lacu, ſed ab Axio quoque flumine cincta intelligitur. Cur enim Sozomenus, qui ſex ferè ſæculis poſt ſcalptum illum Alexandri Regis Syriæ nummum, hiſtoriam ſcripſit, nempè poſt Theodoſij conſulatum XVII. celebri omnibuſque noto Orontis nomine omiſſo, Axium eundem fluvium antiquato olim vocabulo deſignaſſet? Hinc Axius diverſus ab Oronte amnis dicendus videtur, idemque Oronte Apameæ propior. Si quis tamen certiorem huiuſce rei notitiam comparare velit, is, per me licet, in Syriam tranſmittat, ac circùm Apameam tum decurrentes, tum etiam ſtagnantes aquas pro libito ſuiſmet oculis contempletur.

§. II.

§. II.

Damascus à quo condita. Regia totius quondam Syriæ Metropolis. Ab Assyrijs eversa. Seleucidis: item Arabibus paruit. Pompeius eandem Romanorum imperio adiecit. Sub Christianis Imperatoribus Metropolis Phœniciæ mediterraneæ. Damasceni posteriori ætate annum ex mensibus tricenarijs verno tempore inibant. Epocha Seleucidarum in eorumdem nummis scalpta.

DAmascus antiquissima Syriæ urbs & antequàm Assyriorum regnum proximas quasque provincias absorberet, plurimorum regum sedes, quibusdam à Baccho Indorum domitore, quem & Deum finxerunt, condita dicitur; alij ab Asco gigante à Iove postea occiso, extructam narrant apud Isidorum in vita Damascij in codice Photij 242. Nonnulli auctorem eiusdem ex Iustino lib. 36. Damascum regem faciunt alij autem quemdam Damascum, de quo Abrahamus in cap. XV. 3. Geneseos ait: *Filius procuratoris domus meæ iste Damascus Eliezer*. At D. Hieronymus in lib. de quæst. Hebr. ad cap. 10. Geneseos, ait: *Hus filius Aram Thraconitidis & Damasci conditor*. Erat Aram filius Sem primogeniti Noe. Damasci situm describit Guillelmus Tyrius lib. 17. de bello sacro cap. 2. cum eam urbem Conradus Imperator, Ludovicus VII. Galliæ, & Balduinus Hierosolymorum reges anno Christi 1148. irrito conatu obsederunt. Hæc regum Syriæ sedes ac metropolis laudatur Isaiæ cap. VII. 8. *Caput Syriæ Damascus, & caput Damasci Rasin*, qui initio eius capitis *rex Syriæ* appellatur. Hieronymus in cap. 17. Isaiæ ait: *Damascus regalis quondam civitas fuit, & in omni Syria tenuit principatum. Necdum florebant Antiochia, Laodicea, Apamea, quas urbes post Alexandrum & Macedonum imperium auctas esse cognovimus.* Nicolaus civis Damascenus cuius totius Orbis historiæ in CXXIV. libros digestæ Iosepho laudantur, apud eundem lib. 7. scribit: *Longo post tempore indigenarum quidam nomine Adadus, ceteris potentior, Damasci & reliquæ Syriæ, præter Phœnicem, regnum obtinuit &c. Illo defuncto posteri eius decimam usque generationem regnum obtinuerunt, quisque à suo patre cum imperio nomen accipiens, quemadmodum apud Aegyptios Ptolemai*. Hinc in sacris literis 2. Reg. cap. VIII. 5. *Syria Damasci* legitur, nempè ea Syriæ pars, quæ Damasceno regi parebat. De Asa Iudæorum rege lib. 3. Reg. cap. XV. 18. dicitur:

Tollens itaque Asa omne argentum & aurum quod remansit in thesauris domus Domini &c. misit ad Benadad filium Tabremon filii Hezion, regem Syriæ, qui habitabat in Damasco. Hic est quem Nicolaus Damascenus Adadum vocat, cuius posteros ad decimam usque generationem narrat apud Damascum regnasse. Isaias initio cap. 17. Damasceni regni ruinam prædicens: *Ecce*, inquit, *Damascus desinet esse civitas, & erit sicut acervus lapidum in ruina.* Id contigit Achaz in Iudæa regnante, qui cum à Rasin Damasci rege bello premeretur, ingenti sacri ac regij auri pondere ad regem Assyriorum per legatos misso, eundem ad invadendam Syriam pertraxit, ut 4. Reg. cap. 16. narratur. Hæc ibi: *Ascendit enim rex Assyriorum in Damascum, & vastavit eam, & transtulit habitatores eius Cyrenem, Rasin autem interfecit*. Quam Damasceni regni ruinam Amos quoquè vaticinatus, sub initium cap. 1. inquit: *Et mittam ignem in domum Azael, & devorabit domos Benadad. Et conteram vectem Damasci: & disperdam habitatorem de campo Idoli, & tenentem sceptrum de domo voluptatis, & transferetur populus Syriæ Cyrenem, dicit Dominus*. Tum Damascus civibus in captivitatem abductis, templis ac ædibus solo æquatis, desijt esse civitas, uti Isaias prædixerat. Verùm Assyrijs in Persarum potestatem redactis, Damascus restaurata, speciem urbis recepit; ac Darius movens contra Alexandrum, regiam gazam Damascum misit, quam postea unà cum urbe victor Alexander occupavit. Eo verò defuncto, Seleuco ac successoribus ultrà annos ducentos paruit. Cum autem inter Antiochi Grypi filios fatales regno Syriç contentiones erupissent, Antiochus cognomento Dionysus Damascum occupans, proprij ibidem regni sedem posuit; at paullò post Philippus frater eidem Damascum surripuit, à qua urbe statim pulsus fuit opera Milesij arcis Præfecti, qui illi urbem antea tradiderat. Interea Antiochus Dionysus ad recuperandam Damascum, exercitum ex Arabia reducens, cum Alexandro Iudæorum rege prœlio conserto, penè parta victoria, occiditur. Hæc cum Iosephus lib. 13. cap. 23. narrasset, ait: *Post hunc Cœlesyriæ regnum Aretas adipiscitur, vocatus ad imperium à Damascenis propter odium quo prosequebantur Ptolemæum Mennæi*. Is Ptolemæus, ut §. superiori ex Strabone notabatur, Heliopolim atque Abilam urbem M. P. XVIII. Damasco distantem, Seleucidis fratribus secum invicem bella gerentibus, usurpatam tenebat. Ceterùm cum Pompeius Tigrane Syriæ regno mulctato, in Cœlesyriam cum legionibus venisset, Metellus ac Lollius eiusdem legati Aretam regem Arabum Damasco expulerunt A. V. 690. ex Iosepho lib. 14. cap. 4. qui cap. 5. ait: *Non multò post cum Pompeius Damascum venisset, &c.* ubi Hyrcanum

cánum & Ariſtobulum de principatu Iudaico diſſidentes, audivit. Inde Damaſcus Romanorum magiſtratibus paruit. Hieronymus in cap. 17. Iſaię, ad illa prophetę verba: *Ecce Damaſcus deſinet eſſe civitas*, ait: Alij *exiſtimant de Romana captivitate prædici, quando & Iudæorum* à Pompeio *captus eſt populus, & Damaſcus, cui imperabat Areta, ſimilem ſuſtinuit ſervitutem*. Ioſephus lib. 14. cap. 20. ſtatim poſt necem Iulij Cæſaris Dictatoris, Fabium Romanorum *Damaſci præſidem* nominat. Verùm eamdem urbem ab Auguſto alteri Aretæ regi Arabum reſtitutam colligimus ex Apoſtolo in epiſtola ſecunda ad Corinthios cap. XI. 32. *Damaſci*, inquit, *præpoſitus gentis Aretæ regis cuſtodiebat civitatem Damaſcenorum &c.* Sed Arabum rege à Cornelio Palma, cui Traianus Syriam regendam tradiderat, bello victo, Damaſcus Syriæ dein Phœniciæ addita fuit. Tertullianus in lib. aduer. Iudæos cap. 9. ait: *Damaſcus Arabiæ olim deputabatur, antequàm tranſcripta eſſet in Syrophœniciam ex diſtinctione Syriarum*; quam quidem diſtinctionem ab Hadriano factam tradit in eiuſdem vita Spartianus cap. 14. qua de re inferiùs ſermo redibit. Extat lib. 1. cod. Lex 3. *de diver. reſcriptis* à Diocletiano miſſa *Criſpino præſidi provinciæ Phœniciæ*. Id temporis Phœnicia erat unica provincia, cuius metropolis Tyrus. At Phœnicia à Chriſtianis Imperatoribus in duas provincias diſſecta, una quarum prima Phœnicia, ſeu maritima, altera ſecunda ſivè mediterranea vel Libani dicta eſt, Damaſcus huiuſce Phœniciæ ſecundæ tum civilis tum etiam Eccleſiaſtica metropolis evaſit, ut pluribus oſtendam Diſſert. 4. cap. 1. cum tamen ex nummis Commodi, Severi, aliorumque Auguſtorum honorarium metropoleos titulum antea obtinuiſſet. Extat in gaza Medicea nummus Imperatoris Alexandri Severi inſcriptus: M. AT. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟϹ Κ. *M. Aurelius Alexander Cæſar*, & in altera parte: ΔΑΜΑϹΚΟΥ ΙΕΡΑϹ ΜΗΤΡΟΠ. *Damaſci ſacræ metropoleos*, & in coronà: CEBACMIA: *Auguſta*. In alijs Cæſarum nummis Colonia nuncupatur, quos ex volumine quod modò eruditiſſimus Vaillantius adornat, brevi intelligemus.

Damaſceni Epocham Seleucidarum diutiùs ſervarunt; quamuis annum more veterum Arabum, à verno tempore inchoarent. Nam Simplicius in comm. ad lib. 5. Phyſicorum Ariſtotelis ſcribit: *Quæ verò à nobis ſtatuuntur initia, anni quidem circa Solſtitium æſtivum, ut apud Athenienſes: vel circa Aequinoctium autumnale, velut in Aſia propriè ſic dicta: vel circa brumam, quod Romanis: vel denique ineunte vere, quod Arabibus & Damaſcenis in uſu eſt*. Verùm cum Damaſceni in Seleucidarum regno cenſebantur, unà cum ceteris Syris, annum ab autumno inibant. At cum ultrò Aretę poſtea regi Arabum,

bum se tradidissent, tum primùm fortassis initium anni ad vernam tempestatem traduxerunt. Et quidem annum Arabicum fuisse olim Solarem rectè colligit Scaliger lib. 4. de emend. Temp. pag. 229. ex S. Epihanio ad Hæresim LI. Alogorum, ubi ait diem VIII. Novembris apud Romanos, fuisse iuxtà Aegyptios XII. Athyr: *iuxtà Arabes Angalthabaith vigesimam secundam*; & rursùs sextam Ianuarij Romani fuisse apud Aegyptios XI. Tybi: *iuxtà Arabes Aleon vigesimam primam*. Itaque Angalthabaith incipiebat die 18. Octobris, ut illius vigesima secunda cum octava die Novembris concurreret. Rursus prima dies Aleon cadebat in diem 17. Decembris, ut eius XXI. cum sexta Ianuarij decurreret. Porrò à die 18. Octobris ad 16. Decembris colliguntur menses duo tricenarij. Quare vetustus ille Arabum annus erat similis anno Ægyptiorum; quamuis initium anni à diverso cardine ab utrisque deduceretur. Vaillantius pag. 314. Hist. regum Syriæ profert nummum Demetrij II. vulgò Nicatoris, in cuius postica parte retrò sedem Iovis Δ litera visitur, ex qua nummum ad Damascenos revocat. Ibi verò inferiùs signatur Epocha Seleucidarum ΔΠΡ. *Anno* CLXXXIV. Illustrissimus Comes Franciscus Mediobarbus eruditę rei nummariæ studiosissimus, quam etiam locupletissimo Occoniano auctario eximiè illustravit, nummum è suo Museo ad me transmisit; alterum accepi è Cimelijs viri spectatissimi D. Francisci Dron Parisijs Canonici S. Thomæ ad Luparam.





In priori nummo Comitis Mediobarbi cum symbolo Victorię legitur: ΔΑΜΑCΚΗΝΩΝ. L. ΗΚΤ. *Damascenorum. Anno* CCCXXVIII. qui annus inijt A. V. Romæ 769. Æræ Christianę XVI. ac tertio imperij Tiberij Augusti. In altero nummo cum Dama, quod in alijs etiam Damascenorum nummis animal occurrit, legitur: ΔΑΜΑΚΗΝΩΝ. ΕΜΤ. Errore monetarij litera Σ deficiente. *Damascenorum. Anno* CCCXLV. qui cœpit anno urbis Romę 786. eodem Tiberio imperante. In alio quoque nummo, quem delineatum

tum proferunt Triſtanus tom. 1. pag. 231. ac Spanhemius Differt. 4. pag. 318. legitur : ΔΑΜΑΣΚΗΝΩΝ. ΓΠΣ. *Damaſcenorum. Anno* CCLXXXIII. qui cum A. V. Romę 725. copulatur. Hunc quoquè nummum ex Triſtano nuper recitavit V. C. Harduinus pag. 134. putatque priorem literam Γ eſſe L inverſam, quæ idem ſit ac Græcè λυκάβας, id eſt, *annus*. Itaque legit : *Damaſcenorum anno σπ', hoc eſt, CCLX.* Additque : *Quare hunc Damaſcenorum nummum omninò cuſum eſſe oportuit anno Vrbis Romæ DCCI. quo ferè M. Craſſus in Parthis occiſus*. Error eſt viri eruditi, calamo ad alia propetantis. Nam cum ibi concedat ſignari in eo nummo annos Epochæ Seleucidarum, quę cœpit *anno Vrbis Romæ* 442. ut ibidem prænotat ; annus abhinc Damaſcenorum ΣΠ 280. non ut ille perperam numerat 260. concurreret cum anno urbis Romæ DCCXXII. occiſo ante quatuor luſtra in Parthis Craſſo. At rectiùs, uti dixi, legitur ΓΠΣ, *Anno* 283. qui cœpit A. V. Romę 724. eoque primo imperij Auguſti in Syria, uti pluribus Diſſert. 3. cap. 6. demonſtrabo.

§. III.

EPOCHA EMESENORVM.

Emesa urbs vetuſta regni Seleucidarum : dein Sampſicerami ac ſucceßorum regia ſedes. Romanis prouincijs addita, duarum Auguſtarum patria fuit. Epocha Seleucidarum ibidem adhibita. Qualis imago Solis apud Emesam culti. Fit Romanorum colonia ab Antonino Caracalla.

EMeſa, quam alij Emiſam, uel Emeſſam ſcribunt, *ſæculis condita priſcis* dicitur Ammiano Marcellino lib. 24. ubi inter præcipuas Phœnicum urbes eidem laudatur. Diſtabat Antiochia M. P. CXXXIII. ex Itinerario Antonini, qui Antiochia Apameam numerat M. P. LXIX. hinc verò per Lariſſam, Epiphaniam, & Arethuſam uſque Emeſam M. P. LXIV. Cum Aurelianus Auguſtus contra Zenobiam Antiochia moviſſet, illum, inquit Zoſimus lib. 2. *Apamea, Lariſſa, & Arethuſa excipiebant, ubi Palmyrenorum exercitum ante Emeſam in campo collocatum vidiſſet &c.* Zenobiam verò *apud Emeſam magno certamine victam* ſcribit in Aureliano Vopiſcus cap. 25. Emeſa intrà Seleucidarum regnum fuit, quouſquè Antiochi Grypi filijs ſecum invicem diſſidentibus, plures tyranni emerſerunt, qui ſitas in mediterraneis Phœniciæ urbes ſibi uſurparunt ; cum

etiam,

etiam, uti diximus, Damasceni ultrò se Aretæ regi Arabum tradidissent. Iudæi Alexandro rege duce, magnam Cœles Syriç partem occupaverant, ac Tigranes vocatus ad regnum ab Antiochenis, Syriam ac Mesopotamiam invaserat. In tanto imperij Seleucidarum excidio, quidam Sampsiceramus novum apud Emesam regnum condidit. Strabo lib. 16. pag. 518. scribit Cæcilium Bassum à binis exercitibus obsessum Apameç, diutiùs usquè ad Cassij in Syriam adventum restitisse, quòd finitimi reguli eidem suppetias ferebant: *Item*, inquit, *Sampsicerami & Iamblichi eius filii regio, qui genti Emesenorum imperabant:* ubi eidem nominatur etiam *Sampsicerami Arethusa*, quæ M. P. XVI. Emesa distabat. Hunc Sampsiceramum antea Pompeius in Syriam descendens, P. R. tributarium fecerat A. V. *691*. Cuius Emesenorum reguli in Antilibano angustiùs imperantis nomen cum ceteros inter subactorum regum titulos, in triumphi ferculis Pompeius prætulisset, nomen idem ignotum ac barbarum plerisque risvi fuit; unde Cicero non uno loco Pompeium irrisionis gratia *Sampsiceramum* appellat. Hæc scribit epist. 16. lib. 1. ad Atticum: *Nunc verò, Sampsicerame, quid dices? vectigal te nobis in monte Antilibano constituisse?* Verum idem Cicero cum proconsul Ciliciæ Parthorum irruptionem timeret, eiusdem Sampsicerami filium Iamblichum *Phylarchum Arabum*, *hominum opinione*, *Romanæ Reipublicæ amicum* laudat epist. 1. lib. 15. familiarium. Hunc Iamblichum Sampsicerami filium Antonius Triumuir ut sibi suspectum, bello Actiaco interfecit, ex Dione lib. 50. Verùm Augustus A. V. 734. Syriam perlustrans, Iamblicho Iamblichi perempti filio paternum in Arabia principatum restituit, ex eodem Dione lib. 54. Huius posteri diutiùs apud Emesam regnarunt. Nam rex Agrippa *Azizo Emesenorum regi circumciso* Drusillam sororem in matrimonio collocavit, ex Iosepho, qui anno primo Neronis lib. 2. de bello cap. 7. eiusdem obitum recitat, succedente eidem fratre Sohemo. Vespasiano imperium ab exercitu A. V. 822. in Syria accipienti, accessit, inquit Tacitus lib. 2. Hist. *cum regno Sohemus haud spernendis viribus*. Cum verò anno quarto imperij Vespasiani, Cęsennius Pætus Syriç Præses contra regem Commagenorum Antiochum exercitum duceret, *habuit*, inquit Iosephus, *auxilio reges Chalcidicæ Aristobulum, ac Sohemum Emesæ*; lib. 7. de bello cap. 22. Verum uti maxima quæque finitimorum regna, ita mediocre etiam Emesenum Romana potentia absorbuit, ac Phœniciæ provinciç additum fuit. Quamuis verò Emesa regum sedes esse desijsset, plurium tamen Romanorum Cæsarum, ac Augustarum patria evasit. Nam ea in urbe natales habuerunt Iulia Domna

Septimij

Septimij Severi uxor, ac Imperatorum Caracallæ & Getę mater, eiusque soror Iulia Masa Augusta avia Imperatorum Elagabali & Alexandri Severi, ac mater Soemiadis & Mamææ Augustarum. Herodianus lib. 5. ait: *Masa erat quædam nomine Phœnissa mulier ab Emesa urbe Phœniciæ, cui soror Iulia fuerat, Severi coniux, ac mater Antonini.* Qui ut suæ matris patriam honoraret, eamdem coloniam fecit, teste Paulo lib. 50. Digest. *L. 8. de censibus*, ubi ait: *Imperator noster Antoninus civitatem Emisenorum coloniam iuris Italici fecit.* Vnum & alterum Emisenorum nummum exhibeo.







Prior nummus est Antonini Caracallæ in scrinijs D. Francisci Dron Parisijs Canonici S. Thomæ ad Luparam, quem etiam recitat Eques Patinus pag. 304. Alter Iuliæ Domnæ seruatur in Cimelijs Regis Christianissimi. Vtriusque postica Inscriptio Latinè redditur: *Emisenorum colonia*. Epocha HKΦ. eadem utrobique visitur; quamuis litera H in regio numismate partim detrita sit. Herodiano lib. 5. Elagabalus ac Alexander Severus, cum essent privati adolescentes, dicuntur *sacerdotes ambo Solis, quem maximè indigenæ*, nempè Emeseni, de quibus loquitur, *colunt, Phœnicum lingua* Heleagabalum *vocitantes, templumque illi maximum constructum habent, auro argentoque plurimo, ac lapidum ingenti magnificentia exornatum*. Itaque Emeseni celeberrimi apud ipsos templi imaginem in nummis delineatis expressam, publicarunt. Epocha ibidem sculpta legitur HKΦ: *Anno quingentesimo vigesimo octavo*. Priorem nummum esse Antonini Caracallę, ex eiusdem effigie mihi per literas testatus est harum rerum peritissimus Nicolaus Toinardus; quamuis Inscriptio detrita sit. In eo verò effigies Solis ab Emesenis culti, exhibetur, de quo Herodianus loco laudato scribit: *Simulacrum verò nullum Græco aut Romano more manu factum ad eius Dei similitudinem; sed lapis est maximus ab imo rotundus, & sensim fastigiatus propemodum ad coni figuram*. Additque: *Solis imaginem illam esse affirmant, minimè humano artificio fabricatam*, quam & cœlitus sibi ipsis demissam commentabantur

L

bantur. Hinc Antonini qui post Macrinum imperavit, à Sole, cuius apud Emesam sacerdos fuerat, Elagabali cognomen derivavit, ut cap. 1. de vita eiusdem Lampridius scribit. Extant eiusdem nummi in postica inscripti: SANCTO DEO SOLI ELAGABAL, in quibus Solis simulacrum in speciem coni efformatum visitur. Baronius ad annum Christi 220. putavit eam esse imaginem Solis vel fortassis Antonini *versis humeris* currum insidentis. Cum nulli ibidem humeri, aut alia humani corporis pars appareat, sed lapis sit sensim fastigiatus, quem Emesenus Antoninus novum Deum Romæ consecravit. De voce *Elagabal* plura prænotavit Seldenus Syntagmate 2. de Dijs Syris. Vopiscus in Aureliano cap. 25. ait: *Emesam victor Aurelianus ingressus est, ac statim ad templum Heliogabali tetendit, quasi communi officio vota soluturus. Verùm illic eam formam numinis reperit, quam in bello sibi faventem vidit*. Nempè formam lapidis, quam delineatus nummus præfert. Avieni poetæ carmina de Emesa sunt.

Denique flammicomo devoti pectora Soli
Vitam agitant. Libanus frondosa cacumina turget;
Et tamen bis certant celsi fastigia templi.

Idem verò annus Η Κ Φ, *quingentesimus vicesimus octauus* in hoc quoque Caracallæ nummo legitur. Sunt anni Epochæ Seleucidarum, quæ cum inierit ab autumno A. V. 442. annus eiusdem DXXVIII. cœpit per autumnum A. V. 969. Æræ vulgaris Christi 216. ac sexto imperij Caracallæ post mortem Severi patris. Ex hoc insigni nummo probavi Epocham Seleucidarum non posse inchoari ab autumno A. V. 443. quia annus illius DXXVIII. inisset A. V. 670. Macrino iam imperante; siquidem Caracalla eo anno à parilibus inchoando, Christi 217. die suo Natali, octavo Aprilis occisus fuit. Extant in Museo regio parui nummi cum epigraphe: ΑΥΤ. ΚΑΙ. ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝΙΝΟϹ, cum eiusdem Caracallæ capite, & retrorsus: ΕΜΙϹΩΝ ΚΟΛΩΝΙΑϹ, cum muliere turrita, ac subtùs figura partim aquis immersa, & Ε Κ Φ, *Anno* DXXV. Item alius: ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝΙΝΟϹ, *Imperator Cæsar M. Aurelius Antoninus*; & in altera parte: ΕΜΙϹΩΝ ΚΟΛΩΝΙΑϹ. Ζ Κ Φ. *Emisenorum colonia. Anno DXXVII.* ubi visitur Aquila globo insistens, ac rostro coronam tenens. Alios nummos ex eodem regio Museo appellat V. C. Harduinus Iuliæ Domnæ ac Caracallæ inscriptos: ΕΜΙϹΩΝ ΚΟΛΩΝΙΑϹ. Κ Φ. *Emisenorum colonia. Anno DXX.* Verum puto eosdem esse quos recensui, ac priorem notam numeralem eidem omissam fuisse. Nam annus Emesenorum DXX. exijt per autumnum A. V. 962. Pompeiano & Avito Coss. Severo Septimio

ptimio ac M. Antonino & Septimio Geta Auguftis. At Emefa facta fuit colonia poft mortem Septimij Severi, ab Antonino Caracalla, quod laudatus Paulus lib. 50. Digeft. tit. XV. teftatur, & infuper eidem Synchronus qui fub Caracalla fcripfit, alter infignis Iuris confultus Vlpianus in eodem lib. 50. Digeft. *Sed*, inquit, *& Emifena civitati Phœnices Imperator nofter ius coloniæ dedit, iurifque Italici eam fecit*. Vnum ibi Imperatorem coloniæ Emifenæ auctorem laudat, nempè Antoninum, uti difertè illum vocat Paulus. Ibidem verò Tyro ius coloniæ à Vlpiano dicuntur donaffe *Diuus Severus & Imperator nofter*; ex quibus patet *Imperatoris noftri* nomine folum Caracallam Severi demortui filium ac tunc Orbi Romano imperantem, à Vlpiano defignari. Et rectè. Nam edicta, refcripta, ac leges imperantibus Severo ac Caracalla emiffæ, utriufque nomen in titulis præferebant. Quare cum a Vlpiano ac Paulo unus Caracalla auctor coloniæ Emifenæ dicatur, eadem urbs ab illo poft Severi Augufti mortem, ius coloniæ accepit. Erratum fummi & incomparabilis viri Panvinij in libro de imperio Romano emendandum eft, qui inter viginti colonias in Syria conditas, numerat pag. 867. *Aemefenam* coloniam in Phœnice, & poftea *Mifenam* coloniam, utramque à Caracalla deductam; cum una eademque fuerit colonia Emifena, quam ex depravato codice Panuinius uti diftinctas obtrufit.

§. IV.

EPOCHA TRIPOLITARVM.

Tripolis à tribus Vrbibus condita. Infigne eiufdem Vrbis nauale. Caftoris ac Pollucis cultus in Syria maritima cœptus. Ex nummis Tripolitarum initium Epochæ Seleucidarum figitur in Autumno A. V. Romæ 442.

TRipolis maritima Phœniciæ urbs, eo nomine, tefte Strabone lib. 16. appellata, quòd eft condita à Tyrijs, Sidonijs, & Aradijs, qui mercium causa illic conveniebant. Diodorus Siculus lib. 16. ad annum fecundum Olympiadis CVII. ait: *Celebris in Phœnicia urbs eft Tripolis, confentaneam fibi appellationem habens; tres enim in ipfa urbes continentur ftadii intervallo diremptæ. Vna Aradio-*

rum , altera Sidoniorum , tertia Tyriorum , cognomentum habet . Maximam hac inter omnes Phœnicia civitates dignitatem obtinet ; utpotè in qua Phœnicum Senatus convenire , dequè rebus maximis consilia tractare solet. Dario apud Ipsum ab Alexandro priori prœlio superato, Græci duces transfugæ qui in Persarum castris militabant, Tripolim cum octo millibus militum fugerunt , ibiquè *sumptis navibus recèns in navale subductis* , quibus antea è Lesbo transuecti fuerant , in Cyprum fugerunt , uti narrat Arrianus lib. 2. ac statim Tripolis in Macedonum potestatem venit , Alexandro universam Phœniciam occupante . Eo verò defuncto , Tripolis cum Phœnicia diutiùs Ptolemæis Ægypti regibus paruit , quousquè Antiochus Magnus Phœniciam Ptolemæo Epiphani abstulit , quam postea dotis nomine , Cleopatra filia eidem uxore tradita , restituit , ex Iosepho lib. 12. cap. 3. iterumque eripuit . Ita Tripolis deinceps Seleucidis paruit , donec Antiochi Grypi filijs Syriacum regnum mutuis contentionibus evertentibus, Dionysius tyrannus Tripolim occupavit : quem postea Pompeius urbe in potestatem redacta, securi percussit, ex Iosepho lib. 14. cap. 5. In lib. 2. Maccabæorum initio cap. XIV. dicitur Demetrius Soter Antiochi Magni nepos , cum Roma in Syriam fugisset, *per portum Tripolis ascendisse ad loca opportuna* , qui Antiocho Eupatori regnum vitamque abstulit . Tripolitæ annum Macedonum atque Seleucidarum Epocham servabant , ut eorumdem nummi produnt . Extant bina numismata in Cimelijs Mediceis eiusdem typi , quem hic exhibeo .



Nempè Latinè : *Imperator Cæsar Traianus Hadrianus* ; & in aversa parte : ΤΡΙΠΟΛΕΙΤΩΝ . Η Κ Υ. *Tripolitarum . Anno* CCCCXXVIII. Itaque hic nummus Hadriani scalptus fuit anno Tripolitarum sivè Seleucidarum 428. qui exijt per autumnum A. V. Romæ 870. quo Hadrianus die XI. Augusti Imperator salutatus fuit , qua die , ut ait Spartanus cap. 4. *natalem imperii instituit celebrandum* . Ex hoc numismate superiùs ostendi Epocham Seleucidarum à verno tempore

pore non cœpisse, sed ab autumno; siquidem A. V. 870. mense Augusto, adhuc decurrebat annus Seleucidarùm 428. Rursùs ex eodem nummo extrà dubium ponitur finis imperij ac vitæ Traiani, ac initium principatus Hadriani. Harduinus pag. 507. huncce nummum recitat ex suorum Museo Claramontano, aitque percussum anno *Hadriani secundo*. Errat. Nam dubio procul annus 428. Tripolitarum expletus est anno primo imperij Hadriani; imò cum annus 428. Seleucidarum exitum habuerit circà Octobrem A. V. Romæ 870. ille nummus ante exitum alterius mensis anni primi imperij eiusdem Hadriani percussus fuit. Est in eadem Gaza Medicea alter nummus Hadriani cum epigraphe: ΑΥΤ. ΚΑΙC. ΤΡΑΙΑΝΟC ΑΔΡΙΑΝΟC: *Imperator Cæsar Traianus Hadrianus*; & in postica: ΟΡΘΩCΙΕΩΝ, *Orthosiensium*; ubi Castor ac Pollux hastati, suum uterque equum frœno tenet. Hos autem haud novit Tristanus tom. 1. pag. 412. in nummo Traiani. Orthosias erat urbs Phœnicum maritima. Philo apud Byblum in eadem Phœnice natus, referente Eusebio lib. 1. de præparat. Euang. cap. 7. ex veterum Phœnicum theologia ait: *His temporibus Dioscurorum posteri navigia fabricati, tempestatibusque ad Casium montem deiecti, templum ibi condiderunt*. Græci Dioscuros appellabant, quos Latini Castorem ac Pollucem dixere. Mons Casius erat propè Seleuciam. Ita illorum posteri ad maritima Syriæ delati, Dioscurorum cultum ibidem propagarunt. Polybius lib. 5. Seleuciam describens, laudat ibidem Διοσκούριον, *Fanum Castoris ac Pollucis*. Pacatus in panegyri ad Theodosium: *Nam si olim*, inquit *seueri credidere maiores Castoras geminos, albentibus equis, & stellatis apicibus insignes, pulverem cruoremque Thessalicum aquis Tiberis abluentes, & nuntiasse victoriam &c.* quam nempè Paullus Æmilius de Perseo rege Macedonum reportaverat; quæ etiam Cicero refert lib. 2. de nat. Deorum, Valerius Maximus lib. 1. cap. 9. ac Plutarchus in Paullo. Apuleio lib. 10. describuntur *Castor & Pollux, quorum capita cassides orbatę, stellarum apicibus insignes, contegebant*; quales omninò in laudato nummo exhibentur. Duo enim sidera nautis propitia Castoris ac Pollucis alterna luce fulgentium, nomina tulerunt; unde Horatius lib. 1. Ode 12. ait: *quorum simul alba nautis stella refulsit*. Vrbes quæ rei maritimæ vacabant, Dioscuros, siuè Castorem ac Pollucem peculiari superstitione adorabant. Tripolitarum autem navale, & quidem amplissimum ex laudato lib. 2. Arriani intelligimus, qui scribit eductis tot navibus ex Tripolitarum nauali, quæ octo millibus militum vehendis sufficerent, *reliquas in navali succensas*, ne victor Alexander ijs uti posset. Auctor est Ammianus Marcellinus

lib.

lib. 19. Tertullum Præfectum Vrbi *in difficultate annonę Vrbis Romę Ostiam profectum, atque ibi in æde Castorum sacrificasse*, quo naues frumentariæ secundo vento portum subirent. Extat in eodem Museo Mediceo cum ijsdem Dioscuris Antonini Pij nummus inscriptus: ΑΥΤ. ΚΑΙ. Τ ΑΙΛ ΑΔΡ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟϹ. ϹΕΒ. ΕΥϹ. *Imp. Cæsar. T. Aelius Hadrianus Antoninus Augustus Pius*. Et retrorsùs: ΤΡΙΠΟΛΕΙΤΩΝ. ΕΝΤ. *Tripolitarum. Anno* CDLV. qui inijt ab autumno A. V. Romæ 896. Torquato & Herode Consulibus. Iosephus Magnavacca Bononiensis rei antiquariæ studiosissimus cuius singularis erga me humanitati ac officijs plurimum debeo, suis in scrinijs hunc Elagabali nummum possidet.





Nempè: *Imperator Cæsar M. Aurelius Antoninus*, & in postica: *Tripolitarum. Anno* DXXXIII. Alter etiam nummus visitur in Museo Regis Christianissimi inscriptus: ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝΙΝΟϹ. *Imperator Cæsar Marcus Aurelius Antoninus*; & retrorsùs: ΤΡΙΠΟΛΕΙΤΩΝ cum templo tetrastylo, in cuius medio inter binas figuras ara accensa visitur, & infrà: Α Λ Φ. nempè: *Tripolitarum. Anno quingentesimo trigesimo primo*. Item in eisdem regijs Cimelijs extat alter nummus: ΑΥ. Κ. Μ. ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝΙΝΟϹ; & in altera parte: ΤΡΙΠΟΛΙΤΩΝ. Β Λ Φ. *Tripolitarum. Anno* 532. Vir magni inter Antiquarios nominis cum vidisset unicum tantum nummum signatum Α Λ Φ, putavit aversis literis FLAVIÆ cognomen Tripoli adiectum; in quam præposteram opinionem vir summi ingenij ac eruditionis, neutiquam abijsset, si alios mihi laudatos eius urbis nummos inspexisset; statim enim adnotasset Epocham illic Seleucidarum designari. Hunc errorem prænotavit V. C. Harduinus pag. 506. ubi contra memoratam interpretationem plures producit nummos Tripolitarum, hæc statim scribens initio pag. 507. *Alioqui enim quid fiet nummo alteri eiusdem Elagabali, è Cimelio Regio, quem sic inscriptum vidimus*, ΤΡΙΠΟΛΙΤΩΝ. Ζ Κ Φ. *nisi annum hę litera DXXVII. significent*? Errat, dum putat hunc nummum esse

Elaga-

Elagabali, qui dubio procul est Antonini Caracallæ, quod facilè intellexisset, si ipsum nummum, non autem eius tantùm descriptionem in Indice vidisset. In antica illius parte legitur . . . ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟϹ *Aurelius Antoninus*; ubi Caracallæ facies obducto supercilio, ac genis brevi quidem, sed torta ac implexa barba rigentibus, visitur; cum Elagabali vultus imberbis in nummis appareat, quippè qui teste Dione, anno ætatis XVIII. occisus fuit. Sed etiamsi nummus non inspiciatur, hoc ipsum annus 527. ibidem signatus, apertè prodit. Epocha Seleucidarum cœpit ab autumno A. V. Romæ 442. unde annus eiusdem 527. exijt per autumnum A. V. Romæ 969. Christi 216. Sabino II. & Anulino Consulibus, Caracalla sextum simulquè postremum annum imperij post obitum Severi patris agente. Præterea idem Harduinus exponens eas literas ΑΛΦ, ait easdem indicare annum *æræ Seleucidarum DXXXI. Elagabali tertium*. Itaque anno Seleucidarum 527. nondùm Elagabalus imperabat, si annus Seleucidarum 531. erat tertius imperij Elagabali. At annus Seleucidarum Epochæ 531. cœpit ab autumno A. V. Romæ 972. Christi 219. eodemque secundo principatus Elagabali ante quatuor menses inito.

In altero delineato nummo amici nostri Magnavaccæ legitur: ΤΡΙΠΟΛΕΙΤΩΝ. ΓΛΦ: *Tripolitarum. Anno DXXXIII.* qui annus Seleucidarum cœpit ab autumno A. V. Romæ 974. quo M. Antoninus Elagabalus mense Martio occisus fuit, ipsomet Elagabalo IV. & Alexandro Cæsare Coss. Extat in Vaticana Bibliotheca scalptus in lapidea base Canon Paschalis S. Hippolyti Martyris & Episcopi, cuius Latinè versi initium est: *Anno primo imperii Alexandri Imperatoris facta est* XIV. *Paschalis Idibus Aprilis, Sabbato, &c.* At A. V. 975. à Palilibus, Christi 222. dies Iduum, sivè XIII. Aprilis incidit in Sabbatum, Cyclo Solis VII. Lunæ XIV. lit. F. quo item anno Luna decimaquarta Paschalis sivè Martij fuit eadem die XIII. Aprilis. Vti verò ex nummo Hadriani à Tripolitis obsignato ΗΚΥ, anno Seleucidarum CDXXVIII. ostendimus eamdem Æram non posse retrahi antè autumnum A. V. 442. ita ex hoc altero Antonini Elagabali colligimus ipsammet Epocham non posse differri ad A. V. 443. nam annus abhinc quingentesimus trigesimus tertius in Elagabali nummo obsignatus, cœpisset ab autumno A. V. 975. quo tempore Imperator Alexander Severus, Elagabalo mense Martio occiso, imperabat. Itaque duo isti nummi Tripolitarum Hadriani ac Antonini Elagabali nominibus, atque annis CDXXVIII. ac DXXXIII. Seleucidarum obsignati, horum Epocham celeberrimam figunt in autumno Anni urbis Romæ CCCCXLII. antè vulgarem Christi Epocham 312. CA-

CAPVT III.

EDESSA, AC PALMYRA SELEVCIDARVM EPOCHA VSÆ.

§. I.

Edessa metropolis Osrhoenæ in Mesopotamia. Aristidis locus emendatus. Scirtus fluuius in nummo Edessæ. Abgari diutiùs ibidem regnarunt. Antoninus Caracalla eam urbem, eiecto rege, coloniam fecit. Nunquàm fuit metropolis Phœniciæ ad Libanum. Osrhoena ac Mesopotamia sub Christianis Imperatoribus prouinciæ distinctæ. Edesseni Epocha Seleucidarum usi. Eusebius à V. C. Harduini censura vindicatur. Annus primus imperij Probi demonstratur, ac ordo annorum Bissextilium ex Canone Paschali S. Hippolyti ostenditur, simulquè insignium Scriptorum Fasti emendantur.

EDessa urbs Mesopotamiæ Ptolemæo dicitur, ac postea etiam Socrati lib. 4. cap. 14. & Procopio lib. 2. de bello Persico. Eadem verò Osrhoënæ prouinciæ adscribitur *L. 79. & 105. de Decurionibus* lib. 12. Cod. Theod. Eutropio lib. 8. ubi de Caracalla; & Euagrio lib. 4. cap. 8. laudatur *Edessa urbs Osrhoenorum amplissima ac in primis beata*. Mesopotamia inter Euphratem ac Tigrim regio, unde & nomen accepit, duas in prouincias diuisa fuit, cuius pars quæ ad Occidentem Euphrati prætendebatur, Osrhoëna vel Osdroena dicta fuit; altera quam Tigris terminabat, vetus Mesopotamiæ nomen seruavit. Osrhoënam describit Theodoretus in libro de vitis Patrum in Abramo. Vtraque prouincia in Notitia imperij Orientalis recitatur. Et L. 2. *de præd. & mancip.* lib. 12. Cod. Theod. dicitur *1 in Osdroena specialiter prouincia*. Edessa erat metropolis Osrhoenę; Amida verò Mesopotamiæ, ut postea ostendo. Procopius proximè laudatus, ait: *Edessa verò cum ipsis locis Osrhoena; est enim Osrhoes nomen viri, qui hic regnavit superioribus temporibus, quando hi coloni Persis fœderati erant.* Verùm Dio ac Herodianus, qui Alexandro Severo imperante florebant, Osrhoënos nominant, cum nullus apud Edessam, ut mox patebit, Osrhoes quispiam antè tre-

trecentos ferè annos ibidem regnasse inveniatur, sed illius Phylarchi nomen *Abgari* semper tulerint. Plinius lib. 5. cap. 24. ait Euphratem ultrà Samosata à læva habere Arabiam Merorum, additque: *Arabia supradicta habet oppida, Edessam, quæ quondam Antiochia dicebatur, Callirhoen à fonte nominatam*. Cum fratres Seleucidæ Antiochi Grypi filij Syriacum regnum civilibus bellis everterent, Aretas Arabum rex Cœlē Syriam circa Damascum occupavit; alij verò Arabes duce Abgaro, Edessam ac proxima Mesopotamiæ loca invaserunt, novique ibidem regni initium factum est. Dio lib. 40. describit cladem Romanorum, Crasso duce, à Parthis acceptam, ubi ait: *Maximam autem calamitatis partem Abgarus ipsis Osrhoenus attulit*, quem Romanis sub Pompeio fœdere iunctum dicit. Appiano in Parthicis eadem narranti, dicitur *Acbarus phylarchus Arabum*. Tacitus quoque lib. 12. ait: *Postquam illustres Parthi, rexque Arabum Abbarus aduenerat &c.* Et statim: *Quod spretum fraude Abbari, qui iuvenem ignarum & summam fortunam in luxu ratam, multos per dies attinuit apud oppidum Edessam*. Quare ea pars Mesopotamiæ, quòd ab Arabibus tenebatur, Plinij ac Taciti qui sub Traiano vivebat, ætate Arabia dicebatur.

Appianus in Syriacis inter urbes à Seleuco Nicatore conditas, aut ampliatas, ac de nomine urbium Macedoniæ aut Græciæ nuncupatas, Edessam nominat. Stephanus etiam scribit: *Edessa urbs Syriæ propter aquarum impetum sic vocata ab ea quæ est in Macedonia*. Livius lib. 45. ait à victore Æmilio Macedoniam provinciam factam, ac in quatuor regiones divisam: *Tertia regio*, inquit, *nobiles urbes Edessam, Berhoeam, & Pellam habet*. Edessa ad Erigonum distabat Pella M. P. XXXX. Thessalonica verò M. P. LX. ex Itinerario Hierosolymitano. Aristides Serm. 2. sacrorum ait: *Cum quidem Dessæ ad cataractam decumberem; denique vix centesimo post die quàm domo discesseram, Romam ingredior*. Vbi pro ἐν Δέσσῃ legendum esse Ἐδέσσῃ, quæ urbs erat Macedoniæ, eruditè contra Tristanum ostendit Spanhemius Differt. 2. pag. 89. ubi notat catarractas intelligi tum montium angustias, per quas confragoso impetu flumina præcipitant; tum etiam obices seu claustra, quibus fluuij retinentur, qualia in Italia visuntur Bononia Ferrariam, aut Patavio Venetias navigantibus. Itaque uti Erigonus ingenti aquarum impetu propè Edessam Macedoniæ decurrit; ita cum etiam Scirtus præcipiti ac declivi cursu, eo loci, ubi novam urbem Seleucus condidit, laberetur, eidem nomen Edessæ impositum fuit, ut illa quemadmodum impetu fluuij, ita etiam nomine Macedonicam Edessam repræsentaret. Extant in Cimelijs Mediceis nummi scalpti apud Edes-

ſam, quos inter unus Tiberij ſine laurea cum epigraphe : **ΤΙΒΕΡΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ**, *Tiberius Cæſar Auguſtus* ; ac retrorsùs inſcriptus : **ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΘΕΟΣ ΕΔΕΣΣΕΩΝ**, cum laureato capite Auguſti ; nempè : *Auguſtus Deus Edeſſenſium*. Alter eſt Alexandri Severi, hinc ſignatus : **ΑΥΤ. ΚΑΙ. ΜΑΡ. ΑΥΡ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟC** ; illinc verò : **ΜΗ. ΚΟ. ΕΔΕCCΗΝΩΝ**. In alio etiam viſitur idem Alexander cum matre Iulia Mamæa. Anterior inſcriptio Latinè redditur : *Imperator Cæſar M. Aurelius Alexander* ; & poſterior *Μητροπόλεως κολωνίας Ἐδεσσηνῶν* : *Metropolis colonia Edeſſenorum*. Eo in nummo Edeſſa de more aliarum urbium, capite turrito ſuper monticulos ſedet cum panario ac binis ſtellis. Infrà figura aquis media ſui parte immerſa, eſt fluuius Scirtus, qui Edeſſam alluit. Evagrius lib. 4. cap. 8. narrat Iuſtino ſeniori imperante, Scirtum exundantium aquarum impetu ædificia Edeſſę deieciſſe, ac ingentem incolarum multitudinem ſubmerſiſſe. Addit Cedrenus inventam poſtea lapideam tabulam inſcriptam : *Σκίρτος ποταμὸς σκιρτήσει κακὰ σκιρτήματα πολίταις* : *Scirtus fluuius ſaltabit malas civibus ſaltationes*. Evagrius ait impenſis Iuſtini Edeſſam reſtitutam, ac de reſtauratoris nomine *Iuſtinopolim* nuncupatam ; quod tamen nomen mortuo Iuſtino, Edeſſeni non retinuerunt ; cum in Synodo V. ſub Iuſtiniano illius nepote ac ſucceſſore celebrata, Amazonius *Edeſſæ* Metropolita paſſim nominetur. Hæc de Scirto adnotavi, ut Stephani verba Pinedo interpreti non intellecta, exponerem, ac ne quis in Edeſſæ nummis Euphratem ſcalptum arbitraretur ; ſiquidem Edeſſa ex Strabone lib. 16. pag. 514. ab Euphrate *quatuor ſchœnorum ſpatio* diſtabat; ſchœnus verò ut ex Eratoſthene docet Plinius lib. 12. cap. 14. patet ſtadia XL. *hoc eſt paſſibus quinque millibus*. Et ſanè Fulcherius Carnotenſis, qui cum Balduino Edeſſam perrexit, cap. 6. de geſtis peregrinantium Francorum, ſcribit Edeſſam fuiſſe *trans flumen prædictum Euphratem viginti ferè milliariis*, quæ quatuor ſchœnos, ſivè ducenta ſtadia conficiunt. In Itinerario tamen Antonini pag. 39. Samoſatis Edeſſam numerantur M. P. XII. Samoſata autem regia ſedes regum Commagenes erat oppidum Euphrati impoſitum. Prior tamen diſtantia ex Tavernerio infra laudando colligitur, qui pag. 149. ſcribit Edeſſam unius diei itinere ab Euphrate diſtare.

Edeſſa poſt ruinam regni Seleucidarum, per aliquot ſæcula ſedes Principum fuit, qui in Meſopotamia ad Euphratem anguſtiùs imperitantes, Phylarchi, Dynaſtæ, Toparchæ, ac Reges paſſim apud Scriptores nuncupantur. Ex Dionis lib. 40. Abgarus Oſrhoenus A. V. 690. cum Pompeio fœdus percuſſit, qui poſtea Craſſum ac Romanas legiones Parthis prodidit. Alterius Abgari, impe-

imperante Tiberio, nomen in Ecclesiastica historia celebratur ab Eusebio lib. 1. cap. ult. ac D. Hieronymo in cap. 10. Matthæi. Scriptas ad eundem literas à Christo Domino ex archivis Edessenæ Ecclesiæ Eusebius recitat, quas tamen S. Gelasij, ut vulgo creditur, Synodus inter apocrypha retulit. Tacitus lib. 12. Annalium A. V. 802. imperatore Claudio, meminit Abgari *apud oppidum Edessam* regis; ubi ait: *rexque Arabum Abbarus aduenerat &c.* Ex quibus patet eundem regio titulo decoratum. Dio in excerptis à Leunclavio publicatis, narrat Traianum, cum in Orientem transmisisset, regnum Abgaro seruasse. Capitolinus de vita Antonini Pij cap. 9. ait: *Abgarum regem ex Orientis partibus sola auctoritate deduxit.* Hunc Abgarum uti Christianę religionis cultorem eximiè commendat S. Epiphanius ad Hæresim LVI. ubi scribens Bardesanem in Mesopotamia, patria Edessenum, novę hæresi nomen dedisse, ait: *Abgaro autem Edessenorum principi viro sanctissimo familiaris fuit, & simul auditor eius, & ipsius eruditionis particeps. Durauit post illius obitum usquè ad tempora Antonini, non Pii appellati, sed Veri*; nempè M. Aurelij. Eques Patinus magni inter Antiquarios nominis, pag. 128. indicis thesauri Mauroceni, laudat nummum Septimij Severi retrorsùs inscriptum ΑΒΓΑΡΟΣ ΒΑΣΙΛΕΥΣ: *Abgarus Rex*. Hoc de rege scribit Herodianus lib. 3. in gestis eiusdem Imperatoris Seueri: *Sed & rex Osrhoenorum Abgarus ad eundem transfugit, ac liberos obsides tradens, fidem suam auctorauit &c.* Verùm Seueri filius ac successor Caracalla eundem Abgarum, nullum non genus crudelitatis in principes gentis exercentem, quasi eos ad mores populi Romani transire cogeret, ut ait Dio in excerptis Valesij pag. 747. ad ipsum tamquam ad amicum Imperatorem venientem, *in vincula conieci:, & Osrhoenem rege destitutam, cepit.* Quo verò Edessenos regia sede vetustaque suorum principum familia privatos, sibi conciliaret, Edessam coloniam fecit, uti ex eiusdem nummo apud Harduinum pag. 144. intelligimus; imò Caracalla apud Edessam anno postremo vitæ ac imperij hiemauit. Spartianus cap. 6. de vita eiusdem: *Deinde*, inquit, *quum iterum vellet Parthis bellum inferre, atque hibernaret Edessa &c.* Quamuis verò eidem Abgaro, siuè eius filijs avitum postea regnum restitutum fuerit, Edessa tamen utpotè Romanorum colonia, eorumdem iurisdictioni exempta est. Extat in Musæo Mediceo Gordiani iunioris radiato capite, nummus primę, ut aiunt, magnitudinis, cum epigraphę: ΑΥΤΟΚ. Κ. Μ. ΑΝΤ. ΓΟΡΔΙΑΝΟϹ ϹΕΒ. *Imperator Cæsar Marcus Antonius Gordianus Augustus*. In alterà nummi parte legitur: ΑΥΤΟΚ. ΓΟΡΔΙΑΝΟϹ. ΑΒΓΑΡΟϹ ΒΑϹΙΛΕΥϹ: *Imperator Gordianus: Abgarus Rex*.

Gordianus capite laureato, sellam curulem in substructione insidet, Abgarus verò cum tiara in capite, stans dexteram super capulum acinacis tenet.

Christianis postea Augustis imperantibus, Edessa euasit metropolis ciuilis atque Ecclesiastica prouinciȩ Osrhoenȩ. Errat planè Harduinus pag. 145. dum exponens nummum Alexandri Seueri, in quo legitur ΜΗΤΡΟ. ΚΟΛ. ΕΔΕΣΣΗΝΩΝ: *Metropoleos coloniæ Edessenorum*, ait: *Fuit Edessa Metropolis Phœniciæ ad Libanum sita: ex Notitia veteri pag. 61. in qua legitur: Prouincia Phœnices. Edessa metropolis... Damascus... &c.* Et superiùs pag. 132. scribit Damascum metropoleos titulo donatam, addens: *nec mediterraneȩ modò* Phœniciȩ, *ut loquitur Hieronymus quæst. X. in Genes. (quanquam id veriùs Edessæ decus fuit, vt suo loco dicemus) sed & Syriæ totius Metropolis credita.* In primis falsum est Hieronymum in illa quæst. 10. in Gen. vocare Damascum *mediterranea Phœniciæ* metropolim. Hæc Harduinus exscripsit ex insignis Scriptoris volumine pag. 878. ubi eadem verba Hieronymi appellat ex illa quæst. 10. quo loci planè non leguntur; sed hæc tantùm in cap. 10. Genes. *Aram, à qua Syri, quorum metropolis est Damascus.* Ceterùm nisi in Romana & Ecclesiastica historia hospes ignorare potest prioribus sex à natali Christi sæculis, Edessam ad prouinciam Phœniciæ non spectasse, sed ad Mesopotamiam, cuius metropolis fuit sub Christianis principibus, antequàm ea prouincia in duas diuideretur. Ptolemæus disertè Edessam in Mesopotamia statuit, uti alij Scriptores superius mihi laudati. In Synodo Nicæna Ætholaus Edessenus primus inter Episcopos Mesopotamiȩ subscriptus legitur, ubi Magnus Damascenus inter Tyri suffraganeos numeratur. In Synodo Antiochena A. 341. legitur: *Prouinciæ Mesopotamiæ. Aetherius Edessenus.* In hac verò Synodo subscripti Episcopi, ad Nicænam videntur deportati. Hoc mihi tamen satis est, Edessenum Metropolitam Mesopotamiȩ exhiberi. Post Constantium Augustum Osrhoena prouincia distingui cœpit à Mesopotamia cum antea huius pars censeretur. In lib. 12. Cod. Theod. extat Lex 79. *de decurion.* à Valente Imperatore emissa anno Christi 375. ubi ait: *Quicunque per Osdroenam Primipilarium*, plures filios habuerit, unum *pro amore patriæ Aedesiæ curiæ tradat obsequiis &c.* Eadem lex inserta est codici Iustin. lib. 12. L. 5. *de cohortalibus*, ac *Aedesenæ curiæ* legitur; at *Edessenæ* vtrobique reponendum est. Ex quibus colligimus Osrhoenam specialem prouinciam id temporis fuisse, ac curiam Edessæ tanquam Metropolis ibidem laudari. Hinc in Synodo I. Constantinopolitana anno Christi 381. in subscriptionibus legitur: *Prouinciæ Osdroenæ*

næ. *Eulogius Edessenus* primo loco antè alios uti metropolita nominatus; & proximè: *Prouincia Mesopotamia*. *Mareas Amidensis &c.* In epistolis Episcoporum post Concilium Ephesinum scriptis, quas è veteri codice profundę eruditionis vir Christianus Lupus euulgauit, cap. 13. leguntur *Rabbulas Episcopus Edessæ metropolitanus*, & *Asterius Episcopus Amidæ metropolitanus*, qui cap. 7. dicitur *Episcopus Amidæ Mesopotamiæ*. In Synodo Calchedonensi Act. 6. circa finem subscriptionum, *Simeonius Episcopus Amidæ metropolis* subscribit pro absentibus quos nominat, Episcopis Mesopotamię; & Act. IX. & X. prolixiùs discutitur causa Ibæ metropolitę Edesseni in Osrhoena prouincia. In gestis post Synodum Calchedonensem recitantur literę Leonis Augusti ad Patriarchas ac Metropolitas missæ, & hos inter legitur: *Ibæ Episcopo Edessę Osrhoenę*, & *Simeoni Episcopo Amidæ Mesopotamię*. Et postea in rescriptis Episcoporum ad eundem Imperatorem, legitur num. 35. Epistola sub titulo: *Episcoporum prouincię Osrhoenę*, quam primo loco suscribit *Nonnus Episcopus Edessenę metropolis*. Extat in laudata collectione à V. C. Lupo edita cap. 197. epistola Ioannis Patriarchę Antiocheni ad S. Proclum, in qua Orientalis suæ diœceseos prouincias enumerat. Ibi verò ait Episcopos *ex secunda Phœnicia venientes* ordinasse *Theodorum* Episcopum, nempè Damasci, *illum dico*, inquit, *qui est à secunda cathedra*. Quòd Metropolita Tyri erat protothronus Diœceseos Orientalis, cui proximus erat Episcopus Damasci Metropolita Phœniciæ secundę seu ad Libanum. Addit postea Ioannes: *Mesopotamia, Osrhoena, & Euphratesia, & Syria secunda, omnia quæ fecimus, unanimiter vindicarunt*. In Synodo autem Calchedonensi Act. VI. circa finem subscriptionum, legitur: *Theodorus Episcopus Metropolis Damasci & pro religiosissimis Episcopis sub me constitutis*, *Ioanne ciuitatis Palmyrę*; aliosque ibidem nominat Episcopos Phœnicię secundę seu ad Libanum. Hic ille est Theodorus quem à secundę Phœnicię Episcopis uti suum Metropolitam ordinatum scribit laudatus Patriarcha Antiochenus; idemque sub Domno interfuit Synodo Antiochenę insertę Act. XIV. Calchedonensi in causa Athanasij Episcopi Perrhenorum. Denique in Synodo V. coacta A. 553. nominantur Amazonius Episcopus *Edessenorum metropolitanę ciuitatis*, & postea Eustachius Episcopus *Damasci metropolitanę ciuitatis*; ille in Osrhoena; hic in Phœnicia ad Libanum. Et in eadem Synodo Collatione VI. Theodorus Cæsareę in Cappadocia metropolita cum alijs ait Ibam non fuisse vocatum ad Synodum Calchedonensem, *sed Nonnus*, inquiunt, *in Sancta Synodo consedit ut Edessenę Ecclesię Episcopus, qui etiam postea cum sua Osrhoena Synodo ad Leonem piæ recordationis*

cordationis &c. scribens, *pars fuit eorum qui encyclicas epistolas scripserunt*. Hanc Nonni ac Osrhoenę Synodi epistolam proximè laudabam. Ex his locupletissimè refellitur Harduinus qui Edessam fingit metropolim Phœnicię ad Libanum, cum Damascus fuerit huiusce prouincię metropolis; Edessa verò prouincię Osrhoenę, seu Mesopotamię ad Euphratem, quo inferior pars Osrhoenę à Phœnicia Libani diuidebatur. Quòd verò appellat Notitiam Ecclesiarum, in qua pag. 61. Edessa statuitur metropolis Phœnicię ad Libanum; errorem illuc Edessæ deportatę discere poterat ex pag. 59. eiusdem Notitię, ubi legitur: ἐπαρχία Ὀσρολωῆς. Ἔδεσσα μητρόπολις: *Prouincia Osrhoenę. Edessa metropolis*. Quare perperam eadem urbs iterùm inferiùs ponitur metropolis Phœnicię ad Libanum. Edessa ob Christianę religionis cultum maximè celebratur. Theodoreto qui non longiùs inde apud Cyrrhum floruit, in lib. de vitis Patrum in Aphrate dicitur *ciuitas maxima*, *& populo frequentissima*, *& quæ pietate insigniter exornatur*. Et lib. 4. Hist. Eccles. pluribus describit inuictam Edessorum constantiam in Catholica religione aduersùs Valentem Arrianum Imperatorem defendenda; ubi Barsam, & Eulogium eius urbis Episcopos eximiè commendat cap. 15. & 16. Cum verò Saraceni Orientalis imperij prouincias occupassent, ac duce Iaddo anno XXIX. Heraclij Imperatoris Edessam cepissent, una hæc Orientalium urbs, licèt tributum barbaris in proximo rerum potientibus solueret, Christianam tamen religionem sartam tectam seruauit. Guillelmus Tyrius lib. 4. cap. 2. de Edessa scribit: *Hæc enim sola inter omnes illius regionis urbes*, *in sua manens integritate illibata*, *ab infidelibus*, *qui circumpositas occupauerant prouincias*, *nec subiugata fuerat*, *nec alterius professionis quempiam pertulerat habitatorem*. Hinc cum Christianorum exercitus ad Hierosolyma recuperanda, ex Cilicia mouisset, Edesseni in urbem Balduinum Comitem acciuerunt, eidem semet tradentes, unde passim Comites Edesseni in Historia Hierosolymitana laudantur.

Epocha Edessenorum in nullis eorundem nummis hactenùs obseruatis, apparet. At Eusebius semel & iterùm annos Edessenorum memorat. Nam in Chronico ad annum primum Olympiadis CXVII. ait: *Ab hoc loco Edesseni sua tempora computant*. Et rursùs ad annum primum Olympiadis CCLXIV. annus secundus imperij Probi dicitur eidem *iuxtà Edessenos quingentesimus octogesimus octauus*. Idem in fine lib. 1. Histor. Eccles. ex tabulis Ecclesię Edessenę recitat acta Thaddæi unius è septuaginta discipulis Domini cum Abgaro regę Edessę, ubi in fine legitur: *Acta sunt hæc anno quadragesimo ac trecentesimo*; vti numeros ex optimis MSS. eruditissimus

mus Valesius restituit. Ioannes Harduinus in laudato volumine de nummis Vrbium illustratis pag. 145. cum prænotasset nullam Epocham in nummis Edessenorum legi, ait: *Fuit eorum tamen æra peculiaris, quam hic obiter indicare operæ pretium fuerit, simulque errorem unum notare Eusebii, alterumque Scaligeri, quos adhuc nemo deprehendit*. Itaque scribit hæc in Cronico Eusebij recitari ad annum primum Olympiadis CCLXIV. *Secundo anno Probi, iuxtà Antiochenos CCCXXV. &c. iuxtà Edessenos DLXXXVIII.* Ex quibus hæc infert Harduinus: *Aera itaque Edessenorum caput cœpisse oportuit anno tertio Olympiadis CXVII. biennio post Seleucidarum Aeram, quæ primo eiusdem Olympiadis anno incepit, urbis Romæ CCCCXLII. Nam si statuatur annus primus Edessenorum æræ is qui Romæ fuit CCCCXLIV. planè annus eiusdem æræ 588. incidet in annum Vrbis Romæ MXXXI. qui Probi secundus*. Hinc infert Æram Edessenorum non fuisse Epocham Seleucidarum, ut Scaligero visum, cum *biennio toto*, inquit ille, subsequatur. Dein ait Eusebium omnia miscuisse, qui anno uno eodemque nempè primo Olympiadis CXIX. sex oppida refert condita à Seleuco, Antiochiam, Laodiceam, Seleuciam, &c. qui cum teste Appiano in Syriacis, plurimas præter illas sex, urbes condiderit, *cur*, inquit, *de ceteris silet? ac de Edessa præsertim, quam constat annos æræ suæ numerasse iam ab anno CXVII. Olympiadis tertio: atque adeo iam tum fuisse conditam?* Hæc Harduinus, in quibus non uno errore decipitur. Æra Edessenorum fuit eadem ac Seleucidarum. Nam hæc ut rectè cum ceteris notat idem Harduinus, cœpit A. V. Romæ 442. qui fuit primus Olympiadis CXVII. Iam verò hac ipsa Olympiade quæ eo A. V. 442. inchoabatur, inclusa, numera exactas Olympiadas CXLVII. eris ad initium Olympiadis CCLXIV. Olympiades CXLVII. exactæ, dant annos DLXXXVIII. Itaque non Scaliger, sed ipsemet Eusebius, quod Harduinus non obseruavit, disertè Epocham Edessenorum cum Æra Seleucidarum componit, cum illam init ab anno primo Olympiadis CXVII. ac postea optimè etiam annum Edessenorum 588. comparat cum primo Olympiadis CCLXIV. Erratū ergo Harduino in calculis subducendis, qui cum annum Edessenorum 588. cum Eusebio copulet cum primo Olympiadis CCLXIV. ait: *Aeræ itaque Edessenorum caput cœpisse oportuit anno tertio Olympiadis CXVII. biennio post Seleucidarum æram*. Nam cum anni 588. dent, uti dicebam, Olympiadas integras CXLVII. ab anno primo Olympiadis CCLXIV. retrocedentes per annos 588. deueniemus ad annum primum Olympiadis CXVII. non autem tertium, uti ille Scriptor computat. Quare Scaliger à nemine nisi errando, potest ea in re erroris insimulari.

Præterea

Præterea labitur Harduinus, dum annum urbis Romæ MXXXI. componit cum anno secundo imperij Probi. Cum Eusebius cum eodem anno secundo Probi plurium urbium Syriæ annos & quidem varios iungat, ac in annis Probi Baronius ac Panuinius, alijque præstantissimi Scriptores erraverint, res diligentiùs mihi retractanda est, quam olim in dissert. de votis Decennalibus cap. 6. exposui. Eusebij verba sunt ad annum primum Olympiadis 264. *Secundo anno Probi, iuxtà Antiochenos trecentesimus vicesimus quintus annus fuit: iuxtà Tyrios quadringentesimus secundus: iuxtà Laodicenos trecentesimus vigesimus quartus: iuxtà Edessenos quingentesimus octogesimus octauus: iuxtà Ascalonitas trecentesimus octogesimus, insana Manichæorum hæresis in commune humani generis malum exorta*. Baronius sub finem anni 280. recitatis ijsdem Eusebij verbis ait, quòd ea chronographia ab alijs aliter describitur, *textus*, inquit, *sinceritas arguitur deprauata*. Scaliger verò lib. 5. de emend. Temp. pag. 463. ait annum secundum Probi congruere cum anno tertio Olympiadis CCLXIV. Christi 279. ac Iuliano 324. At ex nummis laudatarum Eusebio urbium, suo inferiùs loco rectam eandem chronographiam demonstrabo. Interim hic initium imperij Probi eiusquè annus secundus demonstrandus est. Sanctus Leo Magnus serm. 12. de Pentec. tradit Manichæorum hæresim innotuisse *Probo Imperatore Paulinoque Consulibus*. Itaque annus secundus Probi Consules habuit ipsummet Probum Augustum & Paulinum. Panuinius in Fastis ait memoratos Consules non fuisse ordinarios, sed suffectos A. V. 1029. Christi 277. Baronius ad annum Christi 277. ponit eos Consules ordinarios quidem, sed adhuc Aureliano imperante; ubi notat Probum collegam Paulini vocatū fuisse à Leone laudato Imperatorem, *quòd postea creatus fuerit Imperator, non quòd tunc esset*. Vtriusque sententiam confutaui. Nam lib. 8. Cod. tit. 56. *de reuocan. donat. L.* 2. in titulo legitur: *Imperator Probus Augustus Felici*; quæ lex dicitur: *Proposita III. Nonas Maii, Probo & Paulino Coss.* Cum verò ab imperio Septimij Seueri in rescriptis Augustorum soli Consules ordinarij signati legantur, patet eo anno Probum fuisse tum Imperatorem, tum etiam Consulem ordinarium. Extat Inscriptio apud Sponium veterum monumentorum diligentissimum scrutatorem, sect. 2. Miscellan. art. 10. pag. 51. in cuius latere legitur:

DED.

DED. III. NON

IVL. D. N

M. AVR. PROBO

AVG. ET M

AVR. PAVLI

NO . COSS.

Itaque Probus unà ſimul eodem anno erat Auguſtus & Conſul, collegam habens M. Aurelium Paulinum . In Cimelijs Illuſtriſſimi Comitis Mediobarbi Mediolani ſeruatur nummus, quem idem Dominus officioſiſſimus, per tabellarium ad me Florentiam tranſmiſit, cum epigraphe : IMP. PROBVS AVG. CONS. I. & in poſtica: VIRTVS AVG. P. XXI. cum Marte gradiuo, dextra pilum, ſiniſtra ſpolia tenente . Probus Imperator priorem conſulatum cum Paulino geſſit ; alterum verò anno proximo , collega Lupo , vt ex Faſtis optimis intelligitur . Imò extat lib. 2. Cod. L. 1. *vt nemini*, reſcriptum Probi Auguſti ad Octauium, quod ſignatur : *Dat. IV. Kal. Iulias, Probo Aug. II. & Lupo Coſſ.* Hos Conſules Baronius ad A. Chriſti 279. & 280. minùs rectè ſuſfectos putat . Ægidius Bucherius in comm. ad Canonem Paſchalem Victorij , recitat è vetuſto codice fragmentum veterum Faſtorum , in quo ſingulis collegijs Conſulum additur notatio feriæ quæ ijſdem Conſulibus in Kalendas Ianuarij incidebat : ac præterea anni biſſextiles litera B deſignantur . Itaque pag. 249. hi laterculi Conſulares recitantur .

Tacito II. & Æmiliano	B.	Sat.	XXVIII.
Probo & Paulino		Lun.	VIIII.
Probo II. & Lupo		Mar.	XX.
Probo III. & Paterno		Mer.	I.
Meſſala & Grato	B.	Iou.	XII.

N Probo

Probo IV. & Tiberiano		Sat. XXIII.
Probo V. & Victorino		Sol. IV.
Caro & Carino		Lun. XV.
Carino II. & Numeriano	B.	Mar. XXV.
Diocletiano II. & Aristobulo		Iou. VII.

Eadem collegia Consulum pari ordine disposita, leguntur in libello de Præfectis Vrbi, ac apud Anonymum in Fastis à Cuspiniano illustratis, in Fastis Idacij, Prosperi, Victorij, Cassiodori, &c. vt à nemine in dubium revocari possint. Porrò ex laudatis laterculis intelligimus annum, qui præcessit consulatum Probi Augusti & Paulini, fuisse Bissextilem, eiusque Kal. Ian. in diem Saturni incidisse; proximas verò Kalendas Ianuarias anni insequentis contigisse die Lunæ. Hi certissimi characteres designant annos Epochæ vulgaris Christi 276. & 277. circa quos tantùm imperium Probi inchoari potuit; siquidem extat vetus Inscriptio, quam recitaui cap. 6. Dissert. de votis X. & postea etiam publicata legitur apud Reinesium.

IMP. CÆSARI. M

AVRELIO. PROBO

PIO. FEL. INVICTO

AVG. P. M. TRIB. POTES

TATIS .VI. COS. IIII. RES

PVBLICA TVCCITANORVM

DEVOTA NVMINI. MAIES

TATIQVE. EIVS. &c.

Probus Augustus collega Tiberiano, consul IV. processit Kalendis Ianuarijs, quæ inciderunt in diem Saturni. Fuit hic annus ab Vrbe

be condita à parilibus MXXXIV. Christi 281. quo Kalendæ Ianuariæ fuerunt Sabbato, Cyclo Solis X. lit. B. Cum eo anno Probus dicatur TRIB. POTESTATIS VI. idem anno Christi 276. Tribuniciam Potestatem primùm accepit una cum ceteris delati imperij titulis, & quidem circa Aprilem, vt aliàs demonstrabo. Quare ea Inscriptio dedicata fuit anno Christi 281. quo Probus ab Aprili erat TRIB. POTEST. VI. ac à Kal. Ianuarijs Consul IV. Prætereа extat in Vaticana Bibliotheca Canon Paschalis S. Hippolyti Martyris in lapidea base sculptus, vbi dies Lunæ XIV. Paschalis, ac solemnes etiam dies Resurrectionis Dominicæ designantur. In titulo hæc leguntur: ΕΤΕΙ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΤΩ Α. ΑΡΧΗ ΑΙ ΚΥΡΙΑΚΑΙ ΤΟΥ ΠΑΣΧΑ ΚΑΤΑ ΕΤΟΣ. ΑΙ ΔΕ ΠΑΡΑΚΕΝΤΗΣΕΙΣ ΔΗΛΟΥΣΙ ΤΗΝ ΔΙΣ ΠΡΟ ΕΞ. Id est: *Anno primo Alexandri Cæsaris. Initium. Dominicæ Paschales secundùm annos; punctiones verò significant bis sextum*. Scalptor hasce punctiones, siuè notas ad latera annos bissextiles designantes, in tabula Dominicarum Paschalium omisit, quas tamen in altera tabella Lunarum XIV. Paschalium, licèt non semper, adposuit. Ita enim Gruteri pag. CXL. disponuntur: *Anno primo Alexandri Imperatoris facta est decima quarta Paschalis Idibus Aprilis, Sabbato, cum mensis embolimaus fuisset. Sequentibus annis contingent, sicut in tabula subiectum est &c.*

A. C.

222. EM. ΕΙΔΟΙΣ ΑΠΡΕΙ. *Idibus Aprilis.*

223. ΠΡΟ Δ. ΝΩ. ΑΠΡΕΙ. *Ante IV. Non. Aprilis.*

224. SS ΠΡΟ ΙΒ. ΠΡΟ ΙΑ. ΚΑ. ΑΠΡΕΙ. *Ante XII. Ante XI. Kal. Aprilis.*

Illæ literæ EM significant eum mensem fuisse Embolimum siuè intercalarem. Binæ verò literæ Latinæ SS denotant illum annum fuisse bissextilem; siquidem litera Latina S maior apud Græcos numerum sextum exprimebat, ut ex nummis Dissert. 3. cap. 8. §. 1. ostendam. Hinc duplex SS *bis sextum* indicat. In altera autem parte memoratæ tabulæ, cuius Inscriptio legitur Gruteri pagina 141. recitantur Dominicæ Paschales in Hippolyti Heckędecaeteride occurrentes; videlicèt:

222. ΠΡΟ ΙΑ. ΚΑ. ΜΑΙ. ΚΥ. *Ante XI. Kal. Maii*, *Dominica*.

223. ΠΡΟ Η. ΕΙ. ΑΠΡ. ΚΥ. *Ante VIII. Id. Aprilis*, *Dominica*.

224. ΠΡΟ Ε. ΚΑ. ΑΠΡ. ΚΥ. *Ante V. Kal. Aprilis*, *Dominica*.

225. ΠΡΟ ΙΕ. ΚΑ. ΜΑΙ. ΚΥ. *Ante XV. Kal. Maii*, *Dominica*.

Ad latus tertij verſus ΠΡΟ Ε ΚΑλανδῶν ΑΠΡειλίων : ΚΥριακῆ : *Ante diem V. Kalendas Aprilis*, *Dominica*, ſcalptor omiſit notas SS, quibus annus Æræ vulgaris Chriſti 224. biſſextilis in autographo Hippolyti exprimebatur. Ex hoc veró præclariſſimo monumento Eccleſiaſtici Annales Baronij ac Faſti Panuinij emendantur, annuſque primus imperij Probi Auguſti demonſtratur. Hippolytus tum ſuperſtes, teſtatur anno primo imperij Alexandri Seueri Lunam XIV. Paſchalem contigiſſe *Idibus Aprilis Sabbato*. Fuit hic A. V. à parilibus 975. Epochæ vulgaris Chriſti 222. quo dies Iduum Aprilis fuit Sabbatum, Cyclo Lunæ XIV. Solis VII. lit. F. Anno ſequenti ſtatuit Lunam XIV. ante diem IV. Nonas Aprilis. Dein annum proximè ſequentem notat literis SS, quibus annus Chriſti 224. deſignatur *Biſſextilis*. Hæ notæ biſſextilis anni in laterculo Dominicarum Paſchalium, vti dicebam, omiſſæ ſunt; ſed ex die Dominica affixa V. Kal. Aprilis, annus biſſextilis apparet. Nam anno ſuperiori dies VIII. Idus Aprilis ponitur Dominica, vti reapſe contigit anno Chriſti 223. Cyclo Solis VIII. lit. E. ac proinde eo anno dies V. Kal. Aprilis fuit dies Veneris, ſeu feria VI. Quare cum anno ſequenti ex Hippolyto dies V. Kal. Aprilis inciderit in ipſam Dominicam Reſurrectionis, annus ille fuit Biſſextilis, Cyclo Lunæ XVI. Solis IX. litt. DC. qui fuit V. C. 977. Chriſti 224. Iuliano II. & Criſpino Coſſ. Ammianus Marcellinus lib. 26. de Valentiniano I. recèns ad imperium euecto ſcribit: *Nec videri die ſecundo, nec prodire in medium voluit*, *Biſſextum vitans Februarii menſis tunc illuceſcens*. Fuit hic annus Chriſti 364. Iouiano & Varroniano Coſſ. Illa Ammiani verba cum Panuinius pranotaſſet, ſcribit lib. 3. Faſt. ad A. V. 1116. *Hic annus tanquàm fixus maximuſque clauus & index totius meæ huius annorum digeſtionis eſt*. Quæ itidem ait Baronius in additis ad Apparatum in calce Tom. X. priorum editionum. Verùm neuter inſignis Scriptor memoratum canonem Hippolyti obſeruauit; cum tamen Romæ inuentus fuerit anno Chriſti 1551. & à Marcello Ceruino Cardinali, qui poſtea fuit Marcellus II. oſtenſus potius, quàm datus Pontifex Maximus, in Vaticanam Bibliothecam translatus eſt. Hacte-

Hactenùs demonſtratum eſt A. V. 977. Chriſti 224. fuiſſe biſſextilem. Quare biſſextilis ab hoc decimus tertius fuit annus Vrbis 1029. Chriſti 276. Tredecim enim Biſſextiles exacti dant annos 52. Itaque annus quo Probus imperium accepit Tacito II. & Æmiliano Coſſ. fuit biſſextilis, quo charactere in laudatis Faſtis Anonymi apud Bucherium illud collegium Conſulum notatur. Rursùs ab anno Chriſti 276. numerato biſſextiles duos ac viginti, qui dant annos LXXXVIII. eris ad annum Chriſti 364. teſte Ammiano, itidem biſſextilem. Deniquè ab A. V. 977. Chriſti 224. biſſextili, qui ex Hippolyti canone fuit à Martio tertius annus imperij Alexandri Seueri, Iuliano II. & Criſpino Coſſ. collige exactos biſſextiles XXXV. qui faciunt annos 140. deuenies ad VI. Kal. Martias A. V. à parilibus 1117. Chriſti 364. Iouiano & Varroniano Coſſ. quo anno biſſextili Valentinianus imperium accepit. Panuinius in Faſtis ac Chronico Eccleſiaſtico annum tertium imperij Alexandri vocat V. C. 977. Chriſti 225. Errat in annis Chriſti, quòd vulgarem Epocham uno anno præuertit. Rursùs annum ſecundum Probi ponit cœptum A. V. 1030. Chriſti 278. Probo Auguſto II. & Lupo Coſſ. qui reapſe fuit Chriſti 277. Probo Aug. & Paulino Coſſ. quos ille Conſules ſuffectos perperàm arbitratus, vnius anni iacturam facit, vt pluribus cap. 6. citatæ Differt. oſtendi. Baronius annum ſecundum imperij Probi appellat Chriſti 280. hiſce verbis narrationem rerum eo anno geſtarum auſpicatus: *Chriſti anno ducenteſimo octogeſimo, quo Probus Imperii primo abſoluto, annum ſecundum auſpicatur &c.* in quibus triennij metachroniſmum peccat. Scaliger lib. 5. de emend. temp. pag. 463. ait: *Annus ſecundus Probi Imperatoris congruit anno tertio Olympiadis CCLXIV. ducenteſimo ſeptuageſimo nono Chriſti.* Eſt biennij error. Nam congruit anno primo Olympiadis 264. ac Chriſti 277. Ita in annis imperij Probi diſponendis, ſummi viri à vera Chronologia exorbitarunt. Ceterùm ad exponendas epochas ab Euſebio cum anno ſecundo Probi copulatas, initium imperij eiuſdem anno Chriſti biſſextili 276. V. C. 1029. ac tertio vſquè ad Solſtitium Olympiadis 263. affigendum oſtendi, vt ea quæ de eiſdem Epochis ſuo inferiùs mihi loco dicenda ſunt, faciliùs intelligantur, ſitque ſecundus annus Probi index certiſſimus, quo initium Ærarum plurium vrbium Syriæ demonſtrabitur. Ex his patet error etiam V. C. Harduini, qui annum Edeſſenorum 588. ait *incidere in A. V. 1031. qui Probi ſecundus*; cum annus eorumdem fuerit Epochæ Seleucidarum, idemque initus ab autumno anno Vrbis 1029. Chriſti 276. & ab Aprili poſtea ſequenti cum A. V. 1030. ac ſecundo imperij Probi defluxerit, vt Euſebius in Chronico ſcripſit.

Addit

Addit idem Harduinus pag. 146. constare Edessam *annos æra sua numerasse iam ab anno CXVII. Olympiadis tertio: atque adeo iam tum fuisse conditam*; vbi etiam arguit erroris Eusebium qui Antiochiam, Laodiceam, Seleuciam, aliasque in Syria vrbes scribit conditas à Seleuco anno primo Olympiadis CXIX. Hæc mihi superiùs cap. 1. confutata sunt. Nam Æra Seleucidarum neutiquàm inijt à regno Seleuci in Syria, sed apud Babylonem anno primo Olympiadis CXVII. inchoato, quo quidem anno Antigonus in Syria regnabat, quæ anno postea vndecimo, nempè IV. Olympiadis CXIX. vrbis Romæ 453. victo, & occiso à regibus fœderatis Antigono, in Seleuci Nicatoris regni partem venit. Hæc quamuis laudato loco exposuerim, addam regium testimonium. Nam Antiochus Epiphanes ipsius Seleuci Nicatoris adnepos, Græcorum legatis apud Polybium Legat. 82. respondit: *Antigonum primùm à quo regnum Syriæ conditum, ea loca imperio suo tenuisse; proferre deinde in medium instrumenta concessionis post mortem Antigoni Seleuco à Macedonicis Regibus factæ: secundùm ista Antiochum patrem bello nouissimo Cœlé Syriam recepisse*. Itaque in diuisione regni occisi Antigoni, à victoribus regibus Macedonicis factæ, Seleuco Syria obtigit A. V. Romæ 453. ante Christi Æram 301. Cum verò Edessa Appiano numeretur inter vrbes à Seleuco conditas, aut certè instauratas, ac vrbium Macedoniç aut Greciç nominibus insignitas, errat manifestè Harduinus putans Edessam anno tertio Olympiadis CXVII. Vrbis Romæ 444. iam conditam, aut auctam, de nomine Edessæ ad Erigonum in Macedonia nuncupatam fuisse. Porrò vrbes Syriæ Appiano memoratæ, quamuis non omnes vno eodemque anno conditæ fuerint, eadem tamen Æra omnes vtebantur, quæ ab anno primo regni Babylonici Seleuci ipsarum conditoris initium trahebat, vt abundè cap. 1. ostendi. Ex hactenùs demonstratis patet Epocham Edessenorum fuisse Æram Seleucidarum, cuius anni ab autumno inibant. Scio Scaligerum lib. 5. de emend. Temp. eadem pag. 463. scribere Edessenos à Ianuario Romanorum annos suos inchoasse, quod cum pro arbitrio sine vllo teste affirmet, communi Syrorum ab autumno annum auspicantium consuetudine ac exemplo refellitur. Tauernerius tom. 1. Itiner. lib. 2. à pag. 150. scribit Edessam nunc *Ourfam* appellari, quæ primaria vrbs est Mesopotamiç, quæ à Turcis dicitur *Diarbek*; vbi plura de eadem vrbe recitat.

§. II.

§. II.

Palmyra à rege Salomone condita. Eiusdem situs describitur ex Plinio, ac Iosepho. Fuit colonia Romanorum ac patria Odenati Augusti. Eadem ab Imperatore Aureliano expugnata; Ab Iustiniano Augusto restauratur, ac munitur. Eadem olim dicta Hadriana *ex vetusta Inscriptione. Epocha Seleucidarum ac menses Macedonum ibidem frequentati. Itidem & apud vrbem Cyrrhum, de qua nonnulla subnotantur.*

PAlmyra regum sapientissimum eumdémque ditissimum Salomonem auctorem habuit, qui 3. Reg. cap. IX. 18. dicitur ædificasse *Palmyram in terra solitudinis*. Hieronymus in cap. 47. Ezechielis, exponens verba prophetæ: *Plaga autem Australis meridiana à Thamar &c.* ait: *Thamar, quæ vrbs in solitudine est, quam & Salomon miris operibus extruxit, & Palmyra hodie nuncupatur*. Idem tradit Iosephus lib. 8. cap. 2. vbi *vrbem maximam* à Salomone conditam vocat, quam tradit distasse à superiore Syria duorum dierum itinere, vnius verò ab Euphrate, Plinio eleganter eius vrbis situs describitur lib. 5. cap. 25. *Palmyra*, inquit, *vrbs nobilis situ, diuitiis soli & aquis amœnis, vasta vndique ambitu arenis includit agros, & velut terris exempta à rerum natura, priuata sorte inter imperia summa Romanorum Parthorumque, & prima in discordia semper vtrinque cura*. Hinc quòd in confinijs vtriusque imperij erat, cum dubię fidei ab Antonio Triumuiro Palmyreni incusarentur, equites ad eorum vrbem diripiendam submisit, quam tamen vacuam inuenerunt, eisdem cum facultatibus trans Euphratem fuga elapsis, vti scribit Appianus lib. 5. bel. ciuil. Auctor est Stephanus Palmyram ab Hadriano restauratam, Hadrianopolis nomen alterum tulisse. Et quidem de Hadriano scribit cap. 20. Spartianus: *Multas ciuitates* Hadrianopolis *appellauit*. Vlpianus *lib. 50. Digest.* L. 1. *de censibus* num. 5. Palmyram coloniam factam scribit: *Est & Palmyrena*, inquit, *ciuitas in prouincia Phœnice propè barbaras gentes & nationes collocata*. Hanc præ ceteris illustrauit Odenatus, qui *decurio Palmyrenus* dicitur Sexto Ruffo in Breuiario; *Princeps Palmyrenorum* Trebellio Pollioni cap. 15. in Gallieno qui eodem imperante, Persas Syriam infestis agminibus deuastantes, non vna clade affecit; vnde & Augustus appellatus fuit, in consortium imperij ab eodem Gal-

lieno

lieno accitus. Illius verò vxor Zenobia contra Aurelianum Imperatorem virili animo ac virtute bellum suscepit. Qua victa apud Emesam, Aurelianus, inquit Trebellio cap. 26. *Palmyram iter flexit, vt ea oppugnata, laborum terminus fieret*. Capta verò Zenobia, Palmyra Aureliano se dedidit, ac rursùs rebellans, obsessa & expugnata, ingentem ruinam subijt, vt ex epistola Aureliani ad Ceionium Bassum prodit Vopiscus cap. 31. *Iam satis*, inquit, *Palmyrenorum casum, atque concisum est. Mulieribus non pepercimus, infantes occidimus, senes iugulauimus, rusticos interemimus; cui terras, cui denique vrbem relinquemus?* Narrat in eisdem literis templum Solis apud Palmyram à militibus direptum, quod ingenti auri ac argenti largitione restaurandum iniungit. Cum verò Hadrianus Syriam à Phœnice separasset, Palmyra Phœnicibus contributa fuit, vt patet ex laudato Vlpiano. Et in Notitia Imperij sub Duce Phœnicis nominantur *Praefecturæ legionis I. Illyricorum Palmyræ:* vbi præsidium agebant aduersùs proximos barbaros; & in eadem Notitia *Ala octaua Palmyrenorum* recensetur sub Duce Thebaidos in Ægypto. In Act. 6. Synodi Calchedonensis Theodorus Metropolita Damasci in Phœnicia Libani subscribens *pro Episcopis sub se constitutis* absentibus, *Ioannem vrbis Palmyræ* nominat, qui etiam subscripsit epistolam Episcoporum Phœniciæ secundæ, seu Libani ad Leonem Imperatorem, vbi *Almirensis* pro *Palmyrensis* dicitur. Procopius lib. 2. de ædificijs Imperatoris Iustiniani ait: *In Phœnicia Libani oppidum, cui Palmyra nomen, vetustate fermè desertum, munimentis firmauit, & aquarum copia, coercito Saracenorum incursu*; in quorum tamen potestatem altero sæculo venit. In Gruteriano Inscriptionum Thesauro pag. LXXXVI. 8. & initio Miscellan. Sponij additis etiam figuris, epigramma recitatur, in quo AGLIBOLO ET MALACHBELO patrijs Dijs signum argenteum cum omni ornatu dedicauit

Α. ΑΥΡ. ΗΛΙΟΔΩΡΟϹ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΑΔΡΙΑΝΟϹ

ΠΑΛΜΥΡΗΝΟϹ. ΕΚ. ΤΩΝ. ΙΔΙΩΝ. ΥΠΕΡϹΩΤΗΡΙΑϹ. ΑΥΤΟΥ

ΚΑΙ. ΤΗϹ. ϹΥΜΒΙΟΥ. ΚΑΙ. ΤΩΝ. ΤΕΚΝΩΝ

ΕΤΟΥϹ. Ζ. Μ. Φ. ΜΗΝΟϹ. ΠΕΡΙΤΙΟΥ.

Id est: *Lucius Aurelius Heliodorus Antiochi* filius *Hadrianus Palmyrenus de sua pecunia, pro salute sui ipsius & vxoris & filiorum. Anno* DXLVII.

DXLVII. *Mense Peritio*. De illis Dijs videsis Seldenum Syntag. 2. cap. 1. Duo præcipuè mihi eo in epigrammate notantur. In primis ibidem Palmyram appellari *Hadrianam*; siquidem L. Aurelius Heliodorus Antiochi filius dicitur HADRIANVS PALMYRENVS. Pinedo in notis ad Stephanum V. *Πάλμυρα*, ait nescire se, vnde Stephanus didicerit Palmyram ab Hadriano Imperatore cognomen tulisse. Hoc prodit tantùm laudata Inscriptio, quam Pinedo non obseruauit. Vti enim ex Panuinio apud Gruterum pag. 255. 5. Antoninus Pius dicitur Seruator ΑΔΡΙΑΝΗΣ ΜΟΨΟΥΕΣΤΙΑΣ; HADRIANÆ MOPSVESTIÆ, vrbis in Cilicia; ita in Phœnicia ΑΔΡΙΑΝΗ ΠΑΛΜΥΡΑ *Hadriana Palmyra* vocabatur, ac ciuis *Ἀδριανὸς Παλμυρηνὸς Hadrianus Palmyrenus*. Nam certum est vocem *Hadrianus* ibidem non esse cognomen L. Aurelij, qui *Heliodori* cognomen ferebat; neque eius patris Antiochi; cùm quòd is dicebatur *Aurelius Antiochus*; tum quòd in recto casu *Hadrianus* legitur. Fateor nomen illud Ethnicum rectiùs *Ἀδριανεὺς* efformandum fuisse; sed eo modo scalptum est, quo Palmyreni seueriores Phœnicum quàm Græcorum sermonis cultores, patriam originem designabant.

Denique additur annus quo illa signa argentea dedicata sunt, videlicet ΖΜΦ *quingentesimus quadragesimus septimus*, *mense Peritio*. Est Epocha ac mensis Seleucidarum Macedonum. Annus ille cœpit ab autumno A. V. 988. quo mense Peritio, id est, Februario Romano illud epigramma dicatum fuit. Hieronymus in cap. 1. Zachariæ de mense Scebat Hebræorum scribit: *Et est in acerrimo tempore hiemis, qui ab Aegyptiis Mechir, à Macedonibus* Περίτιος Peritius, *à Romanis Februarius appellatur*. Idem annus fuit Æræ Christianæ 236. primusque imperij Maximini, eodem Maximino Augusto & Africano Coss. Porrò Græco illi epigrammati apud Gruterum duo versus subijciuntur, ignotis characteribus exarati, quos ille Arabicos putat; Scaliger verò ignorabiles appellat. Sunt literæ Phœniciæ, cum Palmyra vrbs Phœnicum fuerit; Phœnices enim qui se literarum inuentores iactabant, suumque idioma vetustate ceteris anteponendum contendebant, in nummis etiam post Græcas Inscriptiones, alias literis Phœnicijs expressas scalpebant, vt in plerisque Tyriorum ac Sidoniorum nummis apparet. Earumdem interpretationem Samueli Petito in epistola ad magnum Peireskium tentatam, iure reprobat Gallandius apud Sponium sect. 1. Miscell. art. 1. qui notat eundem in Chronologismo deficere, dum Petitus eam Inscriptionem protrahit ad euersionem regni Palmyrenorum post victam, captamque Zenobiam. Sed ipse quoque Sponius num. 5. perperàm annos ibidem signatos 547. putat inchoatos *ab anno*

mortem Alexandri magni *subsecuto*, addens annum DXLVII. in lapide ſcalptum concurrere cum anno æræ Chriſtianæ 234. ac poſtremo Imperij Alexandri Seueri. Nam cum rex ille domitor Aſiæ, diem obierit anno primo Olympiadis CXIV. qui fuit vrbis Romæ 430. annus DXLVII. iuxtà Sponium concurreret cum A. V. 978. Chriſti 226. Ibi verò laudatus Scriptor annos à morte Alexandri palam confundit cum annis regni Seleucidarum; cum tamen Æra à morte Alexandri annis duodecim Epocham Seleucidarum præcedat.

Hæc Epocha Seleucidarum viſitur in nummo vrbis Cyrrhi, cuius typum cum Alexandri Theopatoris, vulgò Balæ, imagine ac epigraphe: ΚΥΡΡΗΣΤΩΝ. ΔΞΡ. *Cyrrhenſium. Anno CLXIV.* è ſuo Muſeo exhibet V. C. & amicus noſter Ioannes Vaillantius pag. 266. Hiſt. Regum Syriæ. Cyrrhus in poſtrema Syriarum diuiſione, in Euphrateſia, quæ antea Commagene, cenſebatur. Diſtabat Antiochia duorum dierum itinere, teſte Theodoreto in lib. de vitis Patrum in Iuliano. Procopius lib. 2. de ædif. Iuſtiniani, ait: *Erat in Syria oppidulum vehementer neglectum, Cyros nomine, à Iudæis olim extructum. Nam Iudæi ex Palæſtina à Medorum exercitu in Aſſyriam captiui abducti, & longo poſt tempore à Cyro rege dimiſſi, vt qualemcumque gratiam benefactori referrent, locum illum Cyrum appellarunt.* Vndenam hæc Procopius didicerit, neſcio. Hebræi à Cyro dimiſſi, rectà in Iudæam perrexerunt, ex lib. 1. Eſdræ cap. 1. & 2. nec longiores in redeundo moras traxerunt, vt vrbem in aliena prouincia conderent, qui vnico Hieruſalem in auito ſolo reſtituendæ, ſtudio tenebantur. Interim Procopius Cyrrhum vocat oppidulum; quomodo etiam S. Cyrillus in Epiſtola apologetica ad Euoptium Cyrrhum nuncupat πολίχνιον *ciuitatulam*. Proxima tamen illi regio dicta de illius vrbis nomine Cyrrheſtica, Pacori ac prima Parthorum clade Romanis ſcriptoribus memorata. Addit Procopius ob reliquias Sanctorum martyrum Coſmæ & Damiani ea in vrbe ſeruatas, Iuſtinianum Cyrrhum reparaſſe; *muri ſecuritate, militum præſidiariorum multitudine, & magnitudine publicorum ædificiorum*. Eamdem ſupra ceteros illuſtrauit Theodoretus Epiſcopus, cuius eruditiſſima quæ plura ſcripſit, volumina apud rei Eccleſiaſticæ ſtudioſos ſummo in precio ſunt.

CA-

CAPVT IV.

DE EPOCHA COMMAGENORVM.

Reges Commageni, Romanis Syriam tenentibus, numerati. Commagene in prouinciam à Tiberio Augusto redacta, Antiocho IV. *postea restituitur, addita Cilicia Trachea. Eiusdem Regis gesta ac bina numismata. Titulus* Epiphanis *exponitur. Idem regno pulsus, Romæ priuatam vitam degit. Nummus Iotapes Antiochi IV. vxoris. Idem nummus Iotapi prioris filiæ perperàm adscribitur. Sebaste vrbs in Eleusa insula Ciliciæ adiacente. Commageni à Vespasiano Romano imperio additi, nouam Epocham instituunt. Samosata regni metropolis,* Flauium *cognomen adsumunt. Commagene postea* Euphratensis *appellata, cuius noua metropolis Hierapolis. Quo iure S. Eusebius Samosatorum Antistes in prouincijs Syriæ Episcopos ordinauerit.*

COmmagene superioris Syriæ pars ab Armenia Tauro monte submota, ac Euphrati ad Orientem protensa, ad Occidentem inferiori parte Ciliciæ, ad meridiem verò Cyrrhestica claudebatur. Strabo lib. 16. pag. 516. *Commagene*, inquit, *parua regio est, & vrbem habet natura munitam Samosata regni caput. Nunc prouincia facta est*; nempè A. V. Romæ 771. à Germanico iussu Imperatoris Tiberij. Cum verò idem Strabo in fine lib. 6. Germanicum qui anno insequenti obijt, adhuc superstitem laudet, patet annus, quo ille libros geographicos elucubrabat. Amplissimum Seleucidarum imperium ad angustum Commagenes regnum redactum, Antiochus rex moderabatur, cum A. V. 690. Pompeius cum exercitu in Syriam descendit; & ille quidem legionum terrore, societatem cum P. R. inire compulsus fuit. Cum postea Cicero Ciliciam proconsul administraret, eundem Antiochum non semel in Epistolis famil. lib. 15. laudauit. Hæc in prima eius libri epistola scribit: *Regis Antiochi Commageni legati primi mihi nunc nuntiarunt, Parthorum magnas copias Euphratem transire cœpisse*. Legantur item epistolæ tertia ac quarta. Missos ab eodem in castra Pharsalica equites CC.

 ad

ad Pompeium memorat Cæsar lib. 3. bel. ciu. cap. 5. Eundem longiori obsidio intrà Samosata oppugnatum, modica pecuniæ largitione Antonius Triumuir in amicitiam recepit. Huic successit Mithridates, cuius auxiliares copias bello Actiaco, in castris Antonij recenset Plutarchus. Hunc Mithridatem insidijs circumuentum, Antiochus frater sustulit, ac Commagenem occupavit. Verùm ad Augustum postea reus delatus, ac Romam euocatus, ac conuictus quod missum à rege Mithridate legatum in Vrbem, occidisset, capitis damnatus, interijt, ex Dione in fine lib. 52. A. V. 725. Cum postea A. V. 734. Augustus in Syriam aduenisset, uti scribit idem Dio lib. 54. *Mithridati cuidam Commagenem, quòd eius rex patrem huius Mithridatis occidisset, puero etiam tum attribuit*. Ita disertè Dio Antiochum Romæ damnatum, regem Commagenorum appellat. Tacitus lib. 2. Annal. ad A. V. 770. scribit: *Per idem tempus Antiocho Commagenorum, Philopatore Cilicum regibus defunctis, turbabantur nationes, plerisque Romanum, aliis regium imperium cupientibus*. At Tiberius misso in Orientem Germanico, Commagenem A. V. 771. in prouinciam redegit, Q. Seruæo rectore eidem imposito. Ceterùm Tiberio defuncto, Caius Caligula initio statim imperij A. V. 790. vt inquit Dio lib. 59. *Antiocho Antiochi filio Commagenem paternum regnum, adiectis Ciliciæ maritimis, attribuit*. Hic quartus est Antiochus ab eo qui à Pompeio ad ineundam cum Romanis amicitiam compulsus fuit. Itaque hic Antiochus IV. maritimam Ciliciam, quæ antea Philopatori paruerat, à Caio obtinuit, ac tumultuantes Clitas eius oræ accolas, & Romanis apud Anemurium resistere ausos, ipsorum duce ac primoribus seditionis interfectis, ad officium reduxit A. V. 805. ex Tacito lib. 12. Annalium. Iosephus lib. 20. Antiq. cap. 1. scribit reges Antiochum Commagenorum, Sampsiceramum Emesenorum, Cotym minoris Armeniæ, Polemonem Ponti apud Tiberiada Galilææ metropolim Agrippam regem Iudæorum conuenisse; vbi ipsius etiam Agrippæ frater Herodes rex Chalcidis adfuit, Vibio Marso Syriæ præside eò pariter se conferente. Tunc, vti puto, Agrippa Drusillam filiam nondum sexennem, Epiphani maiori filio regis Antiochi despondit, cum iuuenis ad Iudaicos ritus transire spopondisset, ex Iosepho lib. 19. cap. vlt. Cum initio imperij Neronis A. V. 807. fama esset Parthos in Armeniam irrupturos, Nero, inquit Tacitus lib. 13. legiones propiùs Armeniam collocari iussit, *duosque veteres reges Agrippam & Antiochum expedire copias, quis Parthorum fines vltrò intrarent*. At vnus Antiochus Commagenorum rex vetus dici potuit, cum Agrippa eo anno Vrbis 807. annum ætatis ageret XXVII.
regni

regni verò quintum, ex quo post Agrippæ regis patris obitum, regnum Chalcidis à Claudio Augusto acceperat, vti colligimus ex Iosepho in fine lib. 19. laudati, ac lib. 2. belli cap. 13. Nero A. V. 813. parte Armeniæ Commagenis finitima Antiochi regnum auxit, ex Tacito lib. 14. Idem Vespasiano ad bellum Iudaicum gerendum in Syriam aduenienti, auxiliares copias transmisit, vti tradit Iosephus lib. 3. belli cap. 3. Cum verò post Neronis ac Galbæ interitum, à legionibus in Oriente imperium Vespasiano A. V. 822. delatum fuisset, *accessere*, inquit Tacitus lib. 2. Hist. *cum regno Sohemus haud spernendis viribus, Antiochus vetustis opibus ingens, & inseruientium regum ditissimus*. Idem etiam paulò post vnà cum Tito Cæsare Hierosolyma obsedit, teste Iosepho, cuius postea verba recitabo. Extat in Gaza Medicea huius Antiochi nummus.



Antica inscriptio Latinè vertitur: *Rex magnus Antiochus Epiphanes*; auersa verò: *Commagenorum*, cum symbolo scorpionis. Quòd erat *ingens opibus* & Romanis Principibus *inseruientium regum ditissimus*, ac vltrà auitum regnum Commagenes, regnum quoque Tracheæ Ciliciæ, ac Armeniæ partem à Romanis Imperatoribus acceperat, *magni* titulo à subditis decoratur. Harduinus pag. 587. nummum recitat è regia Gaza inscriptum: ΒΑΣΙΛ. ΜΕΓ. ΑΝΤΙΟΧΟΣ ΕΠΙ. *Rex magnus Antiochus Epiphanes*; & retrorsùs: ΒΑΣΙΛΙΣΣΑ ΙΟΤΑΠΗ ΣΕΒΑΣΤΗΝΩΝ: *Regina Iotape. Sebastenorum*. Porrò V. C. notat se *de voce ea* Epiphanis *in nummis Edessenorum* dixisse, nempè pag. 146. vbi numisma: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΘΕΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ, Latinè interpretatur: REGIS ANTIOCHI DEI PRÆSENTIS; *non vti*, inquit, *vulgò reddunt* Dei Illustris, *vel* Apparentis: *sed* Præsentis, *inquam, hoc est, qui præsentem affert opem imploratus*. Hanc ille interpretationem vocis ἐπιφανής legerat apud Vaillantium in Antiocho Epiphane pag. 194. quam tamen vtrique procuderat Henricus Valesius in notis ad cap. 6. lib. 2. Hist. Eusebij, vbi ait: *Hinc Antiochus ille rex Syriæ, appellatus est ἐπιφανής ab assentatoribus*

Græ-

Græcis, *id est*, *præsens & conspicuus Deus*. Vndè & titulum quem Caius Cæsar suæ ipsius statuæ in Hierosolymorum templo adponendum iusserat, ex Philone de legatione ad eundem: ΔΙΟΣ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ ΝΕΟΥ ΓΑΙΟΥ, Latinè reddit: NOVI IOVIS PRÆSENTIS CAI. Hæc tamen cognominis ἐπιφανοῦς interpretatio minùs rectè appellatur ab Harduino ad explicandum eundemmet titulum Antiochi regis Commagenes, quam etiam nec Antiocho regi Syriæ conuenire puto. In lib. I. Maccab. cap. I. 11. legitur: *Ἀντίοχος Ἐπιφανὴς, υἱὸς Ἀντιόχου τοῦ βασιλέως*, quæ verba vulgata lectio D. Hieronymi vertit: *Antiochus illustris, filius Antiochi regis*. Et lib. 2. cap. IV. 7. dicitur regnum post Seleuci fratris obitum, suscepisse *Antiochus qui Nobilis appellabatur*; vbi Græcè ἐπιφανοῦς legitur. Et quidem cognomina *Soteris*, *Euergetis*, *Philopatoris*, & *Epiphanis* iam antea ab Ægyptijs inuenta fuerant, vt suos reges vno eodemque *Ptolemæi* nomine nuncupatos, inuicem distinguerent, priusquàm eadem cognomina à Syris suis quoque regibus imponerentur. S. Hieronymus in cap. 9. Danielis de Antiocho Magno Syriæ rege scribit: *Et Ptolemæo Philopatore mortuo, aduersùs filium eius, qui tunc quatuor annorum erat, & vocabatur Ptolemæus* Ἐπιφανὴς, *rupto fœdere, exercitum mouit*. Ita cognomen *Epiphanis* ab Ægyptijs regi puero quadrienni inditum est, priusquàm illud ipsum à Syris Antiocho Magni filio imponeretur. Præterea Bithynij Nicomedem Prusiæ filium *Epiphanem* appellarunt, ex nummo apud eundem Harduinum pag. 359. Quis autem putet Ægyptios ac Bithynios eosdem reges qui in oculis omnium versabantur, *Epiphanes*, id est, *præsentes* nuncupasse?

Altera etiam interpretatio qua ἐπιφανὴς *nobilis* Latinè vertitur, veterum monumentorum testimonijs confirmatur. Nam filij Augustorum *Nobilissimi* penès titulum dicebantur. In Actis passionis S. Cypriani, Proconsuli Africæ laudantur *Sacratissimi Principes Valerianus & Gallienus Augusti & Valerianus nobilissimus Cæsar*. Idem etiam Valerianus Cæsar in nummis inscribitur NOB. *Nobilissimus*, vt & in titulis rescriptorum vnà cum Valeriano patre, vti patet lib. 2. Cod. *L.* 11. *de transact.* & passim alibi. In Smyrnensi Inscriptione apud Sponium Sect. X. Miscell. num. 95. pag. 355. post Licinium Valerianum ac Licinium Gallienum Augustos, nominatur *Λικίννιος Οὐαλεριανὸς* ΕΠΙΦΑΝΕΣΤΑΤΟΣ ΚΑΙΣΑΡ, *Licinnius Valerianus Nobilissimus Cæsar*. Philostorgius lib. 8. cap. 8. scribit Varronianum Iouiani Augusti filium adhuc infantem, Ἐπιφανέστατον nuncupatum, id est inquit, παρὰ Ῥωμαίοις τὸν Νοβελισσίμον: *iuxtà Romanos Nobilissimum*. Itaque vox ἐπιφανὴς rectè *Nobilis* à D. Hieronymo

nymo Latinè vertitur. Cum mortuo Seleuco fratri Antiochus successisset, Syri quo idem à decessoribus Antiochis Syriæ regibus distingueretur, eundem *Epiphanem* nominarunt. Neque enim consentio viro erudito, qui putat illud cognomen primùm inductum ex literis Samaritanorum inscriptis: Βασιλεῖ Ἀντιόχῳ ΘΕΩ ΕΠΙΦΑΝΕΙ, *Regi Antiocho, Deo Epiphani*, teste Iosepho lib. 12. Antiq. cap. 7. Nam literæ illæ scriptæ sunt anno regni eiusdem Antiochi octauo. At planè puduisset Syros regis titulum à despectissima Samaritanorum gente didicisse. Cum Lysias Syriæ summa cum potestate præfectus, eiusdem Antiochi Epiphanis è Perside redeuntis, obitum intellexisset, vti legitur lib. 1. Maccab. cap. VI. 17. *constituit regnare Antiochum filium eius, quem nutriuit adolescentem, & vocauit nomen eius EVPATOR*. Ita nouenni puero Antiocho initio statim regni *Eupatoris* cognomen impositum fuit, quo à patre, auo, atque atauo, Antiochis Syriæ regibus discerneretur. Hinc & eiusdem patri Antiocho sub ipsa regni initia *Epiphanis* cognomen à Syris inditum est, vt à decessoribus Antiochis distingueretur; cui postea ob Ægyptum subactam, assentatores *Dei* nomen addiderunt, quod in nummis eiusdem legitur, quos quædam Syriç vrbes eidem adulantes scalpserunt, quo tamen à ceteris Syris illum nuncupatum facilè pernegauerim. Vti verò vox illa ἐπιφανὴς seorsim posita, *illustris* siuè *nobilis* rectè in Latino sacrarum literarum codice vertitur; ita aliam interpretationem commodè subit, cum eidem alter titulus Θεὸς additur, & à Valesio optimè Latinè legitur: *Dei præsentis*. Ouidius lib. IV. Tristium eleg. 4. cum Iouem & Augustum nominasset, ait:

Causa tua exemplo superorum tuta duorum est:
Quorum hic aspicitur; creditur ille Deus.

Augustus adulanti poetæ erat Deus ἐπιφανής, id est, *præsens* ac *conspicuus*, qualis eidem non erat Iuppiter, qui non cernebatur, sed vulgò tantum credebatur Deus. Hæc fusius de cognomine Epiphanis inserui, non vt hocce cognomen Antiocho Commageni in delineato nummo delatum, exponerem; sed vt D. Hieronymi interpretationem in vulgatis sacrorum voluminum monumentis consecratam, defenderem.

Harduinus explicans laudatum nummum, hinc Antiochi, illinc verò Iotapes reginæ imaginibus obsignatum apud Sebastem, ait: *Fuit hæc Iotape Antiochi tertii Commagenorum reguli filia, coniux Alexandri, qui Herodis magni pronepos, in Cilicia regulus Sebastenorum à Vespasiano est constitutus*, ex Iosepho lib. 18. cap. 7. Addit eandem marito mortuo, *in societatem eius regni fratrem adsciuisse iam*

Com-

Commagenorum, *mortuo patre*, *regulum Antiochum eius nominis quartum*, cuius eo in nummo effigiem vnà cum vxore Iotape ſcalptam autumat. Seguinus dudùm cap. 2. de ſelect. Numiſ. num. XXI. nummum Iotapes reginę produxerat,in poſtica ſignatum cum gammaro, vti putat: ΚΟΜΜΑΓΗΝΩΝ, *Commagenorum*, quem deputat Iotapi vxori Alexandri filij Tigranis Armeniæ regis conſtituti, quam opinionem Harduinus ſecutus eſt. Hic verò alter nummus viſitur etiam in Cimelijs Mediceis,anterioris partis inſcriptione ferè detrita; poſterior tamen pars optimè ſeruata eſt, in qua non gammarus, ſed ſcorpio, vt in alijs quoque nummis,apparet. At nullus dubito vtrumque nummum pertinere ad Iotapem vxorem Antiochi IV. regis Commagenes, ac matrem Iotapes, quæ Alexandro Tigranis regis Armeniæ filio ac Herodis Magni pronepoti nupta fuit. Antiochus huius nominis tertius ab eo, cui Pompeius regnum ſanxit, obijt A. V. 770. ex laudato ſuperiùs Tacito lib. 2. Annalium. Caius Auguſtus Commagenem eiuſdem Antiochi filio reſtituit, ademitque: quam iterùm à Ceſare Claudio acceptam, idem diutiùs poſſedit vſquè ad A. V. 825. quo Veſpaſianus annum imperij quartum iniuit, quem vetuſti regni Antiochus poſtremum habuit. Nam Cæſennius Pætus præſes Syriæ, vti Ioſephus auctor synchronus fuſius narrat lib. 7. belli cap. 27. Antiochum Commagenorum regem, quem apud Veſpaſianum initi cum Parthis fœderis accuſauerat, improuiſo bello aggreſſus, regno expulit. Hunc tamen Veſpaſianus veteris memor amicitiæ, Romam cum filijs euocatum, priuatam ibidem deinceps vitam degere iuſſit. Moneo hic obiter nummum apud illuſtriſſimum Spanhemium pag. 570. recitatum, cum Domitiæ capite & epigraphe in poſtica: ΣΜΥΡ. ΕΦΕ. ΟΜΟΝΟΙΑ. ΑΝΘΥ. ΚΑΙΣΕΝ. ΠΑΙΤΟΥ: *Smyrnæorum*, *Ephesiorum Concordia*. *Proconſule Cæſennio Pæto*, non pertinere ad Cæſennium Pætum, à quo Antiochus Commagenes regno pulſus fuit anno quarto Veſpaſiani; ſiquidem ille A. V. 815. fuerat Legatus Conſularis Neronis Auguſti bello Parthico, ex Tacito lib. 15. vbi etiam narrat equum, *qui conſularia ornamenta geſtabat* in exercitu Pæti, retrò euaſiſſe. Itaque Cæſennius Pætus id temporis erat conſularis, ac proinde diuerſus ab altero Cæſennio Pæto, qui Domitiano imperante, Aſiam proconſul adminiſtrauit. Nam viri Conſulares iuxtà ordinem geſti in Vrbe conſulatus, Aſiam & Africam, quarum prouinciarum adminiſtrationem Auguſtus populo Romano permiſerat, ſortiebantur, teſte Tacito lib. 3. Ann. vbi ſcribit de Seruio Maluginenſi Flamine Diali,& in lib. de vita Agricolæ. At numquam ea ſortitio ad annum vſque viceſimum à ge-

ſto

sto consulatu, differri potuit, vt innumeris exemplis constat apud Pighium in tomo 3. Annalium Romanorum. Harduinus pag. 162. laudatum Pæti nummum recitans, inscriptam ibidem partem epigraphes ita exhibet : ANΘΥΚΑΙCΕΝ. ΠΑΙΤΟΥ; addens : *Sic enim legit Patinus pag. 169.* Et postea : *sed quod infeliciter legit Patinus, sic nos paulò feliciùs :* ΑΝΘΥΠΑΤ. CΕΠ. ΠΑΙΤΟΥ, *Proconsule Septimio Pæto ; vel* CEN. *Sentio*. At Eques Patinus pagina illa 169. eam inscriptionem ita scalptam proponit : ΑΝΘΥ ΚΑΙCΕΝ. ΠΑΙΤΟΥ; & in indice pag. 10. in Domitia : ΑΝΘΥ. ΚΑΙCΕΝ. ΠΑΙΤΟΥ: ibi latiori spacio : hic interpunctione inserta, duo priora vocabula accuratè distinguens, quæ Harduinus, vt vbiquè Patiniano volumini redarguendo locum sibi faciat, in vnam eandemque vocem ab eodem confusa comminiscitur. Equidem Tristanus pag. 5. Addit. in calce prioris tomi parum feliciter eo in nummo legit : ΑΝΘΥΚΑΙC. C. N. ΠΑΙΤΟΥ; sed ipse Harduinus haud felicius : ΑΝΘΥΠΑΤ. CΕΠ. vel CEN. ΠΑΙΤΟΥ : eundem Pætum è Cæsennia, è qua natus erat, gente in *Septimiam*, vel *Sentiam* familiam transcribens. In hocce me diuerticulum mea erga Equitem Patinum obseruantia parumper deflexit. Suetonius in Vespasiano cap. 4. scribit : *Item Trachæam Ciliciam, & Commagenem ditionis regiæ vsque ad id tempus, in prouinciarum formam redegit*. Eutropius lib. 7. & Victor in Epitome scribunt Commagènem ac *Ciliciam Trachæam* factas prouincias a Vespasiano. Caius Cæsar, vti dicebam, Antiocho Commagenes ac Ciliciæ maritimæ regna dedit, ademitque; sed Claudius A. V. 794. vt ait Dio lib. 60. *Antiocho Commagenem, quam ei idem dederat, ademeratque Caius, restituit*; vbi quamuis Ciliciam quoque restitutam non memoret, id tamen ex lib. 12. Taciti apertè colligitur. Nam vbi describit rebellionem Cilicum agrestium, qui Anemurium Ciliciæ maritimæ vrbem obsederant, *rex eius oræ Antiochus* dicitur eidem partim blandimentis, partim rebellium primoribus vna cum duce interfectis, cum tumultum composuisse. Itaque Cilicia maritima, quæ etiam Trachea, id est, ob præaltos montes aspera dicebatur, vsque ad annum quartum Vespasiani Antiocho IV. regi Commagenorum paruit, quo à Cæsennio Pæto expulso, ac Romæ viuere iusso, Cilicia Trachea Romanis prouincijs accessit, vti laudati superiùs Scriptores testantur. Hinc patet error Seguini & hunc secuti Harduini, qui nummum Iotapes reginæ à Commagenis scalptum, deputant Iotapi vxori Alexandri a Vespasiano regis in Cilicia constituti. Nam ante annum quartum imperij Vespasiani vnus in Cilicia Trachea regnabat Antiochus IV. Commagenus, idemque erat rex

P Seba-

Sebaſtenorum, quorum vrbs erat in Cilicia maritima iuxtà Corycum, vt mox expono. Poſtea verò Commageni in prouinciam redacti, Romani tantum Principis imagine, non autem regum extra Commagenem rerum potientium, effigie nummos ſuos obſignabant. Quare Iotape vnà cum *rege Magno Antiocho* in Sebaſtenorum numiſmate ſcalpta, eſt vxor Antiochi IV. regis Commagenes ac Ciliciæ, de cuius nomine vrbs Iotape in eadem Trachea Cilicia vocata fuit, cuius meminit Ptolemæus in deſcriptione Ciliciæ. In Synodo Calchedonenſi Act. VI. legitur ſubſcriptus Ammonius Epiſcopus *πόλεως Ἰωτάπης vrbis Iotapes*, qui pariter ſubſcripſit Epiſtolam Synodalem Epiſcoporum Iſauriæ ad Leonem Auguſtum; cum ea vrbs cum alijs Ciliciæ Tracheæ intra Iſauriam id temporis cenſeretur, cuius metropolis erat Seleucia ad Calycadnum. Harduinus pag. 589. ait: *Miſcent omnia, qui Antiochum tertium ſignari in hoc nummo putant.* Verùm idem omnia mihi miſcere videtur. In primis Iotapem cum Antiocho ſcalptam, credit filiam Antiochi tertij. At is obijt A. V. 770. teſte Tacito. Quare cum Harduinus eiuſdem filiam poſt annos ſeptem ac quinquaginta Alexandri regis a Veſpaſiano conſtituti, vxorem exhibeat, ac defuncto etiam marito ſuperſtitem obtrudat, vereor ne annoſam aniculam cum Alexandro rege iuuene copulet, cuius patrem Tigranem Nero A. V. Romæ 814. Armeniæ regem impoſuit. Præterea falsò ſcribit Harduinus Iotapem vnà cum marito Alexandro regnaſſe in Cilicia maritima, ac demùm marito mortuo, fratrem Antiochum IV. regem Commagenorum in ſocietatem regni adſciuiſſe, eo quòd in nummo legitur ΙΟΤΑΠΗ (eſt ibi per ω ΙΩΤΑΠΗ) ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΣ, *Iotape amans fratris.* Nam durante regno Commagenes, vnus Antiochus IV. in Cilicia Trachea regnabat, quo a Veſpaſiano depulſo, Commagene Romana prouincia facta fuit, nulluſque ibidem rex fuit reliquus, quem poſtea vxor Alexandri defuncti Iotape in conſortium regni vocare poſſet. Eruditus amicus noſter Vaillantius in additis ad librum Seguini putat Iotapem Philadelphim ſeu amantem fratris inſcriptam, quod eadem erat & ſoror & vxor Antiochi regis Commagenes; vti Ptolemæi Ægypti reges ſorores in vxores ducebant. Hæc tamen mihi ſine teſte non probantur. Nam Diodorus Siculus lib. 1. ſcribit Ægyptijs lege permiſſa matrimonia cum ſororibus, *quòd Iſidi apud ipſos feliciter hoc ſucceſſiſſet; hæc enim Oſiridi germano nupſit.* At Pauſanias in Atticis ſcribit Ptolemæum Philadelphum nuptias cum Arſinoe ſorore celebraſſe; *atque id*, inquit, *non ſanè ex Macedonum, ſed Ægyptiorum, quibus imperabat, lege fecit*; quod eidem crimini turpiſſimo vertens Herodianus ſub initium lib. 1. ait: *Si-*

quidem

quidem Ptolemaus eo turpitudinis prolapsus est, vt contra Macedonum atque adeo Græcorum omnium leges, etiam sororiis amoribus implicaretur. Scio quandoquè etiam Seleucidas id genus nuptias celebrasse; siquidem Appianus in Syriacis de Antiocho Magno Syriæ rege ex Asia Antiochiam reuerso, scribit: *Et ibi celebrauit liberorum nuptias, Antiochi & Laodices, quos simul matrimonio iunxerat*. At non constat Reges Commagenos ea turpia exempla in regia familia renouasse. Auctor est Iosephus lib. 19. Antiq. cap. 7. hunc ipsum, de quo loquimur, Antiochum IV. regem Commagenorum curasse, vt filio suo maiori natu Epiphani Mariamme Agrippæ Iudæorum regis filia decennis despondetetur. Idem verò Iosephus lib. 7. belli cap. 27. narrat eundem Antiochum à Cæsennio Pæto regno pulsum, *abducta coniuge cum filiabus in Ciliciam fugisse*. Ita ille nullam filiorum Epiphani filio nuptui dedit, quòd auitas Macedonum leges secutus, incestas fratrum ac sororum nuptias abhorrebat. Quare Iotape dicta est Φιλάδελφος ob amorem quem egregio quopiam exemplo erga fratrem ignotæ adhuc mihi gentis, ostendit.

Denique errat Harduinus, dum pag. 587. de Iotape vxore Alexandri ait: *Dedit ea nomen oppido in Cilicia, de quo Plinius lib. 5. sect. 22. Arsinoe, Iotape, &c. quem locum nos primi sanauimus*. At quamuis eum Plinij locum sanauit, haud tamen sana est eiusdem opinio de Iotape in Cilicia de non ine vxoris Alexandri reguli nuncupata. Nam anno quarto imperij Vespasiani Iotape cum patre Antiocho Epiphane regno pulsa, in Ciliciam fugit; dein iussu Vespasiani apud Spartam cum genitoribus substitit, qui tandem omnes Romam ab Imperatore euocati sunt, vti scribit laudato libro 7. Iosephus. Demus hæc contigisse anno quinto imperij Vespasiani, qui postea Alexandrum Herodis Iudæorum regis pronepotem, regem constituit Sebastes in Cilicia maritima, quæ antea Antiocho Commageno priuatam tum vitam in Vrbe agenti, paruerat. Hæc parua Ciliciæ portio Alexandro Iotapes marito anno sexto imperij Vespasiani adsignata dicatur. At Plinius libros naturalis Historiæ Tito Cæsari *sexiès Consuli* nuncupauit, quem ille magistratum gessit A. V. 830. eodemque octauo imperij Vespasiani. Cum verò idem Cæsar Titus A. V. 832. à Palilibus, Consul VII. processerit, consequens fit, vt antè hunc annum Plinius laudatissimos libros eidem Cæsari dicauerit. Hinc prodigio propius videri possit Iotapem Alexandro nupero Sebastes in Cilicia regulo iunctam, tot statim diuitijs abundasse, vt intra biennium vrbem de suo nomine conderet, siuè veteri cuidam oppido restaurato, suum nomen imponeret, quod Plinio procul in Italia scribenti, notum esse po-

 tuerit,

tuerit, qui in Ciliciæ descriptione tot alias antiquiores vrbes omisit. Præterea teste Ptolemæo lib. 5. Geographiæ, Iotape erat vrbs supra Selinuntem propè Pamphyliam, & inter illam ac Sebastem plures Isauriæ ac Ciliciæ vrbes interiacebant; vnde in Notitijs Imperij & Ecclesiarum Iotape in Isauria: Sebaste verò in Cilicia maritima collocatæ leguntur; vt planè constet Iotapem fuisse vrbem longiùs distantem Sebaste, apud quam angustioribus terminis Iotape cum Alexandro regnabat. Itaque ea vrbs de nomine senioris Iotapes vxoris Antiochi IV. postremi Commagenorum regis appellata fuit. Iosephus qui eundem Antiochum sæpius Romæ priuatum hominem vidit, hæc de eodem scribit lib. 6. cap. 12. *Omnium enim regum, qui Romanis parebant, felicissimum Commagenum fieri contigit, priusquàm fortuna mutaretur. Ostendit ille quoque in senecta ætate nullum ante mortem beatum dici oportere.*

Harduinus plura congerit, vt ostendat laudatum nummum scalptum fuisse à Sebastenis in Cilicia in honorem Iotapes vxoris Alexandri. Nam in primis notat Iosephum lib. 18. cap. 7. de Alexandro Herodis pronepote iuxtà Latinum Interpretem, scribere: *Hic Antiochi Commagenorum regis filiam duxit Iotapen & Lesidis in Cilicia rex à Vespasiano constitutus est*. Cum nusquàm in Cilicia *Lesidis* vrbis aut regionis nomen apud Geographos occurrat, in Græco Iosephi codice legendum docet: νησάδος τὸ τῆ ἐν Κιλικίᾳ, *insulæ in Cilicia* rex à Vespasiano constitutus est. In Latinis Iosephi codicibus Mediceis in pluteo LVI. legitur *Isiadis* in aliis *Ysiadis Ciliciæ ciuitatis à Vespasiano rex efficitur*. In Græco verò codice in Pluteo LXI. legitur: ἠσιόδος τὸ τῆς ἐν Κιλικίᾳ, *Esiodos in Cilicia*; in altero codice ea vox omittitur, vacuo spacio ab Amanuense relicto. Interim recipio viri clarissimi emendationem, vt legendum sit νησάδος; qui etiam tradit hanc insulam esse vrbem Sebastem, quòd Stephanus V. ΣΕΒΑΣΤΗ scribit: Λέγεται καὶ ἡ πρὸς τῇ Κωρύκῳ Χερρόνησος οὕτω: *Et sic vocatur Cherronesus iuxtà Corycum*. Legendum, inquit, Harduinus πρὸς τῷ Κωρύκῳ, cum Ptolemæo in Cilicia describantur Κώρυκος, Σεβαστή. At Κώρυκος est generis feminini, vti etiam Tarsus, Damascus, Ægyptus &c. Itaque & Harduini emendatio corrigenda est, ac legendum πρὸς τῇ Κωρύκῳ, vti ex MS. codice rectè legitur apud Holstenium pag. 286. not. in Stephanum. Iam verò inquit, quæ insula Iosepho dicitur, à Stephano Cherronesus appellatur Sebaste; complures enim vrbes maritimæ, *fortè quòd in æstu circumalluantur mari, à Stephano aliisque νῆσοι appellantur, quæ sunt æstu abscedente* Χερρόνησοι, *hoc est, terræ in insulæ modum mari circumdatæ*. Hæc ille, qui si adnotasset quæ ex Strabone ac Iosepho produxi in

Dissert.

Differt. 2. de Cenotaphijs Pifanis pag. 226. rem planè intellexiffet. Etenim Strabo lib. 14. pag. 461. ait: *Poſt Corycum Eleuſa inſula eſt, continenti propinqua. Eam Archelaus habitatoribus frequentauit, ac regiam ſibi fecit, cum Trachæam Ciliciam, excepta Seleucia, eſſet nactus.* Et ſuperiùs pag. 448. Ἐλαιοῦσα νῆσος *Eleuſa inſula* dicitur eidem diſtaſſe à continente quatuor ſtadijs. Plinius Straboni ſimiliter lib. 5. cap. 31. *Mare*, inquit, *quod prætenditur, vocant Aulona Cilicum. In eo ſitu Eleuſa inſula eſt.* Ioſephus verò lib. 16. cap. 8. de rege Herode ait: *Cum appuliſſet Eleuſam oppidum Ciliciæ, quod* Sebaſte *mutato nomine dicitur*, offendit ibi Archelaum regem Cappadocum. Hic in regno Cappadociæ apud Mazacam, quæ poſtea Cæſarea dicta eſt, reſidebat; cum vero ad alterum Tracheæ Ciliciæ regnum ſe conferebat, in inſula Eleuſa degebat, quam totam vrbem fecerat, cum ambitus inſulæ ex laudato Strabone, eſſet octo tantùm ſtadiorum, id eſt, vnius millarij. Cum Antiochus IV. à Caio ac Claudio Auguſtis maritimam Ciliciam vltrà paternum regnum Commagenes, accepiſſet, in eadem Cilicia regiam vrbem Sebaſtem, quæ Eleuſa inſula antea dicebatur, poſſidebat. Hinc Sebaſteni nummum eiuſdem Antiochi ac Iotapes reginæ vxoris imagine obſignarunt. Cum verò Veſpaſianus Antiochum, qui annos XXXV. regnauerat, regno pulſum, cum filijs Epiphane & Callinico Romæ priuatam vitam agere iuſſiſſet, inſulam Sebaſtem cum anguſta parte proximi continentis Alexandro attribuit, cuius vxor ex Ioſepho fuit Iotape filia Antiochi poſtremi Regis Commagenorum & Iotapes reginæ, cuius nomen filia tulit. Alexander erat filius Tigranis, qui Tacito lib. 14. dicitur *Cappadocum ex nobilitate regis Archelai nepos*; ſiquidem Tigranes patrem habuerat Alexandrum Herodis regis filium ac matrem Glaphyram, filiam Archelai regis Cappadociæ. Hinc Veſpaſianus donauit Alexandro ac Iotapi inſulam & vrbem Sebaſtem, quam eiuſdem Alexandri laudatus proauus Archelaus condiderat, ac Iotapes pater Antiochus Commagenus ſeptem ferè luſtris poſſederat. Cum Suetonius, Eutropius, alijque tradant Veſpaſianum Trachæam Ciliciam vnà cum Commagene in prouinciæ formam redegiſſe, colligimus anguſtam tantùm Ciliciæ maritimæ portionem iuxtà Sebaſtem regulo Alexandro ab eodem Principe attributam fuiſſe; vnde & à Ioſepho non Ciliciæ, ſed *Inſulæ in Cilicia* rex appellatur. Hæc verò vrbs Sebaſte, quæ ætate Strabonis ac Plinij, erat inſula quingentis paſſibus à continenti auulſa, tempore Stephani (ſi vera narrat) recedente pelago, Cherroneſus, ſiuè peninſula euaſerat, vti Rauenna, quę antiquitùs maritimis æſtuarijs circùm alluebatur, nunc tribus milliarijs à pelago di-

distat. In Actione III. Synodi Calchedonensis pag. 436. edit. nouissimæ Parisiensis legitur: *Hypatius Episcopus Zephyrii, & Alexander Episcopus Sebastæ Ciliciæ secundæ, & Theodorus Episcopus Augustæ &c.* Vbi perperàm à Latino interprete Sebaste ponitur in Cilicia secunda, quæ Syriæ erat finitima; cum illa vrbs sita esset in Cilicia prima versùs Isauriam iuxtà diuisionem prouinciarum à Christianis Imperatoribus decretam. In Act. IV. pag. 495. rectè legitur: *Alexander reuerendissimus Episcopus* Σεβαςῆς πρώτης Κιλικίας, *Sebastes primæ Ciliciæ*. Carolus à S. Paulo pag. 300. Geographiæ sacræ in descriptione Ecclesiarum siuè vrbium Episcopalium Ciliciæ primæ ait: *Sebaste quæ & Augusta Ptolemæo ibidem, & Notitiis antiquis*. Duas in unam vrbem confundit. Nam cum Eleusa de titulo Romani Imperatoris *Sebaste* dicta fuisset, id est, Latinis *Augusta*, cum iterùm de eodem titulo Cæsaris alteri in eadem Cilicia vrbi nomen impositum fuit, eandem Latino vocabulo *Augustam* dixerunt; ne Græca voce *Sebaste* nuncupata, cum altera maritima confunderetur. Et sanè Ptolemæus ac laudatæ Notitiæ Sebastem & Augustam distinctas in Cilicia vrbes recitant, & in Synodo Calchedonensi Alexander Sebastes, & Theodorus Augustæ Episcopi, vti vidimus, recensentur.

Ex hactenùs prænarratis facilè intelligitur Epocha Syriæ Commagenes, quam nobis prodit Auctor vetustus Chronici vulgò Alexandrini, in quo ad annum tertium Olympiadis CCXII. Vespasiano Augusto II. & Nerua Consulibus scribitur: *Hinc Commageni & Samosateni sua tempora numerant*. Annus tertius memoratæ Olympiadis cœpit A. V. Romæ 824. Æræ Christianæ LXXI. quo Vespasianus Kalendis Iulijs tertium imperij annum iniuit, cum idem Consul III. collega M. Cocceio Nerua Kalendis Ianuarijs processisset. Quare numerus Consulatuum in Chronico laudato corrigendus est ex veteri inscriptione Gruteri pag. CCC.

ADLECTVS. AD. NVMERVM. EX. S. C

T. CAESAR. AVG. F. IMPERATOR

IMP. CÆSARE. VESPASIANO. AVG. III

M. COCCEIO. NERVA COS

P. R. C. AN. DCCCXXIIII.

Ex

Ex quo epigrammate intelligimus Epocham Vrbis Varronianam in publicis monumentis signandis, adhibitam fuisse: & insuper Consulatum suffectum Vespasiani, quem priuatus sub Claudio gesserat, cum ordinarijs in Fastis connumeratum, quod negabat Baronius, qui Vespasianum II. & M. Cocceium Neruam Consules statuit ad annum Christi 73. Cum Commageni pulso rege Antiocho, à Vespasiano Romanis prouincijs additi fuissent, siuè Principi rerum domino adulantes, siuè lætabundi, quòd regium iugum excussissent, nouam prouinciæ Epocham instituerunt. Nuper ex Iosepho notabam Antiochum regno Commagenes à Cæsennio Pæto deturbatum fuisse anno quarto imperij Vespasiani, qui cœpit sub initium Iulij A. V. 825. ac quarto Olympiadis CCXII. Vti Laodicenses anno Vrbis Romæ 707. autonomiam à Iulio Cæsare consecuti, eum ipsum annum, qui Laodiceæ cœperat per autumnum A. V. Romæ 706. primum nouæ Epochæ decreuerunt; ita Commageni, cum A. V. 825. Romano imperio adiecti fuerint, eundem annum, qui apud ipsos inierat ab autumno A. V. Romæ 824. Antiocho apud ipsos adhuc regnante, caput & initium nouæ Æræ instituerunt. Quòd verò vna ibidem toti Commageni communis Epocha assignatur, colligimus plures eiusdem prouinciæ vrbes eandem Epocham adhibuisse. Vna tamen vrbs Samosatorum ibidem appellatur, quòd fuerat Regum sedes, ac prouinciæ postea metropolis. Extant in Gaza Medicea nummi.



Antica inscriptio Latinè redditur: *Hadrianus Augustus*; postica verò: *Flauia Samosata Metropolis Commagenes*. Siuè: *Flauiorum Samosatenorum metropoleos Commagenes*. Samosateni quò Vespasiani, qui eosdem Romano imperio adiecerat, gratiam sibi conciliarent, de nomine eiusdem *Flauium* cognomen vrbi suæ imposuere. Alter ibidem etiam visitur nummus ex collectione Cardinalis Leopoldi, inscriptus: ΑΥΤΟ. ΚΑΙ. ΤΙ. ΑΙΛ. ΑΔΡΙΑΝ. ΑΝΤΩΝΙΝΟC CΕΒ. ΕΥCΕ: *Imperator Cæsar T. Aelius Hadrianus Antoninus Augustus*

gustus Pius; & in postica: Φ. CAMOC. IEP. ACY. AYTONO. MHT. KOM. *Flauiorum Samosatenorum inuiolata, suis legibus utentis, metropoleos Commagenes*, cum muliere turrita, binas spinas dextera tenente, infrà scopulum seu tumulum Euphratis fluminis figura aquis partim immersa. Strabo lib. 16. ait: *Somosata regni caput*. Plinius etiam lib. 5. cap. 24. *Inde*, inquit, *Commagenes caput Samosata*. Hinc in nummis Samosata cum titulo metropoleos passim occurrunt. Ceterùm cum posteriori ætate prouincia veteri Commagenes nomine antiquato, Euphratensis dicta fuit, Hierapolis eiusdem metropolis euasit, vbi tum prouinciæ rector, tum etiam metropolitanus Episcopus residebant, Samosatis in ordinem redactis. Ammianus lib. 14. scribit: *Commagena nunc Euphratensis clementer adsurgit, Hierapoli, vetere Nino, & Samosata ciuitatibus amplis illustris*. Cum in nummis Philippi Augusti, quos ex thesauro Mauroceno exhibet Eques Patinus pag. 137. Samosata dicantur *Metropolis Commagenes*; ac in eiusdem Philippi nummis Hierapolis sine metropoleos titulo legatur, palam fit diutiùs Samosata iure metropoleos potita fuisse, antequam illud à Christianis Imperatoribus Hierapoli tribueretur. Auctor est Theodoretus S. Eusebium insignem Samosatorum Episcopum, Constantij ac Valentis edictis contemptis, Arrianæ sectæ validissimè restitisse. Nam lib. 5. cap. 4. tradit id præsertim curæ fuisse sanctissimo viro, vt Ecclesijs Catholicos Antistites imponeret; vnde Acacium Berhœæ, Theodosium Hierapolis, Eusebium Chalcidis, Isidorum Cyrrhi, Marin Dolichi, Eulogium Edessæ, Protogenem Carrharum Episcopos ordinavit. Itaque Eusebius Samosatenus iure Metropolitico vsus videtur, cum tot Episcopos non modò in Syriarum provincijs, verùm etiam ultra Euphratem apud Carrhas & Edessam designauerit. Verùm delegata potestate à Meletio Patriarcha Antiocheno, eiusque Catholica Synodo, Eusebius memoratos Episcopos creauit. Hæc lib. 4. cap. 12. Theodoretus scribit: *Iste Eusebius, cum multas Ecclesias pastoribus orbatas intellexisset, habitu militari indutus, & capite tiara operto, Syriam, Phœniciam, & Palæstinam peragravit, quò tum Presbyteros & Diaconos crearet; tum alia Ecclesiastica obiret officia. Quod si quando in Episcopos secum doctrina consentientes incidebat, eos Ecclesiis, quæ carebant pastoribus, præfecit*. Quare cum non in una tantùm provincia Commagena siuè Euphratensi sacras ordinationes perageret, sed per Syriam, Phœniciam, Palæstinam, ac Osrhoenam presbyteros & Episcopos consecraret, hæc omnia iure Patriarchico ac Synodali sibi concesso exequutus est, quò Catholicam fidem toto Oriente à Valente Imperatore Ariano oppugnatam, validiori

diori conatu defenderet. Videsis Theodoretum lib. 4. cap. 13. Ceterùm vt ad institutum reuertar, nulli hactenùs Samosatorum nummi Epocha obsignati, ab Antiquarijs proditi sunt; vnde nullos eamdem præferre arbitrabar. At ab hac me postea opinione retraxit Nicolaus Toinardus, qui vetustioris ætatis monumentis incubans, primus Consularium Fastorum Anonymi in Vindebonensi Bibliotheca latitantium, ante Antonium Pagium V. C. index, simulque edendorum auctor mihi fuit; idemque vt cœptum mihi de Epochis Syrorum opus, benefica manu promoueret, plurima insignium nummorum ectypa transmisit; imò quò scalpturæ onere ac molestia leuarer, Samosatorum nummum suomet iussu in ærea lamina incisum, per publicum tabellarium ex Regia Galliarum Vrbe Florentiam perferendum curauit. En hic ille est, qui Parisijs in Museo Droniano seruatur.



In antica parte legitur: ΑΔΡΙΑΝΟϹ ϹΕΒ. ΕΤ. Ξ. *Hadrianus Augustus. Anno sexagesimo*: in postica verò intra lauream: ΦΛΑ. ϹΑΜΟ. ΜΗΤΡΟ. ΚΟΜ. *Flauiorum Samosatensium Metropoleos Commagenes*. Extat alter in ijsdem Cimelijs Samosatorum nummus Hadriani itidem imagine obsignatus, cum priori epigraphe: ΑΔΡΙΑΝΟϹ ϹΕΒ. ΕΤ.. anno Epochæ ibidem detrito: quæ in anteriori parte nomini Imperatoris apposita, nummos eosdem insignit; quandoquidem anni Epochæ in aliarum vrbium nummis in posteriori parte cum illarum nominibus copulantur. Iam verò annus LX. in Hadrianeo nummo signatus, cœpit ab autumno A. V. Romæ 883. si Alexandrini Chronici calculos sequamur. At iuxtà Iosephi auctoris synchroni narrationem, Epocha Samosatorum ab autumno anni vrbis Romæ 825. eodemque à Kal. Iulijs quarto imperij Vespasiani deducta, annus eiusdem sexagesimus cœpit ab autumno A. V. Romæ 884. decimoquinto imperij Hadriani.

Quamuis Alexandrini Chronici Auctor vnam esse omnium prouinciæ Commagenes vrbium Epocham indicare videatur, quædam tamen oppida peculiares Æras habuisse existimo. Nam accepi ab amico erudito nummum M. Aurelij retrorsùs inscriptum: ΚΑΙϹΑΡΕ.

ΓΕΡΜΑΝΙΚ. Ε. ΚΘ, videlicèt: *Cæsarea Germanica. Anno* XXVIIII. Quam sanè Epocham vt obscuram in medio hic interim relinquo, quousque ex alijs eiusdem vrbis nummis, quos per amicos inquiram, in appendice certioribus eamdem characteribus designabo. Theodoretus libro 2. cap. 25. scribit: *Germanicia vrbs sita est in finibus Cilicum, Syrorum, & Cappadocum, censeturque in Euphratensi prouincia.* Socrates lib. 2. cap. 29. nominat Eudoxium Arianum Episcopum *Germaniciæ vrbis Syriæ*; quam postea patriam habuit Nestorius; vnde Germaniciæ ciues Nestorianæ hæresi impensiùs adhærebant, teste Acacio Melitenensi cap. 83. inter epistolas Patrum à V. C. Lupo publicatas. Harduinus pag. 233. obseruat in veteri Notitia Ecclesiastica in prouincia Euphratesia recenseri vrbes *Germaniciam*, ac *Cæsaream*; aitque hanc alteram esse, quæ Γερμανική in nummis nuncupatur. Ipse tamen existimo ea numismata apud Germaniciam sculpta. Nam altera vrbs non *Cæsarea*, sed *Neocæsarea* dicebatur. Theodoretus in eadem prouincia apud Cyrrhum Episcopus lib. 1. cap. 7. laudat sub Licinio martyrem Paulum Episcopum *Neocæsareæ oppidi cum præsidio in Euphratis litore siti.* In Notitia imperij Orientalis sub Duce Euphratesiæ recensentur *Equites Mauri Illyriciani Neocæsareæ.* Meletius *Neocæsareæ* in Euphratesia Episcopus legitur in literis Schismaticorum in Synodo Ephesina, ac in epistola Theodoreti cap. 128. editi à laudato Lupo voluminis. In Synodo Calchedonensi recitatur Patricius Episcopus *Neocæsareæ prouinciæ Augustæ Euphratesiæ*; Græcè semper legitur Νεοκαισαρείας, *Neocæsarea.* Denique in Synodo V. nominatur Ioannes *Neocæsareæ Euphratensis* Episcopus. Ex tot veterum Scriptorum testimonijs palam colligimus, vrbem illam ad Euphratem sitam, in Notitia Ecclesiastica pag. 59. apud Carolum à S. Paulo, perperam appellari *Cæsaream*, quæ planè Neocæsarea dicenda est. Hinc nummi cum epigraphe: ΚΑΙΣΑΡΕΙΑΣ ΓΕΡΜΑΝΙΚΗΣ, qui Pescennij, Seueri, aliorumque Cæsarum imaginibus obsignati, in Cimelijs seruantur, ad vrbem Germaniciam referendi sunt, quæ antea *Cæsarea Germanica* de nomine Imperatoris Caij Cæsaris Germanici vocabatur. Ita Paneas in Phœnicia in nummis *Cæsarea Augusta* inscribitur, quæ tamen sine *Augustæ* cognomine Cæsarea postea dicebatur, vti Dissert. IV. cap. 5. §. 4. exponemus.

In Addendis inferius pag. 476. vera Cæsareæ Germaniciæ Epocha proponitur ex nummis.

DISSER-



DISSERTATIO TERTIA.

DE EPOCHIS VRBIUM SYRIÆ.

CAPVT I.

Prouinciarum Syriæ diuisio. Syria in Superiorem ac Cœlen distincta. Syria Cœle ab Antiocho Magno occupata, cum antea Ptolemæis paruisset. Eiusdem termini varij adsignati. Syria Antiochena posteriori ætate intra Cœlen Syriam statuta.



Yria cis Euphratem à Geographis quatuor in partes diuisa est. Nam superior, quà Ciliciæ ac Cappadociæ adhærebat, Commagene dicta fuit, cuius nominis originem tradit Procopius lib. 1. de bello Persico. Altera eiusdem Syriæ regio eo ipso speciali Syriæ nomine nuncupata, à Septemtrione Cilicia claudebatur: ad meridiem Phœnicia, supra quam etiam à tergo excurrens, Arabia Petræa ac Palæstina terminabatur. Phœnice ac Palæstina Syriacæ prouinciæ suo inferiùs loco mihi describentur; in præsentia enim de epochis Vrbium Syriæ specialiter dictæ disputationem instituo. Hæc autem Syria in duas rursùs partes diuidebatur, nempè in superiorem, & Cœlem, siuè, vt Latini dicunt, cauam. Diodorus Siculus lib. 19. pag. 715.

meminit Συρίας τῆς ἄνω καλουμένης *Syriæ Superioris nuncupatæ*; & statim nominat Κοίλην Συρίαν *Cœlem* seu *cauam Syriam*. Ita etiam loquitur libro 20. pagina 721. & pagina 758. scribit Antigonum nouæ de suo nomine vrbis *in superiore Syria* ad Orontem, fundamenta posuisse. Syria verò Cœle in sacris etiam literis nominatur. Nam in lib. 2. Maccab. cap. 3. legitur Apollonius *dux Cœlesyriæ & Phœnicis*; & paulò post: *per Cœlesyriam & Phœnicem ciuitates*. Eiusdem Syriæ Cœles alter dux Ptolemęus cap. 8. memoratur. Plinius lib. 5. cap. 23. Cœlem Syriam describens, in eadem recenset Apamiam, Hierapolim, Cyrrhum, Gindara, ac Pagras. Hæc oppida in superiori Syria erant, non autem in caua seu Cœle. Strabo quidem lib. 16. pag. 515. ait: *Nonnulli totam Syriam in Cœle-Syros & Phœnicas partiuntur*; iuxtà quorum diuisionem etiam Syria superior ad Cœlem pertinebat. Et posterior ætas, vt mox ostendo, vniuersam Syriam in Cœlem, Phœnicem ac Palæstinam distribuit. Verùm stante regno Seleucidarum, ac sub prioribus etiam Augustis Syria superior a Cœle discernebatur. Polybius lib. 5. narrat Antiochum Magnum de imperio Syriæ Cœles litem Ptolemęo Philopatori regi Ægypti intendisse, quòd Cœles Syriæ possessio ad Syrię, non autem ad Ægypti reges pertinebat, legatis Ptolemęi ex aduerso reponentibus, Ptolemęum Lagi cum Seleuco Nicatore arma sociasse, *vt Asiæ quidem vniuersæ dominatus Seleuco pararetur*; *Cœlem verò Syriam ac Phœnicem propriam vt sibi faceret*. Cœle Syria vsquè ad Antiochum Magnum, Ptolemęorum regni portio fuerat quousque Antiochus Magnus Ptolemęi Philopatoris ducibus ad Panium victis, eandem A. V. Romæ 556. Seleucidarum regno adiecit, ex Liuio lib. 33. ac Polybio legat. 72. Cum tamen eam prouinciam ac Phœnicem Ptolemęus Epiphanes Philopatoris filius, ab Antiocho repeteret, hic filiam Cleopatram eidem regi Ægypti in matrimonio collocauit A. V. Romę 562. vti tradit Liuius lib. 35. promissa dotis nomine, Cœle Syria cum Phœnice, Iudæa, & Samaria, ex Iosepho lib. 12. cap. 3. ac Hieronymo in cap. 11. Danielis. Cum enim Antiochus bellum contra Romanos meditaretur, iuuenem Ægypti regem & affinitate & tot prouinciarum restitutione, amicum sibi facere pertentauit. Verùm cum paulò post a Romanis acie victus, ac tota vltrà Taurum Asia cedere coactus fuisset, Cœlen Syriam aliasque prouincias Ptolemęo regi contra datam fidem tradere recusauit. Hoc palàm colligitur ex lib. 2. Maccab. cap. 3. vbi Seleucus Antiochi Magni filius laudatur, eiusque pręfectus Apollonius *dux Cœlesyriæ & Phœnicis* nominatur, itemque Heliodorus, qui Hierosolymis sacram templi pecuniam in Seleuci regis ærarium deportare

deportare conatus eſt. Quare Seleucus memoratas prouincias ab Antiocho Magno patre ſibi relictas, retinuit. Auctor eſt etiam Polybius Legat. 82. Græcorum legatos ad Antiochum Epiphanem qui laudato Seleuco fratri in regnum Syriæ ſucceſſerat, miſſos, vt pacem illum inter & Ptolemæum Philometorem componerent cum eo, vt Antiochus pactam olim à ſuo patre nomine dotis regionem, Ægypti regis iuri cederet; Antiochum verò prætenſa Alexandrinorum pacta coràm legatis inficiatum eſſe, *quibus pactis*, inquit Polybius, *nomine dotis concedebatur Ptolemæo* Epiphani *Cœle Syria*, *quando in vxorem duceret Cleopatram eius, qui iam regnat*, nempè Philometoris, *matrem*. Itaque certum eſt Cœlen Syriam poſt victoriam Antiochi Magni ad Panium Seleucidis deinceps vnà cum Phœnice paruiſſe; quamuis vtramque reges Ægypti tum ex pactis inter Seleucum Nicatorem ac Ptolemæum Lagi: tum etiam iure dotali Cleopatræ vxoris Ptolemæi Epiphanis, ſæpiùs fruſtrà à regibus Syriæ repeterent. Strabo lib. 16. pag. 520. ait: *Tota itaque regio vltra Seleucidem in Aegyptum & Arabiam recedens, Cœle Syria appellatur; propriè ea quæ Libano definitur & Antilibano*. Cum enim *Cœle* idem ac *caua* ſit, depreſſam inter vtrumque montem Syriæ partem, Cœles Syriæ nomine appellatam cenſuit. Dionyſius Periegetes, qui Auguſto imperante floruit, vt oſtendi in Piſanis Cenotaphijs Diſſert. 2. pag. 193. eam Syriæ regionem Cœlen nuncupat, quam duo montium iuga claudunt, *Occidentalis Caſii & Orientalis Libani*, vbi mons Caſius non propè Peluſium, ſed alter propè Seleuciam ad mare deſignatur. Verum vt hic Geographus Cœlen Syriam altiùs retraxit, ita alij anguſtioribus Libani & Antilibani terminis eandem definiuere. Ptolemæus lib. 5. Geographiæ Cœlen Syriam ab Heliopoli vſquè Philadelphiam extendit, in qua vrbes duodeviginti recenſet, eaſque inter decem, à quibus Decapolis nomen ſortita eſt. Et ſanè Scythopolis, Pella, Gadara, aliaque Decapoleos oppida, à Polybio lib. 5. vti etiam poſtea à Ioſepho lib. 13. Antiq. cap. 21. in Cœle Syria collocantur. Syria autem, quæ laudato Diodoro Siculo *ſuperior* nuncupatur, ab alijs *magna* ſiuè etiam *maior* dicta fuit. Galenus lib. 1. de Antidotis cap. 2. ait: *Apportantur namquè mihi quædam ex magna Syria; quædam è Palæſtina*. Extat apud Gruterum Inſcriptio pag. MXCI. 5.

Q. ATRIO

Q. ATRIO . CLONIO

LEG. AVG. PR. PR

PROVINCIARVM

THRACIÆ. CAPPADOCIÆ

SYRIÆ . MAIORIS

HISPANIÆ. CITERIORIS

CLAVDIVS . IVSTVS · 7

LEG. VII. GEMIN. P. F

SEVERIANÆ . ALEXANDRINÆ

PRÆSIDI . ABSTINENTISSIMO

Hoc epigramma positum est post imperium Alexandri Seueri, à quo Legio VII. *Seueriana Alexandrina* cognomina tulit. Hinc autem colligimus id temporis Syriam superiorem vni Legato Proprætori paruisse, cum alij ab eodem distincti Legati Phœniciam ac Palæstinam administrarent. Extat hæc altera Inscriptio pag. 346.1.

Q. AEL. IANVARIO

PROC. HEREDITAT

PROC. CHOSDROE...

SYRIÆ . COELES &c.

Chosdroene ab alijs Osrhoene, vel Osdroene prouincia dicta est, cuius metropolis Edessa fuit, vt in proxima Dissertatione prænotaui. Euagrius lib. 3. cap. 33. laudat Monachos, *qui Cœlen Syriam quæ iam minor Syria dicitur, accolebant*. Et lib. 4. cap. 39. *maioris* ac *minoris Syriæ* meminit. Verùm vtrobiquè loquitur iuxtà postremam Syriæ superioris diuisionem, quæ in duas prouincias dissecta fuit,

fuit, quarum vna *Prima Syria*: altera verò *Secunda*, seu *Salutaris* dicebatur, vt ex vetustis Notitijs Imperij & Ecclesię intelligimus. In hac verò distinctione Apamea euasit metropolis Syrię Secundę: quę tamen antiquitus in Syria maiori siuè superiori, non autem in Cœle censebatur. Rursùs tempore Euagrij vrbes Decapoleos ad neutram Syriam spectabant; cum pertinerent ad Secundam Palęstinam, cuius metropolis erat Scythopolis. Ceterùm posteriori æuo Syria extra Commagenem in tres prouincias primarias diuidebatur, nempè in Cœlen, Phœnicen, ac Palæstinam. Vlpianus lib. 50. Digest. L. 1. *de Censibus*, ait: *Est & Laodicena colonia in Syria Cœle &c.* quo loco appellari Laodiceam ad mare, cap. 8. §. 2. demonstrabo. Sanctus Epiphanius ad Hæresin LXXIII. Semiarianorum, nominat Georgium Episcopum Λαοδικείας τῆς πρὸς Ἀντιόχειαν Δάφνης, ἤγουν κοίλης Συρίας: *Laodiceæ propè Antiochiam ad Daphnem, siuè Cœles Syriæ*. Eunapio in Libanio, huius Sophistæ patria dicitur Antiochia τῆς κοίλης καλουμένης Συρίας πρώτη πόλεων; *prima vrbium Syriæ quã cauam vocant*. Socrates lib. 6. cap. 3. scribit S. Ioannem Chrysostomum natum Antiochię τῆς κοίλης Συρίας *Cœles Syrię*. Denique S. Hieronymus in cap. 47. Ezechielis eandem Antiochiam laudans, ait: *quæ nunc in Syria Cœle nobilissima est*. Hinc Synodus Antiochena Arianorum anno Christi 341. coacta dicitur ἐξ ἐπαρχίας Συρίας Κοίλης, Φοίνικης, Παλαιστίνης, Ἀραβίας &c. *ex prouinciis Syriæ Cœles, Phœnices, Palæstinæ, Arabię, &c.* Ita Syria prout à Phœnice ac Palæstina distincta, vnius *Cœles* seu *caua* nomine vniuersa designatur. Idem patet ex subscriptionibus ibidem ac in alijs Synodi C. P. imperante magno Theodosio, vbi sub titulo. *Prouincia Syriæ Cœles*, statim recitantur Episcopi *Meletius Antiochenus*, *Pelagius Laodicensis &c.* In hac tamen Dissertatione Syriam superiorem a Cœle distinguam, quòd tum à Seleucidis Syrię regibus, tum à Polybio, Liuio, Ptolemæo, ac Iosepho factum ostendi. Itaque varias vrbium superioris Syriæ Epochas explanabo, ac deinde ad alias oppidorum Syriæ Cœles explicandas, descendam.

CA-

CAPVT II.

Antiochia Syriæ metropolis auspicatò condita à Seleuco. Iuppiter vnde Bottiæus nuncupatus. Ager vrbi proximus cur Apollini sacratus. Macedones ac Græci coloni in nouam vrbem deducti. Annus ac menses Macedonici ibidem seruati. Menses eorundem vnà cum Romanis pari dierum numero in anno Solari decurrebant. Opposita Samuelis Petiti opinio confutatur. Euagrij testimonia producuntur, & illustrantur.

ANtiochia vrbium Orientis maxima, Seleucidarum Regum sedes, ac postea sub imperio Romanorum totius Syriȩ metropolis, à Seleuco Rege cognomento Nicatore condita fuit, anno primo Olympiadis CXX. Vrbis Romæ 454. antè Æram Christi 300. die 22. Artemisij, Sole exoriente, teste Ioanne Malela Antiocheno apud Vsserium tom. 2. Annal. pag. 461. Quòd verò vetustarum vrbium primordia fabulosa vel fabulis proximiora sunt, idem Malela, ac diù ante hunc Libanius & ipse ciuis Antiochenus, hæc de origine eiusdem prodidere. Narrant Seleucum de maxima in Syria vrbe condenda consilium agitantem, Iouis oraculum, facto sacrificio, consuluisse, ac aquilam partem victimȩ ex altari raptam, ad aram Ioui Bottiȩo ab Alexandro Magno extructam, detulisse: Seleucum verò eo auspicio monitum nouam vrbem ad eandem aram propè Orontem, decimo quinto à mari milliario extruxisse, vbi etiam templum Ioui Bottiȩo dicauit. Vsserius ex Malela Iouem *Botzium* appellat, quem eruditus amicus meus modò *Boltzieum*, modò *Botzieum* vocat. At rectè à Libanio in Antiochico idem dicitur Iuppiter *Bottiæus*. Erat Bottiȩa regio Macedoniȩ Diodoro Siculo lib. 12. ac Thucididi libro 2. extremo memorata, cui in descriptione Macedoniȩ Βοττία & populi Βοττιαῖοι *Bottiæi* appellantur; & inferiùs laudat Βοττίαν, καὶ Πιερίαν *Bottiam ac Pieriam*. Polybio lib. 5. pag. 436. *Bottia* appellatur. Herodotus lib. 7. scribit Axium flumen Mygdoniam a Bottiæide dirimere: *cuius*, inquit, *terrȩ Bottiæidis arctum ad mare locum obtinent vrbes Ichnȩ & Pella*. Cum verò Alexander Pellȩ natus fuisset, Ioui Bottiæo a loco patrio, vbi in Macedonia colebatur, nuncupato, aram propè Orontem sacrauit. Pausanias

nias in Atticis recitat prodigium, quod contigit Seleuco, *cum ex Macedonia cum Alexandro profecturus, Pellę Ioui sacrificaret.* Porrò Seleucus nouę vrbi ab Antiocho patre nomen imposuit; quamuis alij de Antiochi Seleuci filij nomine Antiochiam nuncupatam existiment. Iustinus lib. 15. de Seleuco scribit: *Occupato regno Orientis, vrbem condidit; ibique gemina originis memoriam consecrauit. Nam & vrbem ex Antiochi patris nomine Antiochiam vocauit, & campos vicinos vrbi Apollini dedicauit.* Mater enim Seleuci Laodice, vt ibidem Iustinus narrat, Antiocho claro inter Philippi regis duces viro nupta, iactabat se per somnium ex Apolline filium Seleucum concepisse. Hinc somniato patri Seleucus quinto ab vrbe milliario amplissimum lucum dicauit; vnde *Antiochia ad Daphnem*, vrbs vulgò appellata, vt ab alijs eiusdem nominis oppidis discerneretur. Extat in Museo Mediceo Antiochi Epiphanis nummus in postica inscriptus: ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΤΩΝ ΠΡΟΣ ΔΑΦΝΗΝ: *Antiochensium ad Daphnen.* Nummi typum vulgauit Ioannes Vaillantius pag. 198. Historiæ Regum Syrię. Harduinus pag. 50. laudati aliàs voluminis, putat in antica caput Apollinis scalptum. At Apollo radiatum quidem caput, sed non pariter diadematum habet in nummis Rhodiorum aliarumque vrbium. In eo autem numismate caput diademate siuè regali fascia vnàque simul radijs pręcinctum visitur, cuiusmodi etiam alium paruum nummum eiusdem Antiochi vidi in eodem Museo Mediceo. Iosephus lib. 12. cap. 7. recitat literas Samaritarum eidem Regi hoc titulo inscriptas: *Βασιλεῖ Ἀντιόχῳ Θεῷ Ἐπιφανεῖ*: *Regi Antiocho Deo Epiphani.* Ita diadema regem, radij veluti Deum Antiochum exhibent. Plinius in panegyrico: *Horum vnum si pręstitisset alius, illi iamdudum radiatum caput, & media inter Deos sedes auro staret aut ebore, augustioribusque aris & grandioribus victimis inuocaretur.* Syri Antiocho Epiphani adulantes, eundem *Deum* appellarunt, vt ex nummis intelligitur inscriptis: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΘΕΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ: *Regis Antiochi Dei Illustris*; quos nummos producit Vaillantius ibidem. Plinio lib. 5. cap. 21. laudatur *Antiochia libera Epidaphnes cognominata*; & Tacitus lib. 2. ait decretum Germanico *sepulchrum Antiochię, vbi crematus: tribunal Epidaphne, quo in loco vitam finierat.*

Seleucus solo ęquata Antigonia, quam Antigonus, dum Syriam tenebat, paullò ante condiderat, ex eadem quinque mille ac trecentos Macedonas ac Gręcos in nouam vrbem Antiochiam transtulit. Iosephus lib. 12. cap. 3. ait eundem Seleucum Hebręos quoque in conditis abs se vrbibus, varijs exemptionibus ornasse: *in ipsa denique*, inquit, *metropoli Antiochia ius ciuitatis eis dedit, voluit-*

R *que*

quę pari ibi cum Macedonibus ac Gręcis conditione degere, quo iure nunc quoque inter eos homines viuunt. Itaque cum Antiochiam primi incoluerint Macedones, in eorumdem ius atque mores delapsi Syri, anni Macedonici, huiusque mensium nomina ibidem seruarunt. Iulianus in Misogopone Antiochenos aculeato stylo proscindens, ait: *Decimo ferè mense, vt vos numeratis (is opinor Lous à vobis dicitur) patrium festum est huius Dei, & magno studio ad Daphnen concurritur*. Theoderetus lib. 3. cap. 13. ait: *Septem dies festum Daphne agi solet*. Menses Antiochenorum in anno Solari æquali dierum numero cum Romanis decurrebant. Nam S. Epiphanius ad Hæresim LI. Alogorum recitat baptismum Christi: *Ante VI. Iduum Nouembrium iuxtà Romanos: iuxtà Græcos Dii octaua &c.* Et rursùs ait Christum natum: *Ante diem VIII. Iduum Ianuarii iuxtà Romanos: iuxtà Aegyptios Tybi XI. iuxtà Syros siuè Græcos Audinæi sexta*. Itaque Dius cum Nouembri æquatus, erat dierum triginta; Apellęus par Decembri, dierum XXXI. vt sexta Audynæi cum sexta Ianuarij die iungeretur. Theophylus Patriarcha Alexandrinus, vt aduertit Vsserius cap. 1. tradit in prologo Cycli Paschalis, Æquinoctium vernum contingere *vigesimo primo Martii: iuxtà Syros, Antiochenos, & Macedonas, Dystri XXI.* Id passim occurrit in Euagrio, qui in historia Ecclesiastica menses Antiochenorum pari dierum numero semper cum Romanis exhibet. At Samuel Petitus lib. 4. Eclog. Chronol. cap. 21. disputans de anno Solari Antiochenorum, contendit eundem initum à neomenia Hyperberetæi, quam sexto diei Octobris affixam contendit. Addit menses omnes Antiochenorum fuisse tricenarios, quibus in exitu anni dies quinque Epagomenarum adijcit, vt Solaris illorum annus ex diebus 365. integretur. Huius verò opinionis primum fundamentum sumit ex canone XX. Synodi Antiochenæ, in qua vna & altera Synodus per singulos annos celebrandæ indicuntur. Priorē cogi iubent tertia hebdomade post Pascha: *τὴν δὲ δευτέραν συνόδον γίνεσθαι εἰδοῖς Ὀκτωβρίαις, ἥτις ἐστὶ δεκάτη ὑπερβερεταίου*: *alteram verò Synodum fieri Idibus Octobris, quę dies est decima Hyperberetai*. Hęc Antiochię sancita sunt anno Christi 341. Si decima dies Hyperberetęi iungitur cum XV. seu Idibus Octobris, cœpit Hyperberetęus die VI. Octobris. Fateor eadem verba Gręca legi in Cedreni commentarijs. Verùm mendum subesse probant diuersę veterum interpretationes. Nam Dionysius Exiguus qui floruit anno Christi D. ita eum canonem Latinè reddit: *Secunda verò Synodus fiat Idibus Octobris, id est, decimo quinto die mensis Octobris, quem Hyperberetæon Gręci nominant*. Isidorus Mercator ita vertit: *Secundò autem Concilium fieri Idibus Octobris, qui*

dies

dies apud Græcos Hyperberetæi mensis decimus quintus inuenitur. Quare legerant *πέμπτη καὶ δεκάτη quinta ac decima*; ita vt vox *πέμπτη* perperàm omissa fuerit a posterioribus librarijs. In canone 36. eorum qui Apostolici dicuntur, & ex varijs post Apostolos Concilijs collecti sunt, prior Synodus iubetur fieri quarta hebdomade ante Pentecosten; altera verò *ὑπερβερεταίου δωδεκάτη*, *Hyperberetæi duodecima*. Hic verò canon è Synodo Antiochena illuc deportatus fuit, variato tamen numero diei. Beda in lib. de ratione Temp. cap. 12. ait: *Canones qui dicuntur Apostolorum, idem antiquioribus literis edocuere, vbi duodecimus dies mensis ὑπερβερεταίου IV. Iduum Octobris esse memoratur*. Ita in vetusto interprete legerat duodecimam Hyperberetæi esse duodecimam Octobris, ac proinde vtrumque mensem eadem die inchoari. Itaque nihil ex laudato canone Petito conficitur.

Rursùs idem Scriptor ait Euagrium lib. 4. cap. 9. scribere Iustinianum ab auunculo Iustino imperij insignia accepisse *τῇ πρώτῃ τοῦ Ξανθικοῦ, ἤγουν Ἀπριλλίου μηνός*: *die prima Xanthici, id est, mensis Aprilis*. Tum notat Theophanem Iustiniani inaugurationem recitare *quarto die mensis Aprilis, eiusdem quintæ Indictionis, festo Paschatis*. Quare si prima Xanthici apud Euagrium, est quarta dies Aprilis Iuliani apud Theophanem, Antiocheni quorum menses Euagrius appellat, eosdem suos menses neutiquàm cum Romanorum mensibus incipiebant. Iam verò à die VI. Octobris ad tertiam diem Aprilis colliguntur dies 180. qui per triginta diuisi, dant sex integros menses purè tricenarios Antiochenorum, ita vt neomenia Xanthici cadat in diem IV. Aprilis. Hosce tamen Petiti calculos erroris conuincit ipsemet, de quo loquitur, Iustinianus Imperator, qui in Novella XLVII. hæc ait: *Nunc quidem annum vndecimum nostri scribunt imperii; incohante verò Aprili mense, & PRIMA DIE, in qua nos Deus Romanorum superposuit rebus, duodecimum annum scribent*. Ita quam diem Euagrius vocat *primam Xanthici*, Iustinianus *primam Aprilis* nuncupat. Profectò nemo meliùs nouit natalem imperij Iustiniani, quam idemmet qui illud accepit. Præterea Procopius Scriptor synchronus pag. 45. Historię arcanę edit. Alamanni, ait Iustinianum creatum fuisse Imperatorem tertio ante festum Paschatis die; nempè feria V. maioris hebdomadę, quę quidem feria eo anno Christi 527. fuit Kal. Aprilis; dies verò Resurrectionis Dominicę contigit die IV. Aprilis, Cyclo Lunę XV. Solis IV. lit. C. Videsis notas laudati Alamanni. Erratum ergo est in Chronico Theophanis, in quo Iustinianus die IV. Aprilis dicitur creatus Imperator, vti & in Annalibus Cedreni, in quibus idem narratur contigisse die XIV. Aprilis festo Paschatis. Non possum autem

non mirari Petitum ex Euagrio eum Antiocheni anni typum deduxiſſe, cum Euagrius menſes Antiochenorum pari dierum numero cum menſibus Romanorum paſſim appellet. Vno & altero teſtimonio id locupletiſſimè demonſtrabo. Etenim lib. 4. cap. 9. tradit Iuſtinum Imperatorem diem poſtremum obijſſe *ἀνὰ τὴν πρώτην ἡμέραν τοῦ Λώου, τοῦ καὶ Αὐγούστου μηνός : die prima Loi, ſeu Auguſti menſis*. Auctor verò Chronici Alexandrini ait eundem vita defunctum *μηνὶ Λώῳ, κατὰ Ῥωμαίους Αὐγούστου πρώτῃ, ἡμέρᾳ κυριακῇ ὥρᾳ γ', τῆς παρούσης ε' ἐπινεμήσεως : menſe Loo, iuxtà Romanos Kalendis Auguſti die Dominica, hora tertia, præſentis V. Indictionis*. Petitus in diagrammate anni Antiochenorum pag. 326. triceſimam diem Panemi cum prima Auguſti Romanorum componit. At Euagrius & Auctor laudati Chronici neomeniam Loi cum Kalendis Auguſti copulant. Et quidem anno Chriſti 527. ex laudato Cyclo Solis IV. lit. C. dies prima Auguſti fuit Dominica, labente Quinta Indictione. Præterea idem Euagrius lib. 4. narrans geſta ſub Iuſtino Imperatore, cap. 5. recenſet terræ motum, quo vrbs Antiochia concuſſa fuit, quem ait contigiſſe *ἐν τῷ ζ' ἔτει τῆς αὐτοῦ βασιλείας, μηνὶ δεκάτῳ, ἀνὰ τὸν Ἀρτεμίσιον μῆνα, ἤτοι Μάϊον, ἐννάτῃ καὶ κ' αὐτοῦ ἡμέρᾳ κατ' αὐτὸ τῆς μεσημβρίας τὸ σταθηρώτατον τῆς ἕκτης ἡμέρας τῆς καλουμένης ἑβδομάδος* : nempè : *anno ſeptimo imperii eiuſdem, menſe decimo, menſe Artemiſio, videlicèt Maio, nona ac vigeſima die eiuſdem, ipſo meridie, ſexta die, vti vocant, hebdomadis*. Baronius in Annalibus hunc terræ motum recenſet anno Chriſti 525. ita Euagrij verba exſcribens : *Anno ſeptimo regni eiuſdem Iuſtini, Artemiſio videlicèt, id eſt Maio &c.* Vbi verba illa *menſe decimo* omittuntur, ac proinde vno anno priùs terræ motus recitatur. Valeſius in notis ait Euagrium erraſſe, cum non ſeptimus, ſed octauus imperij Iuſtini annus tunc numeraretur; quod & ipſe olim ſcripſi Diſſert. de Synod. V. cap. 3. Iuſtinus imperium accepit die X. Iulij vt ex libro de vita S. Sabæ poſtea oſtendam, anno Chriſti 518. ac proinde anno 526. menſe Artemiſio ſiuè Maio, numerabatur annus imperij eiuſdem ſeptimus, ac menſis decimus, quem menſem compleuit die 9. eiuſdem Artemiſij. Itaque Euagrius rectè numerat menſem decimum exactum, vltrà plenos ſeptem annos imperij. Rectiùs tamen dixiſſet, anno ſeptimo, menſe vndecimo, qui die 29. Artemiſij labebatur. Porrò Euagrius ſcribit diem vigeſimam nonam Artemiſij anno Chriſti 526. fuiſſe ſextam diem hebdomadis, ſiuè feriam VI. Eo autem anno 526. Cyclo Solis III. lit. D. dies XXIX. Maij Romanorum fuit feria VI. ſiuè dies Veneris. Itaque Euagrius menſes Antiochenorum eodem dierum numero cum Romanis decurrentes producit. In diagram-

mate

mate Petiti dies XXIX. Artemisij Antiochenorum componitur cum Kalendis Iunij Romanorum, quæ eo anno Christi 526. inciderunt in feriam II. siuè diem Lunę.

CAPVT III.

Antiocheni à Pompeio Syriam obtinente, autonomiam dato precio, impetrant. Maxima illorum erga Demetrium Gadarensem Pompei libertum obsequia. Quanti fieret apud Græcos autonomia. Eadem in nummis Antiochenorum obsignata. Imago aurea Victoriæ in templo Iouis apud Antiochiam. Asylum ibidem ex sacris literis illustratum. Hebræi nouam à parta autonomia, Æram instituunt.

ANntiocheni, vti & ceteri Syromacedones, Epochæ Seleucidarum, quæ ab initio regni Seleuci Nicatoris desumebatur, in annis numerandis vsi sunt, quousquè in Romanorum potestatem venerunt. Nam priori illa antiquata, tres alias subinde inuexerunt, quarum vna & altera ex nummis tantùm Antiochiæ scalptis, intelliguntur; tertia verò Iulio Africano, Eusebio, Euagrio alijsque vetustis Scriptoribus memoratur, quam & plura passim Antiochenorum numismata exhibent. Prior inducta fuit, cum à Pompeio Magno Antiochia Romano imperio adiecta, autonomiam ab eodem accepit. Alteram postea substituerunt, cum à Iulio Cæsare Dictatore eandem autonomiam iterùm amplioribus priuilegijs auctam, impetrarunt. Tertia deniquè ab anno primo imperij Cæsaris Augusti post victum apud Actium M. Antonium, initium habuit. Quamuis autem Epocha tantùm Cæsariana Antiochenorum ab Historicis laudetur, de vtraque alia paucis disserendum est, vt nummi in quibus scalptæ sunt, intelligantur.

Pompeius Mithridate ac Tigrane superatis, ex Armenia in Cappadociam descendens, eodem victoriæ impetu Romanorum primus A. V. 690. C. Cæsare ac L. Figulo Coss. & iterùm anno insequenti, cum legionibus Syriam ingressus, eandem imposito tributo, Romano imperio adiecit. Nam cum Antiochus Asiaticus Antiochi Pij regis Syriæ filius, auitum à Pompeio regnum posceret, à quo à Tigrane rege Armeniæ pulsus fuerat, respondit Pompeius: *Ne volenti quidem Syria, nedùm recusanti daturum se regem, qui decem & octo annos in angulo Ciliciæ latuerit; victo autem Tigrane à Romanis,*

nis , alieni operis præmia ipsum postulare ; non daturum quod tueri nesciat , ne rursus Syriam Iudæorum & Arabum latrociniis infestam redderet . Quæ apud Iustinum verba sunt lib. 40. Eutropius verò lib. 6. de Pompeio scribens : *Cum venisset* , inquit , *in Syriam, Seleuciam vicinam Antiochia ciuitatem , libertate donauit , eo quòd regem Tigranem non recepisset ; Antiochensibus obsides reddidit : aliquantum agrorum Daphnensibus dedit , delectatus amœnitate loci & aquarum abundantia .* Extant in Gaza Medicea nummi argentei atque æreí regis Tigranis, in quorum postica visitur mulier turrita monticulos insidens, dextera palmam præferens , cum figura fluminis ex vndis emergente, cum epigraphe : ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΤΙΓΡΑΝΟΥ : *Regis Tigranis* . Illi verò Antiochiæ scalpti sunt , cum Tigrani parebat ; illis enim figuris alij passim Antiochensium nummi obsignati sunt , quorum aliquos mox exhibebo . Et quidem initio Pompeius , quòd illorum fidem suspectam habebat , obsides eisdem imperauit , quos non modò paulò post eorundem erga Romanam Rempublicam studio satis probè cognito , reddidit ; verùm etiam autonomiam eisdem, precio accepto , concessit . Porphyrius in collectaneis Scaligeri pag. 227. de Pompeio scribit : ὁ δὲ λαβὼν παρ' ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ χρήματα, τῶν μὲν οὐκ ἐφρόντισεν, αὐτόνομον δὲ τὴν πόλιν εἴασε : *Ille verò ab Antiochenis accipiens pecunias, eas haud equidem curabat, vrbem suis legibus vti permisit* . Ita Antiocheni Demetrio Gadarensi Pompei liberto ingenti priùs pecunia sibi conciliato , autonomiam ab eiusdem patrono impetrauerant . Plutarchus in Catone Vticensi narrat eundem per Asiam peregrinantem , in Syriam descendisse . Ille autem pedes , comitibus equitantibus , Antiochiam versus iter instituit , *cupidus absente Pompeio , eam vrbem studiosè diligenterque inspicere* . Cum verò propè vrbem aduenisset , ac pro porta hinc adultos viros , illinc verò pueros longo ordine dispositos cerneret , ratus honoris & officij causa , eam sibi pompam decretam , iussit comites ex equis descendere : ac Stoicus ille tanto , vt putabat , honore exceptus , ferè turgebat ; cum vir prouectioris ætatis , virgam ac coronam manibus tenens , Catonem ne quidem salutatum , interrogauit , vbinam Demetrium reliquissent , quandoque esset adfuturus . Tum Cato , socijs in risum effusis, respondit : *O miseram ciuitatem* ! Hæc postea Antiochenis exprobauit Iulianus Apostata in Misopogone. Verùm illi tanto honore Demetrium colebant , quod eodem conciliatore, apud Pompeium gratiam iniuerant . Ille natione Syrus , ac Romæ olim seruus in catasta emptus , vt ait Plinius lib. 35. cap. 18. tantum pecuniæ postea corrasit , vt spatiosa suburbana , pulcherrima diuersoria , ac amplam Romæ domum habuerit, cum Pompeius ante tertium trium-

phum modicas in vrbe ædes inhabitaret. Vti verò Syria omnium prouinciarum ditissima erat, ita maximam vim auri idem Demetrius à suis prouincialibus obtinuit, vt eisdem à Pompeio autonomiam impetraret. Cum Cicero in Ciliciam Proconsul aduenisset, quò vrbium beneuolentiam sibi conciliaret, eisdem autonomiam concessit. Hæc epist. 1. lib. 6. ad Atticum scribit: *Multaque sum secutus Scæuolæ: in iis illud, in quo libertatem censent Græci datam, vt Græci inter se suis disceptent legibus*. Et epistola sequenti ait: *Ita multæ ciuitates omni ære alieno liberatæ, multæ valdè leuatæ sunt: omnes suis legibus & iudiciis vsæ, αὐτονομίαν adeptæ, reuixerunt*. Hinc factum est, vt vrbes autonomiam consecutæ, non modo eamdem in lapidum ac nummorum inscriptionibus iactarent; verùm etiam quòd ea obtenta, se se, vt ait Cicero, *reuixisse* arbitrabantur, nouam ab accepta autonomia Epocham instituerent. Equidem vrbes Syriæ Antiochia, Seleucia, Laodicea, Gadara, Gaza, aliæque autonomia à Pompeio empta, aut donata, quam hactenùs adhibuerant, Æra Seleucidarum antiquata, nouam epocham ab anno obtentæ autonomiæ inuexerunt, vt de singulis hoc in opere ostendam. Euagrius lib. 2. cap. 12. scribit Antiochiam, Traiano imperante, horrendo terræ motu vastatam *anno quingentesimo sexto* vrbis Antiochiæ τῆς αὐτονομίας, nempè factæ vrbi potestatis suis legibus viuendi, quæ Græci vna αὐτονομίας voce designant. Extat in ditissimis CHRISTINÆ Reginarum Maximæ Cimelijs Antiochenorum nummus, cuius ectypum ab eadem Augusta impetraui. In hoc autem numismate, vt & in altero quod è Medicea Gaza produco, autonomia Antiochenorum obsignatur.



In antica parte regij nummi caput turritum vrbis Antiochiæ visitur; in postica verò cum tripode, epigraphe Latinè redditur: *Antiochensium* videlicèt vrbis, *metropoleos*, *suis legibus vtentis*. Tripus erat mensa in templo Apollinis, cui superimpositæ Phœbades vaticinia emittebant. Illo verò symbolo, vti etiam lyra & lauro Antio-

Antiocheni ſuum erga Apollinem Daphniticum cultum in nummis indicabant. Addit precium nummo Epocha in eiuſdem area literis E K expreſſa, quibus annus Antiochenorum ab confirmata à Iulio Cæſare ipſorum autonomia, *viceſimus quintus*, deſignatur; qui quidem annus, vt poſtea oſtendo, cœpit ab Octobri A. V. 729. quo anno labente, cuius fuit ille nummus. At ſi illis notis annus XXV. Æræ Auguſtanæ, quam alteri poſtea Antiocheni ſuperinduxerunt, exprimitur, iniјt idem annus ab Octobri A. V. 747. vt proximè mihi explicabitur. In priori parte nummi Medicei viſitur caput laureatum Iouis Philij, cuius inſigne apud Antiochiam templum laudat Iulianus Imperator in Miſopogone. In auerſa parte idem Iuppiter viſitur victoriolam dextra præferens, cum Inſcriptione Latinè reddita: *Antiochenſium metropoleos, ac ſuis legibus vtentis*. Huic quoque in inferiori parte annus Epochæ Antiochenorum additus fuerat, cuius detrito ibidem nummo, veſtigia ſuperſunt, ex quibus tamen nullas certas notas poſſumus niſi diuinando, expiſcari. Vidi in ſcrinijs D. Apollonij Baſſetti MAGNO ETRVRIÆ DVCI à ſecretis, viri veterum quorumcumque monumentorum ſtudioſiſſimi, nummum Mediceo perſimile, cum epigraphe: ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΤΗΣ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ ΙΕΡΑΣΤΛΟΥ ΚΑΙ ΑΥΤΟΝΟΜ..... *Antiochenſium metropoleos, ſacræ, Aſyli, & ſuis legibus vtentis*. Et ſub ſede Iouis Δ litera *annum quartum* Epochæ eiuſdem vrbis ibidem exprimit. In Alexandri Magni nummis Iuppiter ſedens, dextra victoriolam, ſiniſtra ſceptrum oblongum ſtringens, paſſim occurrit; quo ſanè modo in nummis etiam Seleuci Nicatoris ſcalptus fuit. Hic enim cum poſt mortem Alexandri, partis tota ferè Aſia victorijs, maximam illius partem occupaſſet, apud Antiochiam abs ſe conditam, apud aras Ioui Bottiæo ab Alexandro ſacratas, inſigne eidem Ioui templum extruxit, in quo aureum quoque Victoriæ ſignum dicauit, à qua idem *Nicatoris* cognomen acceperat. Iuſtinus lib. 39. de Alexandro Balæ filio Syriæ rege ait: *Antiochiam profugit*, ac deficientibus militum ſtipendijs, *in templo Iouis ſolidum ex auro Victoria ſignum tolli iubet, facetis iocis ſacrilegium circumſcribens. Nam Victoriam ſibi à Ioue commendatam eſſe dicebat*. Addit Iuſtinus eundem paucis poſtea diebus ab Antiochenis facto tumultu, vrbe pulſum, *cum ipſius Iovis aureum ſimulacrum infiniti ponderis euelli iuſſiſſet*. Clemens Alexandrinus in Protreptico, ſiuè exhortatione ad Græcos, ſcribit: *Antiochus autem Cyzicenus, cum egeret pecuniis, Iouis auream ſtatuam, quæ erat magnitudinis XV. cubitorum, fundi iuſſit, & ex alia viliori materia illi ſimilem laminis inauratam, rurſus reponi*. Gentianus Heruetus in notis ad laudatum volumen, inſigniter ceſ-

pitat,

pitat, ſcribens: *Antiochi Cyziceni qui vllam fecerit mentionem, neminem adhuc legi*. Iuſtinus enim, Appianus, Porphyrius, Ioſephus, Euſebius, alijque Antiochi Cyziceni Syriæ regis geſta deſcribunt. Illum Cleopatra ex rege Antiocho Sidete ſuſceptum, quòd eidem puero à Demetrio patruo, qui poſt Sidetem Syriæ regnum occupauerat, metuebat, Cyzicum amandauit; vbi diutiùs educatus, *Cyziceni* cognomen tulit, vti narrant Iuſtinus lib. 39. Ioſephus lib. 13. cap. 17. cum alijs. Vti verò Iouis ac Apollinis templa apud Antiochiam erant ceteris antiquiora, ita eadem iunctim laudat Libanius in Antiochico, celebrans inter inſigniora illius vrbis ædificia *Apollinis templum, Iouis fanum, ſtadium Olympicum*. Vtrumque autem templum extrà vrbem ſitum erat. Nam idem in Monodia deplorans incendium templi Apollinis apud Daphnem Antiochiæ ſuburbium, ait: *Ingentem quoque luctum excitauit Iuppiter, qui non procul inde conſidet*. Cuius tamen nanias irridet S. Ioannes Chryſoſtomus in lib. contra Gentiles, quaſi Iuppiter ardenti templo Apollinis inutiles tantùm lacrymas dare, nullam verò de proximo opem ferre potuerit; cum tamen, inquit Chryſoſtomus, Sophiſta memoratus Iouem *imbrium habenas tenentem* appellet.

In hocce tertio nummo Antiochiæ ΙΕΡΑΣΥΛΟΥ legitur, ita vt poſtrema ſyllaba prioris vocis, inſequentis etiam primam componat, nempè: ΙΕΡΑΣ ΑΣΥΛΟΥ: *Sacra, Aſyli*, ſiuè vt Latini loquuntur, *inuiolata*, qui tituli ſeu priuilegia in aliarum etiam vrbium nummis occurrunt. Ioannes Malela Antiochenus lib. 9. operis inediti, quod ſeruatur in Bibliotheca Oxonienſi, recitat edictum Cæſaris Dictatoris, cuius hocce eſt initium: Ἐν Ἀντιοχείᾳ τῇ μητροπόλει ἱερᾷ, καὶ ἀσύλῳ, καὶ αὐτονόμῳ, καὶ ἀρχούσῃ, καὶ προκαθημένῃ τῆς Ἀνατολῆς, Γάϊος Ἰούλιος Καῖσαρ &c. *In vrbe Antiochia metropoli, ſacra, & inuiolata, & ſuis legibus vtente, & prima ac principe Orientis, Caius Iulius Cæſar &c.* Qui tituli honorum, exceptis duobus poſtremis, in laudato nummo ſcalpti leguntur. Aſyli Antiochiæ apud Daphnem meminit Strabo lib. 16. cuius etiam mentio habetur in lib. 2. Maccabæorum cap. 4. vbi dicitur Menelaus, qui ſummum pontificatum apud Hebræos Oniæ ablatum, inuaſerat, aurea quædam ſacri templi vaſa furtim ſurrepta, donaſſe Andronico Antiochi Epiphanis regis Syriæ miniſtro: *Quod*, inquit ſacer textus, *cum certiſſimè cognouiſſet Onias, arguebat eum, ipſe in loco tuto ſe continens Antiochiæ ſecùs Daphnem*. Andronicus, verò cum *Onia ſuaſiſſet de aſylo procedere, ſtatim eum peremit*. Laodice etiam vxor Antiochi, quem *Deum* Syri poſt Mileſios nuncuparunt, marito priùs veneno extincto, æmulam alteram eiuſdem vxorem Berenicem necandam iuſſit, quæ,

vt ait Iustinus lib. 27. *Daphne se clausit*, vt loci religione seruaretur; ius enim asyli, quod sacrosanctum habebatur, quoscumque qui eò se reciperent, tutos reddebat. Illa autem numeralis nota Δ in eodem nummo scalpta, annum quartum ab accepta autonomia, designat. Quòd verò Antiocheni aliam postea Epocham Cæsarianam post tria statim lustra inuexerunt; vbi in nummis eorundem anni vsque ad decimum quintum obsignati sunt, incertum manet, num prior Epocha Pompeiana vel huic paulò post substituta Cæsariana indicetur; ac pro arbitrio possunt ijdem anni ad vtram referri. Hinc patet error Petiti, qui lib. 4. Eclog. Chronol. cap. 16. pag. 292. de Antiochenis ait: *Libertatem & autonomiam illis concessit Cæsar, quia Romanorum viuebant legibus*; siquidem iam ante annos quindecim cum primùm in Romanorum potestatem venerunt, autonomiam à Pompeio redemerant, suisque legibus, non autem Romanis viuebant; quamuis postea etiam Cæsar idem priuilegium eisdem ratum habuerit. Cum verò constet alias Syriæ vrbes ab accepta ab eodem Pompeio autonomia, nouam Epocham inuexisse, id ipsum Antiocheni fecisse dicendi sunt; licèt ob duas postea Æras ab eisdem inductas, ex nummis haud certò colligi possit, cuiusnam Epochæ anni in ijsdem, vt iam præmonui, designentur. Cum Demetrius II. Nicator Syriæ rex, tributo remisso, ac præsidijs ex Iudæa reuocatis, Hebræis libertatem concessisset, scribit Auctor lib. 1. Maccabæorum cap. XIII. 42. *Anno* CLXX. nempè Epochæ Seleucidarum, *ablatum est iugum Gentium ab Israel; & cœpit populus Israel scribere in tabulis & gestis publicis, anno primo sub Simone summo Sacerdote*. Verùm hanc nouam Æram initio saltèm, cum veteri Seleucidarum seruabant; vnde cap. XIV. 27. legitur: *Octaua decima die mensis Elul, anno centesimo septuagesimo secundo, anno tertio sub Simone Sacerdote magno &c.* At Antiocheni alijque Syri, vbi primùm nouam sub Romanis Epocham instituerunt, veterem illam regni Seleucidarum antiquarunt.

CA-

CAPVT IV.

Diuersæ Scriptorum sententiæ de anno à quo primùm Epocha Cæsariana Antiochenorum numeretur. Ex duobus rarissimis Nummis eadem deducta ostenditur ab autumno A. V. Romæ DCCV. Idem Eusebij, Chronici Alexandrini, & Euagrij testimonijs euincitur, ac interpres laudati Chronici emendatur. Dies natalis imperij Anastasij. Non tantum Syromacedones, verum etiam plerique Græcorum historici maiores in numerando numeros minoribus sæpe præponebant. Idem initium Æræ laudatæ ex MSS. Chronicis Ioannis Malelæ Antiochensis demonstratur. Dies obitus Leonis iunioris eiusque patris Zenonis statuuntur. Iulius Africanus corrigitur. Nummi è MEDICEIS Cimelijs Antiochenorum Epocha obsignati, producuntur. Item alij quorumdam Syriæ Præsidum eadem Æra notati. Insigne numisma C. Cassii Longini exponitur, ac vulgati Fasti Consulares emendantur. Nummus C. Vmmidij Quadrati. Eiusdem familia ac varij illius magistratus ex insigni Inscriptione monstrantur, ac Taciti & Plinij iunioris textus emendantur.

QVamuis Antiocheni ab anno obtentæ à Pompeio autonomiæ, nouam Epocham instituissent, victo postea eodem à Iulio Cæsare, quò victori adularentur, alteram Æram inuexere, ita vt priorem Pompeianam, posteriorem verò Cæsarianam iure appellare possimus. Hæc altera per plura postea sæcula apud Antiochenos in vsu fuit, vt ex Eusebio, Anonymo scriptore Chronici Alexandrini, ac Euagrio Epiphaniensi intelligimus. In laudato Chronico ad annum primum Olympiadis CLXXXIII. hæc leguntur: *Ante diem IV. Idus Maias, Indictionis primæ. Et proposita est in vrbe magna Antiochia libertas ipsius, quando Romanis subiecta est, die vicesimo mensis Artemisii ab eodem Iulio Cæsare missa. Et appellatus est idem Iulius Cæsar Dictator apud Antiochiam die tertio ac vicesimo mensis Artemisii. Itaque nominatur in ipsius honorem magna Antiochia annus primus; itidemque quindecennalis Cycli annus primus.* Et statim hæc ibidem adduntur: *Anno primo C. Iulii Cæsaris die XII. mensis*

Artemisii ab Antiochenis sua tempora numerantur. Et Indictiones numerari cœperunt à primo die mensis Gorpiæi. Harduinus pag. 49. laudans recitatum testimonium, notat edictum de Antiochenorum libertate & autonomia missum fuisse Alexandria à Iulio Cæsare, vbi Dictaturam inierat. Hinc pag. 50. scribit: *Fuit hic annus Vrbis DCCVII. primus post pugnam Pharsalicam, ante Christum XLVII. idemque initium Antiochenorum Aera.* Eusebius in Chronico ait: *Pompeius prœlio victus, & fugiens, à spadonibus Alexandrini regis occiditur. Ab hoc tempore Antiocheni sua tempora numerant.* At Pompeius labente ætate A. V. Romę 706. victus fuit in Pharsalia, idemque in Ægyptum fugiens, pridie diem Natalis sui, qui fuit 30. Septembris ex Plinio lib. 37. cap. 2. occisus est. Hinc Langius lib. 1. de annis Christi cap. 8. pag. 102. tradit Æram Antiochenam cœpisse A. V. 706. Iulio Cæsare II. & P. Seruilio Vacia Isaurico Coss. anno Per. Iulianę 4666. Scaliger in assignando initio huius Æræ Antiochenorum dubius est & inconstans. Nam in lib. 3. can. Isagogic. pag. 295. scribit: *Itaque primus annus Iulianæ editionis erat quartus Antiochenorum, vel potiùs tertius currens ab Octobri antecedenti.* Annus primus Iulianus cœpit Kal. Ianuarijs A. V. 709. à parilibus. Quare si tunc currebat annus tertius Antiochenorum, Epocha eorundem inijt ab Octobri A. V. 706. Idem verò in fine eiusdem voluminis annum Christi 1604. Nonis Augusti, vocat Antiochenorum MDCLVI. Per. Iulianæ 6317. Vbi in priori numero non Auctori, sed Typographo erratum fuisse puto. Nam iuxtà illum computum Epocha Antiochenorum initium habuisset anno Per. Iulianæ 4661. vrbis Romæ 701. siquidem anno Per. Iul. 4661. additis annis Antiochenorum 1656. resultat annus Per. Iul. 6317. qui apud Scaligerum cum anno memorato 1656. copulatur. Idem tamen in notis Eusebianis num. 1969. ait: *In autumno anni Christi 1604. cœpit annus Antiochenorum MDCLIII. à Kalendis Octobris.* Atqui annus Christi 1604. est Periodi Iulianæ 6317. Deme huic numero annos Antiochenorum 1652. pridie Kal. Octobris exactos, habebis annum primum Antiochenorum ineuntem Kal. Octobris anno Per. Iulianæ 4665. vrbis Romæ 705. Quæ fuit sententia Vsserij ac Petauij de initio Æræ Antiochenorum. Christmannus de connexione annorum pag. 356. & Heruartus cap. 211. nouæ Chronologię annos Antiochenorum vna cum Iulianis cœpisse putant, nempè A. V. Romę 709.

Duo hic dubia de laudata Epocha dissoluenda occurrunt. In primis à quonam anno eadem initium habuerit: deinde quænam illius instituendę causa præcesserit, quæue prima illius origo extiterit,

extiterit; hoc enim alterum satis obscurum est. At initium Æræ Antiochenę citra dubium statuendum est in autumno A. V. Romæ 705. Per. Iulianæ 4665. ante Epocham Christianorum 49. Cyclo Solis XVII. Lunæ X. Caio Claudio Marcello, L. Cornelio Lentulo Coss. labente anno IV. Olympiadis CLXXXII. Hoc quod hactenus nemo præstitit, ex ipsius Antiochię nummis ostendo; hi enim incorrupti antiquitatis testes vllo sine errore ad nostram vsque ætatem peruenerunt, ac bono Chronologiæ fato, pleraque maioribus nostris ignota, posteris noscenda, in bono lumine collocarunt.



Nummus cuius integrum typum exhibeo, seruatur in cimelijs Regis Christianissimi, eoque in antica parte detrita inscriptione, Imperator Galba præfertur, addita in altera parte epigrapha: ΕΠΙ ΜΟΥΚΙΑΝΟΥ. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΕΤους ΖΙΡ. id est, *Sub Muciano. Antiochensium. Anno* CXVII. Publius Licinius Mucianus, defuncto in prouincia Syriæ Cestio Gallo, in eandem à Nerone Legatus Augusti proprætor missus fuit, Vespasiano eodem tempore ad bellum Iudaicum destinato, qui, vt inquit Tacitus lib. 2. Histor. *vicinis prouinciarum administrationibus inuidia discordes, exitu demùm Neronis positis odiis, in medium consuluere.* Idem lib. 1. Hist. describens statum imperij Romani sub initium principatus Galbæ, ait: *Oriens adhuc immotus. Syriam & quatuor legiones obtinebat Licinius Mucianus, vir secundis aduersisque iuxtà famosus*; vbi pluribus hominem describit. Hic Vespasianum senium ac pericula reputantem, ad occupandum imperium hortatus est; quod vbi præstitit, ait idem Tacitus lib. 2. *Haud dubia destinatione discessere: Mucianus Antiochiam, Vespasianus Cæsaream. Illa Syriæ, hæc Iudææ caput est.* Porrò in laudato nummo Galbæ imperantis imagine obsignato, sub Muciano Proprætore Syriæ, notatur annus Epochę Antiochenorum CXVII. Galba occisus fuit die 15. Ianuarij anno Vrbis Romæ 821. vsque ad parilia decurrente, Per. Iulianæ 4782. Æræ Christi 69. Epocha Antiochenorum cœpit ab autumno A. V. 705. Per. Iulianæ 4665.

Adde

Adde annos exactos CXVI. eris ad autumnum A. V. 821. Per. Iulianæ 4781. Galba imperante, ac Muciano Syriæ Legato. Itaque laudatus nummus cum anno CXVII. scalptus fuit ab autumno eius A. V. 821. ad diem 15. Ianuarij Galbæ emortualem, vel illum quo nuntius necis Galbæ Antiochiam delatus fuit. Hinc patet errasse Langium ac Harduinum Æram Antiochenam ab A. V. 706. vel 707. auspicantes; nam annus illius CXVII. vltrà tempus imperij ac vitæ Galbæ excurreret, vt faciles calculos subducenti, constabit.

Alterum numisma, cuius posticam partem delineatam posui, abs se emptum, mihi ostendit Ioannes Vaillantius, cum anno 1685. Florentiam insignia quæque Italiæ Cimelia lustraturus, aduenit. In eo visitur laureata imago Tiberij cum epigraphe: ΤΙΒΕΡΙΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΣ, *Tiberius Augustus*; auersa nummi parte intra lauream inscripta: ΕΠΙ ΦΛΑΚΚΟΥ. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΕΤ*ει* ΒΠ. *Sub Flacco. Antiochensium. Anno* LXXXII. L. Pomponius Flaccus Syriæ præses eo in numismate exprimitur. Is gesserat consulatum A. V. 770. Pomponio Græcino fratri semestri consuli suffecto successor datus, quorum fratrum magistratus laudat Ouidius lib. 4. de Ponto eleg. nona. Suetonius cap. 42. in Tiberio scribit: *Postea princeps in ipsa publicorum morum correctione, cum Pomponio Flacco & L. Pisone noctem continuumque biduum epulando, potandoque, consumpsit: quorum alteri Syriam prouinciam: alteri præfecturam vrbis confestim detulit.* Flaccum Syriam obtinuisse A. V. 775. ostendi in Dissert. 2. de Cenotaphijs Pisanis cap. 16. pag. 329. Iosephus lib. 18. Antiq. cap. 8. narrat Agrippam Flacci Syriæ præsidis familiarem fuisse: à cuius tamen amicitia cum Aristobuli delationibus excidisset, cogente egestate, in Italiam ad Imperatorem Tiberium nauigans, vbi Puteolos appulit, *scripsit*, inquit, *ad Tiberium Cæsarem degentem Capreis*, in quam sese insulam idem abdiderat A. V. 780. ex lib. 4. Annal. Taciti, qui lib. 6. describens gesta A. V. 786. Sulpicio Galba & Cornelio Sulla Coss. ait: *Exin Flacco Pomponio Syriæ proprætore defuncto, recitantur Cæsaris literæ, queis incusabat egregium quemque & regendis exercitibus idoneum, abnuere id munus.* Ita Flaccus in magistratu obijt in Syria A. V. 786. In nummo cognomine eiusdem Syriæ præsidis obsignato, legitur scalptus annus Antiochenorum LXXXII. Iam verò si ab autumno A. V. Romæ 705. numerentur exacti anni 81. horum postremus exijt per autumnum A. V. 786. eundem excipiente anno Antiochenorum LXXXII. in nummo obsignato, cuius priori parte labente, Flaccus in Syria obijt ante exitum autumni, quo idem nummus percussus fuit; cum Tiberius

ante

ante finem anni Iuliani, illius obitum intellexerit. Itaque bina hæc præclara numiſmata controuerſiæ de initio Epochæ Antiochenorum finem iam tandem imponunt.

Euſebius in Chronico ſemel & iterùm Epocham Antiochenam appellat. Nam ad annos imperij Probi ait: *Anno ſecundo Probi, iuxtà Antiochenos trecenteſimus viceſimus quintus annus fuit, &c.* vbi aliarum etiam quarumdam Vrbium annos recitat. Annus ſecundus imperij Probi fuit vrbis Romæ Varronianus 1030. Æræ Chriſti 277. Per. Iul. 4990. ac primus Olympiadis CCLXIV. à Solſtitio æſtiuo eodem anno initus, vt oſtendi Diſſert. 2. cap. 3. §. 1. At ſi ab autumno A. V. 705. numeres annos Antiochenorum 325. horum vltimus terminatur per autumnum A. V. 1030. qui erat ſecundus principatus Imperatoris Probi, vti rectè Euſebius numerauit. Idem inferiùs tradit perſecutionem Chriſtianorum omnium ſæuiſſimam contigiſſe *anno imperii Diocletiani decimo nono, menſe Martio; ſecundùm Antiochenos anno trecenteſimo quinquageſimo primo.* At conſtat ex Lactantio Scriptore ſynchrono ac id temporis degente in Bithynia, vbi & Diocletianus morabatur, cap. 12. de mortibus perſecutorum, memoratam perſecutionem edicto decretam *die VII. Kal. Martii; agentibus conſulatum ſenibus ambobus octauum & ſeptimum.* Diocletianus & Maximianus ſenes appellati, quòd vna ſimul imperabant iuniores Cæſares Conſtantius ac Galerius, in Faſtis optimè diſpoſitis, Conſules VIII. & VII. ſignantur A. V. 1056. Chriſti 303. quo anno vſque ad diem 20. Nouembris decurrebat annus XIX. imperij Diocletiani. Hoc verò anno Chriſti 303. perſecutionem illam inchoatam locupletiſſimis & planè inuictis teſtimonijs, contra Baronium ac Petauium demonſtrarunt viri ſummæ eruditionis, Valeſius in notis ad cap. 2. lib. 8. Euſebianæ Hiſtoriæ, ac Stephanus Baluſius itidem in notis ad laudatum Lactantium. Quare inita Epocha Antiochenorum ab autumno A. V. 705. annus illiuſmet Epochæ 351. Euſebio memoratus, labebatur menſe Martio A. V. 1056. à parilibus, Chriſti 303. ac imperij Diocletiani vndeuiceſimo. Interim ex annis Antiochenorum emendantur anachroniſmi inſignium Scriptorum Baronij ac Panuinij. Ille enim annum primum Epochæ Chriſti iungit cum A. V. 752. Auguſto XIII. & Plautio Syluano Coſſ. Panuinius verò annum primum Epochæ laudatæ, ait fuiſſe V. C. 753. Coſſo Cornelio Lentulo, C. Calpurnio Piſone Coſſ. Vterque verò anno Chriſti 303. ponit Conſules Diocletianum VIII. & Maximianum VII. quem annum Panuinius in Chronico Eccleſiaſtico ſtatuit V. C. 1055. In Annalibus Eccleſiaſticis duo anni omittuntur; vnius verò in Panuinij Chronico fit iactura,

ctura, vt iam eruditi obseruarunt. Ex Epocha Antiochenorum vtriusque Scriptoris error intelligitur. Anno Vrbis 752. à parilibus Kalendis Ianuarijs decurrebat annus Antiochenorum XLVII. vsque ad autumnum, qui iuxta Baronium erat primus Epochæ Christi. Qnare annus Christi 303. vsque ad autumnum fuisset Antiochenorum 349. qui tamen Eusebio dicitur & rectè CCCLI. Ita iactura duorum annorum in magnis Annalibus innotescit. Panuinius in Chronico Ecclesiastico Diocletianum VIII. & Maximianum VII. Consules assignat A. V. 1055. Christi 303. vbi ait: *Nona & sauissima in Christianos persecutio*. Epocha Antiochenorum cœpit ab autumno A. V. 705. Quare annus eiusdem 351. quo persecutio Christianorum indicta fuit, concurrit vsque ad autumnum cum A. V. 1056. Panuinius ordinarium consulatum Probi Augusti & M. Aurelij Paulini inter suffectos reijciens, vnius anni Vrbis iacturam fecit, vt fusiùs ostendi superiùs Dissert. 2. cap. 3. vbi de Epocha Edessenorum disputatum est. Ioseph Ægyptius, cuius scriptum Arabicè volumen ex Bibliotheca Oxoniensi laudat Seldenus in comment. ad Eutychij Origines, scribit Synodum Nicænam celebratam fuisse *anno sexcentesimo trigesimo sexto Aeræ Alexandri, qui fuit, A. trecentesimus septuagesimus tertius Aeræ Antiochenæ, nono die mensis Haziran*. Hic mensis apud Syros, vt ex Vlugh Begho Astronomo cap. 6. ostendam, est nonus à Tisri priori, ac cum Romanorum Iunio concurrit. In Synodo Calchedonensi Act. 2. Symbolo Nicæno hæc præscribuntur: *Consulatu Paulini & Iuliani virorum Clarissimorum, anno post Alexandrum DCXXXVI. mensis secundum Græcos Dæsii die decima nona, quod est XIII. Kal. Iulias, in Nicæa metropoli Bithyniæ &c.* Consules Paulinus ac Iulianus signant in Fastis annum Christi 325. V. C. 1078. Anni post Alexandrum sunt ipsamet Æra Seleucidarum, quæ cœpit ab autumno A. V. 442. Adde his annos Seleucidarum 636. habebis vsquè ad autumnum, annum vrbis Romæ 1078. Christi 325. Rursùs si anno Vrbis 705. addas annos Antiochenorum 373. habebis mense Iunio, eundem annum Romæ 1078. Itaque Antiochenorum Epocha inijt ab autumno A. V. 705.

Verùm vnus præ ceteris nobis audiendus est Euagrius Epiphaniæ ad Orontem in Syria natus, quiue diutiùs Antiochiæ vixit, vbi alteram quoquè vxorem duxit; cui comites addam Anonymum scriptorem Chronici vulgò Alexandrini ac Ioannem Malelam Antiochenum. Euagrius lib. 4. capite 1. narrat Iustinum creatum fuisse Imperatorem *nono die mensis Panemi, qui Iulius à Romanis vocatur, anno vrbis Antiochia quingentesimo sexagesimo sexto*. Auctor verò Chro-

Chronici laudati ait id contigisse : *Sub consulatu Magni, mense Panemo, id est, Iulio, die nono, Indictione XI. Antiochenorum Syriæ* ἔτους ϛξφ' *anno quingentesimo sexagesimo sexto*. Extat inter epistolas Hormisdæ Papæ post XXVI. epistola Iustini Augusti, qua eidem Hormisdę significat se senatus ac exercitus decreto ad imperium euectum, & signatur: *Data Kalendis Augusti C. P. Magno V. C. Consule*. Hic consulatus ac Indictio XI. notant annum Christi 518. V. C. 1271. quo die 9. Iulij Iustinus imperium accepit. At si ab autumno A. V. 705. numeres annos Antiochenorum 566. deuenies ad autumnum A. V. 1271. Christianę Epochę 518. Rursùs idem Euagrius eodem lib. 4. cap. 9. scribit Iustinianum in consortium imperij ab auunculo Iustino adsumptum, *primo die mensis Xanthici, id est, Aprilis, anno quingentesimo septuagesimo quinto vrbis Antiochiæ*. Scriptor Chronici Alexandrini ait Iustinianum collegam imperij electum *mense Xanthico, iuxtà Romanos Aprili, die prima, Indictione V.* ͵ εοφ' ἔτους Ἀντιοχείας Συρίας : *anno quingentesimo septuagesimo quinto Antiochiæ Syriæ*. Indictio V. est index anni Christi 527. vrbis Romę 1280. quo anno die prima Aprilis Iustinianum Imperatorem designatum constat ex Nouella 47. eiusdem Principis ac ex Procopio in arcana Historia, vti superiori cap. 2. contra Petitum demonstraui. Quòd si ab autumno A. V. 705. colligas annos insuper Antiochenorum 575. horum postremus exijt per autumnum A. V. 1280. Christi 527. quo labente, die prima Aprilis Iustinianus purpuram induit.

Idem Auctor Chronici Alexandrini scribit Pulcheriam Augustam obijsse *Vincomalo & Opilione Coss. mense Peritio, die XII. Kal. Martii, media hebdomade ieiuniorum, anno Syromacedonum DCCLXIII. Antiochenorum quingentesimo primo*. Illud collegium Consulum est titulus anni Christi 453. vrbis Romæ 1206. Periodi Iulianę 5166. Eo anno Pascha contigit die 12. Aprilis Cyclo Solis XIV. Lunę XVII. lit. D. vti qui tum superstes erat, in canone Paschali Victorius Aquitanus adnotauit. Itaque eodem anno Dominica Sexagesimę fuit dies XV. Februarij, quæ Græcis dicitur Dominica *Apocrei*, id est, *carnis priuii*; quia feria sequenti proxima à carnibus abstinentes, ieiunium inchoant, vti exposui in Differt. de Synodo V. cap. 3. Ita feria IV. seu die Mercurij, nempè media hebdomade ieiuniorum, XII. Kal. Martias Pulcheria Augusta Imperatoris Theodosij soror ac Marciani Augusti vxor, mortalem cum cœlesti vita commutauit. Ille verò annus dicitur fuisse Antiochenorum 501. Si verò A. V. Romę 705. Per. Iulianę 4665. addas annos Antiochenorum 501. habebis annum V. C. à parilibus 1206. Christi

453. Per. Iulianę 5166. quo Pulcheria die Mercurij, decimo octauo Februarij, mortem obijt. In Græcis tamen Menologijs ac in Martyrologio Romano dies anniuerſaria Diuæ Pulcheriæ Auguſtæ IV. Idus Septembris celebratur. In laudato Chronico obitus Conſtantij Imperatoris recitatur Tauro & Florentio Coſſ. *Menſe Dio, die tertio:* ἔτυς Ἀντιοχείας υι', *anno Antiochiæ 410. Indictione V.* Illi Conſules prænotantur anno Chriſti 361. V. C. 1114. quo menſe Dio Syromacedonum, id eſt, Nouembri Romanorum, decurrebat Indictio V. à Septembri inchoata. Enimuerò ab autumno anni V. Romę 705. numerati anni Antiochenorum 409. exiere ſub autumnum A. V. 1114. ineunte anno nouo eorundem 410. quo iam labente, menſe Nouembri, Conſtantius obijt.

In eodem tamen Chronico in deſignando anno accepti ab Anaſtaſio imperij error ſiuè Auctori ſiuè potiùs librario admiſſus, ab interprete alio rursùs auctus fuit. Nam dicitur ibidem Anaſtaſius *Olybrio Ariobindi filio Conſule coronatus menſe Xanthico, ſeu Aprili, die quinto hebdomadis maioris, Indictione XIV.* ἔτους χρηματίζοντος κατὰ Ἀντιόχειαν τὴν μεγάλην ζλ' καὶ φ': *anno nuncupationis magnæ Antiochiæ ſeptimo ac trigeſimo ſupra quingenteſimum.* Antonius Pagy vir profundæ eruditionis mihique ſumma beneuolentia coniunctus par. 2. Diſſert. Hypaticæ cap. vlt. pag. 295. ſcribit erroneè ibi quintum diem Aprilis hebdomadis maioris obtrudi; *Nam*, inquit, *ea feria hoc anno in decimum octauum Aprilis diem incidit.* Verùm non Auctori, ſed interpreti Latino error adſcribendus eſt; ſiquidem Græcè legitur: στεφθεὶς μηνὶ Ξανθικῷ τῷ Ἀπριλλίῳ τῇ ε' τῆς μεγάλης ἑβδομάδος, Ινδικτιῶνος ιδ', ἔτυς χρηματίζοντος κατὰ Ἀντιόχειαν τὴν μεγάλην ζλ' καὶ φ', id eſt: *coronatus menſe Xanthico ſiuè Aprili, die quinta magnæ hebdomadis, Indictione XIV. anno magnæ Antiochiæ ſeptimo ac trigeſimo ſupra quingenteſimum.* Olybrij ſolius conſulatus & Indictio IV. menſe Aprili decurrens, ſunt notæ anni Chriſti 491. quo Paſchalis dies Dominica fuit XIV. Aprilis, Cyclo Solis XXIV. Lunę XVII. lit. F. Quare Anaſtaſius coronatus fuit Imperator non quinta die Aprilis, ſed quinta die maioris hebdomadis, nempè vndecima Aprilis, non decima octaua, vti Amicus noſter putabat, cui cum hoc ipſum per literas ſignificauerim, in ſuis, quas modò typis excudit, doctiſſimis in magnos Eccleſiæ Annales animaduerſionibus, rectè Natalem imperij Anaſtaſij deſignabit. Marcellinus Comes in Chronico tradit Anaſtaſium imperaſſe annos XXVII. menſes duos, ac dies viginti nouem. Cyrillus Scythopolitanus in libro de vita S. Sabę, quem integrum doctiſſimus Cotelerius tom. 3. ſuarum Collectionum euulgauit, cap. 60. ſcribit Sabam *circa Solſtitium æſtiuum Indictionis*

dictionis XI. in vrbem Ailam ad Eliam Patriarcham Hierosolymitanum ibidem exulantem, perrexisse, quo cum quotidie amicè Sabas versaretur, *contigit, vt* Elias *nona mensis Iulii die pro solito non exiret*; qui tandem *egressus circa sextam horam noctis, dixit &c. hac hora migrauit è vita Anastasius Imperator*; Quem cum diem Sabas notasset, *reuersus Hierosolymam, agnouit nocte decima diei Iulii mensis*, Imperatorem Anastasium fulmine absumptum. Iam verò si à nona die Iulij Indictionis XI. nempè anni Christi 518. quam diem vitæ postremam Anastasius habuit, retrò numerentur anni XXVII. menses duo, ac dies 29. deueniemus ad annum Christi 491. ac diem XI. Aprilis, quæ eo anno fuit feria V. maioris hebdomadis, eademque Natalis imperij Anastasij.

Error tamen in numerum annorum Epochę Antiochenę in eodem Chronico Alexandrino irrepsit. Annus Christi 491. non fuit Antiochenorum ζλ' καὶ φ', DXXXVII., sed θλ' καὶ φ', quingentesimus tricesimus nonus. Nam si Pulcheria Augusta dicitur in eodem Chronico obijsse mense Februario Vincomalo & Opilione Coss. Indictione VI. nempè A. Christi 453. Antiochenorum 501. adde 38. habebis annum Christi 491. Antiochenorum verò 539. ac Indictionem XIV. mense Aprili, quo Anastasius imperium obtinuit. In notis eidem Chronico Alexandrino insertis, rectè obseruatur legendum esse φλθ'; sed perperàm additur: *Ita φλθ' numera; nam hic annus Antiochenus à primo Iuliano, qui cœpit 45. ante primum annum Christi. Adde his annos Christi 494. colliges 539.* At Æra Antiochena tribus annis ac totidem circiter mensibus annum primum Iulianum præcedit; hic enim cœpit Kal. Ianuarijs A. V. Romę 709. Neque Anastasius factus est Imperator anno Christi 494 vt Scholiastes perperàm scribit, repugnantibus characteribus Consulatus Olybrij, Indictionis XIV. ac diei ferię V. maioris hebdomadis.

In eodem Chronico, vbi annus obtenti ab eodem Anastasio imperij, dicitur fuisse Antiochenorum ζλφ' nempè: *annus septimus tricesimus quingentesimus*, in margine additur; *an more Antiocheno & Hebraico?* Cum verò in nummis quos Vrbium Epochis obsignatos, passim hoc in opere exhibeo, minores numeri sæpè maioribus anteponantur, hac occasione quædam hoc de scribendi more obiter adnotabo. Sanctus Hieronymus in cap. 9. Danielis de vario numerandi modo apud Latinos & Hebræos scribit: *Nos iuxtà proprietatem linguæ nostræ nunc dicimus: Abraham vixit annis centum septuaginta quinque; illi è contrario loquuntur: vixit Abraham annis quinque & septuaginta & centum.* Hinc viri eruditi putauerunt in nummis Syriæ minores numeros maioribus præponi, quòd Syri cum Hebræis

in numeris designandis conueniebant. Verùm Græci etiam Scriptores eodem modo non semel numeros expresserunt. Dio Cassius Nicææ in Bithynia ortus, lib. 52. scribit: *annis ab vrbe condita* πέντε τε καὶ εἴκοσι καὶ ἑπτακοσίοις, *quinque & viginti & septingentis*. Arrianus lib. 7. scribit Alexandrum magnum obijsse τῇ τετάρτῃ καὶ δεκάτῃ καὶ ἑκατοστῇ ὀλυμπιάδι: *quarta & decima & centesima Olympiade*. Dionysius Halicarnassensis in præfatione scribit se venisse in Italiam bellis ciuilibus ab Augusto profligatis, ἑβδόμης καὶ ὀγδοηκοστῆς καὶ ἑκατοστῆς ὀλυμπιάδος μεσούσης: *circa medium Olympiadis septima & octogesima, & centesima*: Quo ordine ibidem iterùm ac tertiò annos numerat, vti etiam passim in libris insequentibus. Hippias apud Platonem in dialogo de suo nomine inscripto, ait se in Sicilia lucratum fuisse πεντήκοντα καὶ ἑκατὸν μνᾶς, *quinquaginta & centum minas*. Hæc indicasse satis; cum apud alios scriptores Græcos numeri vt apud Latinos exprimantur, vt palam sit illos alterutro modo pro arbitrio vsos fuisse. Hoc apud Syros quoque vsitatum produnt, exhibendi mihi inferiùs nummi Paneados in Phœnice, Sebastes ac Neapoleos in Samaria, ac Chalcidis in Cœle Syria; in illis enim maiores numeri minoribus præponuntur. In Cilicia Syriç proxima prouincia ex nummis Anazarbi ac Ægarum, quos Differt. IV. cap. 1. produco, colligimus minores pariter numeros antè maiores positos fuisse. Sed hactenùs de his.

In libris Chronicorum Ioannis Malelæ Antiocheni, qui manu scripti seruantur Oxonij in Anglia, sæpiùs anni Æræ Antiochenorum appellantur. Hic verò scriptor ad imperium vsquè Iustiniani Chronicon perducit. Quædam tantum hic testimonia proferam. Scribit Malela nouam vrbem Constantinopolim dedicatam fuisse *anno vrbis Antiochiæ CCCLXXVIII. die XI. Artemisii siuè Maii*. Natalitia regiç illius Vrbis Idacius in Fastis, Chronicon Alexandrinum, ac Marcellinus Comes recitant Gallicano & Symmacho Consulibus, V. Idus Maij. Cedrenus ait contigisse *die XI. Maii, feria II. Indictione tertia*. Consules, indictio, ac feria secunda incidens V. Idus Maij, sunt insignes characteres A. V. Romç 1083. Christi 330. Cyclo Solis III. lit. D. Iam verò ab autumno A. V. 705. numeratis annis Antiochenorum 378. horum postremus labebatur anno Vrbis Romç 1083. Christi 330. mense Maio, quo Constantinopolis Natalitia primùm peracta sunt. Idem Malela narrat Iulianum Apostatam occisum fuisse *anno vrbis Antiochiæ CCCCXI. die 26. Dæsii* siuè Iunij. Ille annus 411. mense Iunio concurrebat cum A. V. Romç 1116. quo die 26. memorata, impius Imperator in Perside, vltore Numine, interijt; nempè anno Christi 363. eodem Iuliano

Aug.

Aug. IV. & Salluſtio Coſſ. Panuinius in Chronico Eccleſiaſtico & alibi necem Iuliani recenſet A. V. Romę 1115. ſiquidem ob expunctum A. V. 1030. Probi Auguſti & M. Aurelij Paulini ordinarium conſulatum, deinceps in enumerandis annis ab vrbe Roma condita, vno ſemper anno deficit. Viri ad ſtuporem eruditiſſimi error ex annis Æræ Antiochenę intelligitur, quem alijs etiam argumentis alibi demonſtraui. Præterea laudatus Malela breuiſſimum imperium pueri Leonis iunioris hiſce chronologicis characteribus indicans, ait: *καὶ προῆλθεν ὕπατος ὁ θειότατος Λέων ὁ μικρὸς, ἔτους κατὰ Αντιόχειαν φκβʹ, Ινδικτιῶνος δωδεκάτης; καὶ τῷ ἐνδεκάτῳ μηνὶ τῆς αὐτοῦ ὑπατείας ἠῤῥώστησε, καὶ τελευτᾷ ὁ θειότατος Λέων ὁ μικρὸς. μηνὶ Νοεμβρίῳ, Ἰνδικτιῶνος ιγʹ, ἔτους χρηματίζοντος κατὰ Ἀντιόχειαν φκγʹ, ὢν ἐνιαυτῶν ζʹ: καθὼς συνεγράψατο Νεστοριανὸς ὁ σοφώτατος χρονογράφος, ἕως Λέοντος τοῦ μικροῦ:* *Cum ſacratiſſimus Leo iunior Conſul proceſſiſſet, anno vrbis Antiochiæ quingenteſimo viceſimo ſecundo, Indictione XII. Menſe ſui conſulatus vndecimo in morbum incidens, è viuis exceſſit, menſe Nouembri, Indictione XIII. anno iuxtà Antiochenos DXXIII. anno ætatis ſeptimo, vti ſcripſit Neſtorianus ſapientiſſimus Chronographus, qui ad Leonem iuniorem hiſtorias perduxit.* Leo iunior Auguſtus Conſul ſine collega ſignatur in Faſtis A. V. 1227. Chriſti 474. Indictione XII. Porrò ſi ab autumno A. V. Romę 705. quo cœpit Æra Antiochenorum, colligas annum exactum eorumdem DXXII. eris ad autumnum A. V. Romę 1227. Hoc verò anno, menſe Septembri, numerari cœpit Indictio XIII. ac ab Octobri iam decurrebat annus Antiochenorum DXXIII. quo puer Imperator menſe Nouembri, ſui conſulatus vndecimo, deceſſit. Hoc Neſtoriani tum ſcribentis teſtimonio cum proximo de anno necis Iuliani collato, colligimus Antiochenos per Autumnum annum nouum auſpicatos fuiſſe. Denique idem Malela ait: *Δυσεντερίᾳ ληφθεὶς ὁ αὐτὸς βασιλεὺς Ζήνων ἐτελεύτησεν ὢν ἐνιαυτῶν ξʹ, καὶ μηνῶν θʹ, μηνὶ Ξανθικῷ θʹ, ἔτους κατὰ Ἀντιόχειαν φλθʹ, Ἰνδικτιῶνος ιδʹ:* videlicèt: *Imperator Zeno dyſenteria correptus, fatis conceſſit, annos natus LX. & menſes IX. die IX. menſis Xanthici, anno Antiochiæ DXXXIX. Indictione XIV.* Hic annus Æræ Antiochenæ concurrit cum A. V. Romę 1244. à parilibus, Chriſti 491. Indictione XIV. Olybrio iuniore ſolo Conſule. Baronius tom. 6. ad A. Chriſti 491. recitans obitum Zenonis, ait: *Mortuum tradunt hoc anno, ſed quo menſe ac die ab antiquis non proditur; à recentiore ſuo arbitrio ponitur octauo Idus Aprilis.* Ille recentior eſt Veronenſis noſter Panuinius in lib. 2. Rom. Principum, & in Chronico Eccleſiaſtico, qui tamen lib. 3. Faſtorum ſcribit Zenonem VII. Idus Aprilis deceſſiſſe. Auctor quidem Chronici Alexandrini ſcribit Zenonem dyſenteria

ex-

extinctum *mense Xanthico siuè Aprili*; at diem obitus non designat, quem vnus nobis Malela prodidit, videlicèt nonum Aprilis. Panuinius modo biduo, modò triduo à die emortuali Zenonis aberrauit; cum tamen mensem optimè statuisset. Zenone mortuo, anno Christi 491. Antiochenorum 539. die nona Xanthici siuè Aprilis, feria tertia maioris hebdomadis, Anastasius eidem succedens, biduò post, feria V. eiusdem maioris hebdomadis, coronatus fuit, vti superiùs demonstrabam. Interim Petauij hic mihi error emendandus est, qui lib. 13. doctr. Temp. in Chronico pag. 812. ad annum Christi 491. de Anastasio ad imperium euecto, scribit: *Chronicon Alexandrinum feria V. maioris hebdomadæ dumtaxat id factum refert: quæ hoc anno incidit in Aprilis XVIII. Nam Pascha contigit Aprilis XXI.* Errorem viri hisce in rebus aliàs versatissimi produnt tabulæ Astronomicæ, iuxtà quas eo anno Christianę Epochę 491. Neomenia Paschalis contigit secundùm medium motum Martij die 26. hora 6. 3'. 58". post mediam noctem; plenilunium verò Paschale fuit Aprilis die 10. hor. 0. 26'. 0". post mediam noctem. Hinc rectè Victorius Aquitanus eodem sæculo ante annos 34. canonem Paschalem describens, Pascha anni Christi 491. signauit die 14. Aprilis, Luna XX. Quo pariter die Dionysius Exiguus ac Beda suis in Cyclis festum Paschale eo anno statuerunt.

Iulius Africanus, cuius quinque Chronographię libros *accuratissimè* scriptos, laudat Eusebius lib. 6. Hist. Eccl. cap. 31. quos etiam magna parte in Chronicon suum retulit, apud Georgium Syncellum pag. 309. edit. Regię, hæc scribit: *Olympias agebatur CLXXXIX. quæ bissextum diem VI. Kal. Martias anno iuxtà Antiochenorum æram XXIV. aptè restitutum accepit, cuius beneficio certis ac propriis sibi terminis annus cœpit consistere.* Hæc aut falsò scripta sunt, aut in codicem Africani librariorum negligentia error irrepsit. Nam Olympias 189. cœpit ab æstate A. V. Romæ 730. Iuliano 24. cum iam Cæsar A. V. 708. annum Romę reformans, bissextum induxisset, quem tamen annum bissextilem non exactò, sed ineunte quolibet quadriennio perperàm per annos sex ac triginta repetitum, Augustus quo anno mensem Sextilem de suo cognomine nuncupauit, ad singula exacta quadriennia produxit, ex Suetonio in Augusto cap. 31. Ille verò mensem Sextilem nouo *Augusti* nomine appellandum permisit, C. Marcio Censorino & C. Asinio Gallo Coss. teste Censorino cap. 22. *anno Augustano* XX. qui fuit vrbis Romę 746. primus enim annus Augustanus à Kalendis Ianuarijs fuit V. C. 727. à parilibus, quòd eo anno C. Iulius Cæsar Octauianus *Augusti* cognomen accepit, in suo septimo ac tertio Agrip-

pę

pę consulatu, ex eodem Censorino cap. 21. Itaque annus neutiquàm diem bissextilem vel primtiùs institutum, vel postea restitutum accepit Olympiade 189. cum primùm lege Annali indictus fuerit anno tertio Olympiadis 183. ac recto postea ordine repositus ab Augusto anno vrbis Romę 746. quo inijt Olympias 193. Sed nec rectè ab eodem Africano annus XXIV. Æræ Antiochenę copulatur cum Olympiade 189. Nam ab autumno A. V. 705. quo cœpit Epocha Antiochena, annus huiusce 24. exijt per autumnum A. V. Romæ 729. inito ante tres menses anno quarto Olympiadis 188.

Hactenùs clarissimis veterum Scriptorum testimonijs consignatum est initium Epochę Antiochenorum circa Autumnum anni ab vrbe Roma condita DCCV. Periodi Iulianæ 4665. Hinc anni in nummis Antiochenorum obsignati facilè intelliguntur. In ditissimis Serenissimi MAGNI DVCIS Etruriæ Cimelijs hæc numismata seruantur.




Symbola lauri & lyræ cultum apud Daphnem ab Antiochenis Apollinem designant, fabulam describente Ouidio lib. V. Metamor. à V. 452. vbi ad Daphnem in laurum versam Apollo

Arbor eris certè, dixit, mea: semper habebunt
Te coma, te citbara, te nostra, laure, pharetra.

Philostratus lib. 1. de vita Apollonij cap. 12. scribit de Antiochenis: *Maximè omnium arborum laurum colunt ob memoriam, vt aiunt, Daphnes*; quòd eam dicerent filiam Ladonis fluuij propè Antiochiam, *illic natam asserentes*. Ausonio verò poetę laudatur *Phœbeæ lauri domus Antiochia*. Quòd Seleucus auspicio Aquilę partem victimæ ad aram Iouis Bottiæi propè Orontem deferentis, nouam ibidem Antiochię vrbem condidit, vt cap. 2. pranotabam, hinc ara in pluribus Antiochenorum nummis scalpta visitur. Tres illi nummi Nerone imperante, cusi sunt eadem epigraphe obsignati: ANTIOXEΩN: *Antiochensium*. Prior cum Epocha ΔP annum signat eiusdem vrbis CIV. qui cœpit ab autumno A. V. Romæ 808. Alter annum præfert HP. CVIII. qui inijt ab autumno A. V. Romæ 812.

812. Tertius denique designat annum ΔΙΡ. CXIV. qui ab autumno cum anno ab Roma condita 818. copulatur.

In nummis etiam præsidum Syriç apud Antiochiam percussis, laudata eiusdem Vrbis Epocha sæpiùs occurrit. Extat in Cimelijs Regis Christianissimi itemque in Museo Mauroceno Veneto hocce numisma.



Antica Inscriptio Latina est: *Imperator Tiberius Claudius Augustus Germanicus*. At postica Græca est: ΕΠΙ ΠΕΤΡΩΝΙΟΥ. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. Ϙ. *Sub Petronio. Antiochensium. Anno XC.* Litera numeralis Ϙ, cuius linea tantùm oblonga in regio nummo apparet, in Mauroceno integra visitur, vt mihi per literas significauit Nicolaus Bon I. V. C. ac in nummaria eruditione summa cum laude versatus. Annus XC. Antiochenorum cœpit per Autumnum A. V. Romæ 794. qui fuit primus imperij Imperatoris *Tiberii Claudii Augusti Germanici*, qui in priori parte nummi obsignatur. Iosephus lib. 18. Antiq. à cap. 11. ac Philo in lib. de legatione ad Caium, plura de eodem Petronio Syriç præside scribunt, quo etiam Syriam tenente, Caius Cæsar occisus fuit. Extant apud Iosephum lib. 19. cap. 16. P. Petronij literę ad Dorienses cum titulo: *Publius Petronius Legatus Tiberii Claudii Cæsaris &c.* Baronij errorem qui tres diuersos Petronios in vnum illum Legatum Syriç confundit Anno Christi XLI. num. 21. emendaui in Dissert. 2. de Cenotaphijs Pisanis pag. 331. Idem Iosephus ibidem ait: *Petronio Marsus in administranda prouincia Syria successit*, altero anno imperij Claudij, V. C. 795. Cum verò Vibius Marsus cum Agrippa Iudæorum rege inimicitias exerceret, Claudius Cæsar non semel per literas à rege rogatus fuit, vt alterum in Syriam præsidem mitteret. Iosephus initio lib. 20. scribit: *Defuncto rege Agrippa, Claudius Cæsar misit successorem Marso Cassium Longinum, memoria regis amici hoc tribuens, à quo adhuc viuo per literas sæpiùs rogatus fuerat, vt Marsum ab administranda Syria amoueret.* Agrippa rex decessit, teste Io-

Iosepho, anno quarto imperij Claudij, qui fuit Vrbis Romę 797. quo anno Cassius Longinus præses in Syriam peruenit. Laudatus mihi proximè Apollonius Bassettus in nitidissimo Museo, quod plurimis inscriptis antiquitùs marmoreis tabulis, signis, numismatibus, alijsque id genus vetustioris ætatis monumentis copiosè æquè ac eleganter instruxit, Cassij Longini nummum & rarum & insignem possidet: cuius hic typum exhibeo.



In priori parte nummi eadem omninò Inscriptio legitur, vt in superiori nummo Petronij: IM. TI. CLAVDIVS AVG. GER. Alterius verò partis epigraphe Græca legitur: ΕΠΙ ΚΑΣΣΙΟΥ. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΕΤους ϛϟ: *Sub Cassio. Antiochensium. Anno XCVI.* Nummum eximiè insignit nota numeralis, qua sextus numerus designatur; est enim similis Latinæ literæ maiori R, sed iacenti seu supinæ. Græci sæpiùs ad senarium numerum grandiori nota designandum, maiori Latinorum S litera vtebantur, vti varijs exemplis in hac ipsa Dissertatione cap. 9. §. 1. exponam. At Antiocheni maiori Romanorum litera R iacente tum in hoc nummo, tum etiam in altero Quinctilij Vari capite 8. producendo, numerum VI. designarunt. Quæ sanè nota cum in nummis rarissimè occurrat, ijsdem etiam precium addit. Cassius, qui in delineato nummo scalptus legitur, est C. Cassius Longinus, celebris Iuris consultus, de quo Pomponius *Digest. de orig. iuris*, scribit: *Hic Consul fuit cum Quartino temporibus Tiberii.* Quod collegium Consulum à magno Panuinio in Fastis ad A. V. 783. ita describitur: *M. Vinicius Quartinus & C. Cassius Longinus Iuris-consultus.* Panuinij voces ceteri Fastorum Scriptores fideli Echo reddiderunt. Vulgarem tamen errorem emendaui pag. 12. Epistolæ Consularis ad eruditissimum amicum meum Antonium Pagy. Nam Gruteri pag. 1087. recitatur fragmentum Fastorum municipalium vnà cum quibusdam Romanis Consulibus, quos inter leguntur

L. CASSIVS. LONGINVS. M. VINICIVS. COS

SVF. C. CASSIVS. LONGINVS

L. NAEVIVS. SVRDINVS

Ex hac Inscriptione colligimus C. Cassium Longinum A. V. 783. fuisse Consulem suffectum, non verò ordinarium, vt hactenùs in Fastis descriptus est; & insuper eius collegam perperàm in libro Pomponij *Quartinum* nuncupari, qui *Surdinus* dicendus erat. Hinc alter Panuinij ac aliorum error emendatur, qui Vinicio Consuli ordinario *Quartini* cognomen addiderunt. In nummis III. virum Monetalium sub Augusto legitur L. NAEVIVS SVRDINVS. Iacobus Sponius sect. 2. Miscell. art. 7. pag. 7. recitat epigramma à Magistris fontium dicatum:

L. CASSIO. LONGINO. M. VINICIO. COS —

Itaque L. Cassius Longinus A. V. 783. consulatum ordinarium gessit; Caius verò Cassius Longinus eodem anno consulatu suffecto functus est. De vtroque plura adnotaui pag. 332. de Cenotaphijs Pisanis. Iosephus lib. 20. laudato, scribit C. Cassium Syriæ præsidem, cum Hierosolyma aduenisset, à Iudæis rogatum, vt ipsis stolam Pontificiam restitueret; ac re ad Claudium Cæsarem delata, Iudæos voti compotes factos, datis ad eosdem literis cum titulo: *Claudius Cæsar Germanicus, Tribunicia potestatis V. Consul designatus IIII. Imp. X. &c.* & signatur epistola: *Dat. IV. Kal. Iulias, Rufo, & Pompeio Siluano Coss.* Imperator Claudius A. V. 798. IV. Kal. Iulias erat Tribuniciæ potestatis V. ac Consul designatus IV. in annum Vrbis à parilibus DCCC. In vetustis etiam Inscriptionibus Gruteri pag. CLXXVI. 5. CCXXXVII. 8. & alibi dicitur TRIB. POT. V. COS. DES. IIII. Ex quibus patet Claudium designatum Consulem IV. biennio antequàm magistratum iniret. Hinc etiam colligimus C. Cassium fuisse præsidem Syriæ A. V. 798. Agrippa rege anno superiori demortuo. Tacitus lib. XI. Ann. ad A. V. 800. Claudio Augusto IV. & L. Vitellio Coss. de Bardane rege Parthorum scribit: *Exin validissimas præfecturas inuasit, & reciperare Armeniam, ni Vibio Marso Syriæ Legato bellum minitante, cohibitus foret*; vbi eodem anno recitat ludos Sæculares anno vrbis Romæ DCCC. à Claudio celebratos. Ex his Vsserius

putat

putat Tacitum circa tempus Syriacę administrationis Vibij Marsi à Iosepho discrepare, quocum etiam ipse idem opinabar in libro de Cenotaphijs Pisanis; siquidem Iosephus Marso in vrbem A. V. Romę 797. reuocato, Cassium Longinum Syrię præsidem memorat. Sedulus veterum nummorum scrutator Ioannes Vaillantius, cum Florentiam aduenisset, hanc mihi abs se visi numismatis inscriptionem ostendit: ΕΠΙ ΚΑΣΣΙΟΥ. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΔϞ: *Sub Cassio. Antiochensium. Anno XCIV.* Epocha Antiochena cœpit ab autumno A. V. Romę 705. Quare annus eiusdem 94. inijt ab autumno A. V. Romę 798. quo C. Cassius Longinus præses Syriam, vti Iosephus scribit, administrabat. Nec oppositum ex Tacito deducitur; ille enim lib. 11. scribit Parthos post necem Bardanis, legatos Romam misisse A. V. 800. Porrò eius legationis occasione, regreditur ad narranda bella ciuilia inter Bardanem eiusque fratrem Gotarzem pro occupando regno Parthorum. Ibi tradit Bardanem, fratre in Hyrcaniam secedente, imperium occupasse, qui rerum felicitate elatus, *exin*, inquit, *validissimas præfecturas inuasit, & reciperare Armeniam, ni Vibio Marso Syriæ Legato bellum minitante, cohibitus foret*. At postea recitata victoria Bardanis, ait: *prosperisque præliis medias nationes subegit ad flumen Gindem, quod Dabas Arriosque disterminat. Ibi modus rebus secundis positus*. Tum narrat occiso postea Bardane, ac Parthis luxum ac sæuitiam Gotarzis, qui regnum occupauerat, pati recusantibus, ab ijsdem occultis precibus Imperatorem Claudium rogatum, vt illis Meherdatem Romę obsidem, regem concederet. Hæc occulta Parthorum legatio missa est memorato anno Vrbis 800. cetera verò superioribus annis contigerant, quæ vno historiæ filo ibidem Tacitus recitauit, vt eiusdem legationis causam altiùs deduceret. Hinc nulla Tacitum inter ac Iosephum de annis Syriaci regiminis Marsi discrepantia est. In nummo Cassij præsidis mihi superiùs delineato, signatur annus Antiochenorum XCVI. qui cœpit ab autumno A. V. Romę DCCC. Idem Tacitus lib. 12. narrans gesta A. V. 802. C. Pompeio, Q. Verannio Coss. scribit de Claudio Meherdatem iuuenem ad auitum Parthorum regnum capessendum, dimittente: *Post hæc C. Cassio, qui Syriæ præerat, deducere iuuenem ripam ad Euphratis iubet. Ea tempestate Cassius ceteros præeminebat peritia legum; nam militares artes per otium ignotæ, industriosque ac ignauos pax in æquo tenet. Attamen quantum sine bello dabatur, reuocare priscum morem, exercere legiones, cura, prouisu, agere perinde ac si hostis ingrueret. Ita dignum maioribus suis & familia Cassia ratus, per illas quoque gentes celebrata*. Plura de Cassio collegi in Cenotaphijs Pisanis.

V 2 In

In maximis Cimelijs Mediceis feruatur nummus Quadrati præfidis Syriç adeo pulcher ac nitidus, vt nudiustertiùs ex monetaria officina prodijsse videatur. Ecce illius typum.



In antica parte cum capite turrito vrbis Antiochiç legitur: ANTIOXEΩN, *Antiochensium*; in postica verò cum ariete ac sidere intra Lunam bicornem, obuijs Antiochiç symbolis: EΠI KOYAΔPATOY. ET. ΔP. *Sub Quadrato*. *Anno CIV.* qui cœpit ab autumno A. V. Romç 808. eodemque secundo imperij Neronis III. Idus Octobris. Tacitus lib. 12. Ann. ad A. V. 804. Claudio Cæsare imperante, laudat *T. Vinidium Quadratum præsidem Syriæ*, qui tamen Iosepho lib. 20. Antiq. cap. 5. *Numidius Quadratus* nuncupatur. Ita Plinius lib. 6. epist. 11. alium *Numidium Quadratum*, & lib. 7. epist. 24. *Numidiam Quadratillam* illius auiam, recèns anno ætatis octogesimo defunctam, commendat. Vir doctissimus Iohannes Mabillon, cuius amicitia summo mihi honori est, pag. 126. Itinerarij Italici, insignem Inscriptionem recitat, quæ in celeberrimo Casinate monasterio propè archiuum vetustis characteribus lapidi incisa visitur, eaque omnes Quadrati Syriç præsidis magistratus domi forisque gestos, exponit. Verùm Typographi negligentia, præter alia errata, non modò Quadrati familia perperàm effertur, verùm etiam integer versus omittitur. Nam ibi Quadratus dicitur C. VMMIDIVS

LEG. DIVI. CÆS. AVG. D. F. IN. LYRICO,

EIVSDEM. ET. NERONIS CÆSARIS

AVG. IN. SYRIA. PROCOS. AVG. AD. CVR.

Ita vt idem Quadratus Augusti olim in Syria, ac iterùm Neronis in eadem prouincia Proconsul obtrudatur; cum à morte Augusti ad

ad initium imperij Neronis anni XXXX. numerentur, ac nullus sub Cæsaribus Proconsul Syriam rexerit. Porrò laudatum epigramma iuxtà lapideum exemplar à viro erudito diligenter exscriptum (id mei causa curante V. C. Raphaele Fabretto harum rerum studiosissimo) accepi. Nempe:

C. VMMIDIO. C. F. TER. DVRMIO
QVADRATO. COS. XV. VIR. S. F
LEG. TI. CAESARIS. AVG. PROV. LVSIT
LEG. DIVI. CLAVDI. IN. ILLYRICO. EIVSDEM. ET
NERONIS. CAESARIS. AVG. IN. SYRIA. PROCOS
PROVINC. CYPRI. Q. DIVI. AVG. ET. TI. CAESARIS
AVG. AED. CVR. PR. AER. X. VIR. STLIT. IVD. CVRAT
TABVLAR. PVBLICAR. PRAEF. FRVM. DANDI. EX. S. C

Ex hoc insigni monumento prænomen ac familia Quadrati Syriæ præsidis hactenùs perperàm in editis voluminibus descripta, intelliguntur; siquidem C. *Vmmidius Durmius Quadratus* vocabatur, è Tribu Terentina. Durmia gens Romana in nummis occurrit. Vmmidia verò in pluribus apud Gruterum Inscriptionibus, alijsque ineditis memoratur. Verùm in vetustis codicibus non semel rectè Vmmidius Quadratus Syriæ præses legitur. Extat in Bibliotheca MSS. Medicea ad D. Laurentij, in pluteo LXVIII. codex Taciti num. 28. literis Longobardicis exaratus, vbi in lib. 14. legitur: *Corbulo in Syriam accessit, morte Vmidii legati vacuam*: quæ pariter habentur in altero ibidem codice num. XXVI. vti etiam in pluribus MSS. Vaticanis, videlicèt in codice Taciti num. 585. inter Vrbinates & in duobus Vaticanis num. 1958. & 3405. Spartianus cap. 15. de vita Hadriani scribit: *Numilium Quadratum, & Catilium Seuerum, & Turbonem grauiter insecutus est.* Salmasius in notis monet in Palatino codice ac veteri editione legi: *Vmidium Quadratum*; quod & in regio volumine pariter legi testatur suis etiam in notis Casaubonus. Erat hic alter Quadratus prioris filius aut certè affinis. Præterea in eadem Bibliotheca Medicea in codicibus epistola-

rum

rum Plinij, lib. 6. in epiſtola, quæ incipit: O *diem lætum*, quæ in editis eſt XI. laudat Plinius *Fuſcum Salinatorem & Numidium Quadratum*. Ibidem in codice num. 34. legimus *Vminidium Quadratum*; at in alio num. 32. rectè ſcribitur: *Vmidium Quadratum*, cuius auia in epiſtola 24. lib. 7. in eiſdem codicibus dicitur *Vmidia*, & *Commidia*, quæ planè *Vmmidia Quadratilla* dicenda eſt. Et quidem fictam eſſe Numidiorum apud Romanos gentem inde etiam colligo, quòd *Numidii* nuſquàm in vetuſtis apud Gruterum monumentis memorantur; cum tamen *Vmidii* ſiuè *Vmmidii* in inſcriptis antiquitùs ſaxis ſæpiùs legantur. Quaſdam ineditas Vmmidiorum Inſcriptiones Raphael Fabrettus V. C. mecum communicauit. In baſe grandiori effoſſa anno 1687. via Latina, XI. ab Vrbe lapide, legitur.

C. IVLIO. ASPRO

COS. PRAETORI

CVRATORI. VIAE

APPIAE. SODALI

AVGVSTALI. TRIB

PL. PR. QVAESTORI

PROV. AFRICAE. CV

RATORI. AEDIVM. SACR

SEX. VMIDIVS

AMICO

INCOMPARABILI

Hoc præ ceteris epigramma recitaui, quòd idem dicatum eſt C. Iulio Aſpro vnà cum fratre Conſuli, imperante Antonino Caracalla A. V. 965. Chriſti 212. Illius familiam perperàm in Panuinij aliorumque Faſtis deſcriptam, reſtitui pag. 126. Epiſtolæ Conſularis ex Dionis excerptis apud Leunclauium, Caij tamen prænomine omiſſo, quod memorata demum Inſcriptio prodidit. Idem Vir do-

doctissimus alterum mihi epigramma eodem pariter loco erutum, atque eidem Aspro Consuli dicatum, indicauit; videlicèt.

..IVLIO . CN . F . PO

ASPRO

PR . TR . PLEBIS

QVAEST . PROVINCIAE

AFRICAE

CORNELIVS ....

AMICO . INCOMPA

RABILI

In excerptis Dionis apud Henricum Valesium pag. 743. legimus Antoninum Caracallam eximios honores in Iulianum Asprum congessisse; vbi ex recitata Inscriptione *Iulium Asprum* legendum censeo. Addit Dio: *Cum ad maximum culmen extulisset ipsum ac filios tot simul fascium pompa &c.* Ex his Valesius rectè opinatur Aspros Consules sub Caracalla fuisse fratres. Duo verò recitata elogia dicata fuisse non patri, sed alterutri eiusdem filio indicant magistratus ab eodem gesti, quorum maximus est consulatus; cum ex Dione colligamus patrem maioribus longè honoribus decoratum fuisse. Hinc pater fuit *Cneus Iulius Asper*, cuius filius *C. Iulius Asper* fuit Consul anno Christi 212. vnà cum *Cn. Iulio Aspro* fratre; siquidem quispiam filiorum vulgò prænomen patris ferebat.

In editis ac MSS. codicibus Iosephi, quos vidi, legitur *Numidius Quadratus* præses Syriæ, qui textus ex tot alijs laudatis emendandus venit, ac præsertim ex Casinate Inscriptione, ex qua plures Vmmidij Quadrati magistratus ac dignitates innotescunt. Nam sub exitum imperij Augusti ac Tiberio nouo principe A. V. 767. quæsturam Romę gessit. Consulatu suffecto perfunctus, Cyprum postea prouinciam pro Consule administrauit, ac Legatus à Tiberio Lusitaniæ impositus fuit. Idem à Claudio principe Legatus proprætor in Illyricum missus; dein Syriam eiusdem Cæsaris Legatus rexit, C. Cassio successor datus circa A. V. 803. vt ex Taciti Ann. osten-

ostendi Differ. 2. de Cenotaphijs Pisanis pag. 332. Idem Tacitus lib. 13. A. V. 808. ac primo imperij Neronis, eodem Principe ac L. Antistio Vetere Coss. scribit: *Syria P. Anteio destinata, & variis mox artibus delusus, ad postremum in Vrbe detentus est*. Ita diutiùs C. Vmmidio Quadrato imperium in Syria prorogatum est, quod tandem A. V. 813. in prouincia cum vita reliquit, hæc scribente eodem Tacito lib. 14. *Corbulo in Syriam accessit, morte Vmmidii legati vacuam*. Obijt septuagenario maior; siquidem A. V. 767. quæsturam gesserat, quæ lege Annali id temporis candidatis ante annum 25. ætatis non dabatur. Idem autem Quadratus fuerat in Vrbe Ædilis curulis, Prætor Ærarij, Decemuir litibus iudicandis, Curator publicarum tabularum, præfectus frumenti dandi, ac vnus etiam è Collegio XV. virum sacris faciundis; & horum omnium notitiam vni Inscriptioni laudatæ debemus.

Ezechiel Spanhemius editis voluminibus ac Principum legationibus gnauiter ac feliciter administratis, illustrissimus, in Differt. IX. pag. 886. laudat nummum Neronis in postica inscriptum: ΕΠΙ ΚΕΣΤΙΟΥ. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΔΙΡ. *Sub Cestio. Antiochensium. Anno* CXIV. Eundem nummum recitat V. C. Harduinus pag. 52. cui annus Antiochenorum 114. dicitur *Neronis postremus, seu XIV. qui idem Vrbis fuit* DCCCXX. Errat; tum quia Epocha Antiochena cœpit A. V. Romæ 705. ac proindè annus eiusdem 114. in laudato nummo signatus, inijt per autumnum A. V. 818. Nerone III. Id. Octobris annum imperij XII. auspicante; tum quia anno eiusdem XIV. qui cœpit ab Octobri A. V. 820. non Cestius, sed Licinius Mucianus præses Syriam tenebat. Tacitus lib. 2. Hist. vti superiùs notabam, de Vespasiano ac Muciano scribit: *Ceterùm hic Syriæ, ille Iudææ præpositus, vicinis prouinciarum administrationibus inuidia discordes, exitu demùm Neronis positis odiis, in medium consuluere*. Nero semet interfecit mense octauo anni XIV. principatus, Muciano Syriam administrante. Plura de C. Cestio Gallo adnotaui in Cenotaphijs Pisanis à pag. 334. quæ haud hic vacat repetere.

CA-

CAPVT V.

Cur Antiocheni nouam Epocham ab anno vrbis Romæ DCCV. ineundam decreuerint. Petauij V. C. opiniones de inducta ab Antiochenis eadem Epocha à victoria Pharsalica Cæsaris: ac de mense pugnæ ad Pharsalum, refelluntur. Samuelis Petiti sententiæ de inita Iulio Cæsari altera Dictatura apud Antiochiam, ac de Iuliana emendatione anni confutantur. Antiocheni nouam Epocham A. V. Romæ DCCVII. instituerunt. Opinio Scaligeri de Indictionibus quindecennalibus apud Antiochiam primum cœptis, reijcitur. Scipio anno vrbis Romæ DCCV. grauissima Antiochenis tributa imposuit. Eadem Cæsar Dictator II. releuauit. Hinc in illius honorem noua ab Antiochenis Epocha instituta; cuius tamen initij ante biennium deducti ratio adsignatur.

HActenùs locupletissimis tum veterum Scriptorum tum etiam numismatum apud Antiochiam scalptorum, testimonijs demonstratum est Epocham huiusce Vrbis initium cepisse anno à Roma condita DCCV. In præsentia indagandum superest, cur Antiocheni ab eo anno nouę Æræ caput deducendum decreuerint. Vetus Scriptor Chronici Alexandrini initio proximi capitis laudatus, ait: *Et appellatus est idem Iulius Cæsar Dictator apud Antiochiam die tertio ac vicesimo mensis Artemisii. Itaque nominatur in ipsius honorem magna Antiochia annus primus: idemque quindecennalis Cycli annus primus.* Hic duo Auctor tradit; nempè in honorem Cæsaris Dictatoris nouam ab Antiochenis Epocham institutam fuisse, ac ab eodem anno Indictiones quindecennales exordium apud Antiochiam habuisse. Vtrumque tamen in dubium reuocatur. Nam anno Vrbis Romæ 705. bello ciuili Cæsarem inter ac Pompeium conflato, Q. Cæcilius Scipio Pompeij socer, Proconsul Syriam obtinuit, vbi terrestres ac maritimas contra Cæsarem copias coegit. Cicero lib. 9. ad Atticum epist. 1. ait: *Nam Scipio vel in Syriam proficiscitur sorte &c.* Data est epistola pridie nonas Martias A. V. 705. à Parilibus. Plutarchus de Pompeio in vita eiusdem scribit: *Scipionem verò socerum ac Cneum filium in Syriam misit ad classem comparandam.* Auctor est Iosephus lib. 14. Antiq. cap. 13. & lib. 1. de bello cap. 13. Alexan-

xandrum Aristobuli Iudæorum regis siuè Ethnarchæ filium à Scipione Syriam administrante, acta pro tribunali causa, damnatum, ac apud Antiochiam securi percussum fuisse. Cæsar lib. 3. de bello ciuili, plura auarè & acerbè Scipioni in Syria gesta recenset, de quibus mox sermo redibit. Scipio verò incumbente autumno eiusdem A. V. 705. vt ait Cæsar, *legiones equitesque ex Syria deduxerat* in hiberna apud ditiores Asiæ vrbes. Quare cum Antiocheni A. V. 705. Scipioni parerent, ac Pompeianas partes sequerentur, nullam eo anno Epocham in honorem Cæsaris instituere potuerunt. Eodem anno Cæsar fugato ex Italia Pompeio, bellum in Hispaniam transtulit, victisque Pompeij Legatis ac legionibus, victor in Italiam reuertens, opera M. Æmilij Lepidi prætoris Vrbani Dictator creatus fuit. Appianus lib. 2. bel. ciuil. scribit bellum in Hispania à Cæsare *labente æstate* profligatum. Ipse verò Cæsar lib. 2 bel. ciu. cap. 22. ait: *Cæsar Tarracone discedit, pedibusque Narbonem, atque inde Massiliam peruenit. Ibi legem de Dictatore latam, seque Dictatorem dictum à M. Lepido pratore cognouit*. Cæsar cum exercitu in Italiam descendens, militibus per Apuliam distributis, Romam ingressus, Dictaturam init. Hæc per autumnum contigisse colligo ex eodem Cæsare lib. 3. bell. ciu. cap. 2. vbi de legionibus in Epirum transuehendis, scribit: *Atque ex copia ipsa hoc infrequentiores imponuntur, quòd præter alia incommoda, grauis autumnus in Apulia circaque Brundusium ex saluberrimis Galliæ & Hispaniæ regionibus omnem exercitum valetudine tentauerat*. Anno insequenti V. C. 706. pugnatum est apud Pharsalum, quo prœlio victus à Cæsare Pompeius, cum paucis in Ægyptum nauibus fugam arripuit. Cum verò Paphum in Cypro appulisset, vt scribit Cæsar lib. 3. cit. cap. 102. *cognouit consensu omnium Antiochensium, ciuiumque Romanorum, qui illic negotiabantur, arcem Antiochiæ ante esse captam, excludendi sui causa, nunciosque dimissos ad eos qui se ex fuga in finitimas ciuitates recepisse viderentur, ne Antiochiam adirent; si id fecissent, magno eorum capitis periculo futurum*. Petauius eruditissimus scriptor, lib. 10. doctr. Temp. cap. 62. tradit pugnam Pharsalicam contigisse *duodecimo circiter Maij* anni Iuliani proleptici. Cum verò hæc in Chronico Alexandrino legantur: *Et proposita in vrbe magna Antiochiæ libertas ipsius, quando & Romanis subiecta est vicesimo die Artemisii mensis*; ex hoc ac proximo Cæsaris testimonio idem Petauius hæc colligit: *Quare statim à Pharsalica pugna, Antiochia illa gesta sunt, quæ Chronici Alexandrini Auctor prodidit. Cum verò in Fastis esset notatus Artemisii Lunaris vicesimus dies, qui postea exscripserunt, ad Maium anni Solaris Iuliani retulerunt*. Addit tunc eosdem Antiochenos nouam Epo-

cham

cham instituisse in honorem Cæsaris, ad cuius partes post nuntium victorię ad Pharsalum, statim transierant; cuius quidem Epochę illum ipsum annum tunc labentem primum esse voluerunt, qui cum inierit ab Hyperberetæo A. V. Romę 705. hinc colligit, cur eadem Epocha ab hoc anno originem duxerit.

Hæc Petauij sententia de anno institutę primùm nouę ab Antiochenis Epochę, falsa est. Nam Auctor laudati Chronici ait: *Et appellatus est idem Iulius Cæsar Dictator in vrbe magna Antiochia vicesimo tertio, mensis Artemisii. Nominatur itaque magna Antiochia in ipsius honorem annus primus*. Ioannes Malela Antiochenus lib. 9. Chronicorum MSS. apud Vsserium tom. 2. Annal. ad annum Periodi Iulianę 4667. scribit *die duodecimo mensis Artemisii siuè Maii*, Antiochię propositum fuisse edictum de Iulij Cæsaris imperio; & die 20. missum eò edictum eiusdem Cæsaris de libertate Antiochenorum; ac tandem die 23. Cæsarem Antiochiam ingressum. Hæc vtriusque Chronici Scriptores ex vetustis Antiochenorum monumentis accepisse dicendi sunt. At omnia illa contigerunt A. V. 707. cum Cæsar Dictator II. ex Ægypto per Syriam contra Pharnacem exercitum duceret. Nam Cæsar A. V. 706. quando Pompeium vicit, non erat Dictator, sed Consul iterùm; ille enim Dictaturam alteram apud Alexandriam iniuit. Quare cum in laudatis Chronicis dicatur appellatus, siuè salutatus Dictator apud Antiochiam, hæc neutiquam contigere A. V. 706. vti Petauius opinabatur. Prætetea falsum est pugnam Pharsalicam duodecimo circiter Maij anni Iuliani proleptici contigisse. Equidèm nec Latini nec Græci scriptores, vt ait Velleius, *cruentissimum Romano nomini diem*, quo in Pharsalicis campis pugnatum est, designarunt. Illam tamen pugnam mense Iunio proleptico anni Iuliani peractam facilè ostendo. Cæsar lib. 3. bel. ciu. cap. 25. ait: *Multi iam menses transierant; & hiems iam præcipitauerat, neque Brundusio naues, legionesque ad Cæsarem veniebant*. At hiems vnà cum Iuliano Februario præcipitat. Aduenit tandem in Epirum cum nouis copijs Antonius. Tum Cæsar ac Pompeius proxima inuicem castra magnis operibus muniuerunt, cum vterque fame aduersarium vincere pertentaret. Scribit Cæsar cap. 49. *iamque frumenta maturescere incipiebant*; cum adhuc ad Dyrrachium castra castris essent opposita. At frumenta desinente Maio apud Dyrrachium incipiunt maturescere. Suetonius cap. 35. in Iulio Cæsare, ait: *Pompeium per quatuor ferè menses maximis obsessum operibus, ad extremum Pharsalico prœlio fudit*. Cum verò Pompeium obsederit, postquam hieme iam præcipitata, nouas eidem copias ex Italia Antonius transuexit, patet

X 2 ad

ad initium ferè Iunij anni Iuliani proleptici, Cæsarem apud Dyrrachium castra habuisse. Cum frumenti penuria laboraret, deiectis munitionibus, ac vasis conclamatis, in Thessaliam contendit; illum verò septimo die Pharsalum peruenisse tradit Appianus lib. 2. bel. ciu. Tum, vt idem Cæsar scribit cap. 72. *segetis idoneum locum in agris nactus, quæ propè iam matura erat*, aduentum Pompeij ibidem expectare constituit. Segetes in Thessalia sub initium Iunij propè iam sunt maturę. Idem cap. 82. scribit: *Pompeius paucis post diebus in Thessaliam peruenit*. Nempè inito Iunio anni Iuliani proleptici. Cum verò Cæsar ac Pompeius castra inuicem opposita metati essent, Cæsar *continentibus diebus* aciem instruebat, ac prœlium Pompeio recusante, *in dies* Cæsarianis audacia spesq; simul augebantur, ibidem cap. 84. Ex his alijsque quę proximè contra Petitum adducam, patet prœlium Pharsalicum non contigisse circa diem duodecimam Maij A. V. 706. ac proinde nihil tunc potuisse in gratiam victoris Cęsaris ab Antiochenis decerni, vti doctissimus Petauius arbitrabatur.

Samuel Petitus lib. 4. Eclog. Chronol. cap. 16. eximiè commendat testimonium Chronici Alexandrini. Et rectè quidem docet ea quę ibi traduntur de libertate seu autonomia Antiochenis à Cęsare concessa, spectare ad annum Vrbis Capitolinum 706. siuè Varronianum 707. quo Cęsar ex Ægypto per Syriam contra Pharnacem profectus est. Nam eo anno Cęsar erat Dictator II. quem magistratum extrà Italiam adijt. Errat tamen Petitus scribens Cęsarem ex Ægypto profectum, cum Antiochiam aduenisset, Dictaturam ibidem iniuisse. Etenim Romani ceteros inter honores Cęsari post victoriam Pharsalicam decretos, eundem extra exemplum, annuum Dictatorem crearunt; ac proinde nullos in annum Vrbis 707. Consules designarunt. Hinc Cæsar Kalendis Ianuarijs apud Alexandriam Dictator II. annum aperuit, quo titulo eidem anno in Fastis prenotatur. Ita Cęsar cum postrema die Decembris Consulatu abijsset, ineunte anno Dictaturam iterum inijt; si tamen eandem non statim gessit, cum primum de eadem Senatus decretum accepit, vti Dio scribit lib. 42. Profectò Acta publica à Kalendis Ianuarijs A. V. 707. à publicis, hoc charactere temporis signata sunt: *C. Iulio Cæsare Dictatore iterum*, vt patet ex Fastis Capitolinis apud Panuinium, & Gruterum pag. 295. & ex indice Consulari pręfixo lib. 42. Dionis. Itaque in Chronico Alexandrino dicitur Cęsar *tertio ac vicesimo die Artemisii* ἐκλήθη Δικτάτωρ ἐν Ἀντιοχείᾳ, *appellatus*, id est, *salutatus Dictator Antiochiæ*, inter festiuas occurrentium ciuium acclamationes, cum ipsorum vrbem ingrederetur

retur, non verò quòd Dictaturam eo primùm mense ibidem inierit. Cicero lib. XI. ad Atticum epist. 19. scribit: *Decimo septimo Kalendas Septembris venerat die vicesimo octauo Seleucia Pieria C. Trebonius is, qui se Antiochiæ diceret apud Cæsarem vidisse Quinti filium cum Hirtio*. Scripta est epistola A. V. 707. quo C. Trebonius die 20. Quintilis Seleucia soluerat, cum proximè Cæsarem Antiochię reliquisset. Appianus lib. 2. bell. ciu. narrat Cæsarem *nouem menses* in Ægypto moratum fuisse, quò peruenerat sub initium Octobris paulò post necem Pompeij, quę contigit die 29. Septembris, vt eruditè ostendit Vsserius tom. 2. Annal. pag. 332. Ita Cęsar cum nouem in Ægypto menses substitisset, mense Quintili anni insequentis, fuit Antiochię. At tunc mensis Quintilis erat anni luxati Pompiliani, cuius tempestates extra rectos anni cardines excurrebant. Petitus pag. 293. ait diem 20. Quintilis Ciceroni memoratam fuisse in anno Iuliano diem secundam Iunij, qua C. Trebonius Seleucia discessit. Hęc ex correctione anni quam Cæsar A. V. proximo 708. peregit, facilè refelluntur. Suetonius de Iulio Cęsare scribit cap. 40. *Inter Nouembrem & Decembrem mensem interiecit duos alios: fuitque is annus, quo hæc constituebantur quindecim mensium cum intercalario, qui ex consuetudine in eum annum inciderat*. Reponit Petitus lib. 5. cap. 2. Dionem lib. 43. scribere annum à Cæsare emendatum fuisse, *intercalatis septem ac sexaginta diebus*. At Dio loquitur de extraordinaria intercalatione, quam Cęsar peregit supra ordinariam mensis Intercalaris iam ante nouum Cæsaris decretum, eodem anno post Terminalia mense Februario inserti. Huius testis venit Censorinus cap. 20. de die Natali, vbi ait: *Adeoque aberratum est, vt C. Cæsar Pontifex Maximus suo III. & M. Aemilii Lepidi consulatu, quo retrò delictum corrigeret, duos menses intercalarios dierum sexaginta septem, in mensem Nouembrem & Decembrem interponeret, cum iam mense Februario dies tres & viginti intercalasset, faceretque eum annum dierum CDXLV*. Eadem tradunt Solinus cap. 2. ac Macrobius lib. 1. Satur. cap. 13. Cæsar A. V. 708. bellum in Africa contra Scipionem ac fœderatos profligauit, & *Idibus Iunii*, vt ait Scriptor belli Africi, Vticę classem conscendit, Romam transmissurus. At Cæsare absente, Pontifices Romę mense Februario post Terminalia, mensem intercalauerant, *qui*, vt ait laudato loco Suetonius, *ex consuetudine in eum annum inciderat*. Cum verò post aliquot menses Cæsar ex Africa Romam aduenisset, anni correctionem executus, quo illum tum luxatum, è Lunari in Solarem mutaret, inter Nouembrem & Decembrem dies LXVII. inseruit; quos rectè Dio a Cæsare additos scribit; cum dies tres ac viginti

anno

anno eodem menſe Februario, decreto collegij Pontificum ex conſuetudine iam antea intercalati fuiſſent. Ita cum annus Pompilianus eſſet dierum 355. additis diebus XXIII. à Pontificibus priùs intercalatis, ac rursùs diebus LXVII. à Cæſare poſtea ſuperadditis, ille annus euaſit dierum CDXLV. vti Cenſorinus teſtatur. Cum verò antea alternis quoque annis modò dierum XXII. modò XXIII. intercalatio fieret, vt Lunares anni Solares vtcumque aſſequerentur, Solinus ac Macrobius eo anno correctionis menſem intercalarem dierum XXII. fuiſſe putant; Cenſorinus dierum XXIII. Hinc illi annum confuſionis faciunt dierum CDXLIV. hic verò dierum CDXLV. Ex his colligimus differentiam anni Pompiliani à Iuliano Solari cum menſe intercalari ac diebus 67. fuiſſe dierum XC. qui dant tres menſes tricenarios; vndè rectè Suetonius ait, annum correctionis, ſeu vt alij vocant, confuſionis, habuiſſe quindecim menſes. Cum Pontifices Romę alternis annis *ex conſuetudine* intercalarent menſem dierum 22. aut 23. ac anno qui fuit Vrbis à Parilibus 708. menſem intercalauerint, Cæſare in Africa bellum gerente; anno etiam Vrbis 706. eodem Cæſare in Ægypto morante, menſem poſt Terminalia intercalauerant; ita tamen vt ab anno Solari in anno Iuliano proleptico diebus 67. aberrarent. Cum annus verus Lunaris ſit dierum 354. horarum 8. & minut. 48. & annus Lunaris Pompilianus conſtaret diebus 355. patet vno ferè die ſingulos annos Pompilianos abundaſſe. Hinc vsquè ad exitum Februarij A. V. 707. à parilibus inchoandi, annus Pompilianus Lunaris à Iuliano præter illos dies LXVII. aberrabat diebus XI. Rursùs ab Aprili ad diem 20. Quintilis vno & altero die deficiebat, quia Aprilis ac Iunius anni Pompiliani erant dierum tantum XXIX. Quare ſumma dierum fuit LXXX. quibus A. V. 707. circa diem 20. Quintilis, annus Pompilianus à Solari Iuliano diſcordabat. Hinc a 20. Quintilis per dies octoginta retrocedendo, deueniemus ad diem ſecundam Maij anni Iuliani proleptici, qua Trebonius Seleucia Pieria diſcedens, Cæſarem proximè Antiochię reliquerat, quam in vrbem menſe Aprili peruenerat. Antiocheni tum temporis annos Lunares ſeruabant; in illis autem Artemiſius partim cum Aprili Iuliano proleptico & partim cum Maio concurrebat. Scriptor Chronici Alexandrini ac Ioannes Malela, quòd ſuo tempore Artemiſius Antiochenorum cum Maio Romano pari dierum numero decurrebat, ſcripſerunt Cæſarem Antiochiam die 23. Artemiſij ſiuè Maij ingreſſum, ac Dictatoris nomine à ciuibus ſalutatum. Petitus pag. 294. circa finem cap. 15. de Scriptore Chronici Alexandrini ſcribit: *Nouerat enim Artemiſium anni decimi octaui Ennea-*

deca-

decaeteridis Calippicæ Syromacedonum semper cœpisse in anno Iuliano die 23. mensis Aprilis, proindeque Artemisii diem vicesimum cadere in duodecimum Maii: Estque hic vicesimus Artemisii dies titulus & Epocha αὐτονομίας Antiochenorum. Hæc sunt fabulis proximiora. Nam puto ne semel quidem illum Chronographum de periodo Calippica cogitasse, cum ea in literas mitteret; imò & sine teste laudata periodus Antiochenis affingitur. Petauius lib. 10. cap. 62. satis probabiliter arbitratur Scriptorem Chronici Alexandrini in vetustioribus libris legisse signatos dies Lunaris Artemisij, quem ea ætate Antiocheni seruabant, antequam annum Solarem Iulianum reciperent. In vetustis Chronicorum voluminibus illos Artemisij dies signatos fuisse colligimus ex laudato Malela Antiocheno, qui eosdem pariter memorat. Iam verò A. V. Romę 707. ipsis palilibus, videlicèt die 21. Aprilis Nouilunium iuxtà medium motum, contigit in ipso meridie Antiochię. Ægidius Bucherius in tract. de Paschali Iudæorum Cyclo, eo anno, qui fuit 47. ante Æram Christi, iuxtà periodum Calippicam, qua Iudæos vsos contendit, statuit neomeniam Iiar die 21. Aprilis. Iosephus verò lib. 8. Antiq. cap. 2. loquens de secundo mense anni sacri Iudæorum, ait: *Hunc Macedones Artemisium vocant; Iiar verò Hebræi.* Hinc iuxtà hanc opinionem dies duodecimus Artemisij Lunaris A. V. Romę 707. correspondet diei secundo Maij in anno Iuliano proleptico; dies 20. Artemisij cum 10. Maij, ac deniquè illius 23. cum huius decimo tertio copulatur. Ceterùm siuè hoc posteriori, siuè priori modo dies Artemisij exponantur, aliquot tantùm dierum differentia notatur; nec vacat esse tam curiosos in ipso die aduentus Cæsaris Antiochiam demonstrando.

Interim lacuna laudati Chronici implenda est. Hæc ibi leguntur: *Ante IV. Idus Maias prima Indictionis. Et proposita in vrbe magna Antiochia libertas ipsius, quando & Romanis subiecta est, vicesimo die mensis Artemisii ab eodem Iulio Cæsare missa.* At Ioannes Malela apud Vsserium scribit *die duodecimo mensis Artemisii siuè Maii* de Iulij Cæsaris imperio edictum publicè Antiochię propositum fuisse; *& vicesimo* eiusdem mensis die de eiusdem vrbis libertate decretum illuc a Cesare missum; ac denique *die vicesimo tertio* Cæsarem Antiochiam ingressum. Ex his supplendum est Chronicon Alexandrinum, nempè: *Ante IV. Idus Maias prima Indictionis de Iulii Cæsaris imperio edictum publicè Antiochia propositum fuit.* Certè lacuna in Chronico patet; quia diem IV. Idus Maij signat, qua tamen nihil gestum recenset. Hactenùs de hoc Chronico; siquidem intelligo Carolum Dufresnium, qui ob edita vastę eruditionis volumina,

in

in ore famę versatur, emendatiorem eiusdem Chronici editionem adornare: cuius gratia ad eundem ex Vaticano codice plerasque correctiones se transmisisse mihi nuper narrabat doctissimus Iohannes Mabillon, cum anno proximo 1686. Etruscas MSS. codicum Bibliothecas idemmet βιβλιοθήκη περιπατῶν, vnà cum P. Michaele Germain studiorum socio literatissimo ac itinerum comite iucundissimo, perlustrans, puluerulentis pluteis affixus, vetustiorum Auctorum volumina, literarię Reipublicę censum aucturus, exscriberet.

Ex ijs quæ fusiùs disputando, exposui, origo novæ Antiochenorum Epochæ satis probabiliter deducitur. Nam cum Cæsar A. V. 707. bello in Ægypto feliciter profligato, contra Pharnacem regem Ponti per Syriam proficisceretur, Antiochiam ingressus, ciues qui post victoriam Pharsalicam Pompeianas statim partes reliquerant, varijs priuilegijs siuè beneficijs ornauit. Horum præcipuum fuit autonomia, quam à Pompeio olim emerant, lege Dictatoria Antiochię iterùm sancita: nempè vt suis legibus vti possent. Cum verò Antiocheni ab A. V. Romę 690. Pompeiana Epocha vsi fuissent, eadem omissa, in honorem victoris Cæsaris nouam Æram instituerunt. Hæc puto certa esse. Verùm initium huiusce Epochę non ab eodem anno Vrbis Romę 707. deductum voluerunt, vti falsò Petitus ac Harduinus putarunt, sed ab A. V. 705. colligendum esse decreuerunt, quòd locupletissimè mihi superiùs demonstratum est. Vsserius tom. 2. Annal. ad annum Per. Iulianę 4665. scribit Antiochenos ob honorem Cæsaris qui priorem Dictaturam anno vrbis Romę 705. accepit, inde suæ ipsorum Epochæ exordium deduxisse, à qua annos imperij eiusdem Cæsaris Scriptor etiam Chronici Alexandrini auspicatur: *Anno primo*, inquit, *C. Iulii Cæsaris sub præmisso consulatu Lepidi & Planci, duodecimo die mensis Artemisii ab Antiochenis sua tempora numerantur. Et Indictiones incipiunt à prima die mensis Gorpiai*. Consulum ordo passim eo in Chronico luxatus est. Ibi verò tradit Cæsarem Dictatorem imperasse *annos quatuor, menses septem*. Cæsar occisus fuit die 15. Martij A. V. à parilibus 710. vndè per annos quatuor ac menses septem retrò numerantes, venimus ad Septembrem A. V. 705. Artemisius tamen anni primi imperij Cęsaris pertinet ad A. V. 706. Hęc Vsserij sententia minùs fortaslè probanda videri possit, quòd Cæsar eo A. V. 705. creatus fuit Dictator comitiorum tantùm habendorum: non autem rei gerundę causa, quæ longè nobilior Dictatura erat. Nam cum Consules ac cęteri Magistratus A. V. 705. Roma cum Pompeio in Epirum difugissent; nec Consularia comitia à prętore

re haberi possent, M. Lepidus pretor Cæsarem lege per populum lata, Dictatorem creauit COMIT. HABEND. CAVSSA. Cæsar initio lib. 3. bell. ciu. ait: *Dictatore comitia habente Cæsare, Consules creantur Iulius Cæsar & P. Seruilius*. Et pauló inferius: *His rebus & feriis Latinis comitiisque omnibus perficiundis vndecim dies tribuit, Dictaturaque se abdicat, & ab Vrbe proficiscitur*. Quare cum ea prima Dictatura Cæsaris vndecim tantum dies durauerit, vix Antiochenis nota fuisse videtur; tantum abest, vt ab eadem nouam Epocham exordiri voluerint. Cæsar cum semet Consulem in proximum annum designandum curasset, Dictatura se abdicauit, cum consulare imperium ad bellum gerendum obtinuisset. Egregie Lucanus lib. V. cum dixisset Cæsarem ex Dictatore Consulem factum, ait:

Namque omnes voces, per quas iam tempore tanto
Mentimur dominis, hæc primùm repperit ætas,
Qua sibi, ne ferri ius vllum Cæsar abesset,
Ausonias voluit gladiis miscere secures.
Addidit & fasces Aquilis, & nomen inane
Imperii rapiens &c.

Quamuis verò Cæsar vndecim tantùm diebus Dictaturam gessit, anno proximo Vrbis 706. post victoriam Pharsalicam iterùm Dictator, sed annuus à Romanis creatus fuit; & anno 707. Dictator iterùm *Reip. constituendæ causa* in Fastis signatur. Cum verò eodem anno amplissimo Dictaturę magistratu præditus, Antiochiam venisset, ciues nouam Epocham in ipsius honorem instituerunt, quam tamen inchoandam decreuerunt ab anno Vrbis Romę 705. ob rationes, quas postea adduco.

Scaliger cum notasset Scriptorem Chronici Alexandrini ab A. V. 705. inchoare apud Antiochiam Cyclum Indictionum ex quinis denis annis compositum, ac Hadrianum remissionem debitorum fisco sexdecim annorum spatio, quot ab vna ad alteram Indictionem inclusiuè numerantur, circumscripsisse; & rursùs M. Aurelium Augustum alteram remissionem publicorum debitorum indulsisse ad annos, vt ait, XLV. qui tres Indictiones constituunt, hoc quoque beneficium à Cęsare Antiochenis A. V. 705. collatum putat. Eius verba sunt in notis Eusebianis num. 2134. *Idem fecisse videtur Iulius Cæsar Antiochensibus, qui annos suos ab Indictione Cæsariana putabant, nimirùm à remissis vnius Indictionis, siuè trium lustrorum reliquis. Atque adeo ab illa Epocha Antiochensi ad hanc Hadriani Indictionem præterierunt Indictiones vndecim absoluta*. Hanc Scaligeri opinionem à viro eruditissimo eximiè laudari intelligo, cuius nomen non

prodo, quòd ea quę proximè ſubijcio, in priuatis tantùm literis expoſuit. Et ille quidem notat Pompeium A. V. 690. Antiochiam Romano imperio tributariam feciſſe; illo enim anno Pompeium fuiſſe Antiochię teſtatur in Chronicis MSS. Malela Antiochenus, qui etiam ſcribit eundem die 19. Iunij inde diſceſſiſſe. Itaque Pompeius cum Antiochenſibus tributa Populo Romano penſitanda impoſuit, ea per tria luſtra, id eſt, integram Indictionem diſpoſuit. Quare cum A. V. 705. Pompeiana Indictio exijſſet, & altera ſequeretur: ac anno eius ſecundo Cæſar Antiochiam ex Ægypto aduenisset, ciues eandem Indictionem Cæſarianam nuncuparunt, à qua etiam annos ſuę vrbis deinceps numerandos, in gratiam Cæſaris decreuerunt. Euagrius quidem lib. 2. cap. 12. narrat Antiochiam Traiano imperante, ingenti terræ motu vaſtatam fuiſſe *anno centeſimo quinquageſimo nono τῆς αὐτονομίας, ab obtenta autonomia*, ſiuè *poſtquàm ſuis legibus vti permiſſa fuit*. Quæ tamen in idem recidunt cum de tempore ſermo eſt; ſiquidem eodem anno Vrbis Romę 690. populus Antiochię ita αὐτόνομος factus eſt, vt tamen Romanis primùm tributarius vnà ſimul eſſe cœperit. In hoc autem Cæſari adulati ſunt; quòd Pompei Quindecennio excluſo, Æram ſuam ab alterius Indictionis exordio iterùm ineundam ſtatuere; quòd ſecundo eiuſdem Indictionis anno Cæſar Antiochię præſens, eandem vrbem non vno beneficio ſibi deuinxit.

In hac ſententia vnum diſplicet, quòd Indictiones ſiuè Cyclum quindecim annorum iam indè a Pompeio Syriam occupante, inſtitutum putat. Nam apud Romanos non per trina, ſed per ſingula luſtra tributa ac locationes diſponebantur. Plinius lib. 9. epiſt. 37. ait: *Præſertim cum me neceſſitas locandorum prædiorum plures annos ordinatura detineat, in qua mibi noua conſilia ſumenda ſunt. Nam priore luſtro, quanquàm poſt magnas remiſſiones, reliqua creuerunt &c.* Publicorum etiam tributorum collatio in quinquennium apud Romanos publicanis locabatur. Varro lib. 5. de Lat. lingua: *Luſtrum*, inquit, *nominatum tempus quinquennale, à luendo; hoc eſt ſoluendo: quòd quinto quoque anno vectigalia & vltrò tributa per cenſores perſoluebantur*. Cicero in Verrina IV. ait: *Quinto quoque anno Sicilia tota cenſetur. Erat cenſa Prætore Peduceo. Quintus cum te Prætore incidiſſet, cenſa denuò eſt*. Et antea de Cenſoribus ait: *Ille enim magiſtratus apud Siculos diligentiſſimè mandatur à populo propter hanc cauſam, quòd omnes Siculi ex cenſu quotannis tributa conferunt*. Idem Cicero lib. 6. ad Atticum epiſt. 2. cum eſſet Proconſul Ciliciæ, ſcribit: *Mira erant in ciuitatibus ipſorum furta Græcorum, quæ magiſtratus ſui fecerant; quæſiui ipſe de iis, qui annis decem proximis magiſtratum*

tum gesserant; nempè per duo proximè lustra præterita; statimque addit: *Populi autem nullo gemitu, publicanis, quibus hoc ipso lustro nihil soluerant, etiam superioris lustri reddiderunt. Itaque publicanis in oculis sumus*. Ita passim solutiones tributorum per lustra, nusquàm per Indictiones quindecim annorum siuè trium lustrorum in Romanis scriptoribus occurrunt; siquidem istæ Indictiones auctorem habuerunt Constantinum Magnum, cum profligatis apud Veronam Maxentij exercitibus, nouas indictiones Italię imposuit. Hoc quòd Verona mihi patria est, ac omnium primus Panuinius Veronensis eo de argumento prolixiùs disputauit, alia occasione demonstrabo; neque enim licet hic Antiochia omissa, Veronam subitò sermonem conuertere, ac grandius parergon de Indictionibus Constantinianis inserere. Syria superior A. V. Romę 690. à Pompeio subacta, *tum primum facta est stipendiaria*, vti scribit Velleius lib. 2. publicanorum societatibus ibidem constitutis. Hi erant Equites Romani, qui per singula lustra prouinciarum tributa certa pecunię summa conducebant. Cum Cæsar Populum, ac Equestrem ordinem contra Optimates sibi addere pertentaret, plebi agrum Campanum diuisit. Dio lib. 38. scribit: *Ob hæc acta, Cæsar populum sibi obstrictum fecit: Equites verò, tertiam eis partem vectigalium, qua nomine redempturarum debebant, remittens. Ipsi enim omnibus vectigalibus præerant, &c.* quæ etiam in Iulio Cæsare cap. 20. Suetonius narrat: *Publicanos*, inquiens, *remissionem petentes, tertia mercedum parte releuauit: ac ne in locatione nouorum vectigalium*, quæ nempè proximo lustro facienda erat, *immoderatiùs licerentur, propalàm admonuit*. Cicero initio orationis pro lege Manilia: *Equitibus*, inquit, *Romanis, honestissimis viris afferuntur ex Asia quotidie literæ, quorum magnæ res aguntur in vestris vectigalibus exercendis, occupatæ*; vbi plura de Asiæ vectigalibus ab Equitibus Romanis administratis, prosequitur. Idem Cicero in Orat. de prouincijs Consularibus narrat ab A. Gabinio Syrię Proconsule Equites Romanos eiusdem prouincię publicanos non vna iniuria affectos. *Iam verò*, inquit, *publicanos miseros &c. tradidit in seruitutem Iudæis & Syris, nationibus natis seruituti. Statuit ab initio, & in eo perseuerauit, ius publicanis non dicere: pactiones sine vlla iniuria factas rescidit; custodias sustulit; vectigales multos ac stipendiarios liberauit; quo in oppido ipse esset, aut quò veniret, ibi publicanum, aut publicani seruum esse vetuit*. Publicani quòd auarè & acerbè tributa ac vectigalia exigebant, odio erant Syris; ac proinde Gabinius qui A. V. 697. lege Clodia Syriam Proconsul obtinuit, quò Syrorum beneuolentiam captaret, publicanis adeo se acerbum præbuit. Id temporis labebatur secundum lustrum,

 postquam

poſtquàm Pompeius Syriam tributariam Reipublicę fecerat. Cum verò poſt octennium bellum ciuile erupiſſet, Scipio A. V. 705. quo quartum luſtrum in Syria inchoabatur, Proconſul in eandem prouinciam venit, cuius ibidem geſta paucis deſcribit Cæſar libro 3. bell. ciu. cap. 31. *His temporibus*, inquit, *Scipio detrimentis quibuſdam circa Amanum montem acceptis, ſeſe Imperatorem appellauerat. Quo facto ciuitatibus tyranniſque magnas imperauerat pecunias; item à publicanis ſuæ prouinciæ debitam biennii pecuniam exegerat, & ab eiſdem inſequentis anni mutuam præceperat &c.* Cum enim magnas terra marique copias inſtrueret, quibuſcum ad Pompeium ſe conferret, hinc Syria extraordinarijs tributorum indictionibus ab eodem Scipione afflicta fuit. Hæc Cæſar addit cap. 32. *Accedebant ad hæc grauiſſimæ vſuræ, quod in bello accidere plerumquè conſueuit, vniuerſis imperatis pecuniis: quibus in rebus prolationem diei donationem eſſe dicebant. Itaque æs alienum prouinciæ EO BIENNIO multiplicatum eſt &c.* Et antea ſcribit tributum in ſingula ſeruorum ac liberorum capita impoſitum; *Columnaria*, inſuper ait, *oſtiaria*, *frumentum*, *milites*, *remiges*, *arma*, *tormenta*, *vectura imperabantur*. Vti verò Antiochia diuitiarum amplitudine ac ciuium frequentia ceteras Syrię vrbes longè ſuperabat, ita in fortunas Antiochenſium eo anno Vrbis 705. ac proximo 706. vſquè ad nuntium victorię Pharſalicę, acerbiſſimè à Pompeianis ſæuitum fuit, ita vt publicè ac priuatim grauiſſimas vſuras, teſte laudato Cæſare, contrahere coacti fuerint; vndè vt idem ait, *æs alienum prouinciæ EO BIENNIO multiplicatum eſt*. Publicani etiam, quòd anticipatam pecuniam, quæ ipſis ex vectigalibus ac tributis anno Vrbis 706. colligenda erat, anno 705. Scipioni tradere coacti fuerant, ſortem cum lucro ab Antiochenis auariùs exigebant. Cum verò Cæſar labente Artemiſio Antiochenorum, in eorum vrbem ex Ægypto anno à Roma condita 707. adueniſſet, quò ciues inſigni beneficio ſibi deuinciret, acta omnia Scipionis, qui tum temporis bellum in Africa contra ipſummet Cæſarem inſtaurabat, reſcidit; nouas tributorum exactiones aboleuit; vſuras in quas ante biennium inciderant, non vno modo ſubleuauit; publicanorum exactiones in meliorem formam redegit; ac denique eiſdem Antiochenis autonomiam Dictatoria lege iterùm confirmauit. Et ſanè Antiocheni audito nuntio cladis Pompeij, arcem ſtatim pro Cæſare occuparunt, miſſis quaquauerſùm ad fugientes Pompeianos mandatis, vt ex Cæſare prænotaui, *ne Antiochiam adirent; ſi id feciſſent, magno eorum capitis periculo futurum*. Cum adeo Antiocheni de Cæſare eſſent benemeriti, eundem, vbi primùm Antiochiam aduenit, optimum ac gratiſſimum benefactorem

rem experti sunt. Hinc tot beneficijs à Cæsare ornati, nouam obconfirmatam ipsis autonomiam, Epocham instituerunt; cuius tamen initium ab A. V. Romę DCCV. deductum voluerunt, quòd Cæsar nouis legibus ea cuncta mala reparasset, quæ *eo biennio* ob Scipionis ac ministrorum rapacitatem, miserrimè passi fuerant. Cum verò A. V. 705. quartum lustrum inchoatum fuisset, ex quo Antiochia Romanis tributum soluebat, ac priori eiusdem lustri biennio ob Scipionis auaritiam non modò autonomiam amisisse visa sit, verum etiam longè grauiora tributa pensitare coacta fuerit, ac Cæsar eiusdem biennij damna benignè resarsisset, ab initio eiusdem lustri initi A. V. Romę 705. ac iussu Dictatoris cum tanta ciuium vtilitate ac commodo reparati, caput nouę Æræ Cæsarianę, seu in gratiam Cæsaris institutę, deductum voluerunt, ad quem vsquè annum sua beneficia idem Cæsar extendit. Hanc puto germanam causam, cur Antiocheni A. V. Romę 707. nouam Æram instituentes, eiusdem exordium colligendum iusserint ab A. V. 705. à quo collata ipsis à Cæsare beneficia initium trahebant. Quod verò Scaliger scribit Antiochenos annos suos ab Indictione Cæsariana putasse, *nimirùm à remissis vnius Indictionis, siuè trium lustrorum reliquis*, nullius vetusti Auctoris testimonio probatur. Et Cæsar proximè laudatus, narrat Scipionem in Syria *à publicanis suæ prouinciæ debitam biennii pecuniam exegisse*, nempè quæ pensitanda fuerat A. V. 704. ac tum labente 705. Quare vti publicani debebant pecuniam eius tantùm biennij soluere, quo tertium lustrum Pompeianę indictionis claudebatur, ita Antiocheni non sunt putandi fuisse debitores reliquorum per tria superiora lustra; neque enim auaritia publicanorum, qui id temporis publica prouinciarum tributa conducebant, antiquiora debita adeo patienter tolerasset. Lubrica etiam est coniectura Scaligeri, qua Indictiones annorum quindecim apud Antiochiam ab A. V. 705. institutas imaginatur, quòd ad remissionem reliquorum ab Hadriano indultam A. V. 870. colligantur Indictiones XI. absolutę. Nam indictio tributorum prouincijs imponebatur, cum primùm in potestatem Populi Romani venissent. Vti Antiochia A. V. Romę 690. ita Palæstina anno proximo 691. Cilicia verò maritima A. V. 687. à Pompeio in potestatem P. R. redactę, tributa Reipublicę persoluere iussę sunt. Asię proconsularis vastissimę ac ditissimę prouincię vectigal, inquit Cicero lib. 1. epistol. ad Quintum fratrem, *æqualiter Sylla descripserat*, nempè A. V. 670. Iam verò Cycli Indictionum quindecennalium initi ab A. V. 690. colligi tantùm possunt in Syria Antiochena, non autem in Syria Palæstina, aut alijs prouincijs, quæ Romanis parebant; cum non

non eodem anno quo Antiochia, factę fuerint stipendiarię. Hadrianus A V. 871. in suo secundo consulatu Romam reuersus, *prouinciis ex reliquis ingentes summas remisit*, vti scribit Spartianus cap. 7. de vita eiusdem, quod ex lapidis ac nummorum Inscriptionibus etiam colligitur apud magnum Panuinium lib. 2. Fast. ad A. V. 871. nempè remisit reliqua debitorum fisco ab annis XVI. quæ remissio à primo anno lustri in aliqua prouincia; à secundo in alia; à tertio vel quarto anno lustri in quibusdam colligebatur, vt planè casu contigerit, quòd apud Antiochiam illa remissio cœperit ab initio circuli vndecimi Indictionum, vt ait Scaliger. Imò Hadrianus non remisit debita XV. annorum, ex quibus Cyclus Indictionum Constantinianarum conflatur, sed planè *sexdecim annorum*, teste Dione, vt de Indictione quindecennali tunc ne quidem cogitasse videatur. Idem Dio in M. Aurelio, scribit hunc Principem remisisse debita ærario *ab annis sex & quadraginta*, cum ex Asia A. V. 929. Christi 176. Romam redijsset. Et in hac quoque altera debitorum indulgentia annus supra tres Indictionum Cyclos abundat.

Fateor Auctorem Chronici, quod Raderus pro arbitrio Alexandrinum inscripsit, quodue primitus in Sicilia inuentum, *Fastorum Siculorum* nomine a Panuinio sæpius appellatur, disertè scribere eodem anno Æram Antiochenorum ac Cyclum Indictionum quindecennalium, & hunc quidem die prima mensis Gorpiæi initium cepisse. Hinc singulis postea annis insequentibus addit Indictionum ordinatim labentium notas ad finem vsque voluminis, quod cum Heraclij imperio finitur. Ceterum illum Chronologum vulgata apud quosdam tantum, & fortassis Antiochenos, opinione & ea quidem falsa, adeo antiquam Indictionum originem putauit. Num id quoque Ioannes Malela suis in Chronicis scripserit, mihi planè incompertum est, qui inde quædam tantùm fragmenta amicorum industria excerpta, obtinui. Et quidem memoratus Alexandrini Chronici Scriptor, narrata morte Leonis qui puer ante Zenonem patrem imperauit, hæc ait: καὶ καθὼς Νεστοριανὸς ὁ σοφώτατος χρονογράφος ἕως Λέοντος νέου συνεγράψατο; quæ cum eadem omnino verba in Malelę Chronicis legantur, vti superiùs pag. 149. prænotaui, pleraque alia ex libris Malelę in laudatum Chronicum deportata fuisse videntur. Sed de his hactenùs.

CA-

CAPVT VI.

Variæ Scriptorum opiniones de primo mense anni Antiochenorum. Aegyptij, Romani, ac Syri nouarum Epocharum annos à prima die anni ciuilis inchoarunt. Annus Antiochiæ non inibat verna tempestate. Num ex Euagrio idem cœperit mense Gorpiæo siue Septembri. Quo anno contigerit terræ motus Antiochiæ Leone I. imperante. Voces ἐπικαταλαβούσης ἡμέρας *minus rectè à Scaligero ac Petauio exposita. De terræ motu Antiocheno sub Traiano, Euagrij ac Malelæ anachronismi. Tempus Episcopatus Seueri hæretici apud Antiochiam demonstratur. Euagrius annos Antiochenorum à Septembri deducit; itemque Albategnius Astronomus ab eodem mense annos Syrogræcorum multiplicat. Alij Syrorum annum ab Octobri iuxta Vlug Beghum inibant. Antiocheni antiquitus annum ab Hyperberetæo siue Octobri probabilius exorsi videntur. Eo mense ludi Olympici apud Antiochiam celebrati. Idem ex Malela Chronographo Antiochensi ostenditur. Valesij opinio de inito mense Nouembri anno Antiocheno refellitur. Synodus in causa Gregorij Patriarchæ habita A. Christi 588. Plurium terræ motuum Antiochiæ ac rerum sub Imperatore Mauricio gestarum, accurata chronologia proponitur. Iuliani in Misopogone testimonium fusius expenditur. Num Antiocheni annum sacrum à ciuili distinctum, seruauerint. Quid nummi inscripti* ΕΤΟΥϹ ΝΕΟΥ ΙΕΡΟΥ, *significent.*

Controuersiæ de anno à quo celebris Antiochenorum Epocha initium sumpsit, vt grandioribus Taciti verbis loquar, magnum diem imposui. In præsentia inquirendum est, à quanam anni tempestate & à quo mense siuè Syromacedonum siuè Romanorum, anni eiusdem Æræ exordium habuerint. Nam vetus Auctor Chronici vulgò Alexandrini ad Olympiadis CLXXXIII. annum alterum scribit: *Ab anno primo C. Iulii Cæsaris, & prædictis Consulibus Lepido & Planco, videlicet die duodecimo ipsius Artemisii, Antiocheni sua tempora numerant. Et Indictiones indicari cœperunt à*

primo die mensis Gorpiæi. Artemisius cum Maio, Gorpiæus cum Septembri in anno Solari Antiochenorum pari dierum numero decurrebant. Hinc Langius lib. 1. de Annis Christi cap. 8. pag. 102. tradit annum apud Antiochenos à verna tempestate, mense Artemisio, seu Maio Latinorum incœpisse. Ad hanc sententiam video nuper accessisse V. C. & amicum nostrum Ioannem Vaillantium pag. 342. Hist. Regum Syriç, & in eiusdem etiam operis præfatione, vbi ex nummis Antiochenorum Arietis symbolo obsignatis, colligit eosdem *anni exordium ab Aequinoctio verno ducere solitos fuisse.* Alij tamen viri eruditissimi tradunt Antiochenos annos suos ab autumno inchoasse; quamuis in diuersas postea opiniones abeant de mense, à quo illi annum inierint. Vsserius tom. 2. Annalium ad annum Per. Iulianç 4665. pag. 320. ait: *Antiochenæ Aeræ caput à Septembri anni Periodi Iulianæ 4665. esse repetendum, extra omnem poni debet controuersiam.* Quare Gorpiæus erat primus mensis annorum Epochç Antiochenç. At Scaliger lib. 4. de emend. Temp. & lib. 3. Can. Isagog. pag. 295. & in notis Eusebianis num. 1969. & alibi, tradit Antiochenos ab Hyperberetaeo siuè Romanorum Octobri annos Æræ suæ deduxisse. Cum eodem sentit eiusdem aliàs antagonista Petauius lib. 10. doct. Temp. cap. 62. Deniquè Henricus Valesius in notis ad Hist. Eusebij ad cap. 1. de Martyribus Palæstinis, & in notis ad cap. 12. lib 2. Euagrij, contendit annos Antiochenorum iniuisse ab ipsorum mense Dio, seu Latinorum Nouembri. Atque hæ planè sunt de initio anni apud Antiochenos inter Scriptores variç pugnantesque sententiç. Has antequàm discutio, aduerto Romanos non idem habuisse initium annorum ciuilium, ac annorum Epochç, qua Fastos suos subsignabant. Nam annum ciuilem post Numç ordinationem, à Kalendis Ianuarijs auspicabantur; annos tamen Æræ ab vrbe condita, inibant ab ante diem XI. Kal. Maias, qui erat Natalis vrbis Romç. Hac Epocha in Fastis triumphalibus Capitolinis designantur anni Romanorum Magistratuum, ac triumphorum, & Gruteri pag. 300. anni quibus plerique in collegia cooptati fuerunt; eaque passim Romani Scriptores vtuntur. Ceterùm obseruo populos qui nouas Epochas induxerunt, earumdem annos ab eodem initio duxisse, a quo annos suos ciuiles antea ordiebantur. Cum Alexandrini annos Augustanos seu Epocham annorum in honorem Augusti instituerunt, eosdem à primo die mensis Thoth, à quo annum ciuilem inchoabant, auspicabantur, vti testatur Censorinus cap. 21. de die Natali. Rursus cum Diocletianus Augustus Achilleum qui in Ægypto tyrannidem aliquot annos exercuerat, deuicisset, ijdem Alexandrini

Æram

Æram ab imperio Diocletiani, vt hunc sibi mitiorem redderent, instituerunt, cuius pariter annos à prima die Thoth ineundos iusserunt; quamuis imperium Diocletiani anno Christi 284. cœpisset iuxtà Alexandrinos die 24. mensis Athyr, siuè 20. Nouembris apud Romanos. Ita illi imperium Diocletiani ab ineunte Thoth inchoarunt, id est, tertio mense ante initium principatus Diocletiani; nempè vt nouę Epochę idem quod & anni ciuilis, exordium esset. Censorinus loco laudato vocat annum quo illa scribebat, *Augustorum CCLXV. perinde ex Kal. Ianuariis; quamuis ex A. D. XVI. Kal. Februarii Imperator Cæsar D. F. sententia L. Munacii Planci, à Senatu cæterisque ciuibus Augustus appellatus est*. Itaque cum Cæsar Octauianus *Augusti* titulum obtinuit, Romani ob honorem eiusdem Epocham Augustanam instituerunt, cuius tamen anni inibant a Kal. Ianuarijs vna cum veteri eorundem anno ciuili. Neç secùs in Syria a diuersis populis factum est. Nam cum hi ab autumno annum ciuilem inchoarent, ab eadem pariter anni tempestate nouas Epochas, quas priori Seleucidarum substituerunt, initas voluere. imò ijdem Syri initium annorum Seleucidarum posteriori ætate, sicut & annorum ciuilium Kalendis Septembris aut Octobris affixerunt, vt postea hic expono. Hoc etiam peculiariter de Tyrijs ac Gazensibus suo inferius loco mihi demonstrabitur. Hinc colligo ipsos quoque Antiochenos, qui antea Æra Seleucidarum vsi fuerant, cum ob autonomiam à Pompeio acceptam, vel eandem Dictatoria Iulij Cæsaris lege amplioribus priuilegijs auctam, nouas Epochas inuexerunt, harum initium a primo die ciuilis sui ipsorum anni deduxisse.

Ex his refellitur opinio superiùs recitata, quæ annos Epochę Antiochenorum à mense Artemisio siuè verna tempestate initos affirmabat. Nam cum ex nummis Tripolitarum aliarumque in Syria vrbium demonstrauerim Æram Seleucidarum ab autumno cœpisse, ab eadem pariter tempestate Antiocheni annos suos ciuiles auspicabantur, quod ipsum initium fecere annis nouę ab ipsis substitutę Epochę Cæsarianę. Vti verò Commageni suis in nummis Scorpionem obsignabant; ita Antiocheni arietem, cuius vtriusque symboli originem alij diuinent; cum planè constet ariete in Antiochię nummis non indicari eiusdem annos verna tempestate ineuntes. Nam Ioannes Malela Antiochenus in libris Chronicorum superiori capite mihi laudatis, scribit Iulianum Apostatam occisum fuisse *anno vrbis Antiochiæ CCCCXI. die 26. Dæsii, siuè Iunii*. Contigit nex eiusdem A. V. Romę 1116. Christi 363. die 26. Iunij. Cum Epocha Antiochenorum inierit A. V. Romę 705. annus ab-

Z hinc

hinc CCCCXI. concurrit cum A. V. Romę 1116. cumque adhuc die 26. Iunij numeretur Malelę annus decurrens Antiochenorum 411. neutiquàm verno tempore nouus Antiochię annus inibat. Eadem opinio ex Euagrio ac Chronico Alexandrino confutatur. Nam ibidem locis superiori capite laudatis, legimus Iustinum creatum fuisse Imperatorem *die nono Panemi siuè Iulii iuxta Romanos anno Antiochenorum quingentesimo sexagesimo sexto*. Iustinus imperium accepit anno Christi 518. qui fuit vrbis Romę 1271. Si anni Epochę Antiochenorum à verno tempore inissent, annus eorundem 566. exijsset circa ver A. V. 1271. Christi 518. Quare cum memoratis Scriptoribus die 9. Iulij eius anni, adhuc labens numeretur annus Antiochenorum 566. neutiquàm à verna, sed ab autumnali tempestate ijdem anni inchoabantur. Iulianus in Misopogone Antiochenos alloquens, ait: *Decimo ferè mense, vt vos numeratis (is opinor Lous à vobis dicitur) patrium est festum huius Dei, & magno studio ad Daphnen concurritur*. Si Lous erat apud Antiochenos *decimus mensis* in anno ipsorum, annum ab autumno incipiebant; Lous enim est quartus mensis à mense verno Artemisio; idemque cum Augusto Romanorum componebatur. Auctor Chronici vulgò Alexandrini scribit Constantium Imperatorem obijsse *mense Dio, seu Nouembri, die tertia, anno Antiochenorum quadringentesimo decimo, Indictione V. cum Ecclesia pacem quinquaginta annos habuisset, dictis Coss. Tauro & Florentio*. Hi consules & Indictio V. à Septembri inchoata, signant annum Christi 361. vrbis Romę 1114. Si anno Vrbis Romę 705. addas annos Antiochenorum 409. horum postremus exijt A. V. 1114. Cum verò eo anno die tertia Nouembris numeraretur annus Antiochię CCCCX. annus ibidem nouus ab autumno incipiebat, cuius initium per eam anni tempestatem diuersis mensibus à viris doctis adscribitur, neque hactenus quicquam certi hac de re demonstratum est; quamuis enim Euagrius sæpiùs annos Epochę Antiochenorum appellet, illorum initium eiusdem Euagrij, quod mirere, testimonio ab eruditis à diuersis mensibus colligitur.

Euagrius lib. 2. hist. Eccles. cap. 12. narrat *anno secundo imperii Leonis* Antiochiam horrendo terræ motu vastatam fuisse, *anno quingentesimo sexto Antiochenorum, decimo quarto die mensis Gorpiæi, quem Romani Septembrem vocant, circiter horam noctis quartam*, κυρίας ἐπικαταλαβούσης ἡμέρας· τῆς ἑνδεκάτης ἐπινεμήσεως τοῦ κύκλου &c. quæ Græca verba priores interpretes omiserunt; sed rectè a Valesio Latinè restituuntur: *imminente die Dominico, vndecimæ Indictionis*. Scaliger in notis Eusebianis num. 1969. huncce terræ motum refert ad annum

num Christi 458. quod etiam antea scripserat lib. 3. Canon. Isagogic. pag. 295. vbi ait : *Euagrius scribit anno Antiocheno DVI. Septembris XIIII. die Dominica, ingentem terræ motum contigisse*. Hunc annum ait fuisse Christi 458. *quo sanè*, inquit, *XIIII. Septembris fuit dies Dominica, Cyclo Solis XIX.* Rursùs ex charactere Indictionis vndecimæ hoc ipsum colligit, scribens : *Partire DVI. per XV. remanebit Indictio XI.* Hinc concludit Euagrij testimonium munitum esse *duobus certissimis characteribus*, Cycli Solis XIX. & Indictionis XI. Scaligerum sequuntur perpetuus aliàs eiusdem hostis Petauius par. IV. Rationarij lib. 3. cap. 14. & lib. X. doctr. Temp. cap. 62. Valesius in notis ad eundem locum Euagrij, ac Baronius in Annalibus ad annum Christi 458. vbi etiam aduertit die 14. Septembris eius anni numeratum fuisse annum secundum imperij Leonis, quo idem Euagrius scribit eum terræ motum contigisse. Etenim Marciano Augusto vita defuncto pridie Kal. Februarias A. Christi 457. Leo ad imperium euectus fuit, vt ait Auctor Chronici Alexandrini, *mense Peritio, VII. Idus Februarii, Constantino & Rufo Coss.* Verùm duo illi chronologici characteres diei Dominicę ac Indictionis XI. quos Scaliger *certissimos* indices diei XIIII. Septembris anni Christi 458. pronuntiauit, annum superiorem 457. apertè designant. Euagrius scribit illum terræ motum contigisse *hora quarta noctis*, κυρίας ἐπικαταλαβούσης ἡμέρας, nempè, sicuti rectè Valesius interpretatur : *imminente die Dominico*, qui videlicèt post duas horas erat adfuturus. Itaque terræ motus accidit in exitu Sabbati, anno Christi 457. Cyclo Solis XVIII. lit. F. Nec alium diem indicat vox illa Græca ἐπικαταλαβούσης apud Euagrium. Nam Herodianus lib. 6. cap. 4. de Imperatore Alexandro Seuero contra Persas expeditionem suscipiente, scribit : καταλαβούσης δὲ τῆς ὡρισμένης ἡμέρας &c. τῆς Ῥώμης ἀπῄρει : *Adueniente præfinito die &c. Roma proficiscitur*. Et lib. 1. cap. 15. ἐπεὶ δὲ κατέλαβον αἱ τῆς θέας ἡμέραι, τὸ μὲν ἀμφιθέατρον πεπλήρωτο : *Vbi autem spectaculi dies adfuit, amphiteatrum repletum fuit*. Dionysius Halicarnassensis lib. 10. pag. 680. ait : ἐπεὶ δὲ κατελάμβανεν ὁ τῶν ἀρχαιρεσιῶν καιρὸς, ἐκκλησίαν συναγαγόντες : *Vbi Comitiorum tempus aduenit, conuocata plebe &c.* Et in Lexicis καταλαμβάνω Latinè vertitur *aduenio*; ἐπικαταλαμβάνω, *superuenio*. Illa enim præpositio ἐπὶ verbis adiuncta, eorundem vim sequitur, & intendit, vti Moscopulus docet in tract. de ratione examinandę Orationis pag. 32. & eadem voce ἐπὶ consequentia ac successio temporis significatur. Ita λέγω Latinis est *orationem habeo, concionor, dico, &c.* & ἐπιλέγω, *dictis postea addo, subiungo, &c.* vnde *epilogus* vox Latio donata, partem postremò orationi aduenientem exprimit. Quamuis verò in lauda-

 tis

tis Herodiani & Dionyſij teſtimoniis voces *καταλαβούσης*, & *κατελάμβανεν* non deſignent diem futurum, ſed qui iam tum aduenisſet, ibidem tamen ſignificant diem, qui tum primùm aduenerat, non qui iam erat in exitu. Idem Herodianus lib. 7. capite 2. de Maximino bellum contra Germanos gerente, ait: *χειμῶνος ἤδη καταλαμβάνοντος, ἐπανῆλθεν εἰς Παίονας*: *Adueniente hieme*, ſiuè vt vertit Politianus, *instante hieme, reuerſus eſt in Pannoniam*. Quare voce *καταλαμβάνοντος* non finis hiemis deficientis, ſed initium iam tum aduenientis indicatur; verbum enim *καταλαμβάνω* vſurpatur ad ſignificandam rem, quæ tum primùm incœpit, vel quæ proximè ſtatim incipiet. Itaque cum Euagrius ſcribat motum illum terræ contigiſſe *hora quarta noctis κυρίας ἐπικαταλαβούσης ἡμέρας*, vertenda ſunt: *adueniente*, ſiuè *imminente die Dominica*, ita vt ibidem deſignetur dies Dominica poſt duas horas aduentura, non poſt duas horas deſitura, die Lunę ſiuè feria ſecunda illam excipiente; ſiquidem dixiſſet Euagrius: *κυρίας ἐπικαταληγούσης ἡμέρας*: *deſinente die Dominica*. Et ſanè idem hiſtoricus pro latina voce *venire* Græcè ſcribit *καταλαβεῖν* lib. 3. cap. 6. & alibi. Quare *ἐπικαταλαβεῖν* eidem eſt *ſuperuenire*, ſiuè *aduenire*. Ex his infertur characterem diei Dominicę aduenientis, deſignare loco laudato annum Chriſti 457. quo die decima quarta Gorpiæi ſiuè Septembris circa horam quartam noctis iam cadente, ac poſt duas horas Dominica die, Gorpiæi decima quinta aduentura, Antiochia ingenti illo terrę motu concuſſa fuit. Cum verò idem annus dicatur Æræ Antiochenorum DVI. patet annos eoſdem à Kalendis Septembris ab Antiochenis iuxtà Euagrium initos fuiſſe. Nam ab autumno A. V. Romę 705. quo cœpit Epocha Antiochię, annus abhinc quingenteſimus quintus exijt circa autumnum A. V. 1210. qui fuit Chriſti 457. Conſtantino & Rufo Coſſ. Quare ſi eo anno die 14. Septembris, Sabbato, numerabatur annus Antiochenorum 506. hic paucos ante dies, nempè Kalendis eiuſdem Septembris, ſeu prima die Gorpiæi initium habuerat.

At nec alter character Indictionis XI. Scaligeri ac ſequacium opinionem ſuffulcit, ſed eandem prorſus euertit. Etenim Indictio non inibat id temporis die 24. Septembris, vt Panuinius alijque vulgò ob Bedę teſtimonium credidere, ſed vnà cum Kalendis Septembris noua quotannis Indictio inchoabatur. Hoc mihi inferius poſtea probabitur Diſſert. 4. cap. 4. Vnum hic laudabo S. Ambroſium, qui in lib. de arca & Noe cap. 17. cum dixiſſet annum à Martio ſeu Niſan Hebræorum inchoari, ait: *Septimus autem menſis ſecundùm numerum is, qui September dicitur, computatur; quia etſi à*

Septembri

Septembri mense annus videatur incipere, sicut Indictionum præsentium vsus ostendit &c. Ita initium Indictionum ab initio Septembris deducit. Sed clariùs sententiam explicat in epistola Paschali ad Episcopos per Æmiliam, scribens: *Hic autem mensis & primus est secundum Aegyptiorum prouentum & secundum legem; & octauus secundum consuetudinem nostram. Indictio enim Septembri mense incipit. Octauo igitur mense Kalendæ Aprilis sunt.* Loquitur ibi de mense Paschali, cuius dies vltimus iuxtà Ægyptios est trigesimus, vt ibi ait, Pharmuthi, *hoc est, septimo Kal. Maii.* Cum Ambrosius vocet mensem Paschalem octauum ab anno inchoato cum noua Indictione mense Septembri, consequens est, vt annus Indictionis cœperit Kalendis Septembris; etenim si exordium habuisset die 24. Septembris, septimus mensis anni ab Indictione noua initi, exijsset die 23. Aprilis, ac proinde octauus mensis, qui Paschalis ab Ambrosio dicitur, duobus tantùm diebus exceptis, vltra terminum Paschalem excurrens, cum Maio copularetur. Quare cum annus nouus à noua ineunte Indictione inchoetur, ac totus September primus mensis sit anni ab Indictione deducti, Indictio Kalendis Septembris exordium sumebat. Videsis plura inferiùs loco appellato, vbi ex veteri Inscriptione ac Synodorum testimonijs ostendo etiam ante Iustiniani imperium Indictiones cœptas numerari ipsis Kalendis Septembris. Iam verò anno Christi 457. Indictio X. exierat pridie Kalen. Septembris, ac proinde die 14. Septembris siuè Gorpiæi Antiochenorum Indictio XI. numerabatur; anno verò proximo Christianę Epochę 458. eadem die 14. Septembris Indictio XII. decurrebat. Cum autem terræ motus inciderit die 14. Septembris, labente Indictione XI. idem contigit anno Christi 457. ac proinde duo chronologici characteres, quibus Euagrius annum eius ruinę designat, eandem figunt in anno Christi 457. simulque ostendunt annum Antiochię vrbis 506. à Kalendis Septembris eiusdem anni incœpisse. At hæc omnia idemmet Euagrius turbat scribens illum annum fuisse secundum imperij Leonis. Equidem ibidem testatur ruinas, quas ob eam terrę concussionem passa est Antiochia, *accuratè à Iohanne Rhetore* narratas, quem lib. 4. cap. 5. scribit historiam deduxisse vsque ad alium eiusdem vrbis terrę motum, qui contigit Iustino imperante, die 29. Maij A. Christi 526. Cum verò Euagrius apud eundem Scriptorem legisset annum terrę motus laudatis characteribus Chronologicis designatum, de suo errando, addidit fuisse annum alterum imperij Leonis, cum prior dicendus fuisset, vti vetusti Scriptores disertè testantur. Cedrenus res imperij Leonis describens, ait: τῷ πρώτῳ ἔτει σεισμὸς ἐγένετο ἐν Ἀντιοχείᾳ: *Anno*

no huius primo fuit terræ motus Antiochiæ. Sanctus Martyr Theophanes in Chronico pag. 95. edit regię, cum scripsisset Leonem Augustum mense Februario Indictione X. ab Anatolio Patriarcha coronatum fuisse, ait: *Hoc anno maximo terræ motu facto, tota ferè ciuitas corruit*. Indictio X. mense Februatio decurrebat anno Christi 457. quo Theophanes memoratam Antiochię cladem recitat; quamuis mense Septembri Indictio XI. incœperit.

Cum ex libris Iacobi Vsserij scriptoris accuratissimi ac diligentissimi, cognouissem in Bibliotheca Oxoniensi seruari libros Chronicorum Ioannis Malelæ Antiocheni, spem concepi fore, vt inde plura quæ mihi vsui essent, intelligerem. Quædam quæ ad hoc in quo versor, argumentum pertinent, testimonia Græcè ex laudatis Malelę Chronicis exscripta obtinui, operam mihi per amicos commodante Francisco Tenisio, quem honoris causa nomino. At longè plura procurauit amicorum officiosissimus Nicolaus Toinardus datis literis ad Vuillelmum Loidum, virum in re Chronologica facilè principem, qui ab Henrico Doduuello editis dissertationibus Cyprianicis eruditis quibusque notissimo, Latinè descriptam syllogen impetrauit omnium locorum, in quibus Malela Epocham Antiochenorum appellat; illamque ad Toinardum misit, addita doctissima epistola, in qua suam de Gorpiæo primo anni Antiochenorum mense sententiam exponit. Hæc autem in Malelæ Chronicis leguntur: Ἐν δὲ τῇ βασιλείᾳ Λέοντος ἔπαθεν ὑπὸ θεομηνίας Ἀντιόχεια ἡ μεγάλη τὸ τέταρτον αὐτῆς πάθος, μηνὶ Σεπτεμβρίῳ ιγ΄, διαφαυούσης κυριακῆς, ἔτους κατὰ τὴν αὐτὴν Ἀντιόχειαν χρηματίζοντος φς΄, ἐπὶ τῆς ὑπατείας Πατρικίου: *Imperante autem Leone, diuina ira vicissitudinem quartùm passa est Antiochia magna, Septembris XIII. die Dominica illucescente, Annó Aeræ eiusdem Antiochiæ quingentesimo sexto, sub consulatu Patricii*. Hæc Malela, cuius Chronicorum libri ante exitum imperij Iustiniani desinunt. Nullus verò dubito, quin loco memorato designet terræ motum Euagrio recitatum, quocum tamen in pluribus discordat. Nam Euagrius eundem terræ motum *sextum* vocat, vt rectè vertit Valesius; at Malela *quartum* appellat. Rursùs discrepant in die atque hora eius cladis. Euagrius enim dicit illam contigisse die XIV. Septembris, hora noctis quarta, imminente die Dominica. Malela ait accidisse die XIII. eiusdem mensis, sub auroram diei Dominicę, Consule Patricio. At Patricius Consul in Fastis signatur anno ab vrbe Roma condita 1212. Christi 459. quo sanè anno dies XIII. Septembris fuit Dominica, Cyclo Solis XX. lit. D. Vterque tamen Scriptor illum terræ motum referunt ad annum Antiochenorum DVI. cui tamen characteres chronologici fe-

rię

riç ac consulatus à Malela positi, neutiquàm conueniunt. Nam annus 506. Æræ Antiochenç exijt per autumnum A. V. Romæ 1211. Christi 458. Itaque cum a vetustioribus historicis ea clades recitata fuisset anno DVI. Antiochenorum, falsas postea notas feriæ ac consulatus de suo addidit Malela. Hinc quispiam suspicari posset à Ioanne Rhetore, qui illum terræ motum accuratè descripsit, designatum fuisse annum 506. Æræ Antiochenç ac secundum imperij Leonis, diemque XIIII. Septembris, quibus characteribus indicatur A. V. Romç 1211. Christi 458. Euagrium verò notas feriç atque Indictionis XI. perperàm adposuisse, quibus ille casus ad annum Christi 457. retrahitur. Euagrius etiam alterum ibidem errorem admittit. Nam scribit terræ motum qui præsente Antiochiç Traiano Augusto, eamdem vrbem magna ex parte deiecit, contigisse anno Æræ Antiochenç, siuè vt ille loquitur, τῆ αὐτονομίας *centesimo quinquagesimo nono*, à qua ruina ad aliam sub Imperatore Leone annos numerat *trecentos quadraginta septem*. At Malelç dicitur prior ille terræ motus accidisse *anno Antiochenorum CLXIV. Apellæi seu Decembris die XIII. feria prima post Gallinicinium*. Dio scribit Traianum qui tunc apud Antiochiam *hiemabat*, eadem ruina penè oppressum fuisse, qua tamen eidem dicitur elisus *Pedo consul*, qui vnà cum L. Vipstano Messala in Fastis signatur A. V. 868. Christi 115. Cum autem Epocha Antiochenorum inierit ab autumno A. V. 705. annus eiusdem 164. inijt ab autumno A. V. Romç 868. At omnes recitati characteres chronologici, videlicèt anni Antiochenorum, mensis Apellæi, ac feriç primç apud Malelam in mendo cubant. Nam cum Dioni dicatur M. Vergilianus Pedo Consul memorati terrç motus ruinis oppressus, id neutiquàm accidit mense Apellæo siuè Decembri A. V. 868. Christi 115. Etenim hoc anno mense Decembri Imperator Traianus non erat Antiochiç, sed longè procul in Assyria. Cum enim Dio recitasset periculum Traiani tempore eiusdem terræ motus apud Antiochiam χειμάζοντος, *hiemantis*; narrat postea eundem *vere ineunte*, Tigri superato, Adiabenem prouinciam, ac regias Assyriç vrbes Babylonem ac Ctesiphontem occupasse, ac Messenen etiam rege Athambilo cedente, cepisse; dein scribit: *atque in his locis propter vim hiemis & rapidum Tigrim, æstumque maris in magnum periculum venit*. Itaque per hiemem quæ cœpit post autumnum anno Christi 115. vrbis Romç 868. Antiochenorum 164. Traianus in Assyria bellum gerebat circa Messenem, cuius etiam regionis meminit Plinius lib. 6. cap. 27. ac proinde mense Decembri eius anni non fuit Antiochiæ. Sed nec ille terræ motus contigit mense Decembri anno superiori vrbis

Romç

Romę 867. Christi 114. quia id temporis nondum Pedo erat consul, quem magistratum inijt Kalendis Ianuarijs anni Christi 115. V. C. a parilibus 868. Hinc ex Pedonis Consulis morte patet eum terræ motum contigisse eodem anno Christi, antequam inito vere, Traianus in Parthos moueret. Denique falsa est etiam nota feriæ primæ. Nam dies XIII. Apellæi imperante Traiano, annis tantùm Christi 100. deinde 106. incidit in feriam primam. At anno Antiochenorum 164. Christi 115. dies XIII. Apellæi fuit feria V. Cyclo Solis XII. lit. G. Quare ille terræ motus contigit intra tres priores menses anni Christi 115. Antiochenorum 163. Ex his iterum patet characteres feriæ non semel minus certas esse annorum notas, quòd à posterioribus Scriptoribus perperam additi fuerunt; cuius cetera inter exempla etiam occurrunt in libro Eusebij de Martyribus Palæstinis. Cum ergo terræ motus sub Traiano contigerit anno Æræ Antiochenę 163. nempè vti dixi, A. V. Romę à parilibus 868. Christi CXV. annus ab hoc trecentesimus quadragesimus tertius fuit Antiochenorum quingentesimus sextus. Si annus Antiochiæ tempore Euagrij inibat Kalendis Septembris, terræ motus sub Leonæ contigit mense Septembri A. Christi 457. sub initium anni Antiochenorum 506. At si annus Antiochenorum inchoabatur Kalendis Octobris, idem terræ motus eam vrbem vastauit anno Christi 458. Vrbis Romę 1211. exeunte anno Antiochenorum 506.

Et quidem eam telluris concussionem statuendam esse post annum Christi 457. probare quispiam posset ex catalogo Antistitum Antiochenorum descripto a S. Nicephoro Patriarcha Constantinopolitano. Hæc ibi leguntur: XXXIX. *Domnus in altera Synodo Ephesi: Annis octo. XL. Maximus, qui præsens in Synodo Calchedonensi, quæ quarta nominatur. Hic expulsus fuit post lapsum: Annis quatuor. XLI. Basilius: Annis duobus. XLII. Acacius, quo præsidente vrbs corruit: Anno vno. XLIII. Martyrius: Annis tredecim &c.* Itaque teste Nicephoro Patriarcha, terræ motus accidit Antiochię eo anno, quo solo eiusdem vrbis sacris post mortem Basilij, Acacius præfuit. At certum est Basilium proximum Acacij decessorem, sub initium anni Christi D. 458. adhuc fuisse superstitem. Nam Imperator Leo *pro tomo Calchedonensi encyclicas ad omnes Metropolitas misit* semet & Maiorano Augustis Coss. anno Christi 458. Indictione XI. ex Marcellino in Chronico, quæ literæ recitantur 3. par. Synodi Calchedonensis num. XXI. vbi in titulo nominantur Episcopi, ad quos illæ literę missę sunt, & eos inter legitur: *Basilio Episcopo Antiochiæ Syriæ*. Has verò epistolas hyemali tempore ad Metropolitas peruenisse testantur in rescriptis Agapetus Rhodiorum num. XLV. &

Lucas

Lucas Dyrrachij Archiepiscopi. Verba huius sunt: *Et maximam propter hiemis vehementiam nostri solemniter curam habentes, præcipitis vt singuli nostrum in regione propria de præsentibus rebus suam debeant proferre sententiam*. Hæc autem fuit hiems, qua labente, inijt annus Christi 458. In eadem autem tertia parte Synodi num. 33. recitantur literę Episcoporum Syriæ primę, quas primo loco totius Orientalis diœceseos Patriarcha *Basilius Episcopus* Antiochenus subscribit. Extat etiam apud Euagrium lib. 2. cap. 10. epistola Symeonis sanctissimi propè Antiochiam Monachi, vulgò Stylitæ, ad eundem Basilium Patriarcham, in qua ait se Leoni Augusto rescripsisse pro defendenda Synodo Calchedonensi. Etenim Leo Imperator encyclicas literas etiam eidem Simeoni Stylitę miserat, vti ex laudata inscriptione num. XXI. intelligimus, in qua post nomina Episcoporum legitur: *Symeoni Monacho*. Quòd verò Imperator Metropolitas ac reliquos pariter Episcopos sententiam rogauerat de ordinatione Timothei Patriarchę Alexandrini; tum Basilius tum etiam ceteri Episcopi in eisdem synodalibus literis ad Leonem, Timothei ordinationem irritam pronuntiarunt. Cum verò sub initium imperij Leonis anno Christi 457. die solemni cœnæ Dominicæ ante Pascha, nempè die 28. Martij occiso S. Proterio Patriarcha Alexandrino, Timotheus Ælurus eandem sedem occupasset, palàm colligimus laudatas Synodicas Basilij aliorumque Patrum contra Timotheum scriptas fuisse labente hieme, qua Kalendis Ianuarijs Consules processere Imperatores Leo & Maioranus, anno Christi 458. Itaque cum constet initio huius anni Basilium adhuc sedisse Episcopum Antiochię, ac ex Nicephoro Patriarcha terræ motus Antiochiam lacerauerit eo anno, quo vnico Acacius sacra Antiochenę Ecclesię administrauit, colligimus eam cladem contigisse mense Septembri, anno secundo imperij Leonis, qui fuit Vrbis Romę 1211. Christi 458. Hinc Euagrius ordinem temporum secutus, memorat prius encyclicas Leonis, ac rescripta Episcoporum ad eundem, ac postea cap. 12. recitat memoratum terræ motum, initio narrationis a tempore ducto: *Secundo anno imperii Leonis &c.* qui annus alter decurrebat mense Septembri A. Christi 458. qui cum eidem Euagrio ac Malelę numeretur Ærę Antiochenorum 506. consequens fit, vt anni eiusdem Æræ inierint à prima die Hyperberetæi siuè Kalendis Octobris. Quare sicuti Malela eidem anno adposuit falsos characteres *Dominica illucescentis*, ac *consulatus Patricii*; ita suspicari etiam possumus Euagrium falsas itidem notas *Dominicæ imminentis*, ac *Indictionis XI.* de suo addidisse. Nusquàm tamen nisi in eo Nicephori catalogo mentio occurrit

A a Acacij

Acacij Episcopi Antiocheni inter Basilium & Martyrium; nisi quòd Victor Tunnonensis in Chronico ait: *Antiochenæ Ecclesiæ post Alexandrum Martyrius, & post Martyrium Iulianus ordinatur Episcopus.* Quem Nicephorus Acacium, Victor Alexandrum vocat. Theophanes verò & Eutychius Alexandrinus proximum Basilij successorem Martyrium suis in Annalibus recitant. Haud vacat prolixiùs de his disputare; cum mihi satis sit ostendisse varias esse Scriptorum de anno eius terræ motus Antiocheni sententias, ac proinde minùs certas reddi notas chronologicas, quæ etiam apud Euagrium non omnes sibi inuicem correspondent, vt planè inde haud possimus certò colligere mensem quo primum annus Antiochenorum inierit.

Alter apud eundem Euagrium locus extat, in quo iterum mensis September cum anno Epochę Antiochenorum coniungitur. Nam lib. 4. cap. 4. de Seuero hæretico Antiochię Episcopo scribit: *Seuerus mandato Iustini primo imperii ipsius anno prehensus, pœnas dat &c.* Narrat ab Irenæo magistratum ibidem gerente, Seuerum iussu Imperatoris, sub libera custodia detentum, ne aliò fugam arriperet; qui tamen elusis custodibus, clam euadens, conscensa apud Seleuciam naue, Alexandriam transmisit, vti scribit Liberatus Diaconus cap. 19. Breuiarij. Porrò Euagrius tempus fugę Seueri hisce indicat: *Ex sua verò Episcopali sede fugit Gorpiæo mense, quem Romani Septembrem vocant, anno quingentesimo sexagesimo septimo vrbis Antiochiæ.* Iustinus imperium accepit die nona Iulij, siuè decima insequenti, vti cap. 4. ex libro de vita S. Sabæ prænotaui, anno Antiochenorum DLVI. teste ibidem Euagrio cap. 1. Ille autem annus Antiochenorum vsque ad autumnum concurrebat cum anno Vrbis Romę 1271. Christi 518. Florentio & Magno Coss. Si annus Antiochenorum inibat vnà cum Septembri, quo mense Seuerus fugit, huius fuga contigit anno Christi 518. quia anno sequenti eodem recurrente Septembri, numerabatur annus secundus imperij Iustini initus die 10. Iulij. Si vero illorum annus inchoabatur Kalendis Octobris, fuga Seueri protrahenda est ad Septembrem anni Christi 519. Baronius ad hunc annum eandem refert, vt & Valesius in notis ad Euagrium. Et quidem Baronius cum prænotasset scribi ab Euagrio Iustinum creatum fuisse Imperatorem mense Iulio, anno Antiochenorum 566. & Seuerum Antiochia fugisse anno eorundem 567. mense Septembri, ait: *ac proinde vbi dicit id primo Iustini anno factum, constat ipsum quidem exactum numerasse annum, cum ipsius sententia liqueat id accidisse secundo ipsius Principis anno.* Vir magnus non obseruauit primum annum Iustini per duos aut tres tantùm menses priores ab inito imperio, cum anno Antiochenorum 566,

566. componi, reliqua maiori parte eiusdem anni primi imperij cum anno Antiochenorum 567. decurrente; siquidem per autumnum veteri exeunte, nouum annum Antiocheni auspicabantur. Valesius quòd horum annum cœpisse putat à mense Dio siuè Nouembri, fugam Seueri refert ad annum Christi 519. Itaque inquirendus est annus quo Seuerus Antiochia fugit.

Vix Iustinus Catholicus Imperator die 10. Iulij, anno Christi 518. in Anastasij hæretici locum successerat, cum sexta postea die Dominica, videlicèt decima quinta Iulij, coram Ioanne Patriarcha ac Clero Constantinopolitano, in magna Basilica ab vniuerso populo acclamatum est: *Multi anni Imperatoris. Iustine Auguste, tu vincis. Synodum Calchedonensem modò prædica. Iustinus regnat, quem times? Seuerum Manichæum foras eiice. Synodum Calchedonensem modò prædica. Qui non anathematizat Seuerum, Manichæus est*; quibus similia sæpius ibidem populus repetiuit, vti legitur tom. V. Concil. edit. vlt. in Act. V. Synodi C-P. sub Menna Patriarcha. Et quidem *per plures horas* tanta contentione populus eadem conclamabat, vt diceret: *Non exibis, nisi anathematizes Seuerum; anathema Seuero apertè dic &c. Non recedimus per sanctum Euangelium*. Hinc Ioannes Patriarcha vnà cum plurimis qui aderant, Episcopis, anathema contra Seuerum pronuntiauit. Hæc eo die gesta sunt. Cum verò die proximo insequenti idem Ioannes Patriarcha cum Episcopis ac populo ad Ecclesiam conuenisset, iterùm ab eodem populo conclamatum est: *Iustine Auguste, tu vincis. Euphemia Augusta, tu vincis. Eos qui sunt in exilio propter fidem, Ecclesiæ restitue &c. Seuerum Iudam eiice foras &c. Nouum Tzumam eiice foras. Nouus Tzumas Amantius est. Nugatorem eiice de palatio &c.* Tum Patriarcha, cum dixisset: *Omnes enim acclamationes vestras ipsius Serenitati aperiemus*, per Diaconum inter sacra quatuor Synodos ac S. Leonis Papæ nomen in Diptychis recitans, populo satisfecit. Deinde die 20. Iulij, quæ fuit eiusdem hebdomadis feria VI. diuersarum prouinciarum Metropolitę ac alij inferiores Episcopi numero omnes XLIII. Seuerum Antiochię hæreticum Antistitem condemnarunt, *eundem omni honore, nomine, dignitate, & operatione, quæ Christiano aut sacerdotalis ordinis viro conueniat, vel conuenire possit, priuantes &c.* vt ibidem legitur pag. 167. At Iustinus vbi primùm acclamationes populi intellexit, Amantium Eunuchum sub Anastasio cubiculo præpositum, palatio eiectum, neci *statim* tradidit, vti ait Euagrius lib. 4. cap. 2. simulque Orthodoxos ab hæretico decessore in exilium deportatos, missis sacris, suis quosque oppidis restituit; idemque Vitalianum, qui pro Catholica religione contra Anastasium exercitum

 duxe-

duxerat, in regiam delato magiſtratu militari, vocauit. Ioannes verò Patriarcha geſta in nupera Synodo contra Seuerum ad Metropolitam Tyri Epiphanium, ac ad Ioannem Patriarcham Hieroſolymitanum, alioſque de more tranſmiſit. Epiphanius Tyri Metropolita acceptas Patriarchę C-P. Synodicas, publicè in Eccleſia coràm prouincię Epiſcopis, recitauit die 16. Septembris. Tum vniuerſus populus in acclamationes erupit, quæ leguntur in memorata Act. V. Synodi C-P. ſub Menna à pag. 203. Eas inter dixerunt: *Eiecit Seuerum Dei genitrix, qui turbauit Eccleſias*. Item: *Vitaliani Magiſtri militum multi ſint anni*. Item: *Imperator iuſſit, vt dixit Synodus*. *Imperator iuſſit & tota Synodus*. Rursùs: *Trinitas vicit, receſſit Acephalus. Auguſtus vicit &c. Eamus, intremus; receſſit Acephalus. Eamus, intremus; depoſitus eſt Acephalus*. Tandem poſt plurimas emiſſas voces, dixerunt: *Mortuus eſt Amantius rebellis Trinitatis*. Epiſcopi anathema pronuntiarunt contra omnes hereticos, *præcipuè autem impium & Dei impugnatorem Seuerum Acephalum & Manichæum*. Cum verò hæ acclamationes factæ dicantur *anno Tyriorum 643. die 16. Septembris, Indictione XII.* nempè anno Christi 518. inde plura ſcitu digna colligimus, videlicèt Amantium paulo poſt diem 16. Iulij occiſum fuiſſe, ac Vitalianum in regiam à nouo Auguſto reuocatum, Magiſtrum ſtatim militum creatum fuiſſe. Prætereа ex illis verbis: *Imperator iuſſit, vt dixit Synodus*, patet Iuſtinum initio ſtatim imperij edictum emiſiſſe pro recipienda Synodo Calchedonenſi, ac reuocandis ijs, qui ob fidem Orthoxam iuſſu Imperatoris Anaſtaſij exulabant. Horum teſtis locupletiſſimus eſt Cyrillus cap. 60. de vita magiſtri ſui S. Sabæ: *Ceterùm*, inquit, *ſic defuncto Anaſtaſio, ſtatim* (Græcè *αὐτίκα*) *Iuſtinus vbi imperium accepit, leges tulit, quibus iubebatur, vt omnes ab Anaſtaſio pulſi reuocarentur; item Synodus Calchedonenſis ſacris Dipthychis inſeretur. Quæ Iuſtini iuſſa poſtquàm Hieroſolymam delata fuiſſent, infinita multitudo Monachorum & Laicorum congregata eſt; concurrit quoque S. Sabas & Epiſcoporum Concilium; celebratoque feſto ſexta Auguſti menſis, promulgatæ ſunt diuinæ iuſſiones, & quatuor Synodi in ſacris Diptychis repoſitæ*. Eidem verò Epiſcoporum apud Hieroſolyma Concilio Ioannem vti legitimum Eliæ ſucceſſorem id temporis approbatum, præſediſſe indicat idem Cyrillus proximo ſtatim cap. 61. ſcribens: *Tunc Archiepiſcopus Hieroſolymorum Ioannes ſuadet ſancto patri noſtro Sabæ tranſire vſque in Cæſaream & Scythopolim cum aliis quibuſdam eremi Hegumenis ad patefaciendas Imperatoris literas, & quatuor Concilia per vrbes ſacris Diptychis inſerenda*. Cum ſacræ Imperatoris Iuſtini die VI. Auguſti feſto Transfigurationis Domini, Hieroſolymis publi-

publicatę fuerint, eædem pariter literę aliquot ante dies Antiochiam Syriæ vrbem dubio procul delatę fuerant; vnde fit, vt à Iustino Augusto ante diem 20. Iulij, qua Seuerus Constantinopoli in Synodo damnatus fuit, ac depositus, emissæ fuerint: quippè quæ Hierosolyma ante diem 6. Augusti mensis delatæ fuerunt.

Liberatus Diaconus cap. 19. Breuiarij historię Nestorianorum & Eutychianorum, scribit: *Mortuo Imperatore Anastasio, & Iustino facto Imperatore, Seuerus à Vitaliano Magistro militum viro religioso & Orthodoxo accusatur, quòd despiceret Imperatoris iussionem, & Synodum*, videlicèt Calchedonensem, *non reciperet. Iustinus Imperator misit Magistrianum, vt Seuerus Constantinopolim adduceretur &c.* Addit Seuerum sibi metuentem, nocturna fuga euasisse Seleuciam, atque inde Alexandriam se contulisse. Et postea: *Ordinatusque est pro eo Archiepiscopus Antiochiæ Paulus Orthodoxus, suscipiens Synodum Calchedonensem.* Cum literę Imperatoris de recipienda Synodo Calchedonensi, circa initium Augusti mensis Antiochiam peruenerint, sub exitum eiusdem mensis aut sub initium Septembris Vitalianus Seueri contumacia intellecta, eundem apud Imperatorem accusauit; cum alias etiam Seuero iratus esset, quòd hic, vti refert Euagrius lib. 4. cap. 4. *in suis concionibus probra & contumelias in eum iecerat.* Ex his satis manifestè ostenditur Seuerum anno Christi 518. Antiochia fugisse, non verò insequenti 519. vti Baronius ac Valesius opinati sunt. Nam cum Seuerus ante exitum primi mensis imperij Iustini, eiusdem sacræ siuè edicto refragatus fuerit, qui fieri possit, vt Vitalianus iam Magister militum, vt ex recitatis Tyriorum acclamationibus patet, siuè religionis zelum, quo dudum arma contra hæreticum Imperatorem induerat, siuè acceptarum à Seuero iniuriarum vltionem, integro anno compresserit, priùsquam Imperatorem contra eundem concitaret? Ioannes Malela Antiochenus in libris MSS. Chronicorum, vbi Imperatoris Iustini tempora notat, ait: *Eiusdem*, nempè Iustini, *anno primo Seuerus Patriarcha Antiochenus, Vitalianum fugiens, in Aegyptum se recepit, cuius in locum Patriarcha creatus est Paulus.* Euagrius laudato superiùs loco notat fugisse *mense Gorpiæo* siuè Septembri. At September anni Christi 519. pertinet ad annum secundum imperij Iustini; vnde cum Seueri fuga anno primo principatus Iustini à Malela Antiocheno & ab Euagrio qui diutiùs Antiochię vixit, recitetur, idem Seuerus mense Septembri anni Christi 518. Antiochia Alexandriam evasit.

Prætetea hoc ipsum demonstratur ex epistolis, quas Legati Apostolici anno Christi 519. ad Hormisdam Papam Constantinopoli scripserunt. Illi quidem, vt ait Dioscorus vnus legatorum in

literis

literis ad eundem Hormisdam, in regiam vrbem peruenerant anno Christi 519. *feria secunda hebdomadis authenticæ*, nempè die 25. Martij, cuius die postremo contigit Pascha, Cyclo Solis XXIV. Lunæ VII. lit. F. ante quod festum Ioannes Patriarcha subscripto Hormisdæ Papæ libello, ac Acacij Patriarchę simulque Zenonis ac Anastasij Imperatorum nominibus è sacris Diptychis erasis, pacem diu interruptam, cum Romana sede restaurauit. Hæc omnia statim Legati Hormisdę significarunt, datis ad eundem literis, quæ leguntur post epist. 40. Hormisdæ, quarumue initium est: *Non miramur &c.* vbi etiam hæc scribunt: *Orate, vt Antiochenam quoque similis felicitas illustret Ecclesiam, de cuius Antistite adhuc tractatus nutare conspicitur, quoniam inter diuersa vota populorum de persona electione non constat*. Ceterum tertium post mensem nouum Antiochię Patriarcham creatum eidem Hormisdæ significarunt in epistola, quæ post 65. legitur, in qua ijdem legati, *Post multas*, inquiunt, *afflictiones & penè in tres menses à patribus protracta certamina, piissimus Imperator sua auctoritate Paulum nomine Presbyterum de Ecclesia Constantinopolitana elegit Episcopum fieri in Ecclesia Antiochena, dicens inter alia & hoc testimonium de ipso, quia duobus annis in Antiochia positus, non mediocriter resistebat Seuero hæretico*. Hæc vero epistola signatur: *Data III. Kal. Iulias*. At omnes Historici, qui hac de re scripserunt, Euagrius, Malela, Liberatus Diaconus, Theophanes, Zonaras, Cedrenus, alijque tradunt post Seueri fugam, Paulum Antiochenæ Ecclesię præsulem designatum fuisse. Quare cum post trimestre ferè certamen, circa exitum Iunij anno C. 519. Pauli electio contigerit, Seueri fuga referenda est ad Septembrem anni proximè præteriti 518.

Hoc ipsum ex tempore, quo Seuerus Antiochenę Ecclesię incubauit, rursùs ostenditur. Marcellinus in Chronico exordium Episcopatus Seueri recitat Indictione VI. Clementino & Probo Consulibus. Hinc Baronius Ecclesiastica gesta anno Christi 513. ab Antiochena cathedra à Seuero occupata, auspicatur, cui adhærens Valesius in notis ad Euagrium, scribit Seuerum ordinatum Episcopum anno Christi 513. mense Nouembri, *quod*, inquit, *Indictione VII. factum sit oportet*. Verum Euagrius ac Malela ad annum 512. initium Episcopatus Seueri retrahunt. Ille enim lib. 3. cap. 33. narrat Seuerum eam Sedem occupasse *anno Antiochiæ vrbis DLXI. mense Dio, Indictione VI. currentis tunc circuli*; Malela etiam in laudatis Chronicis MSS. refert id contigisse μηνὶ Νοεμβρίῳ, ϛ', ἔτους χρηματίζοντος κατὰ τοὺς Ἀντιοχεῖς φξα' : *mense Nouembri, die sexta, anno iuxtà Antiochenos DLXI.* Annus Epochę Antiochenę 560. exijt ante Nouembrem anno Christi 512. Vrbis Romę 1265. Quare

vna

vnà cum Indictione VI. inita Kal. Septembris, die sexta Nouembris insequentis numerabatur annus Æræ Antiochenę DLXI. Duo verò illa testimonia Ioannis Malelę ciuis Antiochię, ac Euagrij eiusdem vrbis inquilini præferenda sunt Marcellino Latino Chronographo, licèt nec iste oppositum scribat; siquidem ad Indictionem VI. initam anno 512. Kalendis Septembris initium Episcopatus Seueri refert; quamuis nota Consularis annum proximum designet. Addo his tertium testem Cyrillum Scythopolitanum in libro de vita S. Sabæ Abbatis. Scribit Sabam iussu Elię Patriarchę ad Anastasium Imperatorem ex Palæstina profectum, benignè à Principe licèt hæretico exceptum, quo planè tempore in Phœnice apud Sidonem ab Eutychianis Episcopis Synodus habebatur. Tum narrat adueniente hieme, Sabam in regia vrbe substitisse, ac in proximo suburbano rure Rufini vernum tempus expectasse. At vere iam adulto, inquit Cyrillus cap. 54. *ad Palæstinam enauigauit mense Maio quintæ Indictionis*; nempè anno Christi 512. Hinc Synodus memorata apud Sidonem ad annum 511. retrahenda videtur. Addit post aliquot menses Seuerum Antiochenam Ecclesiam occupasse, ac Synodicas literas ad Eliam Hierosolymitanum scripsisse; *iterùmque*, inquit cap. 56. *easdem Synodicas suas mense Maio sexta Indictionis mittit Hierosolymam &c.* Indictio VI. mense Maio decurrens, est index anni Christi 513. quo mense cum Seuerus esset Antistes Antiochiæ, eiusdem inauguratio contigit anno superiori 512. die 6. Nouembris. Iam verò Liberatus Diaconus cap. 19. Breuiarij laudati de Seuero scribit: *Sed ipse potitus est Episcopatu eius*, videlicèt Flauiani è sede Antiochena ab Imperatore Anastasio pulsi, *plus quinque annis*. Quare cum sacram Antiochię cathedram occupauerit die 6. Nouembris anno Christi 512. inde recessit mense Septembri, anno 518. cum eandem tenuisset annos V. ac menses decem. Si verò idem Antiochia fugisset mense Septembri anni insequentis 519. annis ferè septem ea sede potitus fuisset.

In eadem Actione V. Synodi C. P. sub Menna recitantur literę Clericorum Antiochię ad Ioannem Patriarcham Constantinopolitanum, in quibus narrant vniuerso Romano Orbe ob recèns delatum Iustino principi Orthodoxo imperium, lætante, solam Antiochenam Ecclesiam diuturniori luctu affligi, ob Seuerum omnem apud ipsos religionem conculcantem. Ibi verò plura eiusdem scelera recitantes, inquiunt: *Carceres enim ædificat nunc, & in eos pro fide multos detrudit*. Et paulò post: *Deprecamur vestram Sanctum Synodum, vt tandem aliquando sedetis mala, quæ nostram Ecclesiam occupant, & totum ferè Orientem, & ab isto nequissimo viro*

nos

nos libertis, *exacta ab eo pœna eorum quæ contra diuinos canones & politicas leges* fecit; ac denique rogant, *vt relegati restituantur propriis ciuitatibus & ordinibus*. Nuperi Conciliorum editores tom. V. pag. 158. hocce scholion ad latus laudatę epistolę ponunt: *Hanc epistolam clerici Antiochenæ Ecclesiæ ad Synodicam Concilii Constantinopolitani rescripserunt*, *anno Christi* 518. vbi appellant Baronij Annales. Et sanè epistola in titulo dicitur scripta *ad Ioannem Patriarcham & Synodum congregatam contra Seuerum*. Hæc tamen falsitatis redarguit eiusdem epistolę lectio, in qua nihil de damnato apud Constantinopolim Seuero scribunt, vti reapse fecerunt Epiphanius Tyri, & Ioannes Hierosolymorum Antistites. Equidem ob depositum Seuerum gratias post Deum, Synodo C-P. retulissent. Cum verò rogent, vt Orthodoxi exules suis sedibus restituantur, patet eam epistolam scriptam mense Iulio exeunte, cùm primùm noui Principis Iustini electionem intellexerunt, vti initio statim literarum produnt; siquidem vti prænotabam, die 6. Augusti Imperatoris literę de reuocandis ob fidem exulibus, in Synodo apud Hierosolyma promulgatę fuerunt. In Græco textu eædem cleri Antiocheni literę inscribuntur Δέησις, nempè *supplicatio*, siuè *deprecatio ad Ioannem Patriarcham* καὶ τὴν ἐνδημοῦσαν σύνοδον, κατὰ Σευήρου: *& Synodum præsentem*, *contra Seuerum*. Cum enim in regia vrbe plurimi Episcopi ob ciuilia ac Ecclesiastica negotia ad Comitatum profecti, quoquo tempore reperirentur, ac non semel ob difficiles quasdam causas subinde intercurrentes, à Patriarcha in consilium vocarentur, vt quod è re Ecclesiastica foret, eorumdem suffragijs decerneret, Græci hasce extemporaneas Synodos vocarunt τὰς ἐνδημούσας vel ἐνδημοῦσας, id est, *præsentes*; nempè ex tunc fortè fortuna præsentibus Constantinopoli Episcopis congregatas. Hinc in titulo ibidem legendum est: *Supplicatio clericorum & monachorum Antiochiæ ad Ioannem Patriarcham & Synodum præsentem*, *contra Seuerum*; vt *supplicatio* contra Seuerum, non autem Synodus iam contra eundem coacta dicatur. Si enim lata à Synodo contra Seuerum sententia illis innotuisset, neutiquàm rogassent, vt *tandem aliquando sedarent mala*, *quæ Antiochenam Ecclesiam turbabant*, cum iam Synodus Seuerum anathemate perculsum, omni honore priuatum, ac Antiochena sede depositum, à Christianorum procul consortio abiecisset; quibus nihil iam seueriùs à Synodo contra hæreticum decernendum supererat.

Ex his quæ prolixiùs deduxi ad indagandum annum, quo Seuerus ab Antiochena sede clam Alexandriam diffugit, manifestè colligimus eiusdem fugam contigisse mense Septembri, anno Christi

sti DXVIII. ac primo imperij Iustini Augusti, vt Euagrius ac Malela testantur, quorum prior eumdem annum vocat Antiochenorum *Æræ quingentesimum sexagesimum septimum*, qui componitur a Parilibus cum A. V. Romę 1272. Christianę verò Epochę 519. Cum autem, vti toties diximus, Æra Antiochenorum iniit ab autumno anno vrbis Romę 705. ante Christum 49. annus abhinc Antiochenorum 566. exijt sub autumnum anno vrbis Romę 1271. Christi 518. quo anno cum mense Gorpiæo siuè Septembri numeretur Euagrio annus Antiochenorum 567. consequens fit, vt idem annos laudatę Epochę à Kalendis Septembris ordiatur; vti rectè demonstrauit doctissimus Vuillelmus Loydus in eruditissima epistola ad amicum meum V.C. Nicolaum Toinardum Aurelianensem, à quo eamdem ipse accepi, quæ micantissimam etiam facem in re obscurissima mihi prætulit; neque enim me pudet fateri per quem profecerim. Quamuis autem Euagrius à Gorpiæo annos Antiochenorum multiplicauerit, ex alijs vetustorum Scriptorum monumentis didici non omnes Syros in primo mense anni statuendo conuenisse, sed quosdam annum auspicatos fuisse a Gorpiæo: quosdam verò à proximo mense Hyperberetæo. Nam Albategnius insignis Astronomus cap. 32. numerans menses anni Syrorum, ait: *Romanorum autem mensium nomina secundùm Græcorum*, nempè Syrogræcorum, *& Elkulpti seu Coptitarum principia sunt Elul, Tisbrin primus, Tisbrin secundus, Canun prior, Canun secundus, Scebat verò tribus continuis annis est dierum 28. quarto autem anno dierum 29. & tunc est annus bissextilis &c.* vbi ceteros anni Syrorum menses enumerans, postremo loco Ab mensem recenset. Hic planè describitur annus Syromacedonum Solaris iuxtà formam Iulianam, in quo Scebat in anno tum communi tum etiam bissextili, æquali dierum numero, Romanorum Februario correspondet. Quare Elul, qui in anno Syrogræcorum priori loco ab Albategnio collocatur, Kalendis Septembris inibat, cum sextus ab eodem mensis Scebat cum Februario comparetur. Idem Albategnius Arabum Dynasta in Syria, in cap. 27. libri de scientia stellarum Arabicè scripto, quem alij Latio donatum, notis etiam illustrarunt, narrat se anno ab obitu Alexandri 1206. Dylkarnaim 1194. die XIX. mensis Elul, Pachon VIII. obseruasse Aractę Æquinoctium Autumnale, horis 4. 45'. ante ortum diei, siuè hor. 1. 15'. à media nocte. Cum verò ibidem laudasset Æquinoctium autumnale obseruatum à Ptolemæo anno post obitum Alexandri 463. die 9. Athyr post vnam horam ab ortu Solis, addit ab hoc Æquinoctio ad aliud sibi deprehensum, excurrisse annos Ægyptiacos 743. dies 178. horas 17. 36'. Epocha annorum ab obi-

tu Alexandri annis duodecim prior eſt Æra Seleucidarum, quæ Dylkarnaim ab Albategnio appellatur. At ex tempore eclipſium quas idem Aſtronomus ibidem deſcribit, conſtat annos Æræ Dylkarnaim fixos, ac in forma Iuliana ab eodem intelligi. Cum verò Epocha Seleucidarum ſiuè Dylkarnaim inierit ab autumno anno vrbis Romæ 442. ac 312. antè Æram Chriſtianorum, annus eiuſdem 1193. exijt ſub autumnum anno ab vrbe Roma condita 1635. Chriſti 882. At hoc planè anno obſeruatum illud Æquinoctium rectè oſtendit Petauius lib. 4. doctr. Temp. cap. 26. Nam prius Æquinoctium autumnale notatum fuerat Ptolemæo anno 463. ab obitu Alexandri, Nabonaſſari 887. die nona Athyr, quæ in anno Ægyptiorum vago fuit Septembris XXVI. anno Chriſti 139. quo Thoth cœpit die 20. Iulij apud Romanos. Iam verò ab eo huius anni die numerati Aegyptiorum anni, quot ad ſuam obſeruationem colligit Albategnius, nempè 743. dies 178. horæ 17. 36'. deſinunt anno Chriſti 882. Septembris die XIX. hor. 1. 16'. poſt mediam noctem. Nam anni Ægyptij 743. ac dies 178. cum ſinguli eorundem conſtent diebus 365. ſine quadrante, dant annos iuxtà methodum Iulianam 742. ac dies 357. horas 23. 36'. Qui anni dieſue additi ſupra annum Chriſti 139. diemque 26. Septembris, deſinunt anno Chriſti 882. ac die XIX. Septembris, quæ itidem undevicesima menſis Elul anni Solaris Syrogræcorum ab Albategnio nuncupatur. Hinc rectè à Petavio loco laudato reprehenditur Scaliger Æquinoctium Albategnio deſcriptum, protrahens ad annum Chriſti 883. Sed & Petavio erratum eſt, dum de anno Dylkarnaim 1194. ſcribit: *qui ab Octobris Kalendis anni* Chriſti 882. *cœptus eſt*. Nam ex hactenùs demonſtratis, conſtat Albategnium iuxtà pleroſque Syros annos fixos Dylkarnaim a Kalendis Septembris inchoare; ſiquidem, uti dicebam, annus 1193. Dylkarnaim exijt ſub autumnum anni Chriſti 882. Quare cum hoc ipſo anno die XIX. Elul ſivè Septembris, qua Aſtronomus memoratus Æquinoctium autumnale notavit, numeretur eidem annus Dylkarnaim 1194. patet iam annum novum die prima Elul apud Albategnium inchoari. Itaque iterùm lapſus eſt Scaliger lib. 5. de emend. Temp. pag. 399. ſcribens: Elul *duodecimus atque ultimus menſis Iulianus Syrorum*. Idem tamen antea lib. 4. pag. 226. ſcripſerat: *Quidam tamen Chriſtiani Antiocheno Patriarchæ ſubditi, putant initium huius Aeræ Dylkarnaim ſecundùm ritum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ à Kalendis Elul ſivè Septembris*. Sed iam antiquitus id apud Syros in vſu fuiſſe Albategnij teſtimonio oſtendimus, ac de anno eadem die inito apud Antiochenos vetuſtior teſtis accedit Evagrius, uti vir illuſtriſsimus Loydus mihi planè perſuaſit. Ce-

Ceterùm alios Syros passim à Kalendis etiam Octobris annum inchoasse patet ex libro de Epochis insignioribus Persicè scripto ab Vlug Begho citrà vltraquè Gangem Principe, quem Latio donauit Iohannes Grauius, ediditque Londini anno 1650. Hic eruditus Astronomus, magni Tamerlani nepos, cap. 2. scribit Epocham Rumæorum, ita Syrogræcos ille nominat, initium habuisse *elapsis duodecim annis Solaribus à morte Alexandri filii Philippi Græci*. Notat annos eius Epochę esse Solares, ac annum constare ex diebus 365. ac quadrante. Hæc planè est Epochà Seleucidarum inita ab autumno A. V. 442. eodemque duodecimo a morte Alexandri Magni. Porrò annos Syrogræcorum ex hisce mensibus compositos tradit: *Nomina mensium & dierum numerus, hæc sunt. Tesbrin prior constans diebus XXXI. Tesbrin posterior XXX. Canun prior XXXI. Canun posterior XXXI. Sbabat XXVIII. Adar XXXI. Nisan XXX. Aytar XXXI. Haziran XXX. Tamuz XXXI. Ab XXXI. Elul XXX.* Quæ mensium nomina annum Syrorum designant. Cum mensis Shabat siuè Scebat dierum 28. Romanorum Februario correspondeat, Tisri prior ab ineunte Octobri init, annique Syrogræcorum initium facit; vnde & mensium primus recitatur. Abul Pharagius in libro Arabicè scripto de Dynastijs, sub titulo Dynastię V. pag. 63. scribit: Si Æræ Seleucidarum, *cuius initium est Tisrin prior, mensem vnum addiderimus prodibunt nobis anni integri, & menses anni fracti, cuius initium est mensis Elul, quæ est Epocha, qua utuntur Romani nostro tempore*. Itaque Epocha Seleucidarum eiusque anni inibant à Tisri priori nempè Octobri Iuliano. Quamuis postea plerique Syri annum ab Elul, id est, Septembri inchoarent, vt cum Romanis, annum à noua Indictione Kal. Septembris auspicantibus, conuenirent. Cum ergo in Syria quidem a Tisri, alij ab Elul annum exordirentur, incompertum est, vtros Antiocheni secuti fuerint. Ipse quidem censeo eosdem antiquitùs annum ab Hyperberetæo siuè Octobri exorsos fuisse, quod Tyrios ac Gazenses fecisse suo inferius loco monstrabo. Cum enim Antiocheni Æram in honorem Cæsaris inuexissent, ac ab autumno veteri Macedonum instituto, annum exordirentur, eiusdem quoque initium ab eo mense duxisse videntur, cuius prima dies proximior erat cardini autumnali, quem Cæsar in anno reformando, in ante diem VIII. Kal. Octobris collocauerat. Macedones Asiatici à die 24. Septembris, Iuliano cardine autumnali, anni initium sumebant. At Antiocheni quò menses sui ipsorum anni pari dierum numero cum Iulianis mensibus decurrerent, a primo die Hyperberetæi, siuè Octobris annum inchoarunt. In laudata sylloge a Doduuello ex Malelę Chronicis excerpta,

 legi:

legi : *Anno vrbis Antiochia XCII. permisit Claudius Antiochenis emere ab Elidensibus ius ludorum Olympicorum, Antiochiæ celebrandorum mense Hyperberetæo*. Vti verò Græci mense anni primo Hecatombæone ludos Olympicos edebant; ita Antiocheni eisdem ludis celebrandis mensem Hyperberetæum destinarunt, quod ille annum apud ipsos inchoabat. Idem Malela scribit: *Anno Antiochia DLXVIII. Indictione XIV. Olympica Antiochena à Iustino vetita*. Annus Epochæ Antiochenę 568. exijt per autumnum A. V. Romę 1273. Christi 520. eodemque tertio imperij Iustini. Indictio autem XIV. cœpit eodem anno Kalendis Septembris. Quare cum à Malela annus Antiochiæ 568. adhuc decurrens, copuletur cum Indictione XIV. annus non à Kalendis Septembris, sed Octobris siuè Hyperberetæi initium sumebat. Hinc videri possit Euagrius initium anni Antiocheni iuxtà aliorum methodum a Septembri collegisse.

Henricus Valesius in notis ad cap. 1. Eusebij de Martyribus Palæstinis, & ad cap. 12. lib. 2. Euagrij, contendit Antiochenos ab ineunte Dio siuè Nouembri annum ciuilem inchoasse. Hanc opinionem ex Euagrio falsam ostendam. Cum hic Scriptor lib. 6. cap. 7. narrasset Gregorium Patriarcham Antiochię in Synodo Constantinopolitana absolutum, Antiochiam reuersum fuisse, hæc capite 8. scribit: *Quatuor mensibus post reditum Gregorii dilapsis, anno sexcentesimo tricesimo septimo vrbis Antiochia, & anno sexagesimo primo à prioribus terræ motibus* (ἐμοῦ κατὰ τὴν ἕνην καὶ νέαν ἡμέραν τοῦ Ὑπερβερεταίου μηνὸς, κόρην παρθένον νυμφευόντος) *cum ipse die postremo Hyperberetai mensis, teneram virginem vxorem ducerem &c. tertia hora post crepusculum, agitatio & motus terræ cum impetu irruens, totam vrbem concussit*. Græca verba inserui, quòd Baronius ad A. Christi 587. eadem ex Euagrio recitans, scribit: *cum ipse Asterius pridie Kalendas Octobris teneram virginem vxorem duceret*. In quo ab interprete erratum est, dum voces ἕνην καὶ νέαν ἡμέραν Ὑπερβερεταίου, Latinè reddidit: *pridie Kalendas Octobris*; cum *pridie Kalendas Nouembris* scribendum sit, seu die postremo Octobris, vti rectè vertit Valesius. Laertius in Solone scribit hunc omnium primum, mensis diem τὴν τριακάδα *tricesimam*, dixisse ἕνην καὶ νέαν, *veterem ac nouam*, quia postrema die mensis anni Lunaris, veteri Luna desinente, noua inchoabatur; qua de re lepidè iocatur Aristophanes in Nubibus Act. IV. Scæna III. Et quamuis menses ex Lunaribus Solares postea euasissent, vetustis illis vocibus postremam diem mensis non semel designabant. Alter error est ipsiusmet Baronij; siquidem non Asterius præfectus Orientis ac Gregorij Patriarchæ inimicus, sed ipse qui ea scripsit, Euagrius virginem vxorem ducebat; cum priorem alte-

alteram morbo pestilenti antea amisisset, vti narrat lib. 4. cap. 28. In magnis Annalibus memoratus terræ motus, & Concilium C-P. in causa Gregorij recensentur anno Christi 587. At Valesius in notis ad laudatum locum Euagrij, vtrumque ait contigisse anno 589. Vtraque opinio falsa est; nam & illa Synodus ac clades Antiochiæ referendę sunt ad annum Christi 588.

Illa fuit famosa Synodus, quam Ioannes Patriarcha C-P. ex Episcopis imperij Orientalis coegit, non tam vt Gregorij Antiocheni, qui plurium criminum reus insimulabatur, causam discuteret, quàm eo prætertim, vt sibi Synodali decreto Episcopi *Oecumenici* siuè *Vniuersalis* titulum confirmaret. Hanc Synodum Binius cæterique Conciliorum collectores Baronium secuti, perperam recitant anno Christi 587. Euagrius scribit Gregorium victa causa, Constantinopoli Antiochiam reuersum fuisse, ac quarto postea mense ab eiusdem reditu, Antiochiam die vltimo Octobris, horrendo terræ motu conquassatam fuisse, *anno sexcentesimo tricesimo septimo vrbis Antiochiæ*. Hæc Epocha inijt ab autumno A. V. 705. Adde annos exactos eiusdem 636. eris ad autumnum A. V. 1341. Christi 588. quo per autumnum cœpit annus Antiochenorum 637. quoue Euagrio teste & præsente, & periclitante, memoratus terræ motus Antiochiam vastauit. Quare cum verna tempestate eiusdem anni habita fuerit Synodus in causa Gregorij, nequit eadem referri ad annum superiorem 587. Altera Valesij opinio, quæ etiam fuerat Panuini, in Chronico Ecclesiastico, ex epistolis Gregorij Magni refellitur. Hæc ille scribit lib. 4 epist. 36. ad Eulogium & Anastasium: *Ante hos siquidem annos octo, sanctæ memoriæ decessoris mei Pelagii tempore, frater & Coepiscopus noster Ioannes in Constantinopolitana vrbe ex causa alia occasionem quærens, Synodum fecit, in qua se* Vniuersalem *appellare conatus est. Quod mox idem decessor meus vt agnouit, directis literis ex auctoritate S. Petri Apostoli eiusdem Synodi acta cassauit*. Occasionem verò quam Ioannes Synodo qua fiuit, exponens ibidem epist. 38. ad eundem Ioannem, ait: *Et quidem hac de re sanctæ memoriæ decessoris mei Pelagii grauia ad sanctitatem vestram scripta transmissa sunt. In quibus Synodo quæ apud vos de fratris quondam & consacerdotis nostri Gregorii causa congregata est, propter nefandum elationis vocabulum acta cassauit*. Hæc Gregorij Epistola signatur: *Data Kalendis Ianuarii. Indictione XIII.* qua labente, omnes libri IV. literæ perscriptę sunt. Indictio XIII. numerabatur vsque ad autumnum anno Christi 595. Cum verò Gregorius testetur Synodum de causa Gregorij Antiocheni habitam fuisse *ante hos annos octo*, nequit eadem statui ad annum Christi 589. cum

ab

ab hoc anno ad annum 595. etiam terminis inclusis, septem tantummodò anni numerentur. In epistolis Gregorij anni per Indictiones distinguuntur. Synodus illa peracta fuerat anno Christi 588. Indictione VI. verno tempore; & ab Indictione VI. inclusiuè, ad XIII. octo Indictiones, quæ totidem annos constituunt, numerantur. Extat epistola Pelagij Papę, qua vsurpatum Patriarchę C. P. *Vniuersalis* titulum irritat ac condemnat. Ea epistola dicitur: *Data Kalendis Martii Indictione V.* quæ Indictio mense Martio decurrens, est index anni Christi 587. Hæ Pelagij literę à Baronio *omni memoria dignissimæ* nuncupantur. *Verum*, inquit, *putamus pro* Martij, Maij *retinendum esse: siquidem non ampliùs quàm quatuor menses numerat Euagrius à reditu Gregorii Antiochiam vsque ad terræ motum, qui incidit, vt ait, pridie Kalendas Octobris.* Sed, vti dicebam, terræ motus iuxtà Euagrium accidit pridie Kalendas Nouembris; ac literę Pelagij *dignissimæ* periere; & quæ à viro Magno eo titulo decorantur, fictitiæ sunt ac supposititiæ, cum sint ex aliorum Pontificum epistolis consarcinatę; & præsertim ex epistola laudata 36. S. Gregorij Papæ vltrà septuaginta versus in illam spuriam Pelagij deportati sunt; quasi Pelagius ore successoris sui loqui potuerit, aut Gregorius tanta verborum ac sententiarum inopia laborauerit, vt decessoris tantùm sui verbis vti potuerit. Hinc non modò mensis Martius, verum etiam cum Indictione V. Pelagij nomen vna litura cum iisdem literis delendum est.

Sed ex ipso Euagrio opinio Valesij annum Antiochenorum à Kalendis Nouembris inchoantis, refellenda est. Historicus laudatus terræ motum quo die postremo Octobris Antiochia, Mauricio imperante, concussa partimque deiecta fuit, duplici annorum nota designat, nempè ait contigisse anno vrbis Antiochiæ *sexcentesimo tricesimo septimo*, ac *sexagesimo primo* à prioribus terræ motibus, qui eandem vrbem antea vastauerant. Idem lib. 4. cap. 5. scripserat Antiochiam quassatam fuisse motu terræ *anno septimo imperii eiusdem* Iustini, *mense decimo, mense Artemisio, id est, Maio, nona & vicesima eiusdem die, in meridie sexta diei hebdomadis.* Baronius omittens in textu Euagrij *mense decimo*, recitat eam cladem anno Christi 525. Euagrius, vt superius cap. 2. prænotabam, non modo annos, sed menses insuper imperij Iustini appellat, qui cum imperium inierit anno Christi 518. die 9. siuè 10. Iulij, mensis decimus vltra septimum annum imperij, exijt anno Christi 526. mense Maio, cuius dies 29. fuit feria VI. Malela scribit hoc anno telluris concussionem contigisse *postridie festum Ascensionis Dominicæ.* Qui omnes sunt insignes notæ chronologicę eiusdem anni 526. quo Pascha celebratum fuit

fuit die 19. Aprilis; Afcenfio autem Domini die 28. Maij, Cyclo Solis III. Lunæ XIV. lit. D. Marcellinus Comes in Chronico eundem terræ motum recitat *Indictione IV. Olybrio solo Consule*; quibus characteribus idemmet annus defignatur, vt planè mirer Baronium fcribere fub Confulibus anni Chrifti 525. eum terræ motum à Marcellino recenferi. Rursùs idem Euagrius cap. 6. fcribit iterùm poft triginta menfes telluris concuffionibus Antiochiam agitatam, vt ciues quò Deum fibi propitium redderent, tunc fuæ ipforum patriæ *Theopoleos* nomen indiderint, eandem veluti Deo dedicantes. Hofce terræ motus Theophanes ait contigiffe *die 29. Nouembris feria IV. Indictione VII.* nempè anno Chrifti 528. quo dies 29. Nouembris in feriam IV incidit, Cyclo Solis V. lit. BA. quo planè die triginta menfes ab Euagrio poft proximos terræ motus enumerati, exibant. Rectè Valefius notat huiufce anni terræ motus, qui per plures dies vrbem concufferunt, appellari ab Euagrio, cum annos fexaginta & vnum numerat ab eifdem ad alium, qui inter eiufdem nuptias, fub Mauricio contigit die vltimo Octobris. At anno Chrifti 528. Vrbis Romæ 1281. ante Nouembrem exierat annus Antiochenorum 576. ac die 29. Nouembris annus infequens 577. decurrebat. Iam verò fi anno Antiochię 576. addas annos vnum ac fexaginta, habebis annum Antiochenorum 637. ineuntem A. V. 1341. Chrifti 588. Valefius qui annos Epochę Antiochenę putat initos incipiente Dio fiuè Kalendis Nouembris, terræ motum die vltimo Octobris Euagrio memoratum, refert ad annum Chrifti 589. quo annus 637. eius Epochę exiuit, ita vt ea concuffio poftremo die anni eiufdem contigerit pridie Kalendas Nouembris, quæ annum nouum 638. Antiochię aperiebant.

Hæc tamen opinio ex Euagrio ac Theophilacto Simocatta fufiùs quidem quam vellem, fed tamen validè confutatur. Euagrius eo libro VI. à cap. 4. ad 6. narrat feditionem in exercitu Mauricij contra Prifcum ducem exortam, à qua cap. 7. tranfit ad caufam Gregorij in Synodo C-P. difcuffam, ipfomet Patriarcha Antiocheno abfoluto, accufatore verò infami pœna multato. *Itaque*, inquit, *Gregorius inde ad suam sedem reuertitur. Interea loci milites tumultus ciere non desinunt, Philippico circa Berœam & Chalcidem vrbem commorante. Quatuor mensibus post* (ita cap. 8. ftatim exorditur) *post reditum Gregorii dilapsis, anno Antiochiæ vrbis sexcentesimo tricesimo septimo &c.* narrat memoratum terræ motum die poftremo menfis Hyperberetæi. Poftea cap. 9. & 10. refumit narrationem tumultus militaris, quem tandem fcribit opera Gregorij Antiocheni fedatum. Theophilactus Simocatta qui gefta Imperatoris Mauricij

in

in literas misit, eaque per annos accuratè distinxit, lib. 2. cap. 12. ait: *Agebatur annus Mauricii secundus, cum hieme Consul creatus &c.* Antonius Pagy longè me accuratior Chronologus, in præfatione & rursus pag. 337. Dissertationis Hypaticę ex Chronico Alexandrino & Theophane, optimè ostendit Mauricium designatum fuisse Consulem mense Decembri in annum proximum Christi 584. At Simocatta narrato Mauricij Consulatu, scribit *hoc anno* Ioanne reuocato, Philippicum Orientalibus copijs ducem impositum, qui vt ait cap. 13. *primo autumno* castra ad Tigrim posuit, nempè anno eodem 584. quem Mauricius Consul aperuerat. Dein cap. 14. narrat Philippicum *anno insequenti*, qui fuit Christi 585. in Persarum fines irrupisse; vbi morbo contracto, ac valetudine postea recuperata, *hieme appetente*, militibus ad hiberna dimissis, Constantinopolim redijt. Idem iterum *vere ineunte*, videlicèt anno Christi 586. ad exercitum reuersus, plura secunda prœlia cum Persis fecit, quæ cum Simocatta reliqua parte libri secundi ac priori etiam tertij vsq; ad cap. 10. prolixè descripsisset, scribit eo capite decimo milites à Philippico quieti redditos, *quòd hiems iam proxima erat*, qua idem annus Christi 586. claudebatur. Verùm, inquit, *simul ac verna tempestas aduenit*, anni insequentis Christi 587. Philippicus tripartitis copijs hostium ditiones inuasit. Tum Simocatta intermissa narratione belli Persici, digreditur ad describendum bellum, quod eodem tempore Mauricius in Illyrico cum Chagano Auarorum rege per Comentiolum legatum, vario Marte, gerebat. Dein cap. 18. quo tertius liber clauditur, redit ad interpolatam historiam belli Persici, scribens Philippicum *hieme iam ingrediente*, anno scilicèt superiùs memorato 587. Constantinopolim reuersum fuisse. Hæc per quadriennium Philippico gesta, Euagrius paucis recitat lib. 6. cap. 3. Idem verò Simocatta initio lib. 4. scribit Philippico militare imperium abdicante, Priscum eidem successorem à Mauricio datum, *vere ineunte*, nempè anno Christi 588. in castra circa Paschalia festa peruenisse. Pascha eo anno celebratum fuit die XVIII. Aprilis, Cyclo Lunę XIX. Solis IX. litt. DC. Et ille quidem elato supercilio, feroci obtutu, ac toto habitu corporis ad arrogantiam composito, castra ingrediens, cum ex equo de more descendere, ac dispositas hinc inde honoris gratia cohortes, salutare recusaret, sibi statim militum odium contraxit; qui tamen instantis Paschalis solemnitatis religione moti, iræ impetum suppresserunt. Sed diebus festis peractis, Prisci tentorium aggressi, eiusdem supellectilem rapuerunt; cum ille interim celeri sibi fuga consuluisset; quem milites insecuti, intra Edessam obsederunt. Hæc quoque narrat Euagrius

grius cap. 4. Interea milites Germanum limitaneum Phœnices ad Libanum ducem, vel inuitum sibi præficiunt, iubentque vt se contra hostes ducat. Mauricius exercitus seditione intellecta, Philippicum, cui nupta erat soror eiusdem Imperatoris, statim in Orientem misit, vt iam notos sibi milites placaret, ac ad obsequium reduceret, quem illi tamen intra castra admittere recusarunt. Hæc describit Simocatta cap. 3. & Euagrius cap. 5. & 6. qui caput VII. hisce exorditur: *His rebus hoc loco constitutis, Gregorius Antiochiæ Episcopus Constantinopoli domum reuertitur graui confecto certamine, de quo iam dicturus venio.* Vbi narrat eundem in Synodo C-P. absolutum, accusatore circa vrbem flagellis cæso, ac dein exilio multato. *Itaque*, inquit, *Gregorius inde ad suam sedem reuertitur. Interea loci milites tumultus ciere non desinunt, Philippico circa Berœaam & Chalcidem vrbem commorante.* Tum cap. 8. narrat quarto mense post reditum Gregorij, Antiochiam vltimo Hyperberetæi siuè Octobris horrendo terræ motu conquassatam fuisse. Inde cap. 9. resumit narrationem gestorum à seditioso exercitu, qui duce Germano Persas collatis signis, ingenti clade affecit, quæ etiam recitat Simocatta cap. 3. & 4. vbi ait *hieme bellum excipiente*, dissolutis castris, milites ad hiberna dimissos; ac postea Mauricium *vere placidum & iocundum terris vultum exhibente* (erat annus Christi 589.) stipendia ad exercitum misisse; & cap. 5. scribit Philippicum tandem ab exercitu receptum, *cum Gregorius Antiochenus id temporis Archiepiscopus eum in gratiam & amicitiam militum restituisset*. Euagrius, qui assiduè vti capite 7. testatur, cum eodem Gregorio versabatur, orationem quam ille ad milites habuit, recitat cap. 11. addens eosdem ad obsequium rediisse, recurrente hebdomade maiori Dominicę passionis, cuius feria secunda eo anno contigit die IV. Aprilis, cum per annum in seditione obstinatiùs perseuerassent. Cum Simocatta adeo accuratè vernas ac hiemales tempestates subinde appellans, gesta sub Mauricio per annos distincta describat, memoratam exercitus seditionem recitat circa Pascha anni Christi 588. quo pariter anno ante æstatem habita fuit Synodus C-P. in causa Gregorij Antiocheni Episcopi; ac exeunte Octobri contigit terræ motus Euagrio tum sponso periclitanti, postea descriptus. Ita per longiores, vtinam non Lectori etiam molestiores ambages; intelligimus Antiochenos per autumnum ante mensem Nouembrem annum nouum inchoasse. Nam anno Vrbis Romæ 705. circa autumnum adde annos Epochæ Antiochenorum 636. deuenies ad annum ab vrbe Roma condita 1341. Christi 588. Cum verò hoc anno die postremo Hyperberetæi siuè Octobris numeretur Euagrio iam decurrens annus Antiocheno-

rum 637. palàm colligimus eoſdem annum labente autumno, ante initium Dij menſis ſiuè Nouembris inchoaſſe; nempè Kalendis Octobris, ſecùs ac Valeſius exiſtimat.

Iulianus Auguſtus, qui ignominiæ cauſa, Apoſtata nominatur, in Miſopogone Antiochenos alloquens, ait: *Decimo ferè menſe, vt vos numeratis (is opinor, Lous à vobis nominatur) patrium eſt feſtum huius Dei, & magno ſtudio ad Daphnen concurritur. Ego igitur ab Ioue Caſio illuc aduolaui, exiſtimans me ibi maximè veſtras opes & magnificentiam ſpectaturum &c.* Baronius ad annum Chriſti 362. hiſce recitatis, ait hunc montem Caſium fuiſſe in Arabia, ex quo Iulianus ad Daphnem ſe contulit. At præter hunc montem Caſium propè Peluſium & hinc Arabiam versùs protenſum, alius erat mons Caſius in Syria ſuperiori propè Seleuciam. Plinius lib. 5. cap. 21. 22. ait: *Seleucia libera, Pieria appellata. Super eam mons eodem quo alius nomine, Caſius &c.* Strabo libro 16. pag. 516. ſcribit Antiochenos iactare primum ſuæ gentis auctorem Triptolemum; *idcirco*, inquit, *Antiochenſes eum vt Heroem colunt, & in Caſio monte propè Seleuciam feſtum ei diem agunt.* Extant in Muſeo Mediceo plures vulgati nummi, in quibus anteriùs legitur: ΑΥΤΟΚΡ. ΚΑΙϹ. ΝΕΡ. ΤΡΑΙΑΝΟϹ. ΑΡΙϹΤ. ϹΕΒ. ΓΕΡ. ΔΑΚ. *Imperator Cæſar Nerua Traianus, Optimus Auguſtus, Germanicus, Dacicus*; & retrorsùs cum monte intra templum tetraſtylon, ac deſuper aquila: ϹΕΛΕΥΚΕΩΝ ΠΙΕΡΙΑϹ; & subtùs: ΖΕΥϹ ΚΑϹΙΟϹ. *Seleucenſium Pieriæ. Iuppiter Caſius.* Itaque Iulianus cum Antiochia ad proximum Seleuciæ Caſium montem ſacra facturus ad aras Iouis à loco *Caſii* nuncupati, ſe contuliſſet, inſtantibus annuis ſolemnijs Apollinaribus ad Daphnem, huc aduolauit. Theodoretus lib. 3. cap. 13. ait: *Septem dies feſtum Daphne agi ſolet*; ibique narrat Iulianum eoſdem dies feſtos ibidem celebraſſe. Cum verò Iulianus dicat ea ſolemnia decimo menſe anni Antiochenorum, quem illi Loum nuncupabant, quotannis recurrere, Valeſius inde colligit Antiochenos anni initium ab ineunte menſe Dio cepiſſe; ab hoc enim Lous decimus numeratur. Hoc Iuliani teſtimonium inſignes ſcriptores in varias ſententias diſtraxit; quos inter Petauius lib. 10. doctr. Temp. cap. 62. ait mendum in vocem *δεκάτῳ decimo* irrepſiſſe; ac legendum eſſe *ἑνδεκάτῳ vndecimo*; ſiquidem putat Antiochenos annum nouum iniſſe ab Hyperberetæo, à quo Lous numeratur vndecimus. Verùm hoc non eſt propoſitæ difficultatis nodum ſoluere, ſed ſecare. Vſſerius cap. 1. de Anno Solari Macedonum pag. 14. ex laudatis verbis Iuliani contendit Antiochenos aliter ac ceteros Syros, annum inchoaſſe à menſe Dio, cuius dies prima cum

24.

24. Septembris concurrebat; vnde in diagrammate anni Macedonum scribit Loum decimum mensem apud Antiochenos cœpisse die 25. Iunij, ac die 24. Iulij exitum habuisse. Hæc opinio ex canone 20. Concilij Antiocheni refutatur. Nam ibidem quotannis iuxtà Iulianam formam à Kalendis Ianuarijs initis, binæ Synodi celebrari iubentur, quarum posterior habenda indicitur Εἰδοῖς Ὀκτωβρίαις, ἥτις ἐστὶ δεκάτη Ὑπερβερεταίου: *Idibus Octobris quæ dies est decima Hyperberetæi*. Habita est ea Synodus imperante Constantio, anno Christi 441. ac vicesimo antequàm Iulianus imperaret. Quare dudum apud Antiochenos cum Octobri Romanorum Hyperberetæus, non verò Dius, vti putat Vsserius, componebatur. Verùm quòd idem imaginatur Antiochenos vti & reliquos Syros præter annos proprios, vsos etiam fuisse anno Romanorum, quibus subditi erant, ita tamen vt menses Romanorum nominibus Macedonum mensium nuncuparent, quod tum in laudato canone, tum in libris Euagrij ac Malelæ factum autumat, hæc mihi diligentiùs discutienda sunt.

In primis inquirendus est mensis, quo primùm Imperator Iulianus Antiochiam anno Christi 362. aduenerit. Ille quidem mortuo ante mensem Constantio, Constantinopolim ingressus est anno Christi 361. tertio Idus Decembris, ex Socrate lib. 3. cap. 1. Ammiano Marcellino lib. 22. ac Fastis Idacij. Cum aliquot menses in regia vrbe degisset, per Bithyniam, Phrygiam, ac Ciliciam in Syriam perrexit, atque Antiochiam ingressus est, cum *annuo cursu completo*, *Adonia ritu veteri* celebrarentur, teste ibidem Marcellino. De tempore horum solemnium hæc apud D. Hieronymum leguntur in comment. ad cap. 8. Ezechielis: *Vnde quia iuxtà gentilem fabulam in mense Iunio amasius Veneris & pulcherrimus iuuenis occisus, & deinceps reuixisse narratur; eundem Iunium mensem eodem appellant nomine, & anniuersariam ei celebrant festiuitatem, in qua plangitur à mulieribus quasi mortuus; & postea reuiuiscens, canitur, atque laudatur.* Hinc vbi vulgata lectio Ezechielis VIII. 14. habet: *Et ecce ibi mulieres sedebant, plangentes Adonidem*: legunt LXX. Interpretes loco *Adonidis* τὸν Θαμμοὺζ *Thammuz*, vti etiam Chaldæus paraphrastes. Valesius in notis ad Marcellinum ex laudato testimonio Hieronymi colligit Iulianum mense Iunio, quo Adonia agebantur, Antiochiam ingressum fuisse, cum Marcellinus scribat: *Et visum est triste, quòd amplam vrbem principum domicilium, introeunte Imperatore tunc primùm, vlulabiles vndique planctus & lugubres sonitus audirentur*, nempè mulierum plangentium Thammuz siuè Adonidem. Verùm apud Hieronymum pro *Iunio* Iulium mensem reponendum ipsemet S. Doctor ostendit, dum ait eundem mensem ab Adonide nuncupatum.

 Nam

Nam Syri mensem Iulium vocabant *Tamuz* : Iunium verò *Haziram*, vt ex Albategnio, Vlug Begho, ac Iosepho Ægyptio superiùs in hoc ipso capite appellatis, intelligimus. Extat in Cod. Theod. lib. 13. Iuliani Augusti lex 4. *de Medicis*, quæ dicitur *Data IV. Idus Maii Constantinopoli*, *Mamertino & Neuita Coss.* Quare anno Christi 362. die 12. Maij adhuc Iulianus in regia vrbe morabatur. Distabat Constantinopolis Antiochia ex Itinerario Antonini M. P. DCCCXVI. Iulianus vero iter per Bithyniam ac Phrygiam faciens, aliquot subinde dies in præcipuis vrbibus subsistebat, vt Deorum præsertim templa inuiseret; quod ipsum colligitur ex Libanij epistola ad Sopatrum 22. lib. 1. ac eiusdem oratione de consulatu Iuliani. Quare altera Iulij mensis parte labente, Antiochiam peruenit. Idem in Misopogone Antiochenos incusans, qui se ob Deorum cultum dicterijs impeterent, ait: *Nisi quòd odiosam istam seueritatem septimum iam mensem perpessi, vota quidem & preces quò tantis malis eriperemur, ad vetulas dimisimus, quæ circa sepulcra mortuorum* (videlicèt Martyrum, ac præsertim S. Babylæ) *assiduè versantur*. Ex his patet Iulianum septimum iam mensem moratum fuisse Antiochiæ, cum apologiam illam siuè satyram elucubrauit. Hanc verò scripsisse, cum Antiochia ad bellum Persicum propediem profecturus esset, colligo ex eiusdem ibidem verbis; *migrare ex hac vrbe statui*, *ac discedere*; itemque: *ad aliam gentem & populum me confero*. Ille verò Antiochia *tertio Nonas Martias profectus*, *Hierapolim* venisse dicitur Marcellino lib. 23. qui ibidem narrans gesta Iuliano IV. & Sallustio Coss. videlicèt anno Christi 363. paulò post initium eius libri, ait: *Rufinum Aradium Comitem Orientis in locum auunculi sui Iuliani recèns defuncti prouexit*. Addit vomitu sanguinis extincto Felice Comite S. L. *eumque Comite Iuliano sequuto*, vulgum publicos Imperatoris titulos intuentem, nempè *Iulianus Pius*, *Felix*, *Augustus*, post Felicem ac Iulianum Comites, ipsum quoque Augustum breui moriturum prænuntiasse. Rursùs ait: *Præcesserat aliud sauum*. Nam kalendis Ianuarij quidam vetus Sacerdos Iuliano templum Genij subeunte, repentina morte ceciderat. Quare cum hic casus contigerit ante mortem Iuliani Comitis Orientis, huiusce obitus accidit labente iam anno Christi 363. priusquàm die 5. Martij Iulianus Antiochia discederet. Extat lib. 8. Cod. Iust. Iuliani *lex 12. de exceptionibus*, *ad Iulianum Comitem Orientis*, quæ signatur *Dat. VII. Idus Martias Antiochiæ*, *Iuliano Aug. IV. & Sallustio Coss.* Igitur iam priori parte anni Christi 363. Iulianus Iuliani Augusti auunculus, Comes Orientis, erat superstes. Quòd verò constat ex Ammiano, ac ex ipso Iuliano Imperatore, cuius mox verba recitabo,

citabo, Iulianum Comitem Orientis obijsse, antequàm Imperator Antiochia discederet, atque hic die V. Martij Hierapolim profectus fuerit, mendum in notam temporis emissi rescripti irrepsit, leuique emendatione *VII. Idus Februarias*, legendum est. Itaque mense ineunte Februario, adhuc viuebat Iulianus Comes Orientis. Iam verò Iulianus in Misopogone ait: *Is est auunculus meus, eodem mecum nomine, qui vobis præfuit æquissimè quamdiu ei Dii dederunt vnà nobiscum esse, remque publicam administrare*. Iulianus qui Comes Orientis Antiochenis præfuerat, palàm mortuus designatur quo tempore Iulianus eiusdem nepos Misopogonem composuit; ac proinde cum ille liber scriptus fuerit post obitum auunculi, cum iam Iulianus Antiochia discedere statuisset, satis manifestè intelligimus eundem librum scriptum fuisse sub exitum Februarij paucos ante dies, quàm ille Antiochia Hierapolim pergeret. Cum verò ibidem dicat semet *septimum iam mensem* Antiochenorum scurrilia dicteria perpessum, inferimus eundem Iulianum labente Iulio mense, Antiochiam primùm aduenisse, ac Adonia eodem quoque mense, veteri superstitione quotannis celebrata.

Ex hactenùs probatis, id quod ad institutum facit, facilè demonstratur. Nam Vsserius, vti prænotabam, putauit Antiochenos annum à mense Dio inchoasse, cuius primum diem more Asianorum Macedonum cum 24. Septembris componens, primum quoque Loi mensis decimi diem cum 25. Iunij coniungit. At Iulianus, vti probaui, extremo ferè mense Iulio, siuè Syrorum Tamuz, Antiochiam inter Adonia festa peruenit, ac dein ad templum Iouis Casij profectus, in eandem vrbem redijt, iam labente mense Loo, ac recurrentibus annuis solemnijs Apollinaribus, quæ septem diebus agebantur. Igitur Lous apud Antiochenos cum Augusto Romanorum, ac mense Ab Syrorum Solari concurrebat. Hinc iuxtà Antiochenos Hyperberetæus Octobri ex laudato canone 22. Synodi Antiochenę, ac Dius Nouembri correspondebant, vti postea etiam ab Euagrio ac Malela ijdem menses comparantur; ac proinde Antiocheni præter annum in forma Iuliana, nullum alium peculiarem annum Solarem seruabant, vt Vsserius contendit. At si Lous cum Augusto Romanorum decurrens, iuxtà Antiochenos, teste Iuliano, erat decimus mensis in anno eorumdem, consequens fit, vt illi annum cum mense Dio Kalendis Nouembris inierint, vti Valesius inferebat; quæ tamen opinio locupletissimis Euagrij testimonijs confutata est, quibus per autumnum ante Nouembrem siuè Dium, annum nouum Antiochię cœpisse monstraui.

Vuillelmus Loydus in doctrina Temporum versatissimus, quippè

pè qui pertinaci ſtudio ac indefeſſa veterum quorumcumque monumentorum lectione, Chronologiam ab Orbe condito ſumma diligentia digeſtam, magnum opus ac ſummi viri eruditioni par, publico bono adornat, in literis ad amicum meum V.C. Nicolaum Toinardum, ob laudata Iuliani verba, cenſet Antiochenos præter annos ciuiles, quos rerum dominos Romanos ſecuti, iuxtà Iulianam anni correctionem methodumque admiſerant, annos etiam ſacros ſeruaſſe, ita tamen vt annos ciuiles iuxta Euagrium ab ineunte Gorpiæo auſpicarentur; at ſacrorum initium à Dio menſe colligerent. Ita Hebræi annum ciuilem à neomenia Tisri; ſacrum verò à prima die Niſan inchoabant. Ægyptij quoque annos ſacros habebant, quos ex diebus 365. ſine reliquo quadrante componebant; vnde cum quarto quoque anno non intercalarent, ſingulis quadriennijs feſta Deorum vno die anticipabant, de his ita ſcribente Gemino capite de menſibus: *Student enim ſacra Deorum non iiſdem anni temporibus repræſentare; ſed ea ipſa omnes anni tempeſtates peragrare volunt &c.* Hinc vir inſignis arbitratur Antiochenos alioſque Syros ita annum Solarem à Iulio Cæſare ordinatum admiſiſſe, vt ſimul tamen veterem annum ſacrum retinuerint, quò auito ritu iuxtà vetuſta Pontificum Kalendaria, annua Deorum ſacra peragerent. Quare cum Antiocheni annum ſacrum veteri Macedonum inſtituto, à Dio inirent, decimo eiuſdem anni ſacri menſe Loo ſolemnia Apollinaria, vti teſtatur Iulianus, celebrabant. Hæc quamuis acutè & ingenioſè excogitata, ſunt tamen dubia & incerta; quòd nuſquàm huiuſce anni ſacri apud Syros veſtigium apparet. Euſebius cap. 11. de Martyribus Palæſtinis, ſiuè lib. 8. Hiſt. Eccleſ. cap. 21. ſcribit Hadrianum Martyrem occiſum *quinto die menſis Dyſtri, id eſt, ante diem tertium Nonas Martias, quo die Natalis Genii publici apud Cæſaream celebratur.* Itaque apud Cæſaream in Syria Palæſtina quotannis die quinta Dyſtri, quæ iuxtà Romanos erat itidem quinta Martij, teſte eiuſdem vrbis Epiſcopo Euſebio, feſtum Genij publici agebatur; ac proinde ſolemnia ſacra iiſdem diebus anni ciuilis tum Syrorum, tum etiam Romanorum perficiebantur, nullaque erat anni ſacri à ciuili diuerſitas; niſi fingamus Euſebium eo loci omiſſo die anni ſacri, diem tantùm anni ciuilis appellaſſe. Poſtquam Ægyptij initium Thoth, à quo annum exordiebantur, in die 29. Auguſti Romanorum fixerunt, anni vagi vſus apud ſolos Aſtronomos remanſit; iidemque deinceps fuere dies anni ſacri & ciuilis ab vna eademque die 29. Auguſti inchoati. Et vt de Syris loquar, *apud hos*, vt ait Macrobius lib. 1. Satur. cap. 16. *Veneris Architidis & Adonis maxima olim veneratio viguit*; ita vt ab Adone

fluuium

fluuium è Libano ad Byblum maritimam Phœniciç vrbem decurrentem, Adonim dixerint, de quo etiam legatur Sozomenus lib. 2. cap. 4. Quòd autem Adonem gentili voce *Tamuz* appellabant, æstiuum quoque mensem de illius nomine Tamuz nuncuparunt. Cum verò Syri annum Solarem recepissent, Adonia intra eundem mensem retinuerunt, quem ipsum fuisse mensem Tamuz ciuilem ex Ammiano cum aliorum testimonijs collato, ostensum est, qui quidem mensis ciuilis Iulio Romanorum ex Albategnio ac Vlug Begho, ipsisque Syrorum Kalendarijs, æquato dierum numero, correspondebat. Ille verò mensis in anno ciuili Syrorum iuxtà Albategnium erat vndecimus: at decimus iuxtà Vlug Beghum, quòd plures Syri annum ciuilem ab Elul, alij autem à Tisri priori auspicabantur, vt superiùs exposui. In Museo Mediceo plures vidi argenteos nummos Vespasiani Augusti ac Domitiani Cæsaris in postica inscriptos: ΕΤΟΥC ΝΕΟΥ ΙΕΡΟΥ; additis numeralibus notis Η vel Θ nempè: *Anno nouo sacro octauo*, vel *nono*: in quibus scalptum est templum Veneris Paphiæ; vel Aquila alis expansis fulmen vnguibus stringens; vel denique Iuppiter eo typo, quo visitur expressus in simili nummo apud doctissimum Seguinum pag. 155. Hæc autem numismata in Syria percussa fuisse non obscurè eorundem scalptura indicat, vnde anni sacri apud Syros vsus colligi cuipiam posset. Scaliger lib. 5. de emend. Temp. pag. 362. cum id genus nummos recitasset, ait: *Non satis capio*; alijsque eorundem interpretationem tentandam dimisit. Seguinus censuit eos annos sacros numerari à reparato Romę templo Iouis Capitolini, quod bello ciuili Vitelliano conflagrauerat, cuius restauratio cœpta fuit XI. Kal. Iulias A. V. 823. exeunte primo imperij Vespasiani, ex Tacito lib. 4. Hist. Hanc explicationem eximiè commendat Spanhemius pag. 881. ob symbola præsertim Iouis Capitolini & Aquilæ ijsdem nummis impressa. Hanc tamen interpretationem alia id genus numismata manifestę falsitatis conuincunt. Extat Romæ in collectione Kircheriana apud Patres Societatis Iesu argenteus nummus Neruę in postica obsignatus: ΕΤΟΥC ΝΕΟΥ ΙΕΡΟΥ Α. *Anno nouo sacro Primo*. Nicolaus Toinardus typum æri incisum alterius nummi eiusdem Neruæ ad me transmisit cum epigraphe: ΕΤΟΥC ΝΕΟΥ ΙΕΡΟΥ Β. *Anno nouo sacro Secundo*, cum Aquila fulmen vnguibus stringente, ac sinistrorsùs ramo palmæ, quæ nummum in Syria scalptum indicat. Itaque cum anni illi sacri post Vespasianum patrem ac vtrumque filium extinctum, ab initio numerentur, neutiquàm ijsdem epocha reparati templi Capitolini designatur, sed anni tum imperantium Cæsarum exprimuntur. In Museo Mediceo

visitur

visitur Antonini Pij nummus, in cuius parte altera intra lauream legitur: S. P. Q. R. A. N. F. F. OPTIMO PRINCIPI PIO. Eas literas A. N. F. F. in gemino nummo eiusdem Augusti, *Annum Nouum*, *Faustum*, *Felicem*, rectè exposuit Ioannes Petrus Bellorius in eruditissima epistola ad Illustrissimum D. Abbatem Claudium Nicasium,

Cui felix & fausta dies & longior aetas.

Quæ mecum vota concipiunt quicumque literas Musasque fouent, quarum Nicasius grande decus est. Seneca in Satyra Claudiana ait: *Quid actum sit in cœlo ante diem III. Eidus Octobris, Asinio Marcello & Acilio Auiola Coss.* anno nouo, *initio sæculi felicissimi &c.* Ita annum nouum imperij ea die post mortem Claudij, à Nerone initi, appellat. Dies subinde nouos annos imperij Principum inchoantes, eximia pompa toto Romano Orbe celebrabantur, vt ex epistolis 60. ac 103. libri Plinij alijsque passim Scriptoribus intelligimus; erant enim illi dies feriati ex L. 2. de *Feriis* Cod. Theod. Diem imperij, inquit Plinius epist. 103. *debita religione celebrauimus, commendantes Diis imperii tui auctoribus, & vota publica & gaudia.* Hinc quòd recurrente quotannis die Natali imperij Principum, ad aras Deorum inter sacrificia, annum secundum, tertium, &c. imperij faustum felicem, votis susceptis, nuncupabant, ijdem anni noui etiam *sacri* dicebantur; siquidem ferè omnia quæ Imperatores attinebant, sacra vocabantur; vnde & *sacræ largitiones*, *sacrum consistorium*, *sacri vultus*, *sacræ literæ &c.* in vtroque Codice passim occurrunt. Hinc auguror, quid *anni noui sacri* in laudatis nummis vrbium Syriæ obsignati, significant. Eos verò nummos inter ea solemnia vota scalpta ostendit laudatum Antonini Pij numisma. Aliam eorundem numismatum interpretationem proximo postea capite nono §. 1. refero, sed non probo. Cur verò nummi cum ea Inscriptione cusi fuerint imperantibus Flauijs, ac post eosdem Nerua, ita vt hactenùs nec priorum nec posteriorum Cæsarum numismata illam inscriptionem præferant, exponet præ eximia sua eruditione Nicolaus Toinardus, ad quem Mediceorum numismatum Vespasiani ac Domitiani ea epigraphe obsignatorum typos, iussu Serenissimi Magni Etruriæ Ducis COSMI III transmisi. Idem etiam qui totam hanc messem metet, longè probabiliorem eorundem interpretationem exhibebit, quam & ipse veluti ab oraculo emissam, cum plausu excipiam.

Hactenùs, vt vetus est adagium, lapidem moui; sed non promoui; quamuis enim laudatum testimonium Iuliani, quo Loum vocat mensem decimum in anno Antiochenorum, minus commodè

modè ab alijs expositum verbosiùs nec sine fastidio Lectorum ostendi; nihil interim produxi, quo probabiliùs propositę difficultati satisfacerem. Hæreo, fateor, ad aquas, nescius quà mihi vadum tentandum. Si enim, vt ait Iulianus, Antiocheni mensem Loum in anno decimum numerabant, à mense Dio annum dubio procul inibant. Iulianus adhuc iuuenis apud Nicomediam degerat, vbi anni Macedonici forma seruabatur; licèt ibidem menses non iisdem ac apud Macedonas, nominibus appellarentur. Idem fuit etiam Ephesi, vbi Maximo philosopho præceptore vsus est, ac diutiùs apud Pergamum substitit, vt Ædesium docentem audiret, quod vtrumque testatur Eunapius in Maximo. In vtraque autem vrbe annus Macedonum, ac mensium nomina Macedonica seruabantur, quorum Dius primus, Lous verò decimus numerabatur. At numquàm Iulianus ante imperium occupatum, in Syria fuerat, qua in regione cum alij ab Hyperberetæo, alij à Dio, vti Gazenses alijque Palæstini, annum inirent, ac insuper neomenias vtriusque mensis non ab vna eademque die anni Romanorum arcesserent, Iulianus harum minùs rerum curiosus, cum iam in Asia intellexisset Dium primum mensem in anno Macedonum decurrere, putauit etiam Antiochenos, qui anno ac mensibus Macedonum vtebantur, annum ab eodem mense Dio auspicari; vnde Lous eidem decimus in anno Antiochenorum mensis numeratus fuit: qui reapse erat vndecimus. Galenus comment. 1. in librum 1. Epidem. Hippocratis, ait: *Nunc quia Dius solis est Macedonibus notus, contra Atheniensibus obscurus ceterisque mortalibus &c.* Cur hos inter Iulianum non recensebimus, qui varia anni apud Macedonas in Asiæ ac Syriæ prouincijs exordia cognoscendi curam despexit, rebus philosophicis ac profanis Deorum mysterijs intentus? Et sanè dum Iulianus inquit: *is opinor, Lous à vobis nominatur*, haud sibi compertum esse significat, quo nomine Antiochię mensis ille decimus vocaretur; sed in numero potiùs, quàm in nomine mensis designando falsò opinatus est. Si cuipiam tamen difficile videatur Principi malæ quidem fidei, sed multæ eruditionis, anni à Syromacedonibus vsurpati inscitiam affingere, cum & plures menses Antiochiæ degerit, ac Libanio eiusdem vrbis ciue familiariter vsus fuerit, is, per me licet, ad eruditissimi Loydi de sacro eoque à ciuili distincto anno Antiochenorum sententiam accedat, si nihil interim probabilius occurrat.

CAPVT VII.

Templum Iouis Philij apud Antiochiam. Anni ab imperio Augusti in Antiochensium nummis obsignati. Illud imperium cœpit ab autumno A. V. Romæ DCCXXIII. Insignium Scritorum de Quintilio Varo præside Syriæ anachronismi ex eiusdem nummis emendantur. Nomen ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ *Pontificem primum siue Maximum significasse contra Gutherium ostenditur. Vox* ΑΡΧΙΕΡΑΤΙΚΟΝ *quid in Antiochensium nummis exprimat. Alytarcha Antiochiæ ludis Olympicis præsidebat. Syriarcha vrbium Syriæ suffragijs creatus. Ludi Olympici apud Antiochiam quandonam cœpti & postea antiquati. Num anni ab imperio Augusti in Syria specialem Epocham constituerint.*

IN nummis Antiochenorum alia Epocha vtraque superiùs descripta, recentior occurrit, cuius nec vola nec vestigium apud Scriptores vspiàm reperitur. Ea verò in nummis quorumdam præsidum Syriæ, atque etiam ipsius Augusti obsignata est. Extant nummi Vari Legati Proprætoris Syriæ apud Antiochiam scalpti.



In antica parte horum numismatum visitur caput Iouis laureatum sine epigraphe, cum rigente ac implexa barba, vt sæpè alibi occurrit. Prudentius in Peristephan. Hymno X. de S. Romano Antiochiæ Imperatore Maximiano Galerio contra Christianos desæuiente, martyrium passo, Iovis simulacrum describens, ait:

Ars seminandi efficax erroribus,
Barbam rigentem dum Iouis circumplicat.

Vti

Vti verò Iuppiter à diuersis vrbibus sub varijs cognominibus colebatur, videlicèt *Olympici*, *Capitolini*, *Forensis*, *Ceraunii*, *Hospitalis &c.* Antiocheni Iouem *Philium*, id est, *Amicum* adorabant. Iulianus Augustus, qui vix triginta annos natus, prolixa ac hirsuta barba Iouem æmulabatur, in Misopogone, quod opus de odio barbæ (ita namque Græcus eius satyrę titulus Latinè vertitur) Antiochię composuit, narrat se ab Antiochenis hisce perstrictum: *Venerunt Kalendæ Syrorum*; *Rursus Cæsar ad Iouis Philii. Post hæc Kalendæ Ianuariæ. Cæsar iterùm it in templum Genii; intermisso nefasto die*, qui nempè erat postridie Kalendas, *rursùs in æde Iouis Philii more maiorum, vota suscipit*. Itaque celebre erat Antiochię templum Iouis Philij, in quo idolatra Imperator III. Nonas Ianuarij vota nuncupabat, vti Romę Augusti ad aras Iouis Capitolini eadem die vota suscipiebant. Eusebius lib. 9. Hist. Eccles. cap. 2. narrat Maximino in Oriente imperante, Theotecnum Antiochię persecutionem contra Christianos instaurasse, *Iouis Philii simulacro* ibidem publicè erecto. Plura de Ioue Philio videsis apud Tristanum tom. 1. pag. 418. vbi nummum explicat inscriptum: ΖΕΥΣ ΦΙΛΙΟΣ, *Iuppiter Philius*. In auersa parte laudatorum numismatum eædem figuræ scalptæ visuntur.







Antiochię imago turrita monticulos insidens, dextera ramum præfert palmę, quæ Syriæ symbolum est; subtùs verò figura Orontis fluminis, quo vrbs alluitur, ex vndis partim emergente, cum eadem in singulis epigraphe: ΕΠΙ ΟΥΑΡΟΥ. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ: *Sub Varo. Antiochensium*. Is est P. Quintilius Varus, cuius Triumuiri monetalis cum elogio Augusti in priori parte nummi, retrorsùs nomen scalptum legitur: P. QVINTIL. SEX. F. VARVS III. VIR A. A. A. F. F. S. C. Idem fuit Consul A. V. 741. collega Tiberio Claudio Nerone, qui postea imperauit; eiusque consulatus in vetustis etiam Inscriptionibus memoratur apud Sponium sect. IX. Miscell. pag. 289. ac Gruterum pag. XL. Plura de eodem Syrię postea

præſide, ſcripſi Diſſert. 2. de Cenotaphijs Piſanis à pag. 310. Eiuſdem genus ac mores paucis exponit Velleius Paterculus lib. 2. vbi cetera inter ait: *Pecunia verò quàm non contemptor, Syria, cui præfuerat, declarauit; quam pauper diuitem ingreſſus, diues pauperem reliquit.* Porrò tres illos Vari nummos aliàs raros, diverſi in ſingulorum area anni ſcalpti, eximiè inſigniunt. Prior nummus cum notis E K, *Anno* XXV. imperij Auguſti in Syria, ſeruatur hic Florentiæ in scrinijs Illuſtriſſimi Marchionis Franciſci Riccardi, duplici legatione, Romana ac Germanica iuſſu Sereniſſimi Magni DVCIS Etruriæ pari ſplendore ac laude peracta, ac ſummis in aula miniſterijs domi foriſque celebrati. Alter nummus ſiniſtrorsùs delineatus cum literis numeralibus ς K, *annum* XXVI. Auguſtei in eadem Syria imperij indicat. Nota illa numeri VI. rara in nummis, apud Antiquarios hactenùs non viſa, in alio nummo C. Caſſij apud eandem Antiochiam percuſſo, in cap. 4. ſuperiùs mihi expoſita eſt. Huncce nummum poſſidet vir pereruditus Franciſcus Dron, Pariſijs S. Thomæ ad Luparam Canonicus. Tertium denique inter vtrumque nummum vidi in Cimelijs Mediceis, in quo literę Z K annum ab imperio Auguſti in Syria XXVII. exprimunt. Præterea in eadem locupletiſſima gaza Medicea extant plura numiſmata Silani præſidis Syriæ cum notis numeralibus Γ M & Δ M, *Anno* XLIII. & XLIIII. In anteriori parte viſitur idem laureatum caput Iouis, auerſa parte ita obſignata.



Inſcriptio nummi eſt: ΕΠΙ ΣΙΛΑΝΟΥ. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. Γ Μ. videlicèt: *Sub Silano. Antiochenſium. Anno XLIII.* Hic autem nummus vulgaris eſt; etenim ſeruatur in Cimelijs Regis Chriſtianiſſimi, ac Chriſtinæ Suecorum Reginę, quem etiam poſſident alia ſcrinia priuata in Italia Comitum Ioannis de Lazara Patauij, ac Franciſci Mediobarbi Mediolani. Rarius verò eſt numiſma ſimillimum laudatis, quod vidi in ſcrinio Apollonij Baſſetti Sereniſſimo Magno Duci à ſecretis, meique amantiſſimi; ibi enim cum eodem ariete


ac

ac ſidere, in area nummi ſcalptum eſt B M: quibus notis *Annus* XLII. indicatur. Inſcriptio iniuria temporis eraſa eſt. Inſcriptionem tamen ΕΠΙ ΣΙΛΑΝΟΥ. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ, in altero perſimili legit Sebaſtianus Bianchi nummariç eruditioni addictiſſimus ac Mediceæ Numiſmatum gazæ præfectus, in inſigni Cimeliarchio laudati Comitis de Lazara, cum epocha B M, quarum prior nota numeralis B ibidem apparet; altera M aliquantiſper obtuſa. Spanhemius Diſſert. IX. pag. 867. binos Silani nummos è Mediceis Cimelijs appellat cum notis ΓΜ & ΔΜ, ac rectè monet ijſdem non deſignari Epocham Antiochenorum; ſiquidem indicarent annos, qui fuere ab vrbe Roma condita 748. & 749. quibus Silanus non erat præſes Syriæ; hic enim, vt mox oſtendo, A. V. 767. Syriam adminiſtrauit. Rurſùs idem V. C. tradit nec annos imperij Auguſti ibidem exprimi. Silanus enim anno LVI. imperij Auguſti ac vitæ eiuſdem poſtremo, Syriam Proprætor tenebat. Hinc concludit: *De iiſdem literis eundum vlterius in conſilium.* Verùm in Piſanis Cenotaphijs à pag. 358. oſtendi in laudatis Silani nummis deſignari annos imperij Auguſti in Syria ac apud ipſam Syriæ metropolim Antiochiam. Eos verò annos imperij Auguſti in Syria ibidem ab A. V. 724. circa initium æſtatis paulò ante mortem Antonij Triumuiri deducendos tradidi; qua in re, vti etiam in annis adminiſtrationis Syriacç Vari deſignandis, anachroniſmos admiſi, quos inſignium ope nummorum, quos poſtea inſpexi, hic paucis emendabo.

Cum Auguſtus die ſecunda Septembris A. V. 723. nauali prœlio apud Actium Antonium ac Cleopatram ſuperaſſet, paucos intra dies prouincijs Græciç, quæ hactenus in parte imperij M. Antonij fuerant, conſtitutis, in Aſiam Proconſularem tranſmiſit, quam ſtatim vniuerſam vltronea vrbium deditione occupauit; vbi paulò poſt Kalendis Ianuarijs quartum Conſulatum iniuit, teſte Suetonio cap. 26. de vita eiuſdem. Idem verò Auguſtus ſtatim poſt victoriam, partem claſſis in Syriam miſerat, vt huius quoquè prouincijs in poteſtatem redactis, hoſtem intra Ægyptum clauderet. Plutarchus in Antonio narrat Cleopatram poſt cladem Actiacam, celeri fuga Alexandriam aduectam, iuſſiſſe naues ex mari mediterraneo per iſthmum in Arabicum ſinum tranſportari, additque: *Sed cum primas naues per terram delatas, Arabes qui circa Petram incolunt, igne corrupiſſent, & Antonius etiam tunc in legionibus, quæ circa Actium reliquerat, ſpem haberet, & incolumes eſſe putaret, deſtitit Cleopatra ab incœpto.* Legiones quas in caſtris propè Actium Antonius reliquerat, cum ſeptem dies in fide ſtetiſſent, ad Cæſarem poſtea tranſitionem fecerunt, cum earundem legatus Canidius ſe præcipiti fuga rapuiſſet

ſet ad Antonium, vt inquit Velleius lib. 2. Ex his colligo naues per iſthmum delatas, ab Arabibus igne abſumptas priùs quàm exiret September, cuius initio apud Actium pugnatum fuerat, & antequam Canidius amiſſarum legionum nuntius ad Antonium veniret. At Dio lib. 51. ſcribit: *Eodem tempore Arabes à Q. Didio Syriæ præfecto perſuaſi, naues in ſinu Arabico fabricatas ad nauigationem in rubrum mare, combuſſerunt; populique & reges omnes ſuppetias Antonio Cleopatræque denegarunt*. Itaque Arabes perſuaſi ſunt eas naues comburere à Q. Didio legato, qui pro Cæſare Syriam occupauerat. Incompertum eſt, num Didius antea Antonij legatus, huius clade intellecta, in partes ſtatim Cæſaris tranſierit; vel poſt victoriam cum claſſe ab eodem Cæſare Octauiano miſſus, Syriam obtinuerit. Equidem L. Pinarius Scarpus, qui proximam Ægypto Africæ partem pro Antonio regebat, ſtatim poſt cladem ad victorem defecit. Idem Dio de gladiatoribus, qui iuſſu Antonij apud Cyzicum ſeruabantur, ait: *Vbi primùm quæ eſſent acta*, nempè apud Actium, *cognouerunt, in Aegyptum ad ferendum eis auxilium properarunt*. Addit eoſdem plurimum incommodi intuliſſe *Didio qui tranſitu ipſos prohibere conabatur*. Illi enim Antonium ad ſe accerſiuerant, *facilius putantes cum eo coniunctos in Syria bellum gerere poſſe*. Qui tamen cum ad eos non veniret, Q. Didio ſe tradiderunt cum eo, vt apud Daphnem Antiochiæ ſuburbium remanerent. Cum verò gladiatores poſt nuntium cladis Antonij, in Ægyptum iter maturauerint, Didius qui illis obſtitit, paulò poſt victoriam Actiacam, Syriam pro Cæſare tenebat. Hæc quidem Dio recitat A. V. 724. ſub Auguſti quarto conſulatu, vti & ea quæ de nauium combuſtione recenſui; quia vno hiſtoriæ filo contexit quæcumque Cæſar poſt victoriam geſſit, nempè iter in Græciam, tranſmiſſionem in Aſiam, inde Brunduſium nauigationem, ac denique reditum eiuſdem in Aſiam, quæ partim contigere anno Iuliano XV. partim ſequenti cum eſſet Conſul IV. His verò recitatis, Dio ad res Antonij ac Cleopatræ regrediens, ait: *Hi à pugna nauali fuga elapſi, vſque ad Peloponneſum ſimul cum perueniſſent &c.* vbi vno contextu recitat geſta vtrique tum reliqua parte anni Iuliani XV. tum parte anni proximi, qui fuit à Parilibus V. C. 724. Idem Dio initio eiuſdem lib. 51. de regibus qui Antonio ſuppetias ante pugnam Actiacam tulerunt, ſcribit: *Sed & ipſi & omnes populi qui ante etiam Romanis ſubditi erant* (hos inter cenſebantur Antiocheni) *pars ſtatim, pars poſt pacis conditiones à Cæſare acceperunt*. Hinc patet Antiochenos ſtatim poſt victoriam Actiacam, ad partes Cæſaris defeciſſe, vt ante victo Pompeio, ad priorem Cæſarem tranſitionem ſubitam fecerunt

runt, vti superiùs exposui. Itaque Antiocheni qui hactenùs sub imperio Antonij Triumuiri fuerant, eodem victo, ad Cæsarem deficientes, annos imperij eiusdem Cæsaris Augusti apud ipsos in Syria ab autumno A. V. 723. numerare cœperunt. Ægyptij cum A. V. 724. in Augusti potestatem venissent, Epocham annorum ab inito apud ipsos illius imperio, instituerunt, vt tradit Censorinus cap. 20. de die Natali, vbi loquens de variarum gentium Epochis cum A. V. 991. concurrentibus, ait: *Sed Aegyptii, quòd biennio ante* (in Consulatu videlicèt Augusti VII. & M. Agrippæ III.) *in potestatem ditionemque Populi Romani venerunt, habent hunc Augustorum annum CCLXVII.* Hanc nouam Augustanam Epocham Alexandrini inchoarunt à prima die Thoth, à qua annum ciuilem auspicabantur, quæ eo anno Vrbis 724. cum die 29. Augusti, siuè tunc Sextilis mensis concurrebat. Hinc Philo in legatione ad Caium, Ptolemæus in Canone, ac Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum, scribunt Augustum annos XLIII. imperasse; qui cum obierit A. V. 767. ea summa annorum imperij deducitur ab A. V. 724. à quo tres illi scriptores Alexandriæ nati, annos imperantis apud Alexandriam Augusti numerant; cum tamen vetustus Auctor dialogi de Oratoribus hæc scribat: *Statue sex & quinquaginta annos, quibus mox Diuus Augustus Rempublicam rexit*; nempè ab A. V. 711. quo Triumuiratu inito, in Italia, Gallia, Hispania, alijsque in Occidente prouincijs cœpit imperare. Dio verò initio lib. 51. ait ideo se notasse diem naualis apud Actium pugnæ, *quòd ab ea die primùm Cæsar solus rerum potitus est, imperiique eius recensio præcisè ab ea sumitur.* Et sanè Asiatici ac Syri, vt alios populos omittam, ab A. V. 723. quo Cæsar Augustus apud Actium victo Antonio, eas prouincias sibi subdidit, annos imperij eiusdem numerarunt. Hoc de Antiochenis ac proximis Seleucensibus ex eorumdem nummis demonstro.



Sunt ambo nummi Tiberij. Prior seruatur in Museo Mediceo ex locupletissima collectione Cardinalis Leopoldi; idemque visitur Mediolani

Mediolani in Cimelijs Septalianis. Inſcriptio anticę partis Latinè redditur: *Cæſar Auguſtus Auguſti* filius. In alia parte legitur A. ΕΠΙ ΣΙΛΑΝΟΥ. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΕΜ. *Anno primo. Sub Silano. Antiochenſium. Anno XLV.* Alter nummus eiuſdem Tiberij cum eadem epigraphe anteriori, cernitur in Cimelijs Illuſtriſſimi D. Theodorici Bignonij, libellorum ſupplicum Magiſtri, & magni Regum Maximi Concilij præſidis. Poſtica Inſcriptio eſt: Γ. ΕΠΙ ΣΙΛΑΝΟΥ. ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ. ΖΜ. *Anno tertio. Sub Silano. Seleucenſium. Anno XLVII.* Tacitus lib. 2. Ann. recenſens geſta A. V. 770. C. Cœlio Rufo, & L. Pomponio Flacco Coſſ. ſcribit: *Sed Tiberius demouerat Syria Creticum Silanum per adfinitatem connexum Germanico, quia Silani filia Neroni vetuſtiſſimo liberorum eius pacta erat.* In vtroque nummo ſignantur anni imperantis Tiberij, & anni inſuper Epochæ ab imperio Auguſti in Syria. Nam ab autumno A. V. 723. numerando annos XLV. in nummo Antiochenorum Mediceo obſignatos, erimus ad A. V. 768. quo vſque ad diem 19. Auguſti primus annus imperij Tiberij decurrebat, qui in eodem nummo componitur cum anno imperij Auguſtei in Syria XLV. Rursùs numerando ab eodem A. V. 723. annos imperij Auguſti XLVII. in altero nummo Seleucenſium ſcalptos, deuenimus ad A. V. 770. quo vſquè ad memoratam diem 19. Auguſti, annus imperij Tiberij tertius labebatur, vt in eodem numiſmate notatur. Equidem niſi contentioſus ac vitilitigandi cupidus, negare poſſit illis literis Α in nummo Antiochenorum, ac Γ in alio Seleucenſium, annum primum ac tertium principatus Tiberij ſignificari. Ex his colligimus annos Syriacæ adminiſtrationis Cretici Silani. Nam cum in nummis Mediceis legatur: ΕΠΙ ΣΙΛΑΝΟΥ. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΓΜ, & in alijs ΔΜ, ibique numerentur anni ab imperio Auguſti in Syria cœpto A. V. 723. in laudatis nummis exprimuntur anni eiuſdem imperij XLIII. & XLIV. qui deſierunt circa autumnum A. V. 766. & 767. Quod ſi alius rarior nummus viri ſpectatiſſimi Apollonij Baſſetti, in quo ΒΜ, annus XLII. ſcalptus viſitur, eiuſdem Silani inſcriptionem præfert, habemus eundem Silanum per ſexennium Legatum Auguſti ac ſucceſſoris Tiberij in Syria. In Cenotaphijs Piſanis Differt. 2. cap. 16. §. 12. ex Ioſepho oſtendi P. Sulpicij Quirini Syriæ Præſidis annum primum concurrere cum A. V. 760. Quare hic Creticum Silanum ſucceſſorem excepit. Fuerat hic Conſul cum A. Licinio Nerua Siliano A. V. 760. dictuſque eſt Q. Cæcilius Metellus Creticus Silanus, vti Pighius in Annalibus rectè obſeruauit.

Ex his intelligimus notas numerales in tribus exhibitis Vari nummis apud Antiochiam percuſſis; illis enim ſignantur anni imperantis

perantis in Syria Augusti, qui cum inierint A. V. 723. prior Vari nummus exhibet annum ΕΚ, nempè XXV. qui exijt per autumnum A. V. 748. Alter cum ςΚ, anno XXVI. imperij eiusdem Principis in Syria scalptus fuit. Denique tertius Mediceus cum ΖΚ, annum Syriaci imperij Augusti XXVII. denotat, qui exijt sub autumnum A. V. 750. Ex hisce nummis insignium Scriptorum anachronismi emendandi sunt, quibuscum etiam ipse tam longo licèt ab ijsdem interuallo, corrigendus venio. Nam Baronius num. 86. Apparatus ad Annales ait: *Anno ab V. C. 748. præficitur Syriæ totique Orienti C. Cæsar Augusti filius adoptiuus: quo defuncto, nullus alius subrogatus reperitur, nisi qui ab Euangelista recensetur, idem qui supra Quirinius*; quem A. V. 752. Syriæ præsidem facit, addens: *Hic autem habuit successorem Quintilium Varum*. Salianus in Annal. initium regiminis Syriaci Quintilij Vari protrahit ad A. V. 752. Casaubonus in Exercit. retrahit ad A. V. 750. Ego verò cum pag. 305. de Cenotaphijs Pisanis scripsissem Sentium Saturninum A. V. 746. præsidem Syriç fuisse, pag. 310. addidi Quintilium Varum A. V. 750. Legatum Augusti in Syriam venisse. At ex tot nummis eiusdem Vari apud Antiochiam scalptis, constat illum iam ab A. V. 748. Syriam administrasse. Itaque ea mihi Præsidum Syriç chronologia erroneè ibidem descripta, ita reformanda est, vt Agrippa A. V. 741. ex Syria in Vrbem reuocato, M. Titius eandem prouinciam cum imperio tenuerit, cui successor postea missus est ab Augusto C. Sentius Saturninus; neutrius verò regiminis annos definire ausim, ne iterùm in anachronismos incidam. Hoc scio Quintilium Varum A. V. 748. fuisse Legatum proprætorem Syriæ, ac duobus insuper annis insequentibus. Tacitus lib. 5. Hist. ait: *Post mortem Herodis, nihil expectato Cæsare, Simon quidam regium nomen inuaserat. Is à Quintilio Varo obtinente Syriam, punitus, & gentem coercitam, liberi Herodis tripartitò rexere*. Quæ prolixius describit Iosephus lib. 17. Antiq. cap. 12. Quare, si quo anno mortuus est Herodes Ascalonita, Quintilius Varus Syriam præses obtinebat, sub eodem pariter præside Syriæ, CHRISTVS DOMINVS natus est; nequit enim eiusdem Natalis citra A. V. 748. retrahi; quamuis annus illius certus nondùm fuerit demonstratus. Non est animus nec locus emendandi quædam alia errata mihi ibidem comissa ex metachronismo aduentus Vari in Syriam A. V. 750. nempè tum breuior mora in Vrbe Antipatri, quam ad breuius spacium contraxi; cum septem menses Iosepho memorati, numerandi sint à detectis insidijs ab eodem Herodi patri structis, ad eiusdem in Iudæam reditum; tum etiam alia eiusmodi à me ibidem scripta; etenim vi-

ri eruditiſſimi mihique amiciſſimi Nicolaus Toinardus in Hiſtoria Herodiadum, ac Antonius Pagy in animaduerſionibus ad magnos Eccleſię Annales, omnia hæc recto annorum ordine recitabunt; ſiquidem cum vtroque laudatos proximè nummos Vari ac Silani communicaui. Interim alium nummum è gaza Medicea exhibeo annis imperij Auguſtei in Syria obſignatum.



Eſt numiſma Auguſti optimè ſeruatum, cuius antica Inſcriptio Latinè redditur: *Cæſari Auguſto Pontifici Maximo*. Gutherius lib. 1. de vet. iure Pont. cap. 8. ſcribit vocem ἀρχιερέα Pontificem tantùm, non autem Pontificem Maximum ſignificare; vnde & Dionem reprehendit, qui Cæſarem Dictatorem vocauit ἀρχιερέα, nempè *Pontificem*, cum addere debuiſſet μέγιστον, hoc eſt, *Maximum*. Errat tamen Gutherius; ſiquidem ἀρχιερεὺς *Pontificem primum* ſignificat, qui Romanis dicebatur *Pontifex Maximus*; quamuis etiam eadem voce Pontifices qui non eſſent primi Pontifices, quandoque exprimebantur. Extat in Muſeo Mediceo nummus maximi moduli, in quo viſuntur ſcalpti Philippi Auguſti, pater radiato capite, filius verò laureato, cum epigraphe: ΑΥΤ. ΚΑΙϹ. ΦΙΛΙΠΠΟΙ ϹΕΒ. *Imperatores Cæſares Philippi Auguſti*; & in poſtica: ΕΠΙ ΑΥΡ. ΜΑΡΚΟΥ ΑΡΧ. ΠΡΩ. ΚΗΒΗϹϹΙΕΩΝ; & in area ΤΟ Β, cum Hygiæ, Teleſphori, ac Æſculapij figuris; nempè: *Sub Aurelio Marco Pontifice Primo Cebeſſeorum iterùm*. Cum ibidem legatur Ἀρχιερέως Πρώτου, *Pontificis Primi*; vox ἀρχιερέως neutiquàm ibi denotat Pontificem primum; aliàs altera vox πρώτου eſſet ſuperflua. Ita in titulis Romanorum Principum voci ἀρχιερεύς additur μέγιστος, vt initio literarum Claudij Imperatoris apud Ioſephum lib. 19. cap. 4. Vtroque vocabulo Veſpaſianus in Inſcriptione Thyatirę apud Sponium in Itinerarij parte 1. pag. 400. Titus in Smyrnenſi lapide, cuius mentionem feci pag. 55. epiſtolę Conſularis; Antoninus Pius Gruteri pag. 265. 5. & alij paſſim Cæſares nuncupantur, vt & Tiberius in nummo apud Triſtanum, quem mox produco. Ceterùm ἀρχιερέα

Pon-

Pontificem primum ſeu Maximum ſine alio epitheto deſignare rectè oſtendit Spanhemius Diſſert. 6. pag. 539. Plutarchus in Cæſare cum narraſſet mortem Μετέλλου τοῦ ἀρχιερέως, *Metelli Pontificis Maximi*, ait Caium Cæſarem ad comitia Pontificia aduersùs potentes competitores deſcendentem, matri dixiſſe, ipſam ea die viſuram ἢ ἀρχιερέα τὸν υἱὸν, ἢ φυγάδα, *aut filium Pontificem Maximum, aut exulem*. Appianus lib. 2. bell. ciu. pag. 471. narrat paullò antè pugnam Pharſalicam quoſdam Senatores certatim ſpem certam concepiſſe obtinendi *Pontificatus maximi Cæſaris*; vbi Græcè legitur, τῆς Καίσαρος ἀρχιερωσύνης. Auctor etiam lib. 2. Maccab. IV. 7. narrat Iaſonem ambiuiſſe Oniæ τὴν ἀρχιερωσύνην *ſummum ſacerdotium*, vti rectè vertit S. Hieronymus; quam etiam vocem iterùm legimus cap. XIV. 38. Itaque Pontifex maximus Ἀρχιερεύς, & Pontificatus maximus ἀρχιερωσύνη Græcis Scriptoribus nuncupantur. In lib. 12. Cod. Theod. L. 112. *de Decurionibus*, extat decretum Imperatoris Theodoſij *de conſequenda Archierosyna*. In lib. 1. Maccab. cap. 15. recitantur literę Antiochi regis inſcriptę Σίμωνι ἱερεῖ μεγάλῳ, καὶ Ἐθνάρχῃ, *Simoni Pontifici magno & Ethnarcha*. Et antea cap. 13. legitur epiſtola regis Syriæ Demetrij inſcripta eidem Simoni ἀρχιερεῖ, καὶ φίλῳ Βασιλέων, *Summo Pontifici & amico Regum*. Ita ἀρχιερεύς idem ſignificat ac ἱερεὺς μέγας. Denique extant apud Ioſephum lib. 16. cap. 10. literę ſeu edictum Auguſti, cum titulo: Καῖσαρ Σεβαστὸς, Ἀρχιερεὺς, Δημαρχικῆς ἐξουσίας, λέγει: *Cæſar Auguſtus. Pontifex Maximus, Tribunicia poteſtatis, cenſet*. Tres priores voces ſunt ipſamet epigraphe nummi quem produxi. Id verò temporis Auguſtus erat Pontifex Maximus, creatus A. V. 741. à parilibus poſt Lepidi mortem; ſiquidem in ea conſtitutione nominat C. Marcium Cenſorinum Aſiæ Proconſulem, cuius conſulatus iam antea contigerat A. V. 746.

In altera laudati nummi parte legitur: ΑΡΧΙΕΡΑΤΙΚΟΝ ΑΝΤΙΟΧΕΙΣ. ΖΚ. Harduinus pag. 50. hanc epigraphem exponens, ait: *Summum apud ſe ſacerdotium reſidere Antiochenſes priore illo vocabulo gloriantur: ſe penès vnos ius eſſe eligendi eum, qui ſacris totius Prouinciæ communibus faciendis* (τὰ κοινὰ τῆς ἐπαρχίας *appellabant*) *præſes foret, &* Ἀρχιερεύς. *Hunc Auguſto ipſi honorem deferunt*; quod poſtremum ex anticę partis epigraphe eidem colligitur. Hæc tamen interpretatio mihi nullatenùs probatur. Nam vnde V.C. nouit Antiochenos ius ſibi vſurpaſſe eligendi Pontificis, qui totius prouinciæ Syrię ſacris præſideret? In Aſia Proconſulari decem Pontifices in communi prouincię concilio nominabantur, ex quibus Proconſul vnum quotannis deſignabat, qui vulgò Aſiarcha appellabatur, vti tradit idem-

met Harduinus pag. 423. viginti verſibus ad verbum exſcriptis ex notis Henrici Valeſij in cap. 15. lib. 4. Hiſt. Euſebij Cæſarienſis. Hæc vel inuitum me cogunt indicare ſplendida, quæ idem Harduinus Lectori in præfatione facit, promiſſa: *Dabimuſque*, inquiens, *operam, ne ex aliorum fontibus areolas noſtras irrigaſſe videamur*; quæ tamen areolę aruiſſent, niſi eaſdem deductis tot ex Valeſiano fonte riuulis irrigaſſet; quas etiam ſæpiùs Cuperianis lymphis adaquatas non ſine querimonia narrat Gisbertus Cuperus a pag. 173. eruditiſſimi voluminis, quod *Harpocratem* inſcripſit. Strabo lib. 14. ſcribit Pontificem, qui Lyciæ ſacris præerat, trium ac viginti vrbium ſuffragijs creatum: *Ἐν δὲ τῷ συνεδρίῳ πρῶτον μὲν Λυκιάρχης αἱρεῖται*: *In concilio verò primùm Lyciarcha creatur*. Nec ſecùs in Syria factum arbitror. Etenim nec Laodicenſes, perpetui Antiochenſium æmuli, nec Seleucenses, aut Apamienses ius totius prouincię Pontificis deſignandi ſolis Antiochenis permiſiſſent. Extat Honorij *L.* 148. *de Decurion.* in lib. 12. Cod. Theod. *Cum ſuper ordinando Sacerdote prouincia publicus eſſet ex more tractatus &c.* Ita verbum illud *ex more* vetuſtam conſuetudinem appellat, qua in publico prouinciæ conuentu Pontifex nominabatur. Præterea in lib. 1. Cod. Iuſt. *L. vn. de officio Comitis Orient.* laudatur conſtitutio Imperatoris Leonis *de Alytarchia & Syriarchia muneribus in prima Syria*; vbi hæc planè leguntur: *Alytarchia quidem ludi cura viri ſpectabilis Comitis Orientis & eius Officio; Syriarchia verò ſollicitudine viri Clariſſimi moderantis prouinciam eiuſque Apparitoris exerceantur*. Alytarcha erat Pontifex in vrbe tantùm Antiochia. In lib. 10. Cod. Theod. *L.* 12. *de iure fiſci* hæc ſancit Imperator Theodoſius: *Alytarchæ vrbis Antiochenæ plantandi plures, excindendæ vnius cupreſſi, iubemus tribui facultatem*. Ioannes Malela Antiochenſis in Chronicis MSS. ſcribit ludos Olympicos apud Antiochiam reſtauratos ab Afranio primo Alytarcha, anno Æræ Antiochenorum CCLX. quos poſtea Imperator Iuſtinus antiquauit, anno eiuſdem Æræ DLXVIII. quo temporis ſpacio numerat apud Antiochiam Alytarchas LXXVII. quot Olympiades medio ſpacio annorum 308. colliguntur. *In L.* 2. *de expenſis ludor.* lib. 15. Cod. Theod. *Alytarchæ, Syriarchæ, & Aſiarchæ* nominantur. Iam verò Leo Auguſtus ludos quos Alytarcha Antiochię edebat, committit curæ Comitis Orientis; at munera Syriarchæ deputat ſollicitudini *moderantis prouinciam*; quòd Syriarcha communibus vrbium Syrię ſuperioris ſuffragijs creabatur; Alytarcha verò à ſolis Antiochenis eligebatur. Quamuis verò ſub Leone qui imperium accepit anno Chriſti 457. Alytarchę & Syriachę deſijſſent eſſe Sacerdotes, cum Syria Chriſtianam religionem induiſſet;

ſet ; priori tamen ætate Alytarcha erat ſacerdos in vrbe tantùm Antiochenorum ; Syriarcha autem erat Pontifex totius prouinciæ Syriæ , ab eiuſdem vrbibus in publico conuentu creatus . Coſtantinus Magnus lib. 5. Cod. *L.* 5. *de natur. liberis* nominat *quos in ciuitatibus duumuiralitas , vel ſacerdotii , id eſt , Phœniciarchia vel Syriarchia ornamenta condecorant* ; tunc enim maxima Phœnicum ac Syrorum pars vetuſtę Deorum ſuperſtitioni addicta erat . Vti verò Antiocheni Auguſtum nec totius Syriæ prouinciæ Pontificem , quod hactenùs oſtendi , deſignarunt ; ita nec eundem ſuæ ipſorum vrbis Alytarcham creauerunt ; ſiquidem hoc ſacerdotium anno Æræ Antiochenorum CCLX. Antonino Caracalla imperante , Antiochię primùm inſtitutum fuit ; quamuis Malela anno memorato Commodum Imperatorem perperàm obtrudat . Quod verò Harduinus ex laudati nummi inſcriptione auguratur Auguſtum Antiochię Pontificem a ciuibus deſignatum , alterius Principis exemplo probari poteſt . Nam apud eundem pag. 105. profertur è regia Gaza M. Aurelij Antonini Caracallę nummus retrorsùs inſcriptus : ΕΠΙ . ΑΡΧ . Μ . ΑΥ . ΑΝΤΩΝΕΙΝΩ . ΒΥΖΑΝΤΙΩΝ . *Sub Pontifice Primo M. Aurelio Antonino . Byzantiorum* . Et ſanè Auguſtus à Suetonio cap. 93. dicitur ſacris Cereris *Athenis initiatus* . Ipſe tamen aliter eandem epigraphem expono . Cum A. V. 741. mortuo Lepido Pontifice Maximo , Imperator Cæſar Auguſtus Pontificatum maximum accepiſſet , Antiocheni quò publicam ob nouam Principi delatam dignitatem , lætitiam exprimerent , auream coronam quotannis ad Auguſtum mittere decreuerunt . Id munus vulgò *aurum coronarium* dicebatur, quod & *ςεφανικὸν* ab Ancyranis appellatum Suidas teſtatur . Et quidem coronę aureę initio ob victorias Romanis ducibus à fœderatis vrbibus , amiciſque regibus offerebantur . Poſtea verò eædem coronę ob Cæſarum adoptionem ſiuè ob ſuſceptum imperium Romanis Principibus mittebantur . Capitolinus de Imperatore Antonino Pio cap. 4. ſcribit : *Aurum coronarium , quod adoptionis ſuæ cauſa oblatum fuerat , Italicis totum , medium prouincialibus reddidit* . Ita Antiocheni auream Pontificiam coronam ob ſummum Pontificatum Auguſto delatum , eidem honoris gratia decreuerunt , quod donum ΑΡΧΙΕΡΑΤΙΚΟΝ ſuis in nummis inſcripſerunt, ita vt integra vtriuſque partis nummi epigraphe ſit : Ἀρχιερατικὸν Ἀντιοχεῖς ἀνατιθέασι Καίσαρι Σεβαστῷ, Ἀρχιερεῖ : Coronam *Pontificiam Antiochenſes dicant Cæſari Auguſto Pontifici Maximo* . Et ſanè vbique Romanarum gentium diem ſummi Pontificatus Imperatori delati eximio cultu celebratum colligimus ex veteri Inſcriptione Gruteri pag. CCXXVIII. 8. in qua dicuntur Cenetenſes publica ſacrificia ac plebi eſculenta decreuiſſe :

VI.

VI. IDVS. MARTIAS. QVIA. HAC. DIE

TI. CAESAR. PONT. MAX

FELICISSIME CREATVS EST

Denique quod ad institutum facit, in inferiori nummi area obsignatæ visuntur literę ZK, id est, *Anno* XXVII. videlicèt imperij Augusti in Syria, qui cœpit ab autumno A. V. Romę 749. Imperatore Cæsare Augusto & L. Cornelio Sulla Coss. Harduinus in gemino nummo Collegij Claramontani pag. 51. legit: ΑΡΧΙΕΡΑΤΙΚΟΝ ΑΝΤΙΟΧΕΙΣ. ΣΚ. quas binas postremas literas suspicatur *Senatus Consultum* exprimere. Ceterùm ait vix se posse credere Antiochenses, imperante Augusto, dixisse, aut scripsisse: *Σινάτυς Κονσύλτω*; cum Græcè dicendum fuisset: *Συγκλήτυ δόγματι*. At nummus Mediceus pulcherrimæ atque integerrimæ cœlaturę, vt & alter in Museo Serenissimi Principis Ludouici Augusti Borbonij Ducis Cenomanensis, palàm præferunt literas ZK. Nicolaus Toinardus nummariæ eruditionis callentissimus, mihi etiam per literas testatus est, easdem omninò numerales notas in laudato numismate Collegij Claramontani scalptas apparere; quamuis prior litera Z ob superiorem lineam defectu scalpturę duas in partes dissecta, minùs accuratè nummum inspicienti, literę Σ speciem aliquatenùs præferre videatur. In regia Gallorum Gaza alter eiusdem Augusti nummus visitur retrorsùs inscriptus: ΑΡΧΙΕΡΑΤΙΚΟΝ ΑΝΤΙΟΧΕΙΣ. ΗΚ. nempè: *Anno* imperij Augusti in Syria *vicesimo octauo*. Hunc nummum Harduinus pag. 50. omissa Epocha, recenset. Præterea in Cimelijs Illustrissimi & Excellentissimi D. Ioannis Dominici Theupoli Veneti Patricij ac veterum Numismatum studiosissimi, seruatur alius eiusdem Augusti nummus cum ijsdem hinc inde inscriptionibus; sed annorum numerus ita obsignatur, ΘΚ, videlicèt *Anno* XXIX. qui cœpit ab autumno A. V. Romę 751. Denique hic Florentiæ in scrinio aliàs mihi laudati Apollonij Bassetti Serenissimo Magno Etruriæ Duci à secretis, vidi nummum Augusti cum eadem vtrinque epigrapha, nec non inferiùs litera numerali Λ qua *annus* imperij Cæsaris Augusti in Syria *trigesimus* indicatur. Ex his patet Antiochenos quotannis memoratum honorem Romano Principi detulisse, eiusque etiam memoriam ære perenni ad posteros transmisisse.

Ioannes Tristanus de erudita veterum re nummaria optimè meritus

meritus, tom. 1. pag. 166. Tiberij nummum ab Antiochenis ſcalptum, profert cum epigraphe: ΤΙ. ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΑΡΧΙΕΡ. ΜΕΓ. *Tiberius Cæſar Auguſtus Pontifex Maximus*, & in auerſa parte: ΑΡΧΙΕΡΑΤΙΚΟΝ ΑΝΤΙΟΧΕΙΣ; & ſubtùs A. Quòd corona, intra quam hæc poſtica inſcriptio clauditur, partim detrita, partim etiam caſu quopiam inferiùs aperta videbatur, putauit Triſtanus eâdem deſignatum fuiſſe portum iuſſu Tiberij ad oſtia Orontis extructum. Sed tot anteriores Auguſti nummi proximè mihi recitati, Triſtani commentum explodunt. Litera A inferiùs obſignata *annum primum* imperij Tiberij indicat, quem Antiocheni pari ac antea Auguſtum, honore proſequuti ſunt. Cum in hoc capite & ſuperiùs pag. 142. binos Tiberij nummos apud Antiochiam ſcalptos produxerim, in quibus Tiberius *Auguſtus* tantùm, non verò etiam *Pontifex Maximus* inſcribitur; in hoc autem vti & in alijs Auguſti, cum voce ΑΡΧΙΕΡΑΤΙΚΟΝ vterque Princeps appelletur ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ *Pontifex Maximus*, quæ altera vox diſertè in Tiberij nummo ΜΕΓΙΣΤΟΣ additur, non obſcurè colligimus id genus nummos ob honorem Pontificatus Maximi vtriuſque Principis ſcalptos fuiſſe. Nam & Cenetenſes exiguę in Venetorum regione vrbis ciues ex recitata Inſcriptione, delatum Tiberio Pontificatum Maximum annua ſolemnitate celebrandum decreuere, quod & ceteras vrbes ac præſertim Antiochiam totius Orientis metropolim feciſſe, nemo planè negare poſſit. Interim aliam eorundem nummorum interpretationem propono. Quemadmodum Romę plura erant Sacerdotum collegia, quorum præcipuum erat Pontificum, & horum primus a ſeptemdecim Tribus ſortitò ad comitia vocatis eligebatur, vt pluribus expoſui Diſſert. 2. de Cenotaphijs Piſanis cap. 5. idemque Pontifex Maximus vocabatur; ita etiam Antiochię, vbi populum in octodecim Tribus diſtinctum fuiſſe teſtatur in Orat. XII. eiuſdem vrbis ciuis Libanius, plura erant collegia Sacerdotum, & hos inter Primus Pontifex, qui à Græcis ἱερεὺς πρῶτος vel ἀρχιερεύς dicebatur. Antiocheni primum ſuæ vrbis Pontificem media Cæſarum ætate, Alytarcham appellabant, qui ludis Olympicis, vti diximus, præſidebat; vnde & Libanius in Antiochico laudat inter tria præcipua vrbis ornamenta *Stadium Olympicum*, *theatrum omnis oblectationis*; ac in magno etymologico idem munus tribuitur Alytarchę, cuius nominis originem exponit Gothofredus in notis ad L. 2. *de expenſis lud.* lib. 15. Cod. Theod. Nullus dubito quin ante inſtitutos Alytarchas, fuerit antiquitùs apud Antiochiam Pontifex primus, nempè Ἀρχιερεύς, populi ſuffragijs creatus. Quoties verò eiuſdem inauguratio contingebat, munus Pontificium edebatur,

tur, ac iussu magistratus nummi etiam spargebantur, quo maiori lætitia noui Pontificis electio à populo celebraretur. Hoc verò munus quod in initiando primo Pontifice edebatur, **ΑΡΧΙΕΡΑΤΙΚΟΝ** ab ipsis dicebatur. Galenus lib. 3. de comp. medic. per genera, scribit apud Pergamum Pontifices, quorum quinque & ferè semestres laudat, in sua ipsorum inauguratione gladiatorum munus edidisse. Asiarchas, Syriarchas, ac ceteros annuos prouinciarum Pontifices ludos maxima pecuniarum profusione dare consueuisse pluribus docet Valesius in laudatis notis Eusebianis, ac palàm traditur *L.* 2. cit. *de expensis lud.* vbi Imperator Theodosius modum imponit expensis ludorum, qui à Rectoribus prouinciarum exhibebantur, addit tamen: *Exceptis Alytarchis, Syriarchis agonothethis, Asiarchis, & ceteris, quorum nomen votiua festiuitatis solemnitas dedicabit.* Quòd nempè hi non ex collatione prouincialium, sed proprijs sumptibus munera edebant. Syriarchę annui erant prouinciæ Sacerdotes; Alytarchę verò apud Antiochiam per quadriennium eo sacerdotio fungebantur. At sub primis Cæsaribus, si tradita nummorum interpretatio probetur, primi Pontifices etiam Antiochię annui erant; siquidem quotannis nummi memoratam epipgraphem **ΑΡΧΙΕΡΑΤΙΚΟΝ** præferentes, cudebantur; quos quidem nummos non ipsorummet Pontificum, sed Antiochensis curiæ impensis scalptos existimo. In anteriori verò eorundem nummorum parte Augustus ac dein Tiberius Pontifices Maximi appellantur; vt ius Pontificium quo illi in vniuerso Romano Orbe, nedum Antiochię pollebant, exprimeretur. Interim aduerto eodem vocabulo frequenter in Ecclesiasticis monumentis ea designari, quæ ad summum Sacerdotium Metropolitę vel Patriarchę pertinent. In Synodo II. Nicæna Act. I. Tom. 7. pag. 52. edit. vlt. Concil. laudatur S. Tarasij Præsulis C-P. ἀρχιερατικὸν ἀξίωμα, *Patriarchalis dignitas.* In tom. 6. eiusdem edit. sub initium Secretarij siuè Actionis II. Synodi Lateranensis a S. Martino Papa celebratę, Stephanus Episcopus Dororum in Palæstina dicitur πρῶτος τοῦ ὑπὸ τὸν Ἱεροσολύμων ἀρχιερατικὸν θρόνον τελούσης δικαιοδοσίας: *Primas iurisdictionis*, nempè diœceseos, *existentis sub Patriarchali throno Hierosolymorum.* Synesius epist. 67. eidem Theotimi Metropolitę Ptolemaidensis in Lybia Pentapoli vocat ἀρχιερατικὸν θρόνον, & apud Theodoretum lib. 4. cap. 5. dum recitat verba Valentiniani iunioris, de eligendo Antistite Mediolanensi, legimus: τοῖς ἀρχιερατικοῖς θώκοις, *Archiepiscopalibus sedibus.* Quæ sæpius alibi occurrunt.

Vnum hic mihi exponendum superest, num videlicèt anni ab imperio Augusti in Syria ita peculiarem apud Antiochenses Epocham

cham constituerint, vt imperante Augusto, Cæsariana Æra vti desierint. Et sanè cum in Antiochię ac Seleucię nummis anno primo ac tertio imperij Tiberij Cæsaris subnotentur anni ab imperio Augusti in Syria, vti proximè ostendi, ijdem anni specialem Epocham constituisse videntur; siquidem vbi in nummis anni principatus Imperatorum obsignabantur, ijsdem demortuis, omittebantur; ac proinde nullam ijdem Æram vrbium indicabant. Quare cum etiam post mortem Augusti, anni ab eiusdem Syriaco imperio in nummis vtriusque memoratæ vrbis scalpti legantur, peculiarem etiam illarum Æram designant. Eques Patinus pag. 48. nummum Augusti recitat hinc inscriptum: ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΥ; illinc verò: ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. ΔΝ. *Antiochensium Metropoleos. Anno quinquagesimo quarto*. Cum verò Augustus obierit A. V. Romę 767. qui erat XLIV. ab imperio eiusdem in Syria, anni LIV. eo in nummo signati, pertinent ad Epocham Cæsarianam initam A. V. Romę 705. ita vt annus LIV. exierit sub autumnum A. V. 759. qui erat XXXIX. imperij Augusti in Syria. Quare ex hoc nummo, si citra mendum exscriptus sit, colligimus imperante etiam Augusto, priorem Epocham ab Antiochenis adhibitam, neque alteram Augustanam eidem substitutam fuisse: quam licèt sub Silano præside ab Augusto in Syriam misso, etiam post mortem eiusdem Principis Antiocheni retinuerint, paulò post eadem antiquata, anni tantùm Epochę Cæsarianæ in vsu apud eosdem fuerunt, quod ex nummo Pomponij Flacci Syriæ sub Tiberio præsidis mihi superius pag. 142. alijsque deinceps expositis, intelligitur, in illis enim Cæsariana tantùm Epocha obsignatur.

CAPVT VIII.

Exponuntur Epochæ vrbium Seleuciæ, Laodiceæ, ac Gabalorum.

STrabo qui sub initium principatus Tiberij Augusti libros geographicos scripsit, lib. 16. pag. 516. tradit Seleucum quatuor celeberrimas in Syria Vrbes condidisse, quarum *maximam à suo patre Antiochiam denominauit; Seleuciam munitissimam à se ipso; Apameam ab vxore sua Apama; Laodiceam à matre*. Quas *propter concordiam sorores* appellatas testatur. Verùm in Epocha adhibenda, sorores istæ discordabant, cum singulę diuersis Æris vterentur. Etenim Apamenses Epocham Seleucidarum seruarunt; Antiocheni verò

varias subinde Æras inuexerunt, vt proximè exposui. Sed & Seleucenses ac Laodiceni speciales suarum vrbium Epochas frequentarunt.

§. I.

DE EPOCHA SELEVCIÆ.

Seleucus Nicator conditor Seleuciæ maritimæ vel Pieriæ vulgò appellatæ. Vrbis situs ex Polybio descriptus. Eadem à Pompeio libertate donatur. Fulmen cur apud Seleucenses sacrum? Eorundem Epocha inijt A. V. Romæ DCXLV.

EAdem ætas duos è gente Macedonum reges habuit, Seleucum atque huius socerum Demetrium; & hunc quidem ob machinas ad expugnanda oppida inuentas, Poliorcetem appellarunt; cum alterum ob plurimas ab eodem conditas per Asiam vrbes, Polictistem iure ac merito nuncupare debuissent. Auctor est Appianus in Syriacis, Seleucum præter alia multa oppida, nouem vrbes extruxisse, quas de suo nomine *Seleucias* appellauit. Nam cum idem Rex omnium maximo post Alexandri monarchiam imperio potiretur, quod ab Hellesponto ad Indos vsque amplissimis terrarum spacijs extendebatur, ne milites bellis omnibus profligatis, otio torpentes, seditiones molirentur, eosdem noua passim oppida extruere, ac vetera restaurare iussit; qui cum partim in Græcia sub Macedonum imperium redacta, nati essent, ne patrij soli repetendi desiderio tenerentur, Seleucus regiones, vrbes, flumina in Syria, locorum ac fluminum Macedonię Græciæque nominibus appellauit. Plinius lib. 4. cap. 10. laudat in Macedonia *regionem quæ Pieria appellatur à nemore*, quam Pieriam syluam propè vrbem Pellam Philippi ac Alexandri Magni natalibus celebrem locat Liuius lib. 44. Itaque Seleucus eam regionem per quam vltrà Antiochiam Orontes in proximum mare exoneratur, Pieriam appellauit, in qua nobilissimam eamdemque munitissimam vrbem extruxit, quam de suo nomine Seleuciam nuncupauit. Hinc quò vrbs à ceteris Seleucijs distingueretur, *Seleucia Pieria*, vel *in Pieria* vulgò dicebatur. In Traiani, Seueri, aliorumque Cæsarum nummis legimus: ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ ΠΙΕΡΙΑΣ, *Seleucensium Pieriæ*. Plinius lib. 5. cap. 21. ait: *In promontorio autem Seleucia libera, Pieria appellata*. Straboni autem lib. 16. pag. 516. nominatur Σελεύκεια ἡ ἐν Πιερίᾳ, *Seleucia in Pieria*. In primo verò libro Machabæorum cap. XI. 8. dicitur Ptolemæus Philo-

Philometor rex Ægypti Syriam occupasse *vsque Seleuciam maritimam*, & Appiano etiam in Syriacis laudatur Σελεύκεια ἐπὶ θαλάσσῃ, *Seleucia ad mare*, quo altero cognomine ab alijs Seleucijs, quarum nulla erat ad mare, discernebatur. Ammiano lib. 14. post Antiochiam, *Laodicea & Apamia, itemque Seleucia inde à primis auspicijs florentissima* laudantur. Polybius lib. 5. situm eiusdem accuratè describit: *Sita est*, inquit, *Seleucia ad mare in confinio Ciliciæ & Phœnices. Subiectum autem montem habet celsitudinis immensæ, quem Coryphæum vocant &c. Profundo admodùm saltu & salebroso à monte distinguitur. Vrbs ipsa flexu quodam pertinet illa quidem ad mare; ceterùm ab omni ferè parte prærupta præcipitia illam cingunt &c. Aditum habet ab eo latere, quod mari est obuersum dumtaxat vnicum ad instar scalæ manufactum; crebris ac continuis tum gradibus, tum incisuris sarculo cauatis, distincta. Non longè ab hoc loco fluminis, quod Orontem vocant, sunt ostia.* Hæc Polybius. Strabo laudatus Seleuciam *munitissimam* vocat. Hinc cum Ptolemæus Euergetes sororis Berenices necem vlturus, Syriam anno tertio Olympiadis CXXXIII. Vrbis Romæ 508. inuasisset, ac Seleuciam occupasset: quamuis Seleucus Callinicus, qui tunc in Syria regnabat, Antiochiam, aliasque sibi ereptas vrbes, postea recepisset, Seleucia annis septem ac viginti in Ægyptiorum regum potestate remansit; donec Antiochus Magnus ab Apollophane Seleucensi, quo medico vtebatur, animatus, Seleuciam ciuibus partim donis, partim promissis corruptis, recuperauit. Ita licèt Seleucia milliarijs tantum quindecim Antiochia regia sede Syriæ regum distaret, tot annis in Ægyptiorum potestate fuit; quamuis interim reges Syriæ à Phrygia ad vsquè Persidem imperium tenerent. Cum Tigranes rex Armeniæ à Syris in regnum vocatus, plerasque vrbes barbarorum dominium recusantes, expugnasset, Seleucia exclusus fuit. Hinc cum Pompeius Tigrane profligato, in Syriam venisset, *Seleuciam* inquit Eutropius lib. 6. *vicinam Antiochiæ ciuitatem, libertate donauit, quòd regem Tigranem non recepisset.* Distabat Seleucia ab ostijs Orontis M. P. V. In vtroque Codice *L. vnica de Classicis*, legimus *classem Seleucenam*; ac à Valente Augusto iubetur, vt *classis Seleucena ad auxilium purgandi Orontis aliasque necessitates, Orientis Comiti deputetur.*

Seleucenses cum ceteris Syris Epocha Seleucidarum diutiùs vsi sunt; ac Vaillantius pag. 348. Hist. regum Syriæ, profert è suo Musæo nummum Antiochi Philopatoris, qui Cyzicenus vulgò dicitur, apud Seleuciam scalptum cum notis numeralibus ΘϘΡ, id est, *anno 199.* qui cœpit ab autumno A. V. Romæ 640. quo anno labente, Cyzicenus contra fratrem Antiochum Grypum cum

exercitu profectus, Syriam inuasit, ac à Seleucensibus exceptus fuit. Seleucenses post paucos annos nouam vrbis suæ Epocham instituisse prodit Auctor Chronici Alexandrini scribens ad annum IV. Olympiadis CLXVII. qui fuit vrbis Romę 645. ante Christi Æram 109. *Seleucenses propè Antiochiam Syriæ, hinc sua tempora numerant*. Extat in Musæo Medicæo insigne hoc numisma argenteum maximi moduli, cum capite velato, ac turrito vrbis Seleucię.



Inscriptio nummi est: ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ ΤΗΣ ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ, id est, *Seleucensium* vrbis, *sacræ, ac suis legibus vtentis*. Porrò litera Δ quæ in medio visitur, *Annum IV*. ab autonomia obtenta, significat. Fulmen quod supra sacram mensam siuè aram cernitur, proprium fuit Seleuciæ symbolum, vt ex illius vrbis nummis apparet, quorum alios videsis apud laudatum Vaillantium pag. 348. 357. & 378. quo postremo loco typus nummi Medicæo ferè similis exhibetur. Appianus in Syriacis de Seleuco scribit: *Aiuntque in condenda ad mare Seleucia, secutum augurium fulminis, ideoque etiamnum fulmen tanquam Deum consecratum, ac hymnis celebratum*. Ioannes Malela apud Vsserium tom. 1. Annal. pag. 461. ait Seleucum die 23. Xanthici anno IV. Olympiadis CXIX. vrbis Romæ 454. ante Christum 300. vti supputat Vsserius, Aquilæ partem carnis ex sacrificio in monte Casio raptæ, ad Pieriæ maritima deferentis augurio, nouam ibidem de suo nomine vrbem extruxisse. Verùm nummi Seleucensium fulminis symbolo obsignati, Malelæ opinionem refellunt. Cyrillus cum in catechesi 13. scribit: *Græci fulmina adorant*, Seleucensium idolatriam perstringit. Hesychius verbo Κεραύνος ait: *Fulminator, tonitru stupefaciens*, καὶ Ζεὺς ἐν Σελευκείᾳ, *& Iuppiter apud Seleuciam*. Eques Carolus Patinus pag. 223. indicis Mauroceni thesauri, laudat nummum Antonini Pij in postica inscriptum: ΖΕΥΣ ΚΕΡΑΥ. ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ ΠΙΕΡΙΑΣ: *Iuppiter*

ter Ceraunius, id eſt, Fulminator, *Seleucenſium Pieriæ*; quo in nummo vti in Mediceo, fulmen ſuper ſacram menſam viſitur. Hæc eruditè illuſtrat pluribus V. C. Spanhemius Diſſert. V. à pag. 392. vbi bina Seleucenſium numiſmata profert è Cimelijs Magnæ Suecorum Reginæ. Romani Ioui Fulgeratori aras ponebant, ac Gruteri pag. XXI. 6. extat Inſcriptio.

IOVI

FVLMIN. FVLG. TONANTI

Nempè *Fulminanti*, *Fulgeratori*, *Tonanti*. Cum Seleucenſes nouam Epocham inierint ab autumno A. V. 645. annus IV. in laudato nummo obſignatus, cœpit ab autumno A. V. Romæ 648. ante Chriſtum 106. Antiochus Cyzicenus, eiuſque frater Antiochus Grypus, ab adunco naſo hocce cognomen ſortitus, ex Porphyrij fragmentis apud Scaligerum pag. 227. bellum ciuile hac conditione compoſuerant, vt Cyzicenus in Syria Cœle, Grypus verò in Syria ſuperiore, partito imperio, regnarent. Hanc inter fratres initam pacem idem Porphyrius recitat anno ſecundo Olympiadis CLXVII. qui fuit à Roma condita 643. Erant ambo filij Cleopatræ, ſed diuerſo patre geniti; qui, vt ait Ioſephus lib. 13. cap. 17. ſecum inuicem *multis annis* bella geſſerunt. Eorundem fratrum *regno Syriæ parricidales diſcordias* vocat Iuſtinus lib. 39. illæ enim vetus Seleucidarum regnum peſſum dedere, Iudæis, Arabibus, ac quibuſdam etiam tyrannis magnam illius partem occupantibus. Hinc etiam factum eſt, vt ijdem fratres, quò munitiſſimas Syriæ vrbes certatim in partes traherent, aut ſibi fideliores redderent, eiſdem cum regiæ poteſtatis detrimento, autonomiam concederent. Nam Seleucenſes, Sidonij, Aſcalonitæ, alijque Syriæ populi inter ciuilia eorundem regum bella, autonomia obtenta, vix precarium illorum poſtea imperium admiſerunt. Cum verò Seleucenſes in parte regni Antiochi Grypi, id eſt, in ſuperiore Syria eſſent, ab eodem quoque autonomia donati ſunt. Cum enim Grypus Antiochiam regni ſedem teneret, idem quoque Seleuciam milliarijs tantum XV. Antiochia diſtantem, diuiſo regno, poſſidebat.

Seleucenſes imperante Auguſto, ac ſub initium principatus Tiberij, ſuis in nummis annos imperij Auguſti in Syria obſignabant, vt capite ſuperiori ex delineato eorundem nummo oſtendi, in quo legitur: Γ. ΕΠΙ ΣΙΛΑΝΟΥ. ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ. ΖΜ. nempè, vt ibi expoſui: *Anno tertio* Tiberij. *Sub Silano. Seleucenſium. Anno* XLVII.

XLVII. imperij Augustei in Syria. Vti verò Antiocheni eodem Tiberio superstite, eam imperij Augusti in Syria Epocham omiserunt; ita Seleucenses quoque eandem antiquarunt. Serenissimus Princeps Ludouicus Augustus Borbonius, Cenomanensium Dux, iuuenili adhuc ætate vetustioris æui monumentis colligendis addictus, antiquorum numismatum, quorum nullus Domino doctior interpres, Gazam adornauit, ex qua Ioannes Vaillantius eidem regio iussu præfectus, huiusce Seleucensium nummi typum ad me transmisit.



Nempè: *Seleucensium* vrbis, *sacra*, *suis legibus vtentis*. Epocha BC annum indicat CCII. qui cœpit per autumnum A. V. 846. ac duodecimo imperij Domitiani correspondet. Aliæ literæ sunt notæ Monetarij, vt in pluribus Laodicensium nummis proximè ostendo.

§. II.

EPOCHA LAODICEAE AD MARE DEMONSTRATVR.

Duplex in Syria Laodicea: vna ad mare, altera ad Libanum. Situs Laodiceæ ad mare. Epocha eiusdem cœpit A. V. 706. Laodicenses cur Iulienses *in nummis appellati. Numisma eorundem illustratur. Imperator Seuerus eamdem Vrbem coloniam fecit; vnde* Septimia *&* Seueriana *in Nummis nuncupatur. Plures Nummi Epocha Laodicensium obsignati, proferuntur. Quibus annis Traianus titulos* Dacici, Optimi Augusti, *ac* Parthici *tulerit. Nota numeri XC. varijs modis in Nummis expressa.*

SEleucus Nicator, vt demortuæ Laodices matris nomen apud posteros regijs planè monumentis consecraret, sex abs se conditas

ditas vrbes, Laodiceas nuncupauit. Harum duæ in Syria fuere, quarum vna ad mare, altera in mediterraneis ad Libanum dicebantur. Straboni libro 16. pag. 517. in Syria describitur *Λαοδίκεια ἐπὶ τῇ θαλάττῃ*, *Laodicea ad mare*. Vaillantius pag. 262. Hist. Regum Syriæ nummum recitat inscriptum: ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΠΡΟΣ ΘΑΛΑΣΣΑΝ: *Laodicensium ad mare*. Lentulus epist. 14. lib. 12. fam. Ciceronis, de Dolabella scribit: *Nulla alia confisus vrbe, Laodiceam, quæ est in Syria ad mare, se contulit*. Rursùs eidem Straboni pag. 520. nominatur *Λαοδίκεια ἡ πρὸς Λιβάνῳ*: *Laodicea ad Libanum*. In Antonini Caracallæ nummo regio apud Harduinum pag. 285. legitur: ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΠΡΟΣ ΛΙΒΑΝΩ: *Laodicensium ad Libanum*. In Act. 6. Synodi Calchedonensis subscriptus nominatur Valerius Episcopus *πόλεως Λαοδικείας τῆς Φοινίκης*, *vrbis Laodicea Phœnices*; & Act. I. laudatur Eusebius presbyter agens vices Macarij Episcopi *Λαοδικείας Συρίας*, *Laodicea Syria*. Hæc enim in diuisione trium prouinciarum Syriæ intra eandem Syriam superiorem censita est; altera Laodicea ad Libanum Phœniciæ attributa. Appianus lib. 4. bell. ciuil. Laodiceæ maritimæ situm describit. Distabat Antiochia Phœnicem versus M. P. LXV. Sita autem erat in peninsula, isthmo duorum stadiorum eandem cum continenti iungente, quem Cassius Dolabellam intra vrbem obsidens, structo aggere, occlusit. Portum nauibus commodum habebat, qui vnicus postea Christianis classibus patuit, cum ad recuperanda Hierosolyma ac sacrum Redemptoris Domini sepulcrum, fœderati principes Vrbano II. Pontifice Maximo hortante, omnium celeberrimam expeditionem in Syriam susceperunt. Guillelmus Tyri Archiepiscopus lib. 7. de bello sacro cap. 16. ait: *Est autem Laodicia ciuitas nobilis & antiqua, sita in litore maris, quæ fideles habens habitatores, sola de vrbibus Syriæ Imperatoris Græcorum iurisdictioni erat supposita; cetera enim vrbes Syria maritima, eiectis Christianis, Aegypti Sultano seruiebant*. Imperator L. Verus cum bello Parthico in Syria substitit, *per quadriennium hiemem Laodiceæ* transegit, auctore Capitolino cap. 7. de vita eiusdem.

Epocha Laodiceæ maritimæ in vetustis Chronicis memoratur. Nam Eusebius scribit: *Secundo anno Probi iuxtà Antiochenos trecentesimus vigesimus quintus annus fuit: iuxtà Tyrios quadringentesimus secundus: iuxtà Laodicenos trecentesimus vigesimus quartus annus &c.* Quare Epocha Laodicensium vno anno Æra Antiochenorum posterior fuit. Auctor etiam Chronici Alexandrini cum recitasset æram ab Antiochenis institutam, anno proximè sequenti scribit: *Laodiceni hinc sua tempora numerant*. Cum verò superiùs demonstrauerim

uerim Epocham Antiochenorum cœpisse ab autumno A. V. 705. altera Laodicensium inijt ab autumno A. V. 706. qui fuit primus Olympiadis CLXXXIII. Per. Iulianæ 4666. ante Christi æram 48. Cyclo Lunæ XI. Solis XVIII. Caio Iulio Cæsare II. & P. Seruilio Vatia Isaurico Consulibus. Enim verò ab A. V. 706. numerando annos CCCXXIV. habemus annum vrbis Romæ 1030. qui fuit secundus imperij Probi, vt pluribus ostendi Dissert. 2. cap. 3. §. 1. cum quo anno altero Probi Eusebius rectè annum 324. Laodicensium componit. Scaliger lib. 5. de emend. Temp. pag. 413. cum præmisisset annum à Iulio Cæsare emendatum, ac ex Lunari factum Solarem, ait: *Hanc formam statim arripuerunt Orientales nationes, Antiocheni quidem à Kalendis Octobris Iuliani anni confusionis; Laodiceni ab ipsis Kalendis Ianuarii Iuliani; nisi cœperint à Martio, quod non abhorret à vero*. Et Ricciolius tom. 1. Chronol. lib. 2. pag. 101. ait: *Laodicenorum Epocha incœpit à verno tempore anni* 48. *ante Christi Epocham*. Verùm vti hæc nullo appellato teste, dicuntur, ita mihi planè certum videtur, Laodicenses vnà cum ceteris Syris in ineundo anno Solari ab autumno, conuenisse. Sanctus Anatolius Episcopus Laodiceæ in canone Paschali apud Eusebium lib. 7. cap. 22. scribit Nouilunium primum sui Cycli Paschalis futurum *secundùm Aegyptios quidem die XXVI. mensis Phamenoth: iuxtà Macedones verò die XXII. mensis Dystri; vt autem Romani dicerent, ante diem XI. Kalend. Aprilium*. Est autem satis probabile Anatolium annos ac menses iuxtà Laodicenses, quorum sacris præerat, accepisse; ita etiam Antiocheni Dystrum cum Martio, Xanthicum cum Aprili componebant, ex Socrate lib. 5. cap. 21. Quod si dies vicesima secunda Dystri erat itidem 22. Martij apud Romanos; prima dies Hyperberetæi, à quo mense id temporis Syri annum solarem auspicabantur, cum Kalendis Octobris concurrebat.

Cum Iulius Cæsar Dictator iterùm, post necem Pompeij, nouem menses in Ægypto moratus, inde A. V. 707. terrestri itinere per Syriam contra Pharnacem proficisceretur, dicitur Hirtio cap. 65. de bello Alexandrino, *commoratus fere in omnibus ciuitatibus, quæ maiore sunt dignitate, præmia benemeritis & viritim & publicè tribuens*. Ille verò eo anno vrbis Romæ 707. die secunda Maij anni Iuliani proleptici erat Antiochiæ, vt ex epistola Ciceronis ad Atticum 19. lib. XI. superiùs cap. 5. ostendi. Cum verò Laodicea Ægyptum versùs esset infra Antiochiam M. P. LXV. idem Cæsar circa Aprilem anni emendati, fuerat Laodiceæ. Tum Laodicenses, quorum vrbs inter eas censebatur, quæ in Syria maioris dignitatis ab Hirtio dicuntur, autonomia alijsque exemptionibus siue priui-

legijs

legijs ab eodem Cæsare donati sunt. Hinc illi collatorum sibi à Dictatore beneficiorum memoriam ad seros posteros transmissuri, nouam in honorem Iulij Cæsaris suæ Vrbis Epocham instituerunt, cuius annum primum esse voluerunt illum ipsum Vrbis Romæ 707. qui tunc in anno luxato Romanorum decurrebat, ita tamen vt caput eiusdem Epochæ ab initio anni ciuilis Macedonici cuius altera iam pars labebatur, deduceretur: nouaque Epocha idem, quod vetustior ibidem Seleucidarum habuerat, initium ab autumno desumeret. Quare cum ille annus ab autumno A. V. Romæ 706. exordium habuisset, inde etiam recens Laodicensium Epocha incœpit. Quanto verò studio Laodicenses Iulio Cæsari addicti essent, prodit Dio lib. 47. narrans Dolabellam ab Antiochenis exclusum, Laodiceam se recepisse; *oppidanis*, inquit, *se ob studium quo priorem Cæsarem*, nempè Iulium Dictatorem, *prosequuti fuerant, dedentibus.* Etenim Cornelius Dolabella A. V. 711. bellum in Syria contra Cassium aliosque Cæsaris interfectores susceperat. Cassius in epist. 13. lib. XII. famil. Ciceroni scribit: *Dolabellam vt Tarsenses pessimi socii, ita Laodiceni multo amentiores vltrò accersierunt, ex quibus vtrisque ciuitatibus Græcorum militum numero, speciem exercitus effecit.* Dio laudato lib. 47. de Tarsensibus scribit: *Nam adeò priori Cæsari, & eius gratia etiam posteriori* (qui postea Augustus dictus fuit) *fauebant, vt vrbem suam pro Tarso*, Iuliopolim *nuncupauerint*. Vti verò Laodicenses in Syria Tarsensium in proxima Cilicia studium erga Cæsarianas partes æmulabantur, ita & ipsi de nomine Cæsaris suam vrbem *Iuliam Laodiceam* nuncuparunt, quod Dioni omissum, eiusdem vrbis numismata manifestant. Cum verò Cassius capta per proditionem Laodicea, ac paulò ante Tarso ad deditionem coacta, vtramque vrbem Cæsarianam grauioribus damnis affecisset, M. Antonius Triumuir, victis postea Cassio ac Bruto, *Laodicensibus atque Tarsensibus libertatem ac immunitatem à tributis concessit*, vti scribit Appianus lib. 5. bell. ciuilium. Ita vtraque vrbs vti *Iulium* nomen assumpserat, parique studio Cæsarianas partes fouens, hostium Cæsaris sibi odia contraxerat, ac proinde varias calamitates Laodicenses ac Tarsenses subierant, ita à victore Antonio Triumuiro paria postea beneficia tulere.

Lucas Holstenius magnæ eruditionis scriptor, pag. 188. not. in Stephanum, nummos, in quibus *Iulienses Laodicenses* leguntur, *quorsùm referendi*, ait, *videndum ampliùs*. Harduinus eos refert ad Laodiceam non maritimam, sed ad alteram Laodiceam ad Libanum. Et quidem pag. 285. laudat nummum Septimij Seueri apud Laodiceam percussum, quem cum in MEDICEIS Cimelijs etiam viderim, illius typum exhibeo. G g In



Inſcriptio anticæ partis Latinè vertitur : *Imperator Cæſar Septimius Seuerus* . In poſtica verò legitur : ΙΟΥΛΙΕΩΝ ΛΑΟΔΙΚέων ΣΕΟΥΗ-ριάνων ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ: *Iulienſium Laodicenſium Seuerianorum Metropoleos* . Hunc nummum ideo vir eruditus refert ad Laodiceam ad Libanum , quòd Vlpianus lib. 50. Digeſt. tit. XV. *de cenſibus. L.* 1. ſcribit : *Eſt & Laodicena colonia in Syria Cœle, cui Diuus Seuerus ius Italicum ob belli ciuilis merita conceſſit*. Quibus Harduinus addit : *Et cognomen à ſe quoque dedit . Facit autem prius* Iuliæ *nomen , vt ſubſequentes quoque nummos* , qui ΙΟΥΛΙΕΩΝ ΤΩΝ ΚΑΙ ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ *inſcribuntur, huc quoque referri conſtet oportere , quod Triſtano aliiſque latuit*. Hinc nummos Latinè inſcriptos : COL. LAOD. METRO-POLEOS , ſiuè : SEP. COL. LAVD. METRO. in quibus Laodicea *Colonia Septimia* legitur , Laodiceæ ad Libanum adſcribit ; ſiquidem, vt ille ait, Vlpianus Laodiceam à Seuero coloniam factam, ponit *in Syria Cœle* ; cum Laodicea maritima non eſſet in Cœle Syria, ſed vt idem Harduinus ſcribit pag. 287. eſſet vrbs *Syriæ propriè dicta* . Denique eadem Laodicea ad Libanum videtur eidem ſcriptori *donata altero eo nomine ab Iulia Auguſti coniuge* ; quod colligit ex nummo apud Triſtanum tom. 1. pag. 126. in cuius parte anteriori legitur : ΘΕΙΟΥ ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΥ : ΘΕΙΑΣ ΙΟΥΛΙΑΣ ΣΕΒΑΣΤΗΣ : *Diui Cæſaris Auguſti* : *Diuæ Iuliæ Auguſtæ*, cum iunctis vtriusque capitibus; in poſteriori verò parte: ΙΟΥΛΙΕΩΝ ΤΩΝ ΚΑΙ ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ : *Iulienſium Laodicenſium* , ſiuè *qui & Laodicenſes*. Triſtanus de Laodicea ad Libanum ne quidem , eum nummum explicans, cogitauit; ſed pag. 128. dubitat , num ille pertineat ad Laodiceam in Phrygia , vel potiùs ad Laodiceam maritimam in Syria. Illum putat *viuentibus Auguſto ac Iulia ſcalptum* , cum ante obitum ille Dei , iſta Deæ nomen ab Ouidio aliiſque tulerint . Hæ tamen ſunt inſignes inſignium virorum hallucinationes . Nam certum eſt in laudatis nummis vnam Laodiceam ad mare exprimi , non autem aliam in Phrygia , ſiuè tertiam ad Libanum .

Hero-

Herodianus lib. 3. describens bellum ciuile inter Septimium ac Pescennium Nigrum, ait: *Laodicea quippè in Syria Antiochenorum odio; Tyrus verò in Phœnice Berytiis infesta, nuntiata Nigri fuga, sublatis illius honorificis titulis, Seuero prosperè acclamarunt*. Addit Pescennium Laodiceæ ac Tyri ad æmulum Seuerum defectione intellecta, equites Mauritanos ac sagittarios contra vtramque vrbem misisse, qui *Laodicenis*, inquit, *improuisò oppressis, populum ipsum omni genere crudelitatis vrbemque vastarunt. Inde Tyrum pergentes, direptis omnium bonis, ac patrata ingenti cæde, totam incenderunt*. At constat Herodianum ea scribere de Laodicea maritima, non autem de altera ad Libanum. Nam cum Antiocheni Pescennij partibus studerent, quod testatur etiam Spartianus cap. 9. de vita Seueri, Laodicenses *Antiochenorum odio*, vt ait Herodianus, ad Seueri partes transierunt. Porrò odia ac contentiones inter finitimas vrbes, non inter longiùs remotas contingunt. Laodicea ad Libanum distabat Antiochia M. P. CLI. ex Antonini Itinerario, erateque virium ac fortunarum mediocrium ciuitas, cui nullæ cum procul distantibus Antiochenis, odiorum causæ suberant. At Laodicea ad mare ciuium frequentia, opumque affluentia, quamuis inferior, cum Antiochia tamen proxima vrbe æmulationem exercebat. Cum Antiocheni Theodosij Imperatoris, vel vt alij scribunt, Placillæ tantùm Augustæ statuas deiecissent, *Imperator, vt par erat, grauiter commotus, omnia priuilegia vrbi illi ademit, & principatum Laodiceæ vicinæ ciuitati tribuit. Quippè illud Antiochenos ægrè laturos existimauit. Nam Laodicenses ab antiquis iam temporibus aduersùs Antiochenos graui inuidia exarserant*. Horum auctor Theodoretus eruditissimus Cyrrhi in Syria Commagene siuè Euphratensi Episcopus lib. 5. cap. 19. Quare cum Laodicenses ad mare bello ciuili flagrante, ad patriæ vsquè excidium, Seueri partes fouerint, eorumdem vrbs ab eodem postea victore Septimio Seuero & metropolis & iuris Italici colonia *ob belli ciuilis merita*, vti laudatus Vlpianus testatur, facta est, cui & *Seuerianæ* etiam cognomen accessit. Ita & Tyrus ob æmulationem cum Berytijs, à quibus M. P. LI. in Phœnice distabat, Seueri partes secuta, ac propterea à Nigri militibus deuastata, ab eodem Seuero coloniæ iure donata est, vti eiusdem ciuis Vlpianus scribit eo lib. 50. Digest. simulque *Septimia* de nomine Imperatoris Septimij Seueri, nuncupata fuit, vt produnt nummi inscripti: SEPT. TYRVS MET. COLONIA; In alijs etiam legitur: SEP. COL. LAVD. METRO. *Septimia Colonia Laudicea metropolis*: vt proinde Laodicea de nomine ac cognomine eiusdem Augusti & *Septimiæ*, & *Seuerianæ* nuncupationes tulerit. Ex his patet error Harduini existimantis

ſtimantis à Vlpiano coloniam deſignari Laodiceam ad Libanum, quòd Iuris conſultus eam vrbem in Cœle Syria ſitam ſcribit. Verùm V. C. non aduertit poſteriori ætate vniuerſam Syriam quatuor in partes diſtinctam, nempè Commagenem, Syriam Cœlen, Phœnicem, ac Palæſtinam; qua in diuiſione *Syria Cœles* nomine ea Syriæ regio deſignatur, in qua erant Seleucia, Antiochia, & Laodicea maritima, vt plurium veterum Scriptorum teſtimonijs cap. 1. huiuſce Diſſertationis oſtendi. Socrates enim, Eunapius, S. Hieronymus, hiſque antiquiores Synodi Antiochiam in Cœle Syria vrbem nominant. His addo Anonymum qui vrbium Notitiam imperante Conſtantio deſcripſit: *Tota*, inquit, *Syriæ regio in tres Syrias diuiditur, Phœnicem, Palæſtinam, & Cœlen*. Auctor Itinerarij Hieroſolymitani Syriæ vrbes earumque interualla deſcribens, ait:

Ciuitas Laudica. M. P. XVI.
Ciuitas Gauala. M. P. XIIII.
Ciuitas Balaneas. M. P. XIII.
Finis Syriæ Cœlis & Phœnicis.

Ita Laodiceam, quam Laudicam vocat, vti & Gabalam ac Balaneam intra Cœlem Syriam collocat. Hæc Anonymus ille ſcribebat Delmatio & Xenophilo Coſſ. Anno Chriſti 333. In veteri Notitia Romani imperij prouinciarum, quam imperante Theodoſio Magno ſcriptam, poſtea oſtendam Diſſert. 4. cap. 1. decem Orientis prouinciæ ita numerantur: *Syria Cilicia, in qua eſt Antiochia. Syria Palæſtina. Syria Phœnice &c.* Vbi loco *Ciliciæ* legendum eſſe *Cœle* dudùm eruditi prænotarunt. Inter opera S. Athanaſij recenſetur eiuſdem Epiſtola Synodica, quæ etiam inſerta eſt tomo II. Concil. vlt. edit. pag. 817. ibique inter Epiſcopos, ad quos eadem Synodica miſſa eſt, nominatur Κυματίος Παλτῶ Κοίλης Συρίας, *Cymatius Palti Cœles Syriæ*. Erat Paltus vrbs maritima Syriæ, M. P. XX. Laodicea diſtans, ex epiſtola Caſſij, quæ eſt 13. in lib. 12. famil. Ciceronis. Sanctus Epiphanius ad hæreſim LXXIII. Semiarianorum nominat Epiſcopos Baſilium Ancyræ & Georgium Λαοδικείας τῆς πρὸς Ἀντιόχιαν Δάφνης, ἤγουν Κοίλης Συρίας, *Laodiceæ propè Antiochiam Daphnes, ſiuè Cœles Syriæ*. Mirum quantum ſe in notis ad hunc locum torqueat Petauius pag. 305. & 306. quòd *Laodicea Syriæ nihil ad Daphnem pertinet*. Hinc putat vel corruptum eſſe cum verborum contextum, ac deficere nomen Epiſcopi Antiocheni, aut *Antiochiam vel Daphnem pro regione ipſa ac Cœleſyria nonnumquàm vſurpari*. Denique probabiliùs dicendum cenſet Laodiceam *cognomento Daphnes* appellatam, quòd Daphni propinqua foret, κατὰ διαςολὴν aliarum eiuſdem nominis vrbium. Et concludit: *Inter hanc verò cui Cabioſæ*


sa nomen inditum , & Antiochiam ad Orontem , interiecta fuit Daphne . Inania omnia commenta . Nam cum in eadem Syria esset altera Laodicea ad Libanum , Epiphanius , quò Georgium non huiusce Laodiceæ, sed alterius ad mare Episcopum designaret , eundem vocauit Præsulem Λαοδικείας τῆς πρὸς Ἀντιόχειαν Δάφνης , vt hæc postrema vox ad Antiochiam pertineat , quæ & ipsa κατὰ διαστολὴν ab alijs Antiochijs , propè *Daphnem* vulgò dicebatur ; non autem vt nomen Δάφνης ad Laodiceam , vti imaginatur Petauius , referatur . Præterea fallitur , dum Laodiceam ab Epiphanio laudatam , *Cabiosam* nuncupat , in quo etiam errore fuit Ortelius in Lexico . Nam *Laodicea Cabiosa* ponitur à Ptolemæo sub gradu altitudinis poli 33. 43.' quæ propè Libanum in nummis inscribitur ; altera verò Laodicea ad mare , cuius Episcopus erat Georgius , statuitur sub gradu 35. 20.' apud eundem Geographum . Ex hoc autem Epiphanij testimonio patet posteriori ætate Laodiceam maritimam in Cœle Syria locatam , in qua pariter eiusdem prouinciæ finibus latiùs etiam Vlpiani æuo protensis , censebatur , secùs ac Harduinus sibi persuasit.

Idem verò V. C. rursùs errat , dum ex laudato nummo apud Tristanum colligit Laodiceam à Iulia Augusti coniuge *Iulio* nomine donatam fuisse . Nam in Museo Mediceo ex collectione Cardinalis Leopoldi , visitur hic nummus .




In antica parte cernitur sine literis caput Apollinis , cuius cultum Seleucus Laodiceæ conditor consito apud Antiochiæ suburbana luco , per Syriam propagauerat . Imò quòd Laodice mater Seleuci , de cuius nomine Laodicea dicta fuit , filio imposuerat , se eundem ex Apolline genuisse , vti scribit Iustinus lib. 15. Laodicenses eximio cultu Apollinem prosequebantur . Inscriptio alterius partis Latinè redditur : *Iuliensium Laodicensium* . Literæ numerales inferiùs obsignatæ ZM , annum Epochæ vrbis Laodiceæ XLVII. exprimunt. Cum illa Epocha inierit ab autumno A. V. Romæ 706. annus abhinc

hinc eiuſdem in nummo ſignatus XLVII. cœpit per autumnum A. V. 752. Hinc conſtat Laodicenſes non fuiſſe à Iulia Auguſti vxore *Iulienſium* cognomine donatos. Nam Liuia Auguſti vxor nondum eo anno Vrbis 752. *Iuliæ* nomen acceperat, quod tantùm ferre cœpit, cum teſtamento Auguſti vita A. V. 767. defuncti, in Iuliam familiam adoptata fuit. Tacitus ſub initium lib. 1. Annal. de Tiberio ait: *Nihil primo Senatus die agi paſſus, niſi de ſupremis Auguſti, cuius teſtamentum inlatum per virgines Veſtæ, Tiberium & Liuiam heredes habuit. Liuia in familiam* Iuliam, *nomenque* Auguſtæ *adſumebatur*; quæ etiam tradit Suetonius capite 101. in Auguſto. Quare cum Laodicenſes ex nummo laudato *Iulienſes* nuncuparentur, priùs quàm Liuia nomen *Iuliæ* ferret, illud neutiquàm à Iulia Auguſti coniuge acceperunt. Inde etiam emendatur error alter Triſtani, qui nummum in quo cum Auguſti nomine legitur: ΘΕΑΣ ΙΟΥΛΙΑΣ ΣΕΒΑΣΤΗΣ, *Diuæ Iuliæ Auguſtæ*, exiſtimat a Laodicenſibus Iulienſibus, Auguſto ac Liuia adhuc viuentibus, ſcalptum. Etenim Liuia poſt obitum tantùm Auguſti, cognomen *Auguſtæ* obtinuit, quod viro ſuperſtite, numquam tulerat. Literæ quæ in eo Mediceo numiſmate dextrorsùs apparent A K, non ſunt numerales, ſed notæ Monetarij, quales diuerſis literis expreſſæ, in pluribus Laodicenſium nummis, præter Epocham in iiſdem obſignatam, apparent, vt in nummis eorundem mox producendis, videbimus. Et primò quidem ex iiſdem Mediceis Cimelijs nummum Imperatoris Traiani exhibeo, quem vidi ſeruatum in locupletiſſimis ſcrinijs laudati Cardinalis Leopoldi. Extat alter huic ſimilis in Gaza Sereniſſimi Principis Ludouici Borbonij Ducis Cenomanenſis.



Inſcriptio anticæ partis Latinè datur: *Imperator Nerua Traianus, Optimus Cæſar Auguſtus, Germanicus, Dacicus*; In poſtica verò legitur: ΙΟΥΛΙΕΩΝ ΤΩΝ ΚΑΙ ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. ΒΖΡ. *Iulienſium Laodicenſium*. Epocha ΒΖΡ, notat *annum* CLXII. Literà media numeralis Ζ pro Ξ in nummis ſæpè ſubſtitutam rectè obſeruat V. C. Spanhemius

hemius pag. 54. alijque eruditi Nummorum interpretes. Traianus mortuo Neruæ die 27. Ianuarij A. V. 851. à parilibus Imperator Auguſtus ſucceſſit. Epocha Laodiceæ inijt ab autumno A. V. Romæ 706. Quare annus abhinc 162. cœpit per autumnum A. V. 867. ac decimo ſeptimo imperij Traiani, quum nondum Traianus *Parthicus* inſcriberetur. In Cimelijs Regis Chriſtianiſſimi hic alter ſeruatur eiuſdem Principis nummus apud eandem Laodiceam ſcalptus, cuius deſcriptionem à V. C. Ioanne Vaillantio accepi.



Inſcriptio anterioris partis Latinè vertitur: *Imperator Nerua Traianus, Optimus Cæſar Auguſtus, Germanicus, Dacicus, Parthicus*; auerſæ verò: *Iulienſium Laodicenſium. Anno* CLXIII. Qui annus cœpit ab autumno A. V. 868. imperij autem Traiani XVIII. Huncce nummum, vti & ſuperiorem recenſet Harduinus, vt ipſe ait, *in curis ſecundis* pag. 604. vbi vtriuſque Epochæ annos exponens, ſcribit: *quibus anni Vrbis Romæ reſpondent DCCCLI. & DCCCLII. Traiani ferè primus & ſecundus*. Verum ſcriptorem aliàs accuratum, ſecundæ curæ parùm ſecundarunt. Nam tituli *Dacici*, *Parthici*, & *Optimi Cæſaris*, qui in antica parte numiſmatum leguntur, Harduini in Epocha Laodicenſium inchoanda, prochroniſmum manifeſtant. Etenim conſtat Traianum primis imperij annis neque *Dacici*, neque *Parthici* titulos tuliſſe. Quòd verò intelligo viros eruditos diſputare de tempore, quo ea de victis hoſtibus cognomina idem Imperator obtinuerit, operæ precium me facturum arbitror, ſi ex nummis Mediceis hocce dubium reſoluam; cum inde initium non modò Epochæ Laodicenſium, verùm etiam Chalcidenſium & Aradiorum, de quibus poſtea diſſeram, mirificè illuſtretur. Et licèt meam ea de re opinionem à pag. 64. Epiſtolæ Conſularis expoſuerim; quòd tamen aliqua mihi partim addenda, partim etiam clarius explicanda videantur, eadem hic iterùm retractabo, ac certiſſimis nummorum teſtimonijs firmabo. Spartianus de Hadriano cap. 3. ait: *Quæſturam geſſit Traiano IV. & Articuleio Coſſ. &c. Poſt*

quaesturam acta Senatus curauit, atque ad bellum Dacicum Traianum familiariùs prosequutus est. Illud Consulum collegium in Fastis est index à parilibus anni Vrbis Romae 854. ac quarti imperij Traiani, quo anno nondum Dacis priori bello contusis, Traianus titulum *Dacici* neutiquàm ferebat. Extant in Museo Mediceo bina numismata, quorum hic icones vides.



Prior nummus est primae magnitudinis; alter verò argenteus cum antica parte inscripta: IMP. CAES. NERVA TRAIAN. AVG. GERM. In nummo maiori aereo Traianus dicitur *Tribunicia Potestatis VI. Imperator IIII. Consul IIII. Designatus V.* Traianus A. V. 850. sub initium Nouembris Tribuniciam potestatem accepit. Quare A. V. 856. vsque ad autumnum decurrebat eidem annus VI. Tribuniciae potestatis. Quòd verò nuncupatur *Imp. IIII.* patet eundem ob Dacos eodem A. V. 856. superatos, à victore exercitu *Imp. III. & IIII.* acclamatum fuisse. Extat Puteolis Inscriptio.

IMP. CAESAR. DIVI. NERVAE. F. NERVA

TRAIANVS. GERMANICVS. PONT

MAX. TRIB. POT. VI. IMP. II. COS

IIII. P. P. INCHOATAM. A. DIVO. NERVA

PATRE. SVO. RELICTIS. ANTIQVI. ITINERIS

Reliqua temporum iniuria periere. Eandem recitat Gruterus pag. 190. 4. vbi legit in postremo versu SVAM PERFICIENDAM CVRAVIT. Verùm exemplar, vt ipse recitaui, Puteolis ab amico exscriptum, Neapoli ad me transmisit P. Fridericus Nicolaus Gauar-

Gauardus celebris Augustiniani instituti Theologus, quem amicitiæ & honoris causa nomino. Aliud epigramma ferè simile videsis apud Gruterum pag. 177. 2. Ex horum lapidum Inscriptionibus constat Traianum ante annum Tribuniciæ potestatis VI. dictum fuisse IMP. II. cum nondum Dacos vicisset; quibus tamen eodem vertente anno Tribuniciæ potestatis VI. superatis, *Imperator III. & IIII.* salutatus fuit, vt ex laudato nummo alijsque intelligimus. Dio in epitome Xiphilini cum narrasset Traianum post victos priori bello Dacos, in Italiam reuersum fuisse, ac Decebali regis Dacorum legatos in Senatum admissos, iunctis manibus ac depositis armis, more seruorum, pacem supplices rogasse, ait: *Dein confirmata pace, arma recipiunt. Eoque facto, Traianus de Dacis triumphauit, & Dacicus appellatus est.* Itaque decreto Senatus *Dacici* titulum tulit. Cum verò in nummo Mediceo IMP. IIII. sine titulo *Dacici* legatur, patet eum nummum scalptum fuisse priùsquàm de victis Dacis triumphum ageret. Ex argenteo verò nummo, in quo *Dacicus Consul IV.* inscribitur, colligimus eundem Traianum antequàm iniret Consulatum V. cum iam esset COS. DES. V. ex priori nummo, de Dacis triumphum primum duxisse. Extat in ijsdem Cimelijs Mediceis pulcherrimus nummus Traiani primæ magnitudinis, in quo idem in anteriori parte dicitur: IMP. CAESAR NERVA TRAIAN. AVG. GERM. DACICVS P. M. In posteriori verò idem currum triumphalem insidet, vt in subiecto typo, cui alterius numismatis iconem iungo.



Nummum quem integrum exhibui, mihi Bononiæ ostendit humanissimus Antiquarius Iosephus Magnauacca, estque magnitudinis mediocris ac legitimus, si quis alius. Ex eodem verò communes Fastos emendandos esse iam prænotaui pag. 66. Epistolæ Consularis, quod reapse mecum censuerunt Comes Mediobarbus in locupletissimo Auctario Occonis pag. 152. ac dein Raphael Fabrettus

cap. 9. eruditi Syntagmatis de Columna Traiani à pag. 274. In superiori nummo Mediceo Traianus dicitur *Tribunicia potestatis VI. Consul designatus V.* in hoc verò altero nummo appellatur *Tribunicia potestatis VII. Consul designatus V.* Traianus labente autumno A. V. 856. Christianæ Epochæ 103. annum VII. Tribuniciæ potestatis iniuit. Quare cum in memorato nummo dicatur Tribuniciæ potestatis VII. COS. DES. V. anno tantùm insequenti Æræ Christi 104. Consul V. in Fastis scribendus est. At Antonius Pagy scriptor nostræ ætatis celeberrimus, in clypeata quadam Præfatione contendit plus fidei præstandum esse omnibus veterum Fastis, quàm vni aut alteri nummo; idemque dubij solutionem auguratur ex tabulis Consularibus omnium planè optimis, quæ in Bibliotheca Cæsarea Vindebonensi seruantur. Cum hæc communis amici vota Antonio Magliabechio aperuissem, idem præ singulari facilitate, qua non modò literas pluteis semper affixus, verum etiam earundem cultores impensè fouet, recepit se laudatorum Fastorum exemplar procuraturum. Dictum, factum. Nam commodùm contigerat, vt Conradus Ianninghius è Societate Iesu, qui vasto Bollandi de gestis Sanctorum operi continuando, eruditam manum admouit, Viennam Austriæ se conferret, vetustos Cæsareę Bibliothecę codices lustraturus. Itaque Magliabechius eundem per literas rogauit, vt sibi memoratos Fastos exscriberet. Neque ille operam grauatus est Magliabechio, qui indefesso de re literaria benemerendi studio, suam ipsius operam vbique gentium literatis, & hos inter Danieli Papebrochio, ipsique etiam Ianninghio tam promptè commodat. Ita laudati viri cura ac industria tabulas illas Consulares mihi obtinuit, quas proximè etiam commentarijs illustratas, euulgabo. In illis autem prioribus imperij Traiani annis hæc collegia Consulum describuntur.

Anni Christi.

98		*Nerua III. & Traiano II.*	*Lun. VII.*
99		*Palma & Senecione.*	*Mar. XVIII.*
100	B	TRAIANO III. ET FRONTINO.	*Mer. XXIX.*
101		*Traiano IV. & Peto.*	*Ven. X.*
102		*Seruillo II. & Sura II.*	*Sat. XXI.*
103		*Traiano V. & Maximo II.*	*Sol. II.*
104	B	SVRANO II. ET MARCELLO.	*Lun. XIII.*

Anonymus horum Fastorum digestor ceteris similiter quintum consulatum Traiani recitat A. V. Romę 856. Æræ Christianę 103. quo Ka-

Kalendę Ianuarię inciderunt die Solis, vt ille ait, siuè Dominico, vt Christiani loquimur, Cyclo Solis XXVIII. lit. A. anno proximè sequenti Bissextili, quem vti quosque ceteros intercalares, Consulibus maiori Romana litera descriptis, ac ponè eosdem litera B idem Auctor designat. Porrò numeri qui diebus Kalendarum Ianuarij apponuntur, indicant ætatem Lunæ singulis quibusque ineuntium annorum Kalendis, iuxta methodum Cycli annorum LXXXIV. vt aliàs demonstrabo. Quòd verò Lunationes post annos octoginta quatuor, vno die, horis 6. 51.′ 4.″ 2.‴ tardiùs contingunt, ætas Lunę in memoratis Fastis falsis numeris designatur. Et sanè anno Christi 103. quo Imperator Traianus Kal. Ianuarijs, die Solis, Consul V. describitur, Luna II. ibidem subnotatur. At anno 102. exeunte, ex tabulis Astronomicis Nouilunium iuxtà medium motum contigit Decembris die 26. hor. 20. 21.′ 24.″ post meridiem; ac proinde Luna V. Kalendis Ianuarijs annum Christi 103. aperuit, quæ tamen *secunda* in illis Fastis obtruditur. Ita verò laudati Anonymi Fasti incipiunt: *Bruto & Collatino Lun.* XXIIX. qui fuit annus XXXVI. Ogdoecontatessaraeteridos, id est, Cycli annorum LXXXIV, ijdemque Fasti per annos 862. digesti, desinunt Consulibus *Constantio VII. & Constantio III. Sat. XXI.* qui fuit annus ab vrbe Roma condita 1107. Christi 354. ac LVII. memorati Cycli; quo sanè anno Kalendę Ianuariæ fuerunt die Saturni, Cyclo Solis XXVII. lit. B. Cum verò Nouilunium proximè iuxtà vrbis Romæ meridianum, contigisset Decembris die 12. hor. 5. 39.′ 5.″ ante meridiem, Luna XXI. cœpit ipsis Kalendis Ianuarijs anni Christi 354. vti rectè ibidem indicatur. In vniuerso illo opere nouem integri Cycli octoginta quatuor annorum hisce Consulibus initi, disponuntur.

Anni Vrbis Romæ.

295	*Publicola II. & Irreligense.*	*Sat. I.*
379	*Lanato III. & Prætextato.*	*Sat. I.*
463	*Megello III. & Bruto.*	*Sat. I.*
547	*Nerone & Salinatore.*	*Sat. I.*
631	*Metello & Appellato.*	*Sat. I.*
715	*Censorino & Sabino.*	*Sat. I.*
799	*Asiatico II. & Silano.*	*Sat. I.*
883	*Catulino & Apro.*	*Sat. I.*
967	*Messala & Sabino.*	*Sat. I.*
1051	*Fausto II. & Sabino.*	*Sat. I.*

Itaque Auctor eius indicis Consularis annos Solares in forma Iuliana proleptica ad primos vsque Consules sibi fingens, cum videret post tres Cyclos Solares, qui dant annos LXXXIV. easdem ferias in orbem recurrere, easdem etiam Lunationes redire putauit. Hinc anno primo cuiusque Ogdocontatessarateridos adposuit diem Saturni ac Neomeniam, in quorum altero errauit; siquidem vti notabam, Nouilunia post annos 84. in inferiora descendunt vno die, horis sex, ac minutis 51. Hoc parergon libuit inserere, vt hanc quantulamcumque gratiam rependerem tum doctissimo meique amicissimo Antonio Pagy, qui sæpius laudatorum Fastorum descriptionem mihi inculcauit: tum etiam doctissimo Magliabechio nostro, qui tot in me plena manu collata beneficia, nouo eo munere è Bibliotheca Cæsarea impetrato, cumulauit. Ceterùm quamuis Anonymus quintum Traiani consulatum anno Æræ Christi 103. suis in tabulis recitet, neutiquàm fidem detrahit nummis, qui eundem consulatum in proximum annum protrahunt. Nam & Victorius Aquitanus in suo canone Paschali annos singulos chronologicis notis Consulum, feriarum ac ætatis Lunę Kalendis Ianuarijs, & die insuper Paschali designat, qui tamen cum deprauatos Prosperi Fastos secutus fuerit, collegia Consulum alienis annis per tria sæcula adscribit. Hinc suspicari possumus etiam Anonymum Consulum catalogum adhibuisse, in quo Traianus Consul V. collega Maximo II. anno Christi 103. recensebatur; cum tamen ex nummis anno proximo bissextili 104. ille consulatus recitandus colligatur. Idem verò Anonymus A. V. Capitolino 460. siuè Varroniano 461. ante Christum 293. scribit: B. MEGELLO II. ET REGVLO. *Mer* X. & statim: *Gurgis & Scæuola. Ven.* XX. Vbi omittit consulatum L. Papirij Cursoris & Sp. Caruilij Maximi, quem præter Scriptores disertè produnt tabulæ Capitolinæ tum Consulares tum etiam Triumphales eodem anno Vrbis Capitolino CDLX. qui fuit in methodo Iuliana proleptica bissextilis, Cyclo Solis XXV. Lunę XIII. litt. E D. Hinc fit, vt ascendendo per annos superiores ad primos vsque Consules, quamuis feriarum in Kalendis Ianuarijs, ac annorum bissextilium ordo in eisdem Anonymi Fastis optimè seruetur, collegia tamen Consulum vnius anni metachronismo præcipitentur. Sed hæc postea alio volumine, si vita viresque suppetant, fusiùs edisseram.

Redeo iam ad alios Traiani titulos, qui in vtroque nummo apud Laodiceam percusso, leguntur. Et quidem in Mediceo numismate dicitur TRAIANOC APICT. KAI. CEB. *Traianus Optimus Cæsar Augustus*, qui in regio nummo insuper *Parthicus* nuncupatur.

patur. Raphael Fabrettus laudato cap. 9. à pag. 294. plurimis nummorum ac lapidum Inſcriptionibus demonſtrat Traianum anno tantùm Tribuniciæ Poteſtatis XVIII. V. C. 868. Chriſti 115. in nummis cognomen *Optimi* ante titulos *Germanici* ac *Dacici* tuliſſe. Plinius in panegyrico quem Conſul deſignatus A. V. 853. recitauit: *Iuſtiſne*, inquit, *de cauſis S. P. Q. R.* Optimi *tibi cognomen adiecit?* vbi pluribus eiuſdem cognominis Traiano delati dignitatem deſcribit. In Traiani etiam nummis ante ſextum eiuſdem conſulatum retrorsùs legimus: S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI. Verùm illud cognomen in anteriori nummorum parte ante titulos *Auguſti*, *Germanici*, *Dacici* in nummorum ac lapidum Inſcriptionibus ante eiuſdem Tribuniciam Poteſtatem XVIII. neutiquam reperitur. Vnum hoc tantum epigrámma laudabo, quod in Columna Traiani publico decreto ſcalptum, etiamnum Romæ viſitur.

SENATVS. POPVLVSQVE. ROMANVS

IMP. CAESARI. DIVI. NERVAE. F. NERVAE

TRAIANO. AVG. GERM. DACICO. PONTIF

MAXIMO. TRIB. POT. XVII. COS. VI. P. P

AD. DECLARANDVM. QVANTAE ALTITVDINIS

MONS. ET. LOCVS. TANTIS. OPERIBVS. SIT. EGESTVS

Anno Vrbis 867. Traianus vſque ad exitum Octobris, annum egit Tribuniciæ poteſtatis XVII. quo nondum Romæ inſcribebatur OPTIMVS AVGVSTVS. Plures alias Inſcriptiones congerit laudatus antea Fabrettus. Latini nummi, quòd poſt TR. POT. VII. nulli ferè ſequentes eiuſdem poteſtatis annos præferunt, Græcis ſupplendi ſunt. In Muſeo Mediceo hic nummus argenteus maioris moduli ſeruatur.

Inſcri-



Inſcriptio anterior Latinè datur : *Imperator Cæſar Nerua Traianus Auguſtus , Germanicus , Dacicus* ; Poſterior verò : *Tribunitiæ poteſtatis XVII. Conſul VI.* Aquila & claua vrbis Tyri symbola, vt Differt. IV. cap. 3. oſtendam , nummum ibidem ſcalptum deſignant . Rurſùs in eadem gaza Medicea viſitur nummus æreus primæ magnitudinis inſcriptus : ΑΥΤΟ . ΤΡΑΙΑΝ . ΣΕΒ . ΓΕΡΜ . ΔΑΚ . *Imperator Traianus Auguſtus , Germanicus , Dacicus* , & retrorsùs : L. IZ. *Anno* XVII. cum curru à duobus ſerpentibus alatis , tortuoſis, barbatis , ac coronatis tracto, cum caniſtris spicis plenis in eodem curru . In neutro autem numiſmate anno XVII. imperij Traiani percuſſo , idem ΑΡΙΣΤΟΣ ΣΕΒ. *Optimus Auguſtus* inſcribitur. Et ſanè Dio , cum narraſſet captam à Traiano Armeniam, ait: *Tum ei multa à Senatu decreta ſunt , & Optimum ſiuè ἄριστον cognominarunt* ; & ſtatim memorat terræ motum Antiochenum , qui contigit A. V. 868. In quinque lapidum Inſcriptionibus apud laudatum Fabrettum pag. 293. cum TRIB. POT. XVIII. legitur Traianus OPTIMVS AVG. GERM. &c. Quòd verò V. C. ſcribit numiſmatum defectum tot lapidum inſcriptorum numero compenſari , nummum , eiuſdem Amici noſtri gratia , è Mediceo theſauro profero , in quo cognomen *Optimi* in antica parte legitur, addito retrorsùs anno imperij Traiani XVIII.




Eſt

Eſt numiſma argenteum maioris moduli ab iiſdem Tyrijs ſcalptum, cuius antica epigraphe Latinè redditur : *Imperator Cæſar Nerua Traianus , Optimus Auguſtus , Germanicus , Dacicus* ; poſtica verò : *Tribunicia Poteſtatis XVIII. Conſul VI.* Quòd verò in epigrammate , quod recitant Alexander Donatus lib. 3. de vrbe Roma cap. 13. Reineſius Claſſ. I. num. CV. ac Fabrettus pag. 293. Traianus *Optimus Auguſtus , Germanicus , Dacicus* , appellatur , eaque Inſcriptio ſignatur dicata Idibus Ianuarijs, Meſſalla & Pedone Coſſ. ſatis probabiliter conijcere poſſumus anno Iuliano ſuperiori , Æræ Chriſti 114. V. C. 867. inter ſolemnia Natalis genuini Traiani , XIV. Kal. Octobris , à Senatu decretum fuiſſe , vt cognomen *Optimi* ante titulum Auguſti eidem Principi deferretur. Ceterùm Traianum A. V. 868. Chriſti 115. L. Vipſtano Meſſalla , M. Vergiliano Pedone Coſſ. vt hoc collegium pag. 75. Epiſtolæ Conſularis reſtitui , titulum *Parthici* iam tuliſſe ex inſigni Laodicenſium nummo demonſtro . Et quidem Dio cum deſcripſiſſet terræ motum qui magnam Antiochiæ partem deiecit , ac ipſum penè Traianum ibidem hiemantem , oppreſſit , eos inter qui eliſi interiere , *Pedonem Conſulem* memorat . Tum ſubdit : *Ineunte vere Traianus in hoſtilem terram ingreditur* ; ac cum narraſſet Traianum Tigre ſuperato , Adiabene , alijſque regionibus in poteſtatem redactis , Babylonem occupaſſe , ac exercitum ab Euphrate iterùm ad Tigrim deduxiſſe , ait : *Cteſiphontem ingreditur . Qua vrbe capta , Imperator appellatus eſt , confirmato Parthici cognomine* . Nam ante ſcripſerat Traianum Parthorum præſidijs Niſibi ac Batnis in Meſopotamia pulſis , *Parthicum* a legionibus appellatum fuiſſe . Id verò contigerat A. V. 867. Chriſti 114. ante memoratum terræ motum . Traianus delatum ſibi *Parthici* cognomen tum primum admiſit , cum Cteſiphontem regiam Parthorum ſedem occupauit , quod contigit laudato anno Vrbis 868. vt ex hoc nummo Laodicenſium intelligimus .



Hoc

Hocce numiſma vidi hic Florentiæ in ſcrinio Apollonij Baſſetti Sereniſſimo Magno Duci Etruriæ COSMO III. à ſecretis. Antica pars Latinè vertitur: ***Imperator Nerua Traianus, Optimus Cæſar Auguſtus, Germanicus, Dacicus, Parthicus***. Et poſterior: ***Iulienſium Laodicenſium. Anno*** CLXII. Cum horum Epocha inierit ab A. V. Romę 706. annus abhinc 162. eo in nummo ſignatus, exijt per autumnum A. V. 868. Chriſti 115. cum Traianus vſque ad initum Nouembrem, eſſet Tribunicię Poteſtatis XVIII. Hunc nummum cognomen ***Parthici*** cum anno Laodicenſium 162. copulatum, inſignit. Nam cum in alijs Laodicenſium nummis, quorum icones ſuperiùs adpoſui, Traianus anno Laodicenſium BZP, CLXII. paſſim ſine titulo ***Parthici*** obſignetur; in hoc rariori numiſmate diſertè inſcribitur ΞΑΡ. ***Parthicus*** eodem anno Laodicenſium CLXII. Vnde palam fit eundem Principem capta anno imperij XVIII. V. C. 868. Cteſiphonte, ***Parthici*** cognomen à victore exercitu ſibi iterùm, teſte Dione, delatum, tum primum admiſiſſe, ac eodem deinceps in lapidibus ac nummis decoratum fuiſſe. Se de his hactenùs. Alios hic appendo Laodicenſium nummos, eadem Epocha obſignatos.



Sunt bina numiſmata Antonini Pij, quæ ſeruantur in regia Gallorum Gaza, ac Medicea; eorumdem etiam typos accepi è ſcrinijs viri eruditiſſimi Franciſci Dron, quos etiam vidi hic Florentię apud Apollonium Baſſettum. Varias tamen in ijſdem monetariorum notas obſeruaui. Inſcriptio anterior Latinè redditur: ***Imperator Cæſar Titus Aelius Hadrianus Antoninus Auguſtus Pius***. Auerſa autem: ***Iulienſium Laodicenſium***. In nummo dextrorsùs poſito, ſignatur Epocha ΖΠΡ. ***Anno*** CLXXXVII. qui inijt ab autumno A. V. Romę 892. ac ſecundo imperij Antonini Pij, eodem Auguſto Pio II. & C. Bruttio Praſente II. Coſſ. In altero verò ſiniſtrorsùs delineato, legitur Epocha ΗΠΡ, id eſt, ***anno*** CLXXXVIII. qui cœpit per autumnum A. V. Romę 893. Antonini Pij imperantis tertio,

quo

quo idemmet Pius Augustus III. ac M. Aurelius Cæsar in Fastis Consules signantur. In hoc nummo apud regiam Gazam nota Monetarij visitur ΚΟ; in Mediceo verò ΦΟ, ac in alio nuper ad Serenissimum Magnum Etruriç Ducem Aleppo ex Syria delato, cum eadem Epocha Laodicensium ΗΠΡ, sub mento mulieris apparent literæ ΜΟ. Hunc pariter nummum possident Cimelia Ducis Cenomanensis, cum altero haud ita vulgari eiusdem Antonini Pij inscripto: ΙΟΥΛΙΕΩΝ ΤΩΝ ΚΑΙ ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. ΕΠΡ. *Iulienfium Laodicensium*. *Anno* CLXXXV. qui cœpit ab Autumno A.V. Romę 890. Præterea in locupletissima veterum numismatum Gaza ex Hispania ad Serenissimum Magnum Etruriç Ducem COSMVM III. transmissa, huncce nummum obseruaui.



Anticę partis epigraphe Latinè redditur: *Imperatorem Cæsarem Titum Aelium Hadrianum Antoninum Augustum Pium*: Et posticæ: *Iuliensium Laodicensium. Anno centesimo nonagesimo*; qui cœpit ab autumno A. V. Romæ 895. eodemque quinto imperij Antonini Pij. Huic geminum nummum seruat Gaza Regis Christianissimi; hac tantùm inter vtrumque diuersitate, quòd in Mediceo sub mento turriti capitis muliebris signatur ΜΟΤΚ; in regio autem ΚΡΑ, quę diuersę sunt Monetariorum notæ in nummis eodem anno apud Laodiceam scalptis. Similes etiam nummos cum vtraque nota monetariorum possidet laudatus D. Franciscus Dron. Notanda verò est nota numeralis, qua numerus XC. in nummo exprimitur. Nam regnantibus Seleucidis, vti minor Latinorum litera q, idem numerus formabatur, ex pluribus eorumdem regum nummis apud V. C. Vaillantium; quod etiam superiùs ostensum est in nummis Petronij ac Cassij præsidum Syriæ apud Antiochiam percussis. At postea idem numerus XC. vti hæc Græca litera ϙ, vel inuerso modo, in nummis scalptus est, vt in nummis Neapolis, Gazæ, & Ascalonis suo inferiùs loco mihi demonstrabitur. Ex tribus hisce Antonini Pij nummis iterùm confutatur opinio Harduini, qui Epocham Lao-

dicensium ab A. V. Romę Capitolino 690. auspicabatur. Nam anni 187. 188. & 190. in illis Antonini Pij nummis obsignati, iuxtà illius sententiam ab A. V. 690. deducti, concurrerent cum annis Vrbis 877. & sequentibus Hadriano imperante. At V.C. pag. 285. appellat è regia Gaza nummum Domitiani retrorsùs inscriptum: ΙΟΥΛΙΕΩΝ ΤΩΝ ΚΑΙ ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. ΒΝΡ. nempè *Iuliensium qui & Laodicenses. Anno* CLII. Ex hoc nummo putat Æram laudatam ab A. V. 690. deducendam esse; siquidem annus exinde 152. cum A. V. Romæ 841. ac nono imperij Domitiani componitur. Extat hic quoque nummus in Cimeliarchio Mediceo, sed Epocha ac pars epigraphes ibidem detrita est; quam pariter Epocham clarè non perspici in nummo regio memorato eximiæ vir eruditionis Andreas Morellius testatur. Vidi in scrinio Apollonij Bassetti hunc eundem Domitiani nummum, in cuius postica clarè apparente, nulla epocha scalpta fuit. Verùm amicus noster Ioannes Vaillantius in alio nummo Domitiani legit ΒΛΡ, *Anno* CXXXII. atque hasce alterius nummi descriptiones mihi indicauit: ΔΟΜΙΤΙΑΝΩ ΣΕΒΑΣΤΩ ΓΕΡΜΑΝΙΚΩ, *Domitiano Augusto Germanico*; & retrorsùs: ΙΟΥΛΙΕΩΝ ΤΩΝ ΚΑΙ ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. ΒΛΡ. *Iuliensium Laodicensium. Anno* CXXXII. qui cœpit A. V. Romæ 837. ac cum quarto imperij Domitiani concurrit. Sed tot nummi Traiani ac Antonini Pij mihi obseruati, ac expositi, caput Æræ Laodicensium extra dubium affigunt A. V. Romæ 706. C. Iulio Cæsare II. P. Seruilio Isaurico Coss. Eiusdem Laodiceæ coloniæ postea iure donatæ, numismata proferet idem Vaillantius, cuius probatæ diligentiæ integram hanc messem relinquo.

§. III.

EPOCHA VRBIS GABALORVM.

Gabala vrbs propè Laodiceam maritimam in Syria. Quidam Gabalensium Episcopi. Altera Gabala in Lydia ex Notitijs Ecclesiarum. Tertia in Phœnice. Insignis Gabalensium Nummus è Gaza Medicea exhibetur. Ex altero Regio Epochæ Gabalorum initium figitur in anno Vrbis Romæ 707. *Gabalenses autonomiam à Iulio Dictatore impetrarunt.*

Laodicea ad proximam eidem vrbem Gabala stylum deflecto. In Itinerario Antonini à Laodicea Gabala M. P. XII. in Hierosoly-

ſolymitano XIV. numerantur. Guillelmus Tyri Antiſtes lib. 7. de ſacra expedit. cap. 17. ait : *Oram legentes maritimam, ad vrbem Gabalenſem, quam vulgari appellatione* Gibelum *dicunt, quæ à prædicta Laodicea duodecim diſtat milliariis, peruenerunt*. Hæc vrbs feminino, vel neutro etiam plurali genere, vt pleræque aliæ in Syria vrbes, effertur. Socrati lib. 6. Hiſt. Eccleſ. cap. 11. nominatur Seuerianus Epiſcopus Γαβάλων πόλις ἡ αὐτὴ τῆς Συρίας, *Gabalorum quæ eſt vrbs Syriæ*, qui iniquam contra S. Ioannem Chryſoſtomum conſpirationem conflauit. Theodoreto in vitis Patrum laudatur Thalelæus in tumulo viginti ſtadijs procul à Gabalis, *ea eſt autem*, inquit, *vrbs parua & elegans*, monaſticam vitam degens. In Act. I. Synodi Calchedonenſis legitur Petrus Epiſcopus Γαβάλων, *Gabalorum*; ex quo textu alij inferiùs corrigendi ſunt, vbi Γαββάλων perperàm ſcribitur. In Act. I. Synodi C- P. ſub Menna Patriarcha anno Chriſti 536. in ſubſcriptionibus legitur Ioannes Epiſcopus Γαβάλων ὑπέγραψα Συριακῆ : *Gabalorum Syriacè ſubſcripſi*. Imaginis miraculis celebratæ apud Gabala Syriæ, mentio fit Act. 4. Synodi VII. & Act. V. recitantur ſcripta Ioannis Epiſcopi Γαβάλων *Gabalorum* contra Seuerum Acephalum. Eiuſdem vrbis meminere Strabo lib. 16. Plinius lib. 5. cap. 20. qui in Syria eandem recenſent. Aliam eiuſdem nominis in Lydia vrbem V. C. Harduinus pag. 172. laudat ex Notitijs Eccleſiaſticis. Sed ante aliquot ſæcula quam Notitiæ illæ Eccleſiarum ſcriberentur, in Synodo latrocinali Epheſina Polycarpus Epiſcopus Gabalorum nominatur, qui interfuit magnæ Synodo Calchedonenſi, vbi Act. 2. dicitur Antiſtes *Gabalorum Lydiæ*. Et Act. 3. legitur: *Polycarpus Epiſcopus Gabalenæ ciuitatis prouinciæ Lydiæ dixit, &c.* Denique idem ſubſcripſit Synodicam prouinciæ Lydiæ ad Leonem Auguſtum, quæ habetur in 3. par. Synodi Calchedonenſis cap. 42. In Concilio Oecumenico VII. inter Lydiæ Epiſcopos recitatur Ioannes Ταβάλων, vbi Γαβάλων *Gabalorum* legendum eſt. Verùm tertiam Gabalam Ptolemæus recenſet in Phœnice mediterranea, qui & in Caſſiotide alteram collocat. Illa autem in mediterraneis Phœnices erat planè diuerſa à Gabalis in maiori Syria, quia hæc erat maritimum oppidum. Stephanus vtraque Gabala in vnam vrbem confundit. Ioſephus lib. 13. cap. 23. inter vrbes à Iudæis regno Seleucidarum ereptas nominat *Scythopolim, Gadara, Gaulanitidem, Seleuciam, Gabala*. At conſtat nunquam Iudæos cepiſſe Gabala Laodiceæ proxima, cum Ptolemaidenſium agro aucti ipſorum ſub Alexandro Iannæo regni fines clauderentur, nempè M P. CCLVI. infra Gabala Syriæ. Ego tamen cenſeo apud Ioſephum non *Gabala*, ſed *Gamala* legendum eſſe.

Nam cum ibi paucos ante verſus narraſſet regem Iudæorum Alexandrum regi Syriæ Demetrio abſtuliſſe vrbes Gaulanem, Seleuciam, & Gamala; ſtatim recenſens vrbes à Iudæis occupatas, ac ſub Alexandri mortem poſſeſſas, nominat Gaulanitidem, Seleuciam, Gabala. At *Gamala*, quæ proximè appellauerat, reponenda ſunt. Cur enim Gamala vrbem ſitu munitiſſimam, quam Alexander eodem bello cum Gaulanitide ac Seleucia cepit, & in cuius obſidione poſtea Titus Cæſar vulnus accepit, omiſiſſet? Idem tamen Ioſephus lib. 15. cap. 11. ſcribit Herodem condidiſſe in Galilæa Gabalam, in Peræa Eſthmonitim. In lib. 3. belli cap. 2. Gabaa appellatur. Sed de his alij viderint.


Extant in Cimelijs nummi in poſtica inſcripti ΓΑΒΑΛΕΩΝ, quos Antiquarij paſſim recenſent. Nuper ex Syria aliquot numiſmata ad Sereniſſimum Magnum Etruriæ Ducem COSMVM III. delata ſunt, quæ inter vnum apud Gabala percuſſum, cuius iconem hic appendo.



Eſt nummus planè rarus Antonini Caracallæ eiuſque vxoris Plautillæ, in cuius antica præter morem, nomen vrbis Gabalorum nomini Imperatoris ſupponitur. Epigraphe Latinè redditur: *Antoninus Pius. Gabalenſium*. In poſtica viſitur caput Plautillæ cum inſcriptione initio ac in fine detritis quibuſdam literis: *Auguſtam Flouiam Plautillam*. In nomine ſiuè familia Plautillæ ſcalpenda, monetario erratum eſt, binis literis omiſſis, neque enim ΦΛΟΥΙΑ *Flouia*, ſed ΦΟΥΛΟΥΙΑ *Fuluia* dicta eſt Plautilla, vt ex regio nummo alijſque inferiùs Differt. 5. cap. 3. mihi demonſtratur. Itaque eo in nummo ΦΟΥΛΟΥΙΑΝ ſcalpendum fuerat. In regia Galliarum Gaza in nummo Hermionenſium cum figura ſuccincta taurum capiſtro ducente, in antica legitur: ΦΟΥΑΒΙΑ ΠΛΑΥΤΙΛΛΑ CEB. *Fulbia Plautilla Auguſta*, litera Β pro ΟΥ poſita, quod ita illi pronuntiabant. Num pariter ex Syriaca pronuntiatione ΦΛΟΥΙΑΝ obſignatum in nummo fuerit, alij iudicent. Equidem vix puto quid-

piam

piam certi de veterum pronuntiatione statui posse. Vir Cl. Harduinus pag. 172. Gabalensium Epocham colligit ex nummo, qui priori epigrapha penitùs detrita, à Patino & in indice regiæ Gazæ M. Aurelio adscribitur, retrorsùs inscriptus: ΓΑΒΑΛΕΩΝ ΓΑC. *Gabalensium. Anno* CCXXXIII. quam ille Epocham ait esse Pompeianam, initam A. V. Capitolino 690. quæ mihi quoque opinio adhærebat. At cum nummum esse Commodi evincit alter nummus eiusdem Cæsaris ex Museo Droniano à V. Cl. Morellio delineatus, cui alium Diadumeniani a Vaillantio acceptum, adijcio.



In nummo, cuius posticam tantùm cum Iunone pronuba ac busto Palladis delineaui, anterior epigraphe legitur: Μ. ΟΠ. ΑΝΤ. ΔΙΑΔΟΥΜΕΝ. ΚΑΙC. *Marcus Opelius Antoninus Diadumenianus Cæsar*; retrorsùs verò: ΓΑΒΑΛΕΩΝ. ΓΞC. *Gabalensium. Anno* CCLXIII. Est Epocha Iuliana inita A. V. Romæ 707. quo Cæsar ex Ægypto per Syriam contra Pharnacem profectus, Gabalenses autonomia alijsque priuilegijs ornauit. Inde enim fit, vt annus Gabalensium 263. exierit sub autumnum A. V. Romę 970. quo, die 6. Aprilis Antonino Caracalla occiso, Macrinus Augustus cum filio Diadumeniano Cęsare Romanum imperium usurpavit. Alter nummus integrè delineatus, anteriorem epigraphen præfert: ΑΥΤ. ΚΑΙ. Μ. ΑΥΡ... ΚΟΜΟΔΟΝ: *Imperatorem Cæsarem M. Aurelium Comodum*; ac retrorsùs: ΓΑΒΑΛΕΩΝ. ΓΑC, *Gabalensium. Anno* CCXXXIII. qui desijt sub autumnum A. V. Romæ 940. qui erat octavus imperij Commodi ab obitu patris M. Aurelij. Dea à capite ad plantas velata, videtur Iuno pronuba; sed bini Leones eandem potiùs Cybelem repræsentant, cui Iuno pronuba grandius velum commodavit. Eques Patinus typum nummi Traiani mihi misit cum aversa epigrapha: ΓΑΒΑΛΕΩΝ. ΒΝΡ. *Gabalensium. Anno* CLII. cum Cybele sedente inter binos Leones, sinistra sceptrum oblongum, dextera spicas tenente. Qui quidem annus 152. cœpit ab autumno A. V. Romæ 858. ac octavo principatus Traiani.

CA-



CAPVT IX.

De Epochis Vrbium Syriæ Cœles.

HActenùs Epochas explicui, quæ in nummis vrbium Syriæ maioris obsignantur. Hinc gradum faciam ad eas quoque exponendas, quæ in nummis vrbium Syriæ Cœles occurrunt. Hæc autem altera pars Syriæ cum diversis apud veteres terminis definiatur, hoc in opere Ptolemæum insignem Geographum sequar, qui libro V. oppida Syriæ Cœles diligenter enumerat.

§. I.

DE EPOCHA VRBIS GADARORVM.

Decapolis regio Cœles Syriæ. Gadarorum situs ac balneæ. Eadem vrbs Iudæis à Pompeio Magno erepta, libertate donatur. Demetrius Gadarensis ditissimus eiusdem Pompeij libertus. Epocha Gadarensium cœpit A. V. Romæ 690. Varroniano. Plures Gadarensium nummi Aera eorundem obsignati, producuntur. Hercules in nummis Gadarorum laureato capite, passim scalptus. Litera Latinorum maior S apud Græcos in vetustis lapidum ac nummorum Inscriptionibus numerum VI. designat. De anno quo primùm Pompeius in Syriam cum exercitu venit. Num Gadarenses annum à vere vel ab autumno inierint. Nulla vrbs Gadara fuit in Asia proconsulari. Veteris Notitiæ Ecclesiarum Asiæ textus emendatur.

SYria Cœle iuxtà Ptolemæum longiori terrarum tractu Phœnicem à tergo claudens, ad Arabiam vsque extendebatur. Decapolis Plinio lib. 5. cap. 18. descripta, intra eandem erat, cui à decem vrbibus nomen datum, quas inter eidem Plinio recensentur *Gadara Hieromiace præfluente*. S. Hieronymus in Topicis ait: *Est autem regio decem vrbium trans Iordanem circa Hippum, & Pellam, & Gadaram.* Ibidem verò describitur *Gadara vrbs trans Iordanem contra Scythopolim & Tiberiadem ad Orientalem plagam, sita in monte, ad*

cuius

cuius radices aquæ calidæ erumpunt, balneis desuper ædificatis. Eunapius in Iamblicho, scribit philosophum perrexisse *Gadara, qui locus est thermarum in Syria secundas à Baiis in Romano imperio obtinens &c.* Epiphanius ad Hæresim XXX. quæ est Ebionitarum, ait: *Proficiscuntur itaque Gadara ad aquas calidas, quo loco singulis annis conuentus celebrantur*; vbi & insigne in ipsis balneis miraculum patratum recitat. Polybius lib. 5. cum narrasset Antiochum bello pro obtinenda Cœle Syria, contra Ptolemæum Philopatorem suscepto, Abilam, Pellam, aliaque oppida cepisse, addit: *Restabant adhuc Gadara, locus opinione hominum præ cæteris omnibus eius tractus eximiè munitus*. Quam tamen vrbem deditione occupauit. Verùm Seleucidarum postea regno mutuis regum fratrum discordijs conuulso, Alexander Iudæorum rex, vti narrat Iosephus lib. 13. cap. 21. *expeditionem suscepit in Cœlem Syriam, vbi Gadara post decem mensium obsidionem cepit*. Scythopolim quoque, Seleuciam, Pellam, aliaque Cœles Syriæ oppida eodem bello subegit. Idem Iosephus cap. 20. de Pella à Iudæis capta scribit: *Hanc vltimam diruerunt, quòd incolæ recusarent ritus Iudaicos recipere*. Itaque quidam Gadarensium ne patrios lares desererent, coacti fuerunt ab auita religione discedere; alijs longè pluribus Deorum cultoribus in exilium abeuntibus, vt Gadara ferè deserta, speciem vrbis amitterent. Verùm cum paucos post annos Pompeius victrices Aquilas Syriæ intulisset, eamque Romanis prouincijs contribuisset, Gadara pristinos ciues receperunt, opera Demetrij Gadarensis liberti, qui patroni sui Pompeij gratiam supra ceteros occupauerat, vti scribit Plutarchus in Pompeio, & in Catone Vticensi. Seneca vnus audiatur cap. 8. de animi tranquillitate: *Feliciorem*, inquit, *tu Demetrium Pompeianum vocas, quem non puduit locupletiorem esse Pompeio? Numerus illi quotidie seruorum velut Imperatori referebatur; cui iamdudùm diuitiæ esse debuerant duo vicarii, & cella laxior*. Iosephus lib. 14. cap. 8. gesta Pompeio in Syria describens, ait: *Gadara deinde paulò ante diruta, instaurauit in gratiam liberti sui Gadarensis Demetrii*. Idem scriptor lib. 5. cap. 3. vocat Gadara *transamnanæ regionis Metropolim munitissimam*. Hinc Gadarenses, quò Pompeio, qui vrbem ipsorum à Iudæorum seruitute liberauerat, grati animi obsequium præstarent, semet *Pompeianos* nuncuparunt, vt ex nummis Gadarensium intelligimus. Extat in Musæo Regis Christianissimi nummus Gordiani tertij inscriptus: ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΝΤΩΙΝΟϹ ΓΟΡΔΙΑΝΟϹ, cum capite eiusdem laureato, *Imperator Cæsar Marcus Antonius Gordianus*. Et in altera parte epigraphe: ΠΟΜΠ. ΓΑΔΑΡΕΩΝ. ΓΤ. Priorem vocem reddo integram: Πομπηϊανῶν *Pompeianorum Gadarensium*,

Anno

Anno CCCIII. Ibi visitur triremis cum remigibus, vt in altero Gadarensium nummo Elagabali, cuius typum ad me transmisit vir comitate ac veterum numismatum peritia laudandus Ioseph Magnauacca Bononiensis. In antica parte caput visitur Elagabali cum corona radiata, ac epigraphe ..ΑΝΤΩΝΙΝΟϹ, *Antoninus*. In auersa parte supra triremem cum remigibus, vt in regio nummo, legitur: ΠΟΜΠ. ΓΑΔΑΡΕΩΝ. ΑΠϹ. ita tamen vt superiores partes prioris vocis ΠΟΜΠ, obtusæ sint. Est itaque epigraphe: *Pompeianorum Gadarensium. Anno CCLXXXI.* Triteme aut communi symbolo Gadarorum Felicitas: aut speciali, maritimæ Pompeij Gadarorum restauratoris contra piratas victoriæ designantur, vti V.C. Harduinus prænotauit, qui pag. 175. tradit anno Gadarensiũ CCLXXXI. signari primum Elagabali, Vrbis Romæ 970. vel vt alij numerant 971. cum Pompeius autonomiam Gadarensibus concesserit A. V. Capitolino 690. siuè Varroniano 691. M. Tullio Cicerone Consule, vt idem supputat pag. 176. Verùm hæc chronologia nummis eiusdem Vrbis non congruit. Nam laudatus Magnauacca non quidem typum delineatum, sed, vti est officiosissimus, ipsummet numisma ad me transmisit, cuius hic imaginem appendo.



In antica à Latinis legitur *Nero*; & in posteriori: *Gadarensium. Anno* CXXXI. Hanc alterius nummi exscriptam epigraphen accepi b eruditissimo Nicolao Toinardo: ΝΕΡΩΝ ΚΑΙϹΑΡ. *Nero Cæsar.* Et retrorsùs: ΓΑΔΑΡΑ. L. ΑΛΡ. *Gadara. Anno* CXXXI. cum muliere turrita, dextera coronam, sinistra copiæ cornu gestante. Iam demonstratum est Syros annum ab autumno auspicatos fuisse, quod tum veterum Scriptorum testimonijs, tum etiam nummo Hadriani à Tripolitis scalpto, euicimus. Quare si Epocha Gadarensium colligeretur ab A. V. 691. quo Cicero consulatum gessit, annus eiusdem CXXXI. cœpisset ab autumno A. V. 821. Nerone ante quatuor menses occiso, ac Galba imperante; cum tamen anno Gadarensium 131. decurrente, ex laudatis nummis Nero Imperator

esset

esset superstes. Hinc dicenda est Gadarorum Epocha cœpta ab autumno A. V. Capitolino 689. vel Varroniano 690. L. Iulio Cæsare C. Marcio Figulo Coss. Periodi Iulianę 4650. ante Æram Christi 64. Cyclo Solis II. Lunæ XIV. Ita annus Gadarorum in nummo signatus CXXXI. cœpit ab autumno A. V. 820. ac die 21. Aprilis inito A. V. 821. die 10. Iunij Nero semet interfecit, labente adhuc anno Gadarensis Epochæ 131. Extant in regia Gaza alij nummi Gadaris percussi, quos produco. In priori legitur: ΑΥΤ. ΚΑΙ. Μ. ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝΕΙΝ.. cum laureato eiusdem capite: *Imperator Cæsar Marcus Aurelius Antoninus*; & in alia parte: ΓΑΔΑΡΕΩΝ. ΔΚΣ. *Gadarensium. Anno CCXXIV.* Hic annus cœpit ab autumno A. V. 913. cum adhuc Imperator Antoninus Pius esset superstes; quo tamen mense Martio sequenti, vita defuncto, M. Aurelius cum L. Vero collega imperium iniuit, anno Christi 161. eodem M. Aurelio III. & L. Vero Augustis Coss. durante adhuc vsque ad autumnum anno Gadarensium 224. Alter nummus in eadem regia Gaza est Commodi, in cuius anteriori parte cum laureato eiusdem capite legitur ΑΥΡ. *Aurelius*, ceteris literis epigraphes detritis. Eadem tamen Inscriptio è gemino numismate Musei S. Genouefæ integra exhibetur ab Harduino pag. 572. ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΥΡ. ΑΝΤ. ΚΟΜΟΔΟΣ: *Imp. Cæsar M. Aurelius Antoninus Comodus*; sine duplici *m*. In postica vtriusque nummi legitur cum capite Herculis laureato: ΓΑΔΑΡΕΩΝ. ΓΜΣ. *Gadarensium. Anno* CCXLIII. qui exijt per autumnum A. V. Romæ 933. qui fuit primus imperij Commodi ab obitu patris, cum prænomen *Lucii* in *Marcum* commutasset. Holstenius pag. 77. not. in Stephanum binos Gadarensium nummos laudat, primum M. Antonini in Cimelijs Mediceis; alterum Commodi Romæ in Museo Puteano, cum eadem vtriusque Inscriptione: ΓΑΔΑΡΕΩΝ. ΣΚΣ. Rectè quidem hæc posticæ partis Inscriptio ab Holstenio recitatur. At falsò scribit Mediceum nummum esse M. Aurelij Antonini, ac Puteanum Commodi; siquidem in vtroque Museo est nummus L. Veri. In Puteano Inscriptio antica legitur: ΑΥΤ. ΚΑΙ. Λ. ΑΥΡ. ΟΥΗΡΟΣ: *Imperator Cæsar Lucius Aurelius Verus*. Postica est eadem omninò cum hac alterius in Medicea Gaza, vbi idem nummus est pulcherrimus.



Epigraphe Latinè redditur: *Imperator Cæsar Aurelius Verus*. Et in postica: *Gadarensium*. *Anno* CCXXVI. Cœpit hic annus ab autumno A. V. 915. Harduinus in addendis pag. 571. è Museo S. Genouefæ recitans nummum Commodi proximè descriptum, putat ipsum Commodum sub imberbis Herculis effigie scalptum. Errat; tum quia nummus ille percussus fuit anno primo imperij Commodi, quo nondum insanus Imperator semet Herculem Romanum fingebat; tum quia idem caput Herculis laureatum in nummis etiam M. Aurelij, & in Mediceo L. Veri scalptum visitur. Iosephus lib. 13. cap. 13. gesta Herodis describens, ait: *Decimoseptimo demùm eius regni anno*, *Cæsar venit in Syriam*: *moxque Gadarensium plurimi cœperunt clamare in Herodem*; eorumque accusationes erant *de vi ac rapinis eius*, *violatisque ac dirutis templis*. Hæc inter erat templum Herculis, quod visitur in nummo Gadarensium apud Tristanum tom. 2. pag. 49. quamuis ille nummum Gaditanis in Hispania adscribat. Idem enim Hercules à Gadarensibus præcipuè cultus, ex eorumdem nummis intelligitur. Vt Antiocheni caput Iouis: Tyrij caput Herculis: ita Gadarenses caput eiusdem Herculis laurea redimitum in nummis scalpebant. Spanhemius sæpè mihi laudatus, Differt. 9. pag. 870. eundem nummum Gadarensium L. Veri è Museo Mediceo appellans, in eodem legit SKE, *seu veriùs*, inquit, CKE. Hanc V. C. Epocham ex indice exscripsit, in quo reapse scriptum est SKE. Sed in nummo optimè seruato scalptum est SKC. Veteres enim pro minori litera ϛ, qua a Græcis numerus VI. indicatur, frequenter posuisse maiorem Romanorum literam S, ex nummorum ac lapidum Inscriptionibus demonstratur. Extat in Museo Mediceo Titi nummus in postica inscriptus: ΕΤΟ. ΚS. ΒΑ. ΑΓΡΙΠΠΑ; *Anno XXVI. Rex Agrippa*. Huius nummi typum profert idem vir illustrissimus pag. 864. In regia Gaza seruatur nummus Antiochensium Vari præsidis Syriæ cum annis Epochæ imperij Augusti in Syria SK. *Anno* XXVI. In nummo Tyriorum Mediceo, quem Differt.

fert. IV. cap. 3. produco, legitur : SNC, *Anno* CCLVI. In Canone Paschali S. Hippolyti inter Inscriptiones Gruteri pag. 140. literæ laterales SS annum bissextilem indicant; & pag. 141. legitur : IS. KA. MAI. KY. & S. EI. ΑΠΡ. KY. nempè XVI. *Kalendas Maii*, *Dominica*, & *VI. Eidus Aprilis*, *Dominica*. In Inscriptione Athletica Romæ in atrio palatij Famesiorum numerus VI. designatur maiori litera Γ inferiùs sinuata, cuius figuram expressi pag. 88. Epistolæ Consularis ad virum doctissimum ac amicissimum Antonium Pagy.

Quæ superiùs dixi de instituta A. V. 690. L. Iulio Cæsare C. Marcio Figulo Consulibus, Gadarensium Epocha, paucis mihi illustranda sunt; quòd intelligo viros erudiros Æras quas vrbes Syriæ ab accepta à Pompeio autonomia, inuexerunt, ab anno tantùm Varroniano Vrbis 691. deducere. Equidem Harduinus tum in nummis Gadarorum, tum in alijs, in quibus Epocha Pompeiana legitur, eandem semper à Consulatu Ciceronis auspicatur; cum tamen ex nummis alijsque vetustis monumentis dissert. 5. cap. 3. ostensurus sim Epocham Gazensium ab A. V. 693. colligendam esse. In præsentia de Æra tantùm Gadarorum sermonem faciam. Cum eiectis Seleucidis, regnum Syriæ partim à Tigrane Armeniorum, partim ab Areta Arabum regibus, partimque etiam à Iudæis, occupatum fuisset, Pompeius victo Tigrane, ac in amicitiam recepto cum eo, vt Syriæ regno cederet, in eandem Syriam Romanorum primus cum legionibus descendit A. V. 690. L. Cæsare, C. Figulo Coss. Hoc ex Dione ac Iosepho facilè demonstrabo. Nam Dio lib. 37. narrat Phraatem regem Parthorum cum Pompeio per legatos de acceptis iniurijs conquestum fuisse, simulque interdixisse, ne Euphratem transiret. *Vbi*, inquit, *nihil moderati responsum est*, *verno tempore* [*Consules tum Romæ erant L. Cæsar & C. Figulus*] *contra Tigranem adhibito eius filio*, *suo genero*, *expeditionem*, Phraates *fecit*; *ibi prælio victus*, *postea hosti prævaluit*. *Cumque Tigranes Pompeium in Syria agentem acceerseret*, *denuò ad eum legatos Phraates misit &c.* Ex his patet Pompeium fuisse in Syria L. Iulio Cæsare & C. Marcio Figulo Coss. A. V. 690. Præterea Iosephus lib. 14. cap. 4. narrat Scaurum à Pompeio in Syriam missum, Damascum venisse recèns à Metello & Lollio captam. Tum cap. 5. ait: *Non multò autem post eum Pompeius Damascum venisset*; *& obiret Cœlem Syriam præstò ei fuerunt legati ex vniuersa Syria*, *& Aegypto*, *atque Iudæa*. Nullus dubito quin inter Syriæ legatos fuerint etiam legati Gadarensium, qui pro libertate impetranda, Pompeium adierint, certam eisdem spem faciente ipsorum ciue Pompeij liberto Demetrio. Itaque

Pompeius A. V. 690. fuit in Cœle Syria; etenim ibidem Iosephus post paucos statim versus hæc scribit: *ineunte vere, copiis ex hibernis reuocatis, in Damascenorum agrum profectus est*; narratque eum in Apamena regione arcem diruisse, ac per Heliopolim ac Chalcidem superato monte, in Cœlem Syriam venisse, ac à Pella vrbe Damascum iterùm reuersum fuisse, ac paulò post ad Hierosolyma ducto exercitu, vrbem expugnasse, *M. Tullio ac Antonio Coss.* nempè A. V. 691. Inter primum Pompeij aduentum in Cœlem Syriam ac Damascum, ac capta postea ab eodem Hierosolyma, habemus apud Iosephum exercitum in hibema dimissum, ac dein *ineunte vere, ex hibernis* reuocatum; ac proinde certum est Pompeium A. V. 690. L. Cæsare ac C. Figulo Coss. fuisse in Cœle Syria. Cum verò Demetrius Gadarensis supra ceteros hominum Pompeij gratia potiretur, suis conterraneis autonomiam à Pompeio obtinuit, cum primùm hic in Syriam venisset. Quamuis verò Iosephus ibidem cap. 8. narrata expugnatione Hierosolymorum, de Pompeio scribat: *Gadara deinde paulò ante diruta, instaurauit in gratiam liberti sui Demetrii Gadarensis*, addatque Gadara vnà cum alijs oppidis erepta Iudæis, donata fuisse libertate, ac Syriæ prouinciæ contributa; hoc tantùm ijsdem significat, videlicèt Pompeium publico edicto Gadara restauranda indixisse; ac postea captis Hierosolymis, Iudæos quolibet prætenso in eamdem ac ceteras vrbes iure priuasse; cum tamen anno superiori Gadarensibus autonomiam concessisset, quòd ex eorumdem nummo Neronis ostensum fuit.

His tamen quispiam reponet Gadarenses qui ab aliquot annis sub Iudæorum imperio erant, annum nouum non ab autumno cum alijs Syromacedonibus, sed à verno tempore cum Iudæis quibus parebant, inchoasse. Itaque si eorumdem Epocha ponatur inita anno nouo, qui fuit vrbis Romæ 691. annus illius CCXXXI. in laudatis Neronis nummis obsignatus, cœpisset verno tempore A. V. Romæ 821. à parilibus, Nerone ad tres ferè menses superstite. Iosephus vt superius notabam, cum lib. 13. cap. 20. scripsisset Iudæos in mediterraneis è regno Syriæ sibi subdidisse Scythopolim, Seleuciam, Gadara &c. & Pellam, ait: *Hanc vltimam diruerunt, quòd incolæ recusarent Iudaicos ritus recipere*. Quare Gadara, quæ diruta non fuerant, Iudaicam religionem ac ritus admisere; ac proinde Gadarenses annum etiam nouum à Nisan siuè Xanthico Syromacedonum Lunari vnà cum Iudæis id temporis auspicabantur. Hæc tamen facilè refelluntur. Nam licèt Iudæi annum sacrum à neomenia Nisan inchoarent; in contractibus tamen alijsque publicis actis Æra Contractuum cum ceteris Syris communi vtebantur, cuius

cuius anni ab autumno initium sumebant. Quamuis verò Gadara cum primùm ab Alexandro Iannæo rege capta sunt, diruta non fuerint, quòd ciues qui patrios lares libertati præponebant, Iudaicos ritus se admittere simularunt, alijs ciuibus auitæ religionis cultoribus in voluntarium exilium dilapsis; mortuo tamen rege Alexandro, Gadarenses à Iudæis acerbè vexatos fuisse, vrbemque ipsorum deuastatam apertè colligitur ex Iosepho superiùs laudato, qui lib. 14. cap. 8. de Pompeio scribit: *Gadara deinde paulò ante diruta in gratiam liberti sui Gadarensis Demetrii restituit*. Quam vrbem vti & ceteras à Iudæę regno auulsas, *suis habitatoribus restitutas*, à Pompeio idem Iosephus testatur. Quare Gadarenses cum auito Deorum cultu annum quoque Syromacedonum retinentes, iussu Pompeij patrijs laribus restituti, ac autonomia donati, annos tum primùm Epochæ institutę, ab autumno cum ceteris prouincialibus Syris inibant. Cum verò Augustus Ægypto capta, Herodi in Decapolitana regione Gadara & Hippon donasset, Iudæi qui Gadara Syris permixti incolebant, templa Deorum ibidem iussu Herodis qui Iudaicam religionem sectabatur, diruenda curarunt, vt ex Iosepho retulimus; & quamuis mortuo Herode, Gadara Syriæ prouinciæ iterùm contributa fuerint; Iudæorum tamen ciuium numerus Syros incolas superabat. Hinc Vespasianus bello Iudaico in Palæstinam cum imperio à Nerone missus, anno primo susceptæ expeditionis, qui fuit Romæ 820. idemque ab Octobri decimus tertius imperij Neronis, in Galilæam mouens, Gadara pugnacioribus dilapsis, capta incendit, ex Iosepho lib. 3. belli cap. 6. Illo verò inde digresso, ciues incensam vrbem repetijsse ex eodem Scriptore colligimus, qui lib. 5. cap. 3. de Vespasiano ait: *Cum igitur venisset Gadara transamnanæ regionis metropolim validissimam die quarta mensis Dystri &c.* Et post paucos versus: *Gadarensium populus Vespasiano cum acclamationibus in ciuitatem recepto, fidei dexteram ab eo accepit*. Hæc contigere A. V. 821. a parilibus, C. Silio Italico, M. Galerio Trachalo Coss. quo anno Nero perijt. Hinc intelligimus nummum Neronis Gadaris scalptum cum Epocha ΑΛΡ, id est, *Anno* CXXXI. percussum fuisse, postquam ciues in incensam paulò ante patriam redierunt, qui vt omnem cum ceteris Iudæis rebellibus conspirationis suspicionem à se amouerent, eos nummos Neronis Augusti imagine obsignatos publicarunt. Cum verò id temporis Iudæi Syris permixti vrbes Decapolitanæ Syrię incolerent, ac vtraque gens iure ciuium pari frueretur, vtriusque pariter decreto nummi scalpti sunt. Hinc quispiam fortassis existimabit Iudeis id temporis apud Gadara præualentibus, annum à Neomenia Nisan

ibidem

ibidem inchoatum fuisse, ac proinde annum CXXXI. in memorato Gadarensium nummo signatum, initium habuisse die 22. Martij, qua nouilunium Nisan contigit iuxtà meridianum Palæstinę, hora tertia post mediam noctem A. V. Romę à palilibus 821. Christi 68. Extant plures argentei Vespasiani nummi in Cimelijs Mediceis inscripti : ΕΤΟΥϹ ΝΕΟΥ ΙΕΡΟΥ, *Anno nouo sacro*, quorum aliquot fortè scalpserunt Iudæi, qui in vrbibus regni Agrippę degebant, ac eos præsertim, qui duplici cornu copię obsignati sunt, cum alij qui Deorum imagines præferunt, à Syris easdem cum Iudæis vrbes incolentibus, percussi videantur. Nam certum est regem Agrippam vtpotè Iudaicę religionis cultorem, neomeniam anni noui sacri celebrasse; erant enim neomenię Iudæis solemnes 2. Paralip. II. 4. Iudith cap. VIII. 6. ac peculiaribus sacrificijs celebratę, Numer. XXVIII. 11. At eas inter insignis erat neomenia Nisan, quę annum sacrum aperiebat, qua etiam, iubente Deo cap. vlt. Exodi, Moyses sacrum tabernaculum primitùs erexerat. Verùm laudatam nummorum epigraphem aliter exposui superiùs capite 6. vbi etiam binos nummos Imperatoris Neruæ inscriptos protuli, in quorum vno legitur : ΕΤΟΥϹ ΝΕΟΥ ΙΕΡΟΥ. Α. & in alio loco Α, ponitur Β, nempè *Anno nouo sacro primo*, & *Anno nouo sacro secundo*. Nerua imperium accepit, vti colligitur ex Plinio in panegyrico, die 18. Septembris A. V. 849. Christi 96. quod mense postea XVII. vnà cum vita amisit, videlicèt die 28. Ianuarij, anno Christi 98. Quare imperante Nerua, semel tantùm anno Christi 97. neomenia Nisan siuè anni sacri contigit; ac proinde in nummo Neruę annus sacer secundus neutiquàm annum sacrum apud Iudæos cum Nisan ineuntem designat. Hinc fit vt anni CXXXI. in exposito Gadarensium nummo, sint ciuiles, atque per autumnum inchoati.

Antequàm Gadaris discedo, nummos iuuat considerare, quos V. C. Harduinus pag. 176. recitat, quorum vnus inscribitur : ΓΑΔΑΡΑ. *Gadara*; alter verò ΓΑΔΑΡΕΩΝ ΙΕΡΑ ΣΥΝΚΛΗΤΟΣ: *Gadarorum sacer Senatus*; de quibus hæc ibidem Harduinus ait: *Vtrumque hunc nummum ad Gadara potiùs Asiæ proconsularis oppidum, cuius mentio in Notitia Eccles. antiqua pag. 27. referre iuuat, quàm ad Syriacum*. In secundis tamen curis inferiùs pag. 602. priori loco dicta expungens, tradit eos quoque nummos ad Gadara Cœles Syriæ pertinere. Sed & alter sibi admissus ibidem error emendandus erat, nempè quę de Gadaris Asiæ proconsularis oppido scripserat; nulla enim vrbs eius nominis in ea parte Asiæ ab Historicis aut Geographis vspiam memoratur. Notitia quam ille appellat, non est Ecclesiastica, sed Imperij Orientalis, in qua sub Asiæ Proconsule

le numerantur vrbes XLII. pagina illa 27. apud Carolum à S. Paulo, quarum vrbium pleræque Amanuensium siuè librariorum negligentia perperàm describuntur; earumque nomina ex Notitia Ecclesiastica pag. 43. reformanda sunt. Nam ibidem legitur *Hypeta* pro Hypæpa; *Priulla* pro Briula; *Enea* pro Anæa; *Myce* pro Cyme; *Atadrus* pro Antadrus, &. vt cetera errata vocabula omittam, ibidem num. 41. Γάδαρα *Gadara* scribitur, quod oppidum in altera Notitia pag. 43. rectè dicitur Γαργάρων *Gargarorum*; vti etiam legitur in altera Notitia apud Leunclauium tom. 1. Iuris Græco-Lat. pag. 91. *Gargara* vrbs Troadis laudatur Stephano, & antea Straboni lib. 13. ac Plinio libro 5. cap. 30. In Synodo C-P. sub Menna Patriarcha legitur subscriptus *Ioannes Episcopus* τῆς Γαργαρέων ἐπαρχίας Ἀσίας: *Gargarensium vrbis prouinciæ Asiæ*, & in Synodo V. Theodorus Episcopus *Gargarorum*; ac in Synodo VII. subscribit Nicephorus seruator Γαργάρων *Gargarorum*. Itaque ex deprauato charactere Notitiæ quam vir eruditus appellat, noua Gadarorum vrbs in Asia Proconsulari eidem fingitur; cum reapse omnes illi nummi ad Gadara in Cœle Syria pertineant. Stephano in libro de Vrbibus laudantur Gadara *vrbs Cœles Syriæ, quæ Antiochia & Seleucia vocata fuit*; ac præterea altera Gadara vrbs Palæstinę. At Holstenius in notis pag. 78. ait in MSS. legi Γάδρα πόλις Παλαιστίνης; *Gadara vrbs Palæstinæ*; cuius tamen Gadræ nusquàm mentio apud Iosephum occurrit. Hinc arbitror Stephanum cum sua ætate Gadara intra secundam Palæstinam censerentur, eadem à Gadaris, quæ in Syria Cœle à vetustis scriptoribus locabantur, distinxisse. In ijsdem tamen Notitijs Ecclesiasticis pag. 5. & 73. apud Carolum à S. Paulo in prima Palæstina ponitur *Regium Gadarorum*, ac præterea in Palæstina secunda *Gadira* sub metropolita Scythopolitano, quæ est ipsa de qua loquimur, Gadarensium vrbs: & in Concilio Hierosolymitano à Petro Patriarcha celebrato anno Christi 536. leguntur subscripti Araxius Episcopus Γαδάρων, *Gadarorum*; & Theodorus Episcopus Γαδάρων, *Gadarorum*. Hinc duo eiusdem nominis oppida, vti scribit Stephanus, in Syria Palæstina fuisse videntur: de quibus haud vacat prolixius hic disputare.

§. II.

§. II.

EPOCHA PHILADEPHIÆ.

Philadelphia antea Rabbath *, nouum à Ptolemæo Philadelpho nomen accepit . Cur in facris literis* Ciuitas aquarum *nuncupata . Prius Arabiæ , dein Syriæ , denique iterum Arabiæ deputata . Seleucidis paruit ab Antiocho Magno vsque ad Antiochum Dionysum. Mox ab Arabiæ regibus possessa . Romano imperio à Pompeio adijcitur A. V. Romæ* 691. *Inde noua Epocha à Philadelphensibus inducta . Quot vrbes Pompeius in Cilicia ac Syria restaurauerit . Aera Philadelphiæ in duobus rarioribus nummis exhibetur .*

Cœle Syria ad Ortum Phœnicem latiùs cingens, Philadelphiam vsque Arabiæ conterminam extendebatur. Extat in Cimelijs Mediceis Hadriani nummus: ΑΥΤΟΚΡ. ΑΔΡΙΑΝΟϹ.. & retrorsùs cum capite muliebri legitur : ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΩΝ ΚΟΙΛΗϹ ϹΥΡΙΑϹ : *Philadelphensium Cœles Syriæ* . Vetustum eiusdem vrbis nomen prodit S. Hieronymus in cap. 25. Ezechielis, vbi ait : *Contra filios Ammon, qui habebant metropolim nomine Rabbath, quæ hodie à rege Aegypti Ptolemæo cognomento Philadelpho, qui Arabiam tenuit cum Iudaa ,* Philadelphia *nuncupata est* . In facris literis Deuter. III. 11. *Rabbath filiorum Ammon* oppidum nominatur. Iudæi regnante Dauid ex lib. 2. Regum XI. 1. vastauerunt *filios Ammon, & obsederunt Rabba*; qua in obsidione Vrias pulcherrimę vxoris coniunx infelix , erumpentibus hostibus iussu Regis proditus, occubuit. Et cap. XII. 28. cum obsidium propugnatorum viribus protraheretur , dicitur Ioab ipsum Dauidem regem cum validioribus copijs in castra accersiuisse, scribens : *Dimicaui aduersum Rabbath ,& capienda est vrbs aquarum* . Polybius lib. 5. describens expeditionem Antiochi Magni aduersùs Ptolemæum Philopatorem , narrat eundem captis pluribus in Cœle Syria oppidis, cum certior factus esset *magnum hostium numerum in vrbem Arabiæ Rabathamana conuenisse* , illuc ducto exercitu , vrbem in colle sitam obsedisse, varijsque machinis non vno loco mœnibus deiectis, à quodam captiuo sibi indicato subterraneo meatu , *per quem obsessi aquatum descendebant* , eundem saxis cæterisque id genus rebus obstruxisse; atque oppidanos *aquæ inopia* ad deditionem

ditionem coegisse. Casaubonus interpres nomen vrbis apud Polybium Rabathamana, vertit Rabbath ben-Ammon, quæ Habraicę voces Latinè sonant ac *magna vrbs filiorum Ammon*. Cum autem ciues aquarum inopia adacti, deditionem fecerint, cur in sacris literis *ciuitas aquarum* nuncupatur? Hieronymus de locis Hebr. lit. I. de Iaboch flumine siuè torrente, ait: *Fluit autem inter Ammon, id est, Philadelphiam & Gerasam in quarto milliario eius*. Hinc ciuitas aquarum dicta videtur, quòd circa collem, in quo sita erat, aquę largiori ac perenni quodam fonte erumpebant, ad quas hauriendas, obsidione premente, ciues per subterraneum meatum clam hostibus descendebant. Stephano Rabbatammana *vrbs Arabiæ montana* appellatur; & postea in lit. Φ laudatur eidem Philadelphia *Syriæ illustris vrbs, priùs Ammana, deinde Astarte, postea Philadelphia à Ptolemæo Philadelpho nuncupata*. Vtraque vna eademque erat vrbs, quæ à Plinio lib. 5. cap. 18. in Decapoli Syrię ponitur, à Ptolemæo verò in Cœle Syria, cuius pars erat Decapolis. At postea in altera prouinciarum Orientis diuisione sub Christianis Imperatoribus, Philadelphia Arabiæ attributa fuit. Ammianus lib. 14. Arabiam describens, ait: *Hæc quoque ciuitates habet inter oppida quædam ingentes, Bostram, & Gerasam, atque Philadelphiam murorum firmitate cautissimas*. Et Hieronymus in illa cap. 2. Sophonię: *Et blasphemias filiorum Ammon*, ait: *quæ & ipsa vrbs Arabiæ secunda post Bosram, Philadelphia*. Vbi *Bostram* reponas; vti & in lib. de locis Hebr. vbi legitur: *Adara insignis ciuitas Arabiæ in vicesimo quarto lapide ab Ostra*; & V. Edrai, dicitur *ab Osdra*; vbi vtrobique *à Bostra* legendum est, quæ posteriori ætate Romanorum Principum, erat metropolis Arabię, à qua secundo loco in eadem prouincia censebatur, teste Hieronymo, Philadelphia. Eadem vrbs ab Antiocho Magno Seleucidarum regno adiecta, eisdem paruit vsque ad Antiochum Sidetem Magni pronepotem. Nam cum Ptolemæus socerum Simonem Iudæorum Pontificem ac principem inter sacra mensæ insidijs circumuentum, occidisset *anno* Seleucidarum *centesimo septuagesimo septimo, mense vndecimo*, ex cap. vlt. libri I. Maccab. nempè anno secundo Olympiadis CLXI. vrbis Romæ 619. à parilibus, Ioannes Hyrcanus necem Simonis parentis vlturus, Ptolemæum intra oppidum obsedit. Verum soluto postea ob religionem anni Sabbatici obsidio, Ptolemæus, inquit Iosephus lib. 13. Antiq. cap. 15. *fugit ad Zenonem cognomine Cotylam, qui tunc apud Philadelphiam inuaserat tyrannidem*. Cum in prœlio contra Aretam regem Arabum Dionysus rex, Antiochi Grypi filius, occubuisset; *post hunc*, inquit, Iosephus cap. 23. *Syriæ Cœles regnum Aretas adipiscitur*,

tur, *vocatus ad imperium à Damascenis*. Et quidem etiam Philadelphiam in Arabum potestatem venisse constat ex eodem Iosepho, qui lib. 1. belli cap. 5. cum narrasset Æmilium Scaurum cum parte exercitus à Pompeio in Syriam missum, Aretam qui iunctis cum Aristobulo copijs, Hierosolyma obsidebat, bello tantùm ostentato, ab obsidione demouisse, ait: *Itaque & Aretas ex Iudaea Philadelphiam recedit*, *metu perculsus*, *& Scaurus redit Damascum*, quam vrbem Lollius ac Metellus legati Pompeij nuper Aretæ eripuerant, vt ibidem Iosephus testatur. Hierosolyma obsessa erant ab Arabibus, cum Iudæi Pascha celebrarent, ex eodem Historico lib. 14. cap. 3. Hæc verò contigere A. V. Romę 690. L. Iulio Cæsare C. Marcio Figulo Coss. quo anno per æstatem acta est Olympias CLXXIX. cum Pompeius postea *Damascum venisset*, *& obiret Cœlem Syriam*; Ibidem cap. 5. vbi statim addit Iosephus de Pompeio: *Ineunte vere*, *copiis ex hibernis reuocatis*, *in Damascenum agrum profectus est &c. transiens deinde per Heliopolim & Chalcidem*, *superatoque medio monte*, *in Cœlem Syriam veniens*, *à Pella Damascum se contulit*. Eo anno idem Pompeius exercitum contra Aretam Arabum regem duxit, cumque propiùs Petram regiam Arabum Nabatæorum sedem admouisset, intellecta morte Mithridatis, ac Iudæorum tumultibus, retrò signa Hierosolyma versùs mouit, vrbemque ac Templum, quod arcis instar erat, expugnauit. Quæ Cicerone & Antonio Coss. contigisse tradunt Iosephus ibidem ac Dio lib. 37.

Auctor Chronici vulgo Alexandrini, ad annum secundum Olympiadis CLXXIX. Pisone & Gabinio Coss. scribit: *Philadelphenses hinc sua tempora numerant*. Illud collegium Consulum vt & alia passim eo in Chronico perperàm disposita sunt, cum Piso ac Gabinius consulatum gesserint A. V. Romę 696. ac ab æstate tertio Olympiadis CLXXX. At annus secundus Olympiadis superioris concurrit cum A. V. 691. quem Cicero suo consulatu ac deprehensa Catilinę coniuratione, nobilitauit. Itaque Philadelphenses, qui hactenùs subditi fuerant Aretæ Nabatæorum Arabnm regi, à Pompeio eodem anno per Cœlem Syriam legiones contra eundem regem ducente, Romanorum imperio additi, nouam ab eo quoque anno vrbis suæ Epocham instituerunt. Appianus circa finem lib. de bellis Mithridaticis, scribit in triumpho Pompeij circumlatam tabulam inscriptam: *Naues rostratæ DCCC. captæ sunt*. *Vrbes conditæ VIII. in Cappadocia*: *in Cilicia ac Cœle Syria XX. in Palæstina Seleucis*. Addebantur reges ab eodem victi, & eos inter *Areta Nabataeus* legebatur. At neutiquam tot oppida illis in regionibus Pompeius condidit, sed quòd vrbes in Cappadocia à Mithridate deua-

deuastatas, ac plures in Cilicia oppida insigniora à piratis diruta, nouis in eadem colonis missis, restaurauit, illamet condidisse dictus est. Cum enim viginti millia prædonum cepisset, eosdem procul à mari loca Ciliciæ habitare iussit, eisdem vrbes inquilinis indigentes, vnà cum agris concedens. Ita Mallum, Adana, Epiphaniam, ac Solos à Tigrane antea euersam vrbem, nouis colonis Pompeij iussu frequentari cœpisse testatur Appianus in libro laudato. Regno Seleucidarum mutuis Antiochi Grypi eiusque fratris Cyziceni, ac filiorum postea discordijs debilitato, Arabes ac Iudæi Cœle Syria occupata, eiusdem prouinciæ vrbes Gadara, Pellam, Hippum, aliasque trucidatis, aut eiectis ciuibus, deuastauerant, vt hoc in opere non semel ex Iosepho mihi demonstratur. Arabes etiam Damasco, Philadelphia, alijsque oppidis occupatis, barbarum in ijsdem imperium exercentes, ciues varijs calamitatibus afflixerant. Quare cum easdem Cœles Syriæ vrbes Iudæis atque Arabibus ereptas, Pompeius sub imperio Romanę Reipublicę suis vti legibus permisisset, veluti iterùm ab eodem conditę videbantur. Cum Cicero, vt aliàs pranotaui, Ciliciæ Proconsul vrbes autonomia donasset, de ijsdem in priori lib. VI. ad Atticum epistola scribit: *Omnes suis legibus & iudiciis vsæ, αὐτονομίαν adeptæ, reuixerunt*. Ita cum maxima ciuium pars Pompeij beneficio vrbes patrias, quæ *longo antea tempore deserta* dicuntur Iosepho lib. 14. cap. 10. repetens ab eodem autonomiam obtinuisset, ijdem sese reuixisse, suasque vrbes iterùm a Pompeio conditas contestabantur; vnde ac si tum primùm esse cœpissent, earundem tempora ab anno factæ per Pompeium restaurationis, numeranda censuerunt; quod quidem Gadara, Dora, Gazam, Raphiam fecisse ex eorumdem nummis intelligimus. Vsserius tom. 2. Ann. ad annum ante Æram Christi 63. pag. 264. scribit: *Seleucis in Palæstina à Pompeio condita est*; ac testem Appianum appellat, qui in laudata tabula triumphali ita scriptum memorat. Verùm neque hanc Seleuciam Pompeius condidit, sed tantùm reuocatis ab exilio ciuibus, eisque permissa autonomia, restaurauit. Sita erat vltra Iordanem in Gaulanitide regione ad lacum Semachonitem, ex Iosepho initio lib. 4. de bello, quam olim Alexander Iannæus cum Sogane & Gamala Syris eripuerat, ex eodem lib. 13. Antiq. cap. 25. Porrò inter eas Syriæ Cœles ciuitates, quæ in triumphali pompa à Pompeio conditæ legebantur, Philadelphiam fuisse eiusdem Epocha manifestat; illam enim ciues ab eo anno Vrbis Romæ 691. deducendam decreuere, quo à victore Pompeio ab Arabum seruitute liberati, autonomiam acceperunt. Duos hic nummos eosque rarissimos produco,

quorum ad me ectypa elegantiſſimè delineata, inſignis doctrinæ pariſque humanitatis vir, Andreas Morellius tranſmiſit.



Prior nummus ſeruatur in Muſeo Illuſtriſſimi ac Excellentiſſimi D. Colberti Marchionis de Seignelay, potentiſſimo Galliarum Regi à conſilijs ac ſecretioribus mandatis. Antica eiuſdem nummi epigraphe eſt: αὐτοκρΑΤωρ ΤΙΤΟϹ: *Imperator Titus*, & in poſtica cum capite Herculis laureato, vt in Gadarenſium nummo Mediceo ſuperiùs expoſito: ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΩΝ. L.ΓΜΡ. *Philadelphenſium. Anno* CXLIII. Cum ex Ioſepho Aretas Arabum Nabatæorum rex A. V. Romę *690*. Philadelphiam ſeceſſerit, M. Æmilio Scauro Damaſcum ſe conferente, nondum eo anno Philadelphenſes autonomiam acceperant, ſed Arabum dominio premebantur. Quare anno proximo *691*. eodemque altero Olympiadis CLXXIX. Romanorum imperio adiecti, libertate à Pompeio donati ſunt, vt ſuis legibus vterentur; ac proinde rectè in laudato Chronico Alexandrino Philadelphenſium in Cœle Syria Epochę initium eodem anno recitatur. At annus ab eodem 143. cœpit per autumnum A. V. 833. Chriſti 80. qui erat ſecundus principatus Imperatoris Titi Auguſti. Cuiuſnam verò caput intra effigiem Titi ſcalpeum ſit, haud ita facilè poſſim diuinare. Puto tamen vel patris Veſpaſiani eſſe iam in ſuperos à Tito relati; vel cuiusdam alterius Numinis, quod Philadelphię præ ceteris colebatur.

Alter nummus viſitur in Cimelijs regijs, in cuius anteriori parte ΔΟΜΙΤΙΑΝΟϹ *Domitianus* legitur, deleto eiusdem titulo. In poſteriori ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΩΝ: *Philadelphenſium* nomen apparet.

At

At duæ priores literæ numerales detritę sunt, sola P apparente, vt qui nummum videre, mihi per literas significarunt. Illas tamen L. ΓΜΡ. vt in typo suppletas accepi, excudendas curaui, quas pariter in eodem nummo ex indice notauit V. C. Harduinus pag. 526. vbi rectè initium Æræ Philadelphensium accersit ab anno, *quo Cicero*, inquit, *gessit Consulatum*, quem vocat *Vrbis Romæ* DCLXXXX. additque eo in nummo *signari annum Domitiani primum*, *Vrbis Romæ* DCCCXXXIII. Hinc annum 143. in Domitiani nummo obsignatum, uocat Vrbis Capitolinum 833. At hoc anno, ineunte Octobri, desinebat annus Philadelphensium 143. Titus verò immaturo fato decesserat die 13. Septembris, vt parum probabile videatur Philadelphenses qui propius Arabiam tam procul Roma distabant, intra septemdecim dies nuntium mortis Titi, ac initi à Domitiano imperij accepisse, & altera statim die, qua ipsorum annus 143. claudebatur, nummos noui Imperatoris imagine obsignatos, scalpsisse. Eadem difficultas apparet in Epocha etiam Varroniana, siquidem si Epocha Philadelphensium incœpit initio Octobris, seu Macedonum Hyperberetæi, A. V. 691. annus eiusdem Æræ 143. exijt A. V. 834. pridie Kal. Octobris, siuè postrema die Macedonici Gorpiæi, quæ erat decima nona primum initi à Domitiano imperij. Cum in nummo Titi laudato, palàm notetur Epocha Philadelphensium ΓΜΡ. videlicet annus CXLIII. & in altero Domitiani detritis duabus literis, P nota centesimi tantum appareat, prior fortasse litera numeralis neutiquàm est Γ, sed Δ aut alia sequens numeralis, qua quispiam annus post centesimum quadragesimum tertium indicatur. Si tamen ea prior nota numeralis literæ Γ vestigium vtcumque præferre videatur, idem nummus Domitianum Cæsarem tantùm, nondum verò Imperatorem Augustum designat, ita vt titulus erasus suppleatur: ΔΟΜΙΤΙΑΝΟϹ ΚΑΙϹΑΡ: *Domitianus Cæsar*. Quamuis verò qui Cæsares tantum erant, sine laurea in nummis vt plurimùm inspiciantur, quod numismata M. Aurelij, ac eiusdem filij Commodi, cum Cæsarea tantum dignitate ac titulo ornabantur, ostendunt; Domitianus tamen adhuc Cæsar in nummis laureato capite scalptus, passim visitur, quòd initio statim imperij Vespasiani patris, cum hic nondum ex Syria nouus Imperator in Vrbem venisset, expeditionem in Germaniam ac Galliam suscepit, vti scribunt Tacitus lib. 4. Hist. Suetonius cap. 2. de vita eiusdem, ac Iosephus lib. 7. de bell. Iudaico capite 23. vbi narrata Ciuilis ac Classici rebellione, quam in Germania ac proximiori Gallia conflauerant, ait: *Nam vt primùm defectionis eorum nuntius allatus est Romam, Domitianus Cæsar hoc audito, non*

sicut

ficut alter in illa ætate feciſſet ; nam admodùm adoleſcens (vndeuiceſimum ætatis annum agebat) *tantam rei magnitudinem ſuſcipere non detrectauit , ſed a patre habens ingenitam fortitudinem , & ſupra ætatem exercitatus , illicò tendebat in barbaros : Illi autem expeditionis fama perculſi , ei ſe ſubmiſerunt* . Quamuis , vt tradit Tacitus in fine libri 4. laudati , Domitianus , monente Muciano , ne aduersùs rebelles confecto iam propè à Petilio Cereali bello , alienę glorię interueniret , Lugduni ſubſtiterit . Et ſanè Germani permixtique eiſdem Galli , aduenientis cum maioribus copijs Domitiani Cæſaris fama perculſi , faciliùs ad obſequium abiectis armis , rediere . Hinc Domitianus licèt tantum Cæſar cum laurea in nummis ſcalptus eſt. Imò quòd illam de Germanis victoriam ſuis auſpicijs reportatam iactabat , inito ſtatim imperio , titulum *Germanici* aſſumpſit . Extant nummi inſcripti : IMP. CAES. DOMITIANVS AVG. GERM. P. M. & in poſtica : TR. P. COS. VII. qui percuſſi ſunt intra primum quadrimeſtre initi ab eodem poſt Titi mortem imperij ; ſiquidem Kalendis proximis Ianuarijs Conſul VIII. proceſſit . Poſtea verò ob bella Germanica , quæ Imperator Auguſtus geſſit , per antonomaſiam adulatione Senatus , *Germanicus* dictus eſt . Hæc omnia egregiè prodit Martialis lib. 2. epigr. 2.

Creta dedit magnum , maius dedit Africa nomen ,
Scipio quod victor , quodue Metellus habet .
Nobilius domito tribuit Germania Rheno ;
Et PVER hoc dignus NOMINE , Cæſar , erat .

§. III.

EPOCHA CHALCIDIS.

Chalcis à Seleuco condita , Seleucidis , dein Arabum Philarchis paruit . Poſtea Regum ſedes euaſit , quorum nonnulli laudantur . Ab Imperatore Domitiano Romano imperio adiecta , Flauium *cognomen accepit . Eiuſdem Epocha cœpit* A. *V. Romæ DCCCXLV.*

INter vrbes a Seleuco Nicatore in Syria conditas, ac nominibus ciuitatum Macedonię aut Græcię ab eodem inſignitas , Chalcis Appiano in Syriacis numeratur . Chalcis erat antiqua vrbs in Eubœa , ex qua hæc altera in Syria nomen tulit . Stephanus tamen

men nescio quo Auctore, tradit conditam Chalcidem Syriæ à Monico Arabe. Plinius lib. 5. cap. 23. scribit Syriam continere *Chalcidem cognominatam ad Belum, vnde regio Chalcidene fertilissima Syriæ*. Eunapius in vita Iamblichi ait: *Patria illi Chalcis Syriæ quam Cœlen nominant, ciuitas*. Macedonibus in Syria regnantibus, Chalcis Seleucidis paruit vsque ad fatales eorundem regno discordias, quas Antiochi Grypus ac Cyzicenus, vterini fratres, eorumque filij secum inuicem exercuerunt. Tunc enim, vt sæpiùs mihi narratum est, inualidis regum viribus, partem Syriaci regni Arabes & Iudæi occuparunt, partem plures tyranni in diuersas Dynastias distraxerunt. Nam Zoilus Stratonis Turrem, quæ postea Cæsareę nomen habuit, ac Dora inuasit. Dionysius quidam Tripolim sibi subdidit, Strato Berœęam occupauit; ab hac verò M. P. XVIII. distantem Chalcidem, Ptolemæus Mennæi filius suam in potestatem redegit; cum interim Tigranes rex Armenię ab ipsis Syris accitus, superiorem Syriam Seleucidis eripuisset. Horum auctores veniunt Strabo lib. 16. ac Iosephus lib. 13. ac 14. Hic autem lib. 13. cap. 23. narrata cæde Antiochi Dionysi filij Antiochi Grypi, ait: *Cœles Syriæ regnum Aretas*, rex Arabum, *adipiscitur*, *vocatus ad imperium à Damascenis propter odium, quo persequebantur Ptolemæum Mennæum*. Vsserius hæc recitat anno ante Æram Christi 85. qui fuit vrbis Romę 669. Hic Mennæus à Seleucidis rebellans, primus apud Chalcidem sibi dynastiam vsurpauit, quæ postea in regnum euasit. Mortuo Alexandro Iannæo A. V. Romę 677. Alexandra eiusdem vxor Iudæorum regnum administrandum suscepit. Hæc *filium Aristobulum*, inquit laudatus Iosephus cap. 24. *cum exercitu misit versus Damascum contra Ptolemæum Mennæum, qui grauis erat vrbi vicinus*. Incompertum est, quonam anno Mennæus Dynasta Chalcidis è vita decesserit. Eiusdem filium Ptolemæum paterni principatus successorem Strabo Geographus, & Iosephus nominant. Et quidem Strabo lib. 16. pag. 519. ait: *Propè erat Heliopolis & Chalcis sub Ptolemæo Mennæi filio posita, qui Marsyam & Ituræorum montes obtinebat*. Polybio lib. 5. Marsyas dicitur conuallis, *quæ inter Libani & Antilibani radices sita, in angustum spatium ab iisdem montibus cogitur*. Strabo verò eodem lib. 16. ait: *Post Macram est Marsyas habens montana quædam, in quibus est Chalcis, tanquam Marsyæ arx*. Itaque hæc erat ditio regulorum Chalcidis. Cum A. V. 691. Pompeius iterum in Syriam venisset, ac prouinciam cum exercitu perlustraret, Ptolemæi Mennæi filij ditionem ingressus, mille ab eodem talentis acceptis, quæ in militum stipendia erogauit, paternum eidem principatum ratum habuit, auctore Iosepho lib. 14. cap. 5.

5. Cum initio belli ciuilis Scipio à genero Pompeio cum imperio A. V. 705. in Syriam missus, Alexandrum Aristobuli Iudæorum Ethnarchę filium securi percussisset, huius fratres apud se, inquit Iosephus cap. 13. *recepit Ptolemæus Mennai filius Dynasta Chalcidis quæ in monte Libano sita est*, nempè Græcè: Χαλκίδος τῆς ὑπὸ τῷ Λιβάνῳ ὄρει. At minùs rectè Chalcis intra Libani iuga collocatur, a quo procul illa aberat. Plinius lib. 5. cap. 20. de Libano scribit: *à tergo* Sidonis *ortus, mille quingentis stadiis Symiram vsque porrigitur*. Chalcis autem supra Symiram vno gradu Ptolemæo describitur. Idem verò Plinius cap. 23. laudat *Chalcidem cognominatam ad Belum*, vbi & Seleuciam *ad Belum* itidem nominat, quæ posteriori æuo Seleucobelus in Notitijs Ecclesiasticis appellata fuit, in quibus vtraque vrbs in Syria superiori siuè prima reponitur. Sanctus Epiphanius ad Hæresim LXX. Audianorum, scribit eius hæreseos sectam imminutam fuisse in partibus Χαλκίδος τῆς πρὸς Αντιόχειαν: *Chalcidis propè Antiochiam*. Verùm Chalcidem duorum dierum itinere Antiochia distasse, colligo ex Procopio, qui lib. 2. de bello Persico ait Berœæam vnius diei iter homini expedito Antiochia distasse; Chalcis verò ex Itinerario Antonini erat infra Berœæam versùs Celen Syriam M. P. XVIII. Euagrius lib. 6. cap. 7. narrat Philippicum iussu Mauricij Imperatoris ad militarem seditionem componendam missum, circa Berœæam ac Chalcidem substitisse. Hinc Iosephus Chalcidem Antiochia remotiorem, Epiphanius verò propinquiorem facere videntur; neque enim duas eius nominis vrbes, vnam ad Libanum, alteram propè Antiochiam, sine vllis veterum Scriptorum testimonijs possumus comminisci. Itaque Chalcis erat vrbs superioris Syriæ. Cum Cæcilius Bassus A. V. Romę 710. à legatis Cæsaris iussu, antequàm occideretur, in Syriam profectis, intra Apamiam obsideretur, à Ptolemæo Dynasta Chalcidis suppetiæ subinde illi adueniebant, teste Strabone lib. 16. Hic verò Ptolemæus obijt anno, quo Pacorus regis Parthorum filius Syriam occupauit, nempè vrbis Romę 714. cui filius Lysanias successit, ex Iosepho lib. 14. Antiq. cap. 23. qui lib. 15. cap. 4. narrat Lysaniam postea iussu M. Antonij Triumuiri interemptum fuisse, insidias eidem falsis delationibus struente Cleopatra, vt ditionem Chalcidicam donatis sibi ab Antonio Cœles Syrię ac Phœnices prouincijs adiungeret. Dio lib. 49. scribit traditas Cleopatræ Nabatæę, & Ituræę partes; Lysaniam enim, inquit, *quem regem eorum fecerat, insimulatum, quòd studeret Pacoro, necauerat*. Verùm Pacorus dudum à Ventidio victus, & occisus fuerat. Iosephus rectè scribit Lysaniam insimulatum, quòd rebus Parthicis studeret. Ille verò

A. V.

A. V. 718. necatus fuit, cum Antonius per Armeniam in Parthos expeditionem adornaret, vt ex laudato Iosepho colligitur. Inde Chalcidensis ditio Cleopatrę, ac eius postea pars regi Herodi, eiusque filio Philippo, ac partim alteri Lysanię circa Abilam paruit. Rursùs Iosephus lib. 19. cap. 4. scribit Agrippam à nouo Imperatore Claudio aui Herodis regno recepto, filiam Berenicem Herodi fratri suo desponsasse, *impetrato illi regno Chalcidis à Claudio*. Obijt verò rex Chalcidis anno octauo Claudij V. C. 801. eique ab Imperatore in regnum suffectus fuit iunior Agrippa, Agrippę regis Iudæorum filius, ex eodem Iosepho lib. 20. cap. 3. & lib. 2. belli cap. XI. vbi ait: *Post obitum autem Herodis qui regnauit in Chalcide, Claudius Agrippam filium Agrippæ in patrui sui regno constituit*; à quo postea anno quarto in maius regnum translatus fuit, ex eodem ibidem. Postremum regem Chalcidis nobis indicat idem Iosephus lib. 7. belli cap. 27. scribens Cæsennio Pæto Syrię præsidi anno IV. imperij Vespasiani, exercitum contra Antiochum regem Commagenorum ducenti, cum auxiliaribus copijs adfuisse *reges Chalcidicæ Aristobulum, Emesæque Sohemum*. Hactenus de Dynastis ac regibus Chalcidis; quę præmittenda duxi, vt Epocha Chalcidensium nulli hucusque notata, sed mihi in nummis obseruata, facilius exponeretur. En nummos.



Vterque nummus est in Cimelijs Regis Christianissimi; quorum alter Hadriani in Gaza pariter Medicea visitur. In primo Traiani Latinè redditur epigraphe: *Imperator Nerua Traianus Optimus Cæsar Augustus, Germanicus, Dacicus, Parthicus*. In altero autem Hadriani: *Imperator Cæsar Traianus Hadrianus*. Eadem in auersa vtriusque nummi parte Inscriptio est: ΦΛ. ΧΑΛΚΙΔΕΩΝ. ΚΕ. *Flauiorum Chalcidensium. Anno* XXV. Cum neuter Imperator annos XXV. imperauerit, illo annorum numero Epocha vrbis Chalcidis indicatur, quæ inijt anno Vrbis Romę 845. Imperatore Domitiano Aug. XVI. & Q. Volusio Saturnino Coss. Æræ Christianę 92. Prænomen

 col-

collegę Domitiani in Faſtis erratum, ex vetuſta Inſcriptione Gruteri pag. 300. corrigitur. Ibi autem eo collegio Conſulum ſignatur annus Vrbis 844. quia ante diem 21. Aprilis cooptatio illic memorata contigit. Enim verò ſi ab eodem anno Vrbis 845. numeres annos inſuper XXV. deuenies ad A. V. 870. quo labente, Traianus menſe Auguſto obijt, eidem ſuccedente die XI. eiuſdem menſis Hadriano. Quare prior nummus ſcalptus eſt anno vltimo imperij Traiani; alter ſub initium imperij Hadriani. Hæc autem Epocha Chalcidenſium prodit annum, quo Regum dominio apud eandem deſinente, Romano imperio Chalcis addita fuit. Nam cum ex ſuperiùs narratis, ſub varijs Dynaſtis ac Regibus ditio Chalcidenſis fuerit à Ptolemæo Mennæi vſque ad Ariſtobulum, qui anno quarto imperij Veſpaſiani apud Chalcidem, teſte laudato Ioſepho, regnabat, nec regnum Chalcidenſe idem Veſpaſianus in prouinciæ formam redegerit; ſiquidem Suetonius cap. 8. ſcribit ab illo *Thraciam*, *Ciliciam*, *&* *Commagenem*, ſiuè vt ait Eutropius, *Thraciam*, *Ciliciam Tracheam*, *Commagenem* in prouincias redactas, conſequens fit, vt regnum Chalcidenſe Domitiano Veſpaſiani filio imperante, Romano imperio acceſſerit; quod planè oſtendit *Flauium* cognomen, à Chalcidenſibus vrbi ipſorum ſuperadditum; eo enim ſub gentis Flauię Auguſto Chalcis à regum dominio ad Romanorum Cæſarum imperium tranſlata monſtratur. Quidam vir inſignis putabat illas literas K E in delineatis Chalcidenſium nummis, exponendas eſſe: Κοινὸν Ἐπαρχίας: *Commune prouinciæ*, vt in nummis legitur: Κοινὸν Συρίας, Κυπρίων, Κρητῶν: *Commune Syriæ*, *Cypriorum*, *Cretenſium &c.* Verum illas literas K E eſſe ibidem notas numerales, produnt tranſuerſariç lineolę ſupra eaſdem poſitę, quę vt omnes norunt, indicant ſubiectas literas eſſe numerales, quod innumeris tum lapidum tum etiam nummorum inſcriptionibus probatur. Itaque in memoratis nummis literę K̄ Ē cum lineolis ſuprapoſitis, annum XXV. Chalcidenſium deſignant. Vidi in ſcrinio viri ſpectatiſſimi Apollonij Baſſetti Magno Etruriæ Duci à ſecretis, Hadriani nummum, in cuius poſtica intra lauream legitur: ΦΛΧΑΛΚΙΔΕΩΝ, & ſubtus Δ. *Flauiorum Chalcidenſium*. *Anno* IV. videlicet imperij Hadriani. Quare in laudato ſuperius eiuſdem Principis nummo literę K E epocham Chalcidis indicant, cum ille exeunte anno XXI. imperij, fatis conceſſerit. Extat in Gaza Medicea L. Veri nummus, cui geminum nuper Aleppo allatum, mihi oſtendit Sereniſſimus Magnus Dux Etrurię, in quorum priori parte legitur: ΑΥΤ. ΚΑΙ. ΑΥΡΗΛΙΟΝ ΟΥΗΡΟΝ: *Imperatorem Cæſarem Aurelium Verum*. In auerſa parte viſitur vir capite radiato, dextra

ramum

ramum palmę telluri infixum, ſiniſtra clypeum & haſtam tenens, cum epigraphe dextrorsùs: ΦΛΧΑΛΚΙΔΕΩΝ, *Flauiorum Chalcidenſium*. At ſiniſtrorsùs inſcriptio in vtroque nummo detrita eſt, quæ fortaſſis Epocham indicabat. In Cimelijs inſignis viri Franciſci Dron Pariſijs ſeruatur nummus ſatis detritus, in cuius tamen anteriori parte ſine literis caput Commodi apparet, & in auerſa intra lauream legitur: ΦΛΧΑΛΚΙΔΕΩΝ; & ſubtus litera q, *Flauiorum Chalcidenſium*. *Anno XC.* Cum Epocha Chalcidis in Cœle Syria inierit A. V. Romę 845. annus abhinc eiuſdem XC. concurrit cum A. V. 935. qui fuit tertius imperij Commodi à morte patris M. Aurelij. Quòd verò Nicolaus Toinardus mihi per literas ſignificauit notam numeralem q eo in nummo obtuſam eſſe, ac fortaſſis aliam ibidem detritam fuiſſe; hoc facilè intelligetur ex ſitu literæ q, quæ ſi non in media area nummi ſcalpta appareat, aliam additam habuit, qua ibidem Epocha Chalcidis vltra A. V. Romę 935. protrahebatur. Stephano gentile Chalcidis in Syria dicitur Χαλκιδηνός; Chalcidis verò in Eubœa Χαλκιδεύς. Vetum nummi ſecùs docent; ac Theodoretus inſignis ſcriptor ac apud Cyrrhum in Syria vrbem M. P. LX. a Chalcide diſtantem, Epiſcopus, lib. 4. Hiſt. Eccleſ. cap. 26. Græcę edit. laudat Monachos Syrię degentes ἐν τῇ Χαλκιδέων ἐρήμῳ, *in Chalcidenſium eremo*. Et ſanè cum Chalcis in Syria, vt initio præfabar, ab altera Eubœę nomen acceperit, vtriuſque idem gentile fuiſſe dicendum eſt. Idem Stephanus in Vrbibus Gangra ac Philadelphia aduertit gentilia nomina aliter iuxtà Grammaticorum regulas, aliter verò iuxtà locorum conſuetudinem præformari. Sed in nummis legitur ΕΔΕΣΣΕΩΝ & ΕΔΕΣΣΗΝΩΝ, vt etiam iuxtà loci conſuetudinem pro libito ea nomina ſcripta ac ſcalpta appareant. Ita etiam in Latinis prioris ætatis ſcriptoribus legimus *Antiochenſes*, qui poſteriori ætate in Imperatorum præſertim conſtitutionibus *Antiocheni* nuncupati ſunt. Plura de his eruditè colligit Spanhemius Diſſert. IX. à pag. 910.

§. IV.

EPOCHA CAPITOLIADOS.

Vrbes Iudæorum sub Cæsaribus noua passim nomina receperunt. Situs Capitoliados, & quidam eiusdem Episcopi. Nummus eiusdem Vrbis exponitur. Capitolias & Aelia Capitolina diuersæ in Syria ciuitates. Coloniæ Romanis: Municipia verò suismet legibus viuebant. Ex laudato Nummo insignium Scriptorum errores emendati. Initium Epochæ Capitoliados in medio relinquitur.

HVius Vrbis omnium primus meminisse videtur Ptolemæus, cui lib. 5. Geograph. cap. 15. inter oppida Syriæ Cœles recensetur Καπιτωλίας, *Capitolias*, quam nec Plinius nec Iosephus vspiàm nominarunt. Cum Vespasianus, ac dein Traianus, eiusque successor Hadrianus Iudæorum gentem subinde rebellantem, maximis cladibus contudissent, ac Syros vnà cum Deorum cultu in illorum vrbes induxissent, noua passim nomina ijsdem vrbibus imposita fuere, vt nulla deinceps rebellium memoria esset reliqua. Ita in proximo Hierosolymis solo vrbs noua condita, de nomine Ælij Hadriani ac Romani Capitolij *Aeliæ Capitolinæ* nomen retulit. Emaus in Nicopolim, Lidda in Diospolim, Hebron in Eleutheropolim, Sepphoris in Diocæsaream transierunt. Vetustum Capitoliados in Decapolitana Syrię Cœles regione nomen hactenus mihi incompertum est. Eiusdem tamen situm prodit Antoninus in Itinerario, vbi a Seriane Scythopolim iter describit.

Abilam	M. P. XXXVI.
Damascum	M. P. XVIII.
Aere	M. P. XXXII.
Neue	M. P. XXX.
Capitoliada	M. P. XXXVI.
Gadara	M. P. XVI.
Scythopolim	M. P. XVI.

Itaque Capitolias erat proxima Gadaris in itinere versùs Scythopolim in ea parte Syriæ Cœles, quæ postea sub Christianis Imperatoribus Palæstina secunda dicta fuit. In Act. IV. Synodi Calchedonensis inter quindecim Episcopos Palæstinos recitatur Anianus

nus Episcopus Καπιτωλιάδος Παλαιστίνης δευτέρας : *Capitoliados Palæstinæ secundæ*. In Synodo Hierosolymitana anno Christi 518. sub Ioanne Patriarcha nominatur Bassus Episcopus Καπιτωλιάδος, *Capitoliados*; & legitur in Synodo C-P. sub Menna Act. V. & in altero Concilio Hierosolymitano sub Petro Patriarcha anno Christi 536. nominatur Theodosius Episcopus Καπιτωλίν, *Capitolii*, vbi Καπιτωλιάδος *Capitoliados* legendum est. Theodosius etiam Abbas, *qui fuit Episcopus Capitoliadis*, laudatur à Ioanne Moscho in Prato spirit. cap. 109. Extat in locupletissimis Cimelijs Reginarum Maximæ CHRISTINAE, Imperatoris Septimij Seueri nummus, cuius iconem hic appendo, quam tamen ipso nummo grandiorem sculptor formauit.



In antica parte nomine ac titulis detritis, *Seuerus* penès cognomen legitur. Posticę verò partis epigraphem eruditissimus Holstenius pag. 159. Notar. in Stephanum legens : ΚΑΠΙΤΩ. ΙΕΡΑC ΑΤ. interpretatur : *Capitoliadis sacra & libera*. Addit ciues *Capitolienses* appellari *L. vlt. D. de censibus*; eandemque vrbem designari in nummis Latinè inscriptis : COL. AEL. KAPI. siuè : COL. AEL. CAP. COMM. nempè : *Colonia Aelia Capitolina*, & in alijs etiam COMMODIANA. At vir Clarissimus Harduinus pag. 562. appellati passim mihi voluminis, eiusdem nummi Inscriptionem integram legit ; Καπιτωλίας ἱερᾶς, ἀσύλου, αὐτονόμου : nempè inquit, *Capitoliæ sacræ, inuiolatæ, suis vtentis legibus*. Porrò ait se mirari huncce numinum ac alios Latinos inscriptos : COL. AEL. CAP. ab Holstenio *ad ignobile Syriæ Cœles oppidulum* Capitoliadem reuocari, *cum ad Hierosolyma spectare palam sit*, quam vrbem ab Imperatore Tito Cæsare dirutam, Hadrianus denuò excitans, de suo Romanique Capitolij nomine *Aeliam Capitolinam* nuncupauit; quò etiam referendos tradit Capitolienses *tit. 15. de Censibus* memoratos. Equidem

dem rectè Harduinus eos nummos Latinè inſcriptos, non ad Capitoliadem in Syria Cœle, ſed ad nouam propè ruinas Hieroſolymorum ab Hadriano extructam vrbem reuocat. Dio enim apud Xiphilinum de eodem Principe ſcribit: *Cum autem in vrbem Hieroſolyma, quæ euerſa fuerat, quamque AELIAM CAPITOLINAM appellauit, coloniam deduxiſſet &c.* Ptolemæo quoque lib. 5. cap. 15. in Cœle Syria *Capitolias*; in Palæſtina verò *Hieroſolyma quæ dicuntur Aelia Capitolia*, recitantur. At fallitur idem Harduinus, dum Græcum etiam numiſma mihi delineatum, ad Æliam Capitolinam refert, cum dubio procul ſpectet ad Capitoliadem in Syria Cœle. Illius epigraphe eſt: ΚΑΠΙΤΩ. ΙΕΡ. ΑΣ. ΑΥ. *Capitolienſium vrbis ſacræ, Aſyli, ſuis legibus viuentis.* Is poſtremus titulus *αὐτονόμου* quem ſuæ patriæ deferunt Capitolienſes, eandem à colonia Ælia Capitolina diſtinguit. Nam coloniç à Romanis deductç, non viuebant ſuis legibus, ſed Romanis; ac proinde nulla colonia erat *αὐτόνομος*. Id & antiquitùs in vſu fuiſſe, cumque morem Hadriani etiam ætate ſeruatum prodit idemmet Imperator in oratione, quam laudat Gellius lib. 16. cap. 13. in qua ait ſe mirari, *quòd & ipſi Italicenſes* (erat Italica municipium Hiſpaniç Beticç, vnde Hadrianus oriundus) *& quædam item alia municipia antiqua, in quibus Vticenſes nominat, cum SVIS moribus, LEGIBVSQVE vti poſſent, in ius coloniarum mutare geſtiuerint*. Hinc leges quibus vrbes peculiariter reguntur, vulgò *municipales* appellantur. Cum ergo in laudato nummo Capitolias ΑΥΤΟΝΟΜΟϹ inſcribatur, nequit dici eadem cum colonia Ælia Capitolina, quç non ſuis, ſed Romanis legibus viuebat. Hinc patet alter error eiuſdem Harduini pag. 13. vbi laudat nummum inſcriptum: AEL. MVN. COMM. *Aelium Municipium Commodianum*, quem eidem Æliç Capitolinç adſcribit. Scio quaſdam colonias in municipia poſtea mutatas. Cicero in Philippica XIII. commendat *lautiſſimum oppidum nunc municipium honeſtiſſimorum quondam colonorum Sueſſam*; quam vrbem Romani L. Papirio Curſore & C. Iunio Bubulco Coſſ. A. V. Romç CDXLI. coloniam fecerant; quæ tamen ætate Ciceronis erat municipium. At Ælia Capitolina poſt imperium Commodi colonia in nummis Elagabali inſcribitur; & in Synodo Hieroſolymitana anno Chriſti 536. celebrata, initio ſtatim legitur: *ἐν κολωνίᾳ Αἰλίᾳ μητροπόλει τῇ καὶ Ἱεροσολύμοις*: *In colonia Aelia metropoli ſiuè Hieroſolymis*. Quare Ælia Capitolina ex colonia neutiquam in municipium mutata eſt. Adde falſam eſſe laudati ab Harduino nummi epigraphem. Nam V.C. Vaillantius aliter productum Imperatoris Commodi nummum inſcribi mihi indicauit, videlicèt: AEL. MVN. COEL.

cuiuſ-

cuiusmodi Inscriptionem in alijs etiam nummis Caracallę, Macrini, ac Treboniani scalptam, idem Harduinus pag. 120. interpretatur: *Aelium Municipium Cœlium*; addens à Plinio propè Brundusium *Cœlium* oppidum nominari; qua de re alij viderint.

Panuinius, *quem*, inquit Scaliger lib. 5. de emend. Temp. pag. 467. *rectè nostra ætas parentem historiæ vocare potuit*, in lib. de Imperio Romano pag. 867. inter colonias Syrię numerat Æliam Capitolinam ab Hadriano deductam, & hac priorem coloniam *Capitulum*, cuius auctorem Titum existimat, testem appellans Paulum I. C. qui in libro 50. Digest. *L.* 7. *de censibus* scribit Vespasianum ius Colonię Cæsariensibus in Palæstina dedisse, non adiecto, *vt & iuris Italici essent*. Et statim: *Similes eis Capitulenses esse videntur*. Vir eruditus idemque amicus meus putabat legendum apud Paulum *Capitolienses*, nempè ciues Capitoliados in Syria Cœle. Vti tamen rectè reponit Capitolienses, ita falsò putantur designari ciues Capitoliados, cum Ælię Capitolinę quæ antea Hierusalem, incolę exprimantur. Nam Vlpianus scriptor Paulo synchronus *L.* 1. *tit.* eodem *de censibus*, ait: *In Palæstina duæ fuerunt coloniæ, Cæsariensis, & Aelia Capitolina*. Itaque Paulus vna cum Cæsarea eandem coloniam Æliam Hadriani voce illa *Capitolienses* intelligit; alias colonias Palæstinę recensens, Æliam omisisset. Præterea idem Vlpianus apud Tyrum in Syria Phœnice natus, ibidem colonias Syriarum enumerans, nusquam Capitolienses in Syria Cœle recenset; sed tantum Cæsaream, Æliam Capitolinam, ac Sebastem in Syria Palæstina. Itaque erratum est Holstenio, dum nummos cum epigraphe: COL. AEL. CAP. ad Capitoliadem retulit, qui ad Æliam Capitolinam in Palæstina reuocandi sunt. Illa enim vrbs Cœles Syrię in regio nummo appellatur *αὐτόνομος*: *suis viuens legibus*; qui titulus, vt ostendi, colonijs non competebat, quippè quę non proprijs, sed Romanis legibus regebantur. In vetustis inscriptionibus Gruteri pag. XLV. 13. legitur M. Aurelio Antonino Aug. III. & Geta Cæsare II. Coss. honesta missione missus

L. DOMITIVS. VALERIANVS

DOMO. KAPITOLIADE. STIP. XVIII.

In Grutero perperàm legitur: CAPITOLIA. DE. STIP. vt rectè obseruauit Holstenius. Erat ille miles natus in vrbe Syriæ Cœles Capitoliade, ac post stipendia XVIII. honestam missionem, id est, à mi-

à militia vacationem obtinuerat. Ita passim in militaribus Inscriptionibus apud eundem Gruterum legimus: *Domo Arretio* pag. 520. 3. *Domo Brixia* pag. 534. 1. *Domo Philippis* pag. 546. 2. *Domo Antiochia Syriæ* pag. 567. 10. & alibi. Itaque *Domo Capitoliade* laudato loco reponendum est.

Ceterùm in delineato regio numismate hinc inde supra Templum visuntur scalptę literę H P, quas Holstenius omisit, qui in alijs quoque aliarum Syrię vrbium nummis similes numerales notas, quibus Epochę earundem designantur, neutiquàm intellexit. Illę autem literæ H P annum CVIII. Capitoliados indicant, nempè ex quo ea vrbs nouum Capitoliados nomen, aut autonomiam consecuta est; quod imperante Domitiano contigit. Nam cum eo in nummo Seueri obsignetur annus Epochę Capitoliados CVIII. ac Seuerus imperium occupauerit A. V. Romę 946. Christi 193. si retrò annos 108. numeremus, erimus ad A. V. 838. Christi 85. ac quartum imperij Domitiani. Censorinus cap. 18. de die Natali scribit: *Rursus tamen annus idem magnus per Capitolinos agonas cœptus est diligentiùs seruari: quorum agonum primus à Domitiano institutus fuit, duodecimo eius & Ser. Cornelii Dolabellæ consulatu*: quo in Fastis signatur A. V. 839. Æræ Christianę 86. Cum verò instituti eo anno agonis Capitolini, qui Græcorum Olympiadem præferebat, latiùs per Romanum Orbem fama publicaretur, suspicor vrbis ignoti mihi antea nominis, ciues tum primùm alterum Capitoliados nomen suæ ipsorum patriæ imposuisse, vt ea adulatione suum erga Domitianum obsequium demonstrarent, simulque cum nouo patrię nomine nouam quoque Epocham induxisse. Fateor esse lubricam coniecturam; qua tamen admissa, Epocha Capitoliados inijt ab autumno A. V. Romę 839. illius verò annus CVIII. exijt sub autumnum A. V. 947. eodemque secundo imperij Seueri. Hæc tamen omnia turbare videtur nummus L. Veri Augusti, quem Eques Patinus pag. 126. indicis Thesauri Mauroceni recitat retrorsùs inscriptum: ΚΑΠΙΤΩΛΙΕΩΝ. ΣΚΤ. Vbi vir insignis ait: *Apertè fateor inscriptionem istam me latere: fortè erit error in characteribus*. At nullus dubito quin ille nummus spectet ad Capitolienses in Cœle Syria, ita vt nullus character in ea voce Græca erroneus dici possit. In errore verò cubant notę numerales ΣΚΤ, de quibus cum per literas consuluissem Nicolaum Bon; qui summa diligentia Maurocenę Gazę nummos in ordinem ac indicem digessit, respondit in antica parte eius nummi legi: ΑΥΤ. ΚΑΙC. Λ. ΑΥΡ. ΟΥΗΡΟC: & in postica: ΚΑΠΙΤΩΛΙΕΩΝ. ΖΚΤ. *Capitoliensium. Anno* CCCCXXVII. cum Iside in templo tetrastylo; cum in delineato

neato ex Cimelijs Augustę Suecorum Reginę, Iuppiter sedens dextra malum Punicum, sinistra hastam tenens intra templum appareat. At Epocha annorum 427. non conuenit cum altera proximè exposita. Cum enim L. Verus imperium acceperit A. V. 914. idemque obierit anno principatus nono, Capitoliensium Epocha initium cepisset intra A. V. Romę 487. ac annum 495. cum Ptolemæus Philadelphus regnaret in Syria Cœle, quam Antiochus Magnus A. V. 556. Seleucidarum regno adiecit, ex Liuio lib. 33. Iosepho lib. 12. cap. 3. ac Polybio lib. 5. Cum ob seueriorem Mauroceni Cimeliarchij custodiam, exactiorem eius nummi notitiam in præsentia non possim habere, & aliunde Epocha Capitoliensium in Inclytę Reginę nummo longè recentior appareat, suspicio mihi est, eas literas apud Equitem Patinum Σ Κ Υ variato ordine exaratas, cum in nummo forte Κ Σ Υ, nempè *Κοίλης Συρίας Cœles Syriæ* scalptum sit.

§. V.

EPOCHA ANTIOCHIÆ AD HIPPVM.

Antiochia ad Hippum *eadem fortè vrbs quæ* Hippus *in Cœle Syria à Geographis laudatur. Eiusdem Epocha ab anno vrbis Romæ 691. ex nummis deducta.*

HVius vrbis nummum olim publicauerat Tristanus tom. 1. pag. 692. sed Antiochenorum nomen parumper in nummo detritum, in ΑΝΑΘΩΝ demutauit, ac vrbem Nathon ab Herodoto in insula Ægypti Prosopite laudatam, ibidem expressam putauit. Eques Carolus Patinus in M. Aurelio pag. 246. & pag. 16. indicis in Fastina, binos eiusdem vrbis nummos profert, quorum alterius typum exhibeo.



Holſtenius pagina 37. not. in Stephanum eundem nummum cum ſymbolo mulieris frœno equum tenentis, recitat ex Muſeo Puteano, in quo legit : ΚΟΛ. ΑΝΤΙΟΧ. ΠΡΙΠ. quem nummum Marco Aurelio Antonino Caracallę attribuit, eumque refert ad Antiochiam ad Orontem totius Syrię metropolim. Ceterùm errat vir inſignis; ſiquidem in Muſeo Puteano Romę laudatum numiſma hanc planè epigraphem præfert : ΑΝΤΙΟΧ. ΠΡ. ΙΠ.... reliquis literis ſiniſtrorsùs detritis. Subtùs verò, vt in Patiniano, visuntur numerales literę ΘΚC. Harduinus pag. 46. in nummis Regijs M. Aurelij ait perſpicuè legi : ΑΝΤΙΟΧ. ΤΩ. ΠΡ. ΙΠ. itemque : ΑΝΤΙΟΧ. ΠΡ. ΙΠ. ΤΗΣ ΙΕΡ. Κ. ΑΣΥΛΟΥ, nempè Latinè : *Antiochenſium ad Hippum, ſacræ & inuiolatæ* ciuitatis, addita Epocha ΘΚC, *Anno* CCXXIX. Quæ ſanè Epocha oſtendit eos nummos non pertinere ad Antiochiam ad Orontem; annus enim Antiochenorum 229. cœpit ab autumno A. V. 935. mortuo trigeſimo antea menſe M. Aurelio, ac ante ſexennium Fauſtina, in cuius Auguſtæ nummo annus idemmet 229. Antiochię ad Hippum obſignatus eſt. Idem verò Harduinus putat nummos apud Hippum vrbem Cœles Syrię ſcalptos. Ioſephus lib. de vita ſua ſcribit Hippum triginta ſtadijs Tiberiade diſtare, nempè quatuor ferè milliarijs. Addit idem Harduinus Hippum montem à Ptolemæo lib. 5. cap. 5. in Syria Cœle laudari, à quo ea vrbs Hippus ſiuè Hippon dicta fuit; illam verò nomen *alterum Antiochiæ obtinuiſſe iam olim : eamque demùm eſſe, quam in confinio Cœles Syriæ Arabiaque conditam à Semiramide auctor eſt Stephanus*. Græci verò equum ἵππον vocant; vndè & illius imago in Antiochenſium Hippenorum nummis ſcalpta viſitur. Hæc vir eruditus, cuius opinio alijs etiam mihi coniecturis probatur. Nam Ptolemæus loco laudato tum montem Hippum, tum etiam ipſam vrbem Hippum ſtatuit ſub gradu longit. 68. ac latitud. 32. Stephanus de Gadara vrbe ait : *Gadara vrbs Cœles Syriæ, quæ Antiochia & Seleucia vocata fuit*. At conſtat Gadara ea nomina non tuliſſe à Seleuco Nicatore, quia eo regnante, ea pars Syrię inferioris vna cum Phœnice ad Ægypti reges ſpectabat, vt aliàs hoc in opere oſtendo. Quare nec Hippus alterum Antiochiæ nomen ab eodem Seleuco accepit, cum ille teſte Appiano, ſexdecim de nomine patris vrbes Antiochias nominauit; quòd Hippus quoque erat in Cœle Syria. Hinc ab Antiocho Magno vel ab aliquo ſucceſſorum ipſa quoque, vt & proxima Gadara, Antiochię nomen accepit; ſiuè cuipiam Antiocho regi adulata, nouum ſibi nomen impoſuit, vti poſtea plures tum in Syria, tum in proxima Cilicia vrbes de nominibus Romanorum Principum nouas ſibi appellationes adſciuerunt.

Epocha in eiusdem Vrbis nummis obsignata, nempè annorum 229. eandem in Syria Cœle sitam ostendit, cuius Vrbes cum Pompeius à Iudæorum præsertim tyrannide liberasset, nouas ob acceptam autonomiam, Epochas induxerunt; quod de Gadaris, Gaza, Raphia, ac Philadelphia earundem nummi manifestant. Itaque annus ΘΚC, id est, CCXXIX. in laudatis Antiochię ad Hippum nummis M. Aurelij ac Faustinę vxoris obsignatus, cœpit ab Autumno A. V. 919. Christi 166. eodemque sexto imperij M. Aurelij. Errorem Holstenij laudatum Antiochię ad Hippum nummum in Museo Puteano, M. Aurelio Antonino Caracallę adscribentis, Epocha ibidem scalpta confutat, cum annus eius Vrbis 229. exierit anno septimo imperij M. Aurelij Philosophi, cuius vti & vxoris effigies in ijsdem nummis cum eodem anno scalptę sunt. Iosephus lib. 14. cap. 8. de Pompeio scribit: *Et Hierosolyma quidem Populo Romano fecit stipendiaria; vrbes verò quas eorum ciues sibi subiugauerant in Cœle Syria, illis ademptas, iussit proprio parere præsidi*. Addit ab eodem Gadara in gratiam Demetrij Gadarensis sui liberti restaurata; *reliquas verò*, inquit, *Hippon*, *Scythopolim*, *Pellam*, *Dion &c. suis restituit habitatoribus*. Ita Hippeni A. V. Romę 691. a victore Pompeio à Iudæorum seruitute vindicati, nouam ab eodem anno vrbis suæ Æram instituerunt; quamuis probabilius Gadara anno Romæ 690. autonomia donata fuisse videantur.

§. VI.

EPOCHA EPIPHANIÆ.

Epiphania in Syria ab Hemath pronepote Noe condita. Ab Antiocho Epiphane rege Syriæ nouum nomen accepit. Eiusdem situs. Altera Epiphania erat in Cilicia propè Amanum. Vtriusque Vrbis Episcopi in Synodis memorati. Nummus Epiphanensium ad vtram pertineat. Eiusdem Epocha satis obscura indicatur.

EPiphania vrbs Syriæ antiquissima conditorem habuit Hemathæum vndecimum filiorum Chanaam, Genesecs cap. X. 18. de cuius nomine *Hemath* initio vocabatur, ab alijs *Hamath*; ab Hebræis verò *Chamath* nuncupata. Horum auctor venit Iosephus lib. 1. Antiq. cap. 7. scribens: *Hamathus verò Hamathen habitauit, qua* ad

adhuc extat, *& ab accolis* Hamathe *nuncupatur*; *tametsi hanc Macedones* Epiphaniam *ab vno è regum successoribus denominauerint*. Idem tradit S. Hieronymus in cap. 6. Amos, & in epist. 129. ad Bardanum; & in cap. 9. Zacharię, vbi ait: *Hemath quæ interpretatur* χόλος, *id est*, *indignatio*. *Ipsa est quæ ab Antiocho* Ἐπιφανοῦς *nomen accepit*, *& nunc Syriæ Cœles est ciuitas*. Et rursùs in cap. 47. Ezechielis: *A quo*, inquit, *venies* Hemath, *quæ nunc* Epiphania *vocatur ab Antiocho crudelissimo tyrannorum nomine commutato*. *Nam cognomentum habuit Epiphanis*. Itaque Antiochus Epiphanes rex Syriæ, cuius sacrilegia ac sæuitiem libri Maccabæorum describunt, de suo cognomine memoratam vrbem Epiphaniam appellauit. Inde verò in sacris literis non semel memoratur, quòd ad eiusdem agrum termini Terrę sanctę versùs Aquilonem protendebantur, Numer. cap. XIII. 22. Iudicum cap. III. 3. Ezechielis cap. XLVII. 17. vbi legitur: *Terminus Hemath plaga Septemtrionalis*. Epiphanię situm designat eiusdem vrbis ciuis idemque Ecclesiasticę historię scriptor insignis Euagrius lib. 3. cap. 34. cui laudatur Cosmus *Epiphaniæ nostræ*, inquit, *ad Orontem sitæ* Episcopus. In Itinerario Antonini ab Antiochia Emesam, numerantur Apamea

Larissam	M. P. XVI.
Epiphaniam	M. P. XVI.
Arethusam	M. P. XVI.
Emesam	M. P. XVI.

Postquàm Arcadius Syriam in binas prouincias dissecuit, Epiphania Syrię Secundę siuè Salutari adscripta fuit, cuius etiam Episcopi in Synodis non semel occurrunt.

Altera Epiphania erat vrbs Cilicię, quæ antea Eniandos dicebatur, teste Plinio lib. 5. cap. 27. quam ab eodem Antiocho Epiphane nomen accepisse puto, quòd eidem præter Syriam, Cilicia quoque parebat; siquidem eiusdem pater Antiochus à Romanis victus, citra Taurum in Asia regnare iussus fuit. Epiphania erat citra Amanum in Cilicia, vti scribit Cicero id temporis Proconsul Ciliciæ, & ex Oratore nouus Imperator, lib. 15. fam. epist. 4. ad Catonem; vbi eidem laudatur cohors prætoria, *quæ erat Epiphaneæ præsidii causa*. Et statim: *abessemque ab Amano iter vnius diei*, *& castra apud Epiphaneam fecissem*, *A. D. IV. Id. Octobris cum aduesperasceret*, *expedito exercitu ita noctu iter feci*, *vt A. D. III. Id. Octobris*, *cum lucesceret*, *in Amanum ascenderem*. Itaque Epiphania siuè Epiphanea in Cilicia erat citra Amanum. Hæc verò vrbs, cum memoratus Arcadius Ciliciam quoque in duas prouincias ciuiles diuisisset, Cilicię Secundę attributa fuit sub Anazarbo metropoli.

Hinc

Hinc initio Act. 2. Synodi Calchedonensis legimus : *Eutychiano Episcopo Epiphaniæ Syriæ secundæ* ; & post septem Episcopos , *Polychronio Epiphaniæ Ciliciæ Secundæ* . In lib. 7. Cod. Theod. *L.* 25. *de erogat. milit. annonæ* , Arcadius Imperator ait : *Quoniam Clementia nostra poscenti Epifanis Ordini consensit* , *&c. Nouembri mense nouellum vinum militi præberetur &c.* Gothofredus ibidem in notis putat designari Ordinem Epiphaniæ in Syria , non autem in Cilicia . Neutrius Epiphaniæ nummi hactenùs visi sunt, nisi quòd Goltzius pag. 214. nummum recitat inscriptum ΕΠΙΦΑΝΕΩΝ , *Epiphanensium* . At nuper V. C. Ioannes Vaillantius typum nummi apud virum nobilem in Anglia seruati , ad se delatum , mihi transmisit , vt signatam in eodem Epocham exponerem .



Hocce numisma , si circuli magnitudinem spectes , inter mediocris quæ dicunt moduli , recensendum est ; quamuis scalptor ad exemplar delineati ac transmissi ectypi , illud grandius excuderit . Inscriptio prioris partis Latinè datur : *Imperator Marcus Antonius Gordianus* . Alterius verò partis cum Serapide ac Cerbero : *Epiphanensium* . *Anno CCVI.* In Synodo Mopsuestena inserta Collat. V. Synodi V. cum alijs Episcopis Ciliciæ Secundæ nominatur *Nicetas Epiphaneorum* , vt in textu Græco , qui interijt , scriptum fuerit laudato nummo similiter , Ἐπιφανέων , quod gentile vrbis exprimit etiam Stephanus in Lexico poligraphico . Idem de gentili Epiphaniæ ad Orontem dicendum est . Gordianus iunior , occisis A. V. 991. Christi 238. Pupieno & Balbino collegis Augustis , imperium ex Cæsare Augustus accepit , quod post sexennium , A. V. 997. Christi 244. Philippi præfecti Prætorio fraude interemptus, amisit. Hinc fit vt Epochæ annorum CCVI. in laudato nummo obsignatæ, initium figendum sit inter A. V. Romæ 785. & 791. Incertum tamen est ad vtram Epiphaniam idem nummus referendus sit. Equidem

Caius

Caius Caligula, vti ſcribunt Dio lib. 60. ac Suetonius cap. 16. de vita eiuſdem, Antiocho regis Commagenorum filio paternum regnum *adiectis Ciliciæ maritimis* reſtituit. Vnde Epiphania anno Vrbis 791. quopiam beneficio à Caio ornata videri poſſit, quòd propior erat Commageni. Sed hæc vrbs, vt conſtat ex Cicerone, diu antea in prouincia Romanorum Cilicia cenſebatur, ac citra Amanum, extra fines regni Commagenes. An quòd Gordianus Perſas ex Syria expulit A. V. 996. Epiphanenſes in Syria Cœle eum nummum ſcalpſerunt? Sed aliæ quoque vrbes Aſiæ proconſularis ac Ciliciæ nummos id temporis procuderunt, quas tamen Perſici belli turbo neutiquam concuſſerat. Itaque latius eſt omnia hæc in medio relinquere, quàm de incertis diuinare. Nummi Epiphaniæ vrbis ſiuè Cilicum, ſiuè Syrorum, rariſſimi ſunt; ac proinde hunc euulgaſſe, qui vnicus in eruditis Cimelijs viſitur, ſatis erit, quamuis expreſſam in eodem Epocham eiuſque originem incompertam habeamus. Scio Plinium lib. 5. cap. 24. ſcribere: *Oppida alluuntur Epiphania & Antiochia quæ ad Euphratem vocantur.* Vti verò hæc tertia Epiphania ad Euphratem nuſquam à Romanis ſcriptoribus recenſetur, nec in Eccleſiaſticis monumentis occurrit, ideo ne ſuſpicari quidem potui laudatum nummum ad eamdem poſſe reuocari. Auguror tamen eandem ab Antiocho Epiphane Syriæ rege, vt & vtramque ſuperius memoratam vrbem, nomen accepiſſe.

CAPVT X.

RHESÆNÆ VRBIS EPOCHA.

Rheſæna vrbs Meſopotamiæ ad Aboram fluuium. Eadem poſtea Theodoſiopolis videtur appellata. Eiuſdem plura numiſmata. Initium imperij Decij rectè à Panuinio deſcriptum. Hadrianus Meſopotamiam liberam & immunem prouinciam conſtituit. Hinc Rheſænenſium Epocha imperante Hadriano, inſtituta.

HÆc vrbs extra Syriam in Meſopotamia ſita erat. Quòd verò Meſopotamia antiquitùs intra prouincias Syriæ cenſebatur ex Plinio lib. 5. cap. 12. vnde & Geneſeos XXVIII. *Meſopotamia Syriæ* legitur, quædam de Rheſænæ vrbis Epocha hic inſerenda

renda duxi. Ptolemæus lib. V. Geograph. cap. 18. in eadem Mesopotamia duo eiusdem ferè nominis oppida recenset, quorum vnum Ῥίσινα *Rhisina*, alterum Ῥαισίνα, vel vt è MSS. emendat Holstenius pag. 271. Ῥεσαίνα *Rhesana* nuncupantur. Stephano vna tantùm memoratur Ῥίσινα πόλις περὶ τὸν Ἀβόρον ποταμόν, *Rhesina vrbs propè Aborum fluuium*. In Concilio Arianorum Antiocheno anno Christi 341. inter Mesopotamiæ Episcopos legitur *Antiochus Rhesinatis*. Ammianus Marcellinus lib. 23. Iuliani Apostatæ orationem militarem referens, hæc cetera inter eiusdem verba recitat: *Redissetque pari splendore iunior Gordianus, cuius monumentum nunc vidimus honoratè, apud Resainam superato, fugatoque rege Persarum &c.* Addit his doctissimus Spanhemius Abul-Pharagium, qui in Dynastia VIII. pag. 96. scribit: *Persis Rasainum oppugnantibus, contra ipsos misit Tiberius patriciorum suorum praecipuum, nomine Mauricium*, qui postea eidem Tiberio in principatu successit. Et antea Dynastia VII. pag. 94. ait: *Hoc tempore clarust Sergius Rasainensis Philosophus, qui libros è lingua Graeca in Syriacam transtulit*, quem ait Seueri hæretici sectam secutum. Denique in tabulis Peutingerianis in itinere à Zeugmate Nisibin *Ressania* collocatur Carrhis M. P. LXV. distans in superiori parte Mesopotamiç. Hæc Ressania non est eadem cum Rhesina Stephani propè Aborum. Zosimus lib. 3. nominat Circesium castrum, quod Abora fluuius & Euphrates ipse circumdat. Procopius lib. 2. de ædificijs Iustiniani ait Circesium *in extremis Mesopotamiæ finibus* ab Imperatore Diocletiano extructum fuisse. Idem verò lib. 2. de bello Persico scribit: *Est in altera fluminis ripa Romanorum oppidum munitum, quod Circesium vocatur, præruptum ex magna parte, quod Aborras fluuius ingens hic ostia emittens, Euphrati miscetur, & angulum circa oppidum facit.* Eadem tradit Euagrius lib. 5. cap. 9. Ammianus loco laudato, tum miles in exercitu Iuliani, scribit se cum ceteris Circesio discessisse ac per naualem pontem Aboram superasse; soluto postea ponte, ne cui redeundi potestas esset, *profecti*, inquit, *Zaitam venimus, locum qui olea arbor interpretatur. Hic Gordiani Imperatoris longè conspicuum vidimus tumulum.* Hoc Gordiani sepulcrum vicesimo milliario à Circesio distasse testatur Eutropius, qui libro 10. ait se eidem Iuliani contra Persas expeditioni interfuisse; idem tradit Sextus Rufus in Breuiario. Hinc errant Samuel Bochartus lib. 4. Phaleg cap. 23. Tristanus tom. 2. pag. 590. ac Harduinus pag. 420. dum scribunt Rhesænam Ammiano teste, Gordiani sepulcro nobilitatam. Nam Ammianus vti etiam Zosimus scribunt Gordianum tumulatum apud Zaitam, siuè Zautham, cum paullò antea idem regem Persarum apud Resainam

ſainam ſuperaſſet. Quare apud Ammianum legendum eſt, *cuius*, nempè Gordiani, *monumentum nunc*, videlicèt apud Zaitam, *vidimus honoratè*; *apud Reſainam ſuperato*, *fugatoque rege Perſarum*; vt Reſaina iuxtà Ammianum, locus victorię, non verò ſepulcri Gordiani fuerit. Iulianus Abora ponte ſuperato, ad Euphratem venit, ac Zaitam cum exercitu nauibus ſecundo flumine deſcendit, vti tradit Zoſimus. Itaque Zaita ab Abora diſtabat; cum tamen teſte Stephano Rheſæna ſeu Rheſaina propè Aboram ſita eſſet. Cum in melioribus Ptolemæi codicibus legatur Ῥέσαινα, Ammianus easdem omninò literas ſeruans, vel eiuſdem oppidi incolarum pronuntiationem exhibens, Latinè *Reſainam* ſcripſit, quæ Græca diphthongo AI in AE mutata, Rheſæna dicenda eſt. Procopius lib. 2. de ædificijs Iuſtiniani, ait: *Eodem modo Theodoſiopolis*, *quæ ad Aborram fluuium ſita eſt*, *quam diuturnitas temporis labefactauerat &c.* Et in Notitijs vetuſtis Eccleſiarum pag. 36. & 58. apud Carolum à S. Paulo inter vrbes prouinciæ Oſrhoenę *Theodoſiopolis* recenſetur. Cum verò in Concilio Arianorum Antiocheno, anno Chriſti 341. Epiſcopus, vti dicebam, Rheſinas legatur; nec vſpiam poſtea in conſcriptis antiquitùs geſtis Eccleſiaſticis, ſiuè indicibus Epiſcopatuum Rheſinas Antiſtites memoretur, ſuſpicari poſſumus eam vrbem vetuſtiori nomine antiquato, Theodoſiopolim appellatam fuiſſe, quam Procopius ad Aboram fluuium ſitam deſcribit. Equidem in Concilio Antiocheno ſub Domno Patriarcha, inſerto Act. XIV. Synodi Calchedonenſis, nominatur *Ioannes Epiſcopus Theodoſiopolis*, nempè eius vrbis, quam in Oſrhoene Procopius memorat. Hæc tamen purę putæ ſint coniecturæ, quas in tanta veterum monumentorum penuria cogimur quandoque comminiſci.

In vetuſtis nummorum Cimelijs plura Rheſænæ vrbis numiſmata ſeruantur, quæ Deciorum præſertim Principum imaginibus obſignata ſunt. Horum tria exhibuit Triſtanus tom. 2. à pag. 588. Bina hic appendo, quæ ex Muſeo non vno mihi loco laudati D. Franciſci Dron V. C. Nicolaus Toinardus Aurelianenſis ad me tranſmiſit.



Prioris

Prioris nummi antica Inscriptio Latinè redditur: *Imperator Cæsar Caius Messius Quintus Traianus Decius Augustus*; postica verò: *Septimiorum Rhesænesiorum*. Alterius verò epigraphe est: *Septimia Colonia Rhesænesiorum*. In vtroque signatur Epocha L. HIP. *Anno CXVIII.* Ex priori nummo discimus *Caium* fuisse Decij prænomen, quem Panuinius alijque *Cneum* falsò appellarunt. Ex altero verò nummo intelligimus Rhesænam à Septimio Seuero coloniam deductam, vnde & *Septimia* nuncupatur. In Museo Mediceo in nummo Decij cum eadem postica Inscriptione visitur colonus agens boues ad aratrum, cum Aquila superuolitante, rostro coronam, vnguibus verò fulmen stringente. In nummo ferè simili in Abbatia Parisiensi S. Genouefæ apud virum insignem nuper vita defunctum P. Claudium Du-Molinet, inferiùs visitur imago viri ex vndis emergentis, vt in priori mihi delineato, quo symbolo Rhesæna non ad Euphratem, vti Harduinus, nec ad Tigrin, vt Eques Patinus putarunt, sed ad Aboram flumen sita exprimitur, quod Stephanus *Aborum*, Strabo lib. 16. pag. 514. *Aborram*, Ptolemæus verò *Chaboram* nuncupant. Legatur Bochartus libro 2. Phaleg in fine cap. 17. Cum eodem coloniæ symbolo extat rarissimus nummus in Cimelijs Regis Christianissimi inscriptus: AYT. K. Γ. MEC. TPA. ΔΕΚΙΟϹ CEB. EPEN. ETPOYCKIΛΛΑ CEB. *Imperator Cæsar Caius Messius Traianus Decius Augustus. Herennia Etruscilla Augusta*. CEΠ. KOΛ. PHCAINHCIΩN. L. HIP. *Septimia Colonia Rhesænesiorum. Anno CXVIII.* Ex hoc præclaro numismate discimus Herenniam Etruscillam fuisse vxorem Decij Augusti, cum Panuinius alijque eruditi Sallustiam Barbiam Orbianam eiusdem Principis vxorem dudum vulgò crediderint. Hinc filius Decij in nummis dicitur *Quintus Herennius Etruscus Messius Decius*, nomen ac cognomen priora à matre referens; posteriora verò à patre. Ita & filius Licinij Gallieni & Saloninæ Augustæ eiusdem vxoris, *P. Licinius Cornelius Saloninus* vocatus est, cognomine ab Augusta matre desumpto.

In omnibus huiusce Vrbis nummis idem annus obsignatur HIP, *centesimus decimus octauus*. Seguinus pag. 291. posterioris editionis in nummo Rhesænæ legit ΠP, nempe inquit, *πρώτω*; cum tamen illæ literæ sint numerales, ac aliter in nummis scalptæ appareant. Eques Patinus in Indice Mauroceno pag. 139. legit L. ΠP. *Anno* CLXXX. vti easdem notas antea etiam Tristanus in tribus nummis expresserat. In Mediceo numismate palam visitur post nomen Rhesænesiorum litera L, quam postea notę IIIP sequuntur, ita vt prior I intra L reponatur, quod laudato loco Tristanus non obscurè indicauit; quamuis literam I vt accentum potius supe-

 riori

riori sui tantùm parte scalpendam curauerit. Harduinus pag. 420. in omnibus hisce nummis legit L. H IP. *Anno* CXVIII. Doctissimus Toinardus testatur nunquam in ijsdem nummis H apparere; sed tantùm LIIIP, nulla lineola transuersa priores notas II circa medium iungente, vt H repræsentetur. Petrus Fittonus Anglus qui nummos Medicei Cimeliarchij in ordinem digessit, in eorundem indice, quem summa diligentia contexuit, in laudato nummo legit L. AΠP, nempè: *Anno* CLXXXI. cum tamen nulla litera Π ibidem inspiciatur. Quamuis verò eius coloniæ numismata rudiori ac penè barbara monetariorum arte scalpta sint, ibidem tamen clarè legitur: CEΠ. & PHCAINHCIΩN, in priori voce Π & in posteriori semel & iterum H clarè expressis, vt mirari liceat, cur in notis Epocham indicantibus neutra litera perfectè scalpta fuerit, ita vt dubium sit, vtra ibidem designetur. Hanc difficultatem priusquàm expediam, initium imperij Decij statuendum est, cum in eiusdem nummis Rhesænesiorum anni obsignentur. Nam Baronius tom. 2. Ann. ad annum Christi 253. scribit Imperatoribus Philippis eodem anno occisis, Decium imperium occupasse, ipsomet Decio & filio Etrusco Consulibus. Et antea anno Christi 251. Æmiliano & Aquilino Coss. scripserat: *Qui verò ab his diuersam inierunt de annis Philippi imperii rationem, & hoc anno eum simul & filium necatos tradunt, cum consulatus subducant è Fastis, ordine temporum semel confuso, diuersis se aliosque implicant labyrinthis*. Hæc contra Panuinij nostri sententiam dicta sunt, qui etiam ibidem in margine à Baronio indicatur. At mei conciuis chronologia certa est, nec sine errore in dubium reuocari potest. Etenim ab imperio Iulij Cæsaris vsque ad Probum Augustum nullos è Fastis consulatus subducit, vt ostendi in Dissertatione de votis Decennalibus; idemque optimè initium imperij Decij statuit A. V. 1002. Christi 249. qui tamen ipsi est 250. ob Natalem Domini anno ante Æram vulgarem adscriptum. In lib. 8. Cod. tit. 56. *de reuoc. donat. L.* 1. recitatur rescriptum Philippi Augusti, quod signatur *Dat. XV. Kal. Iulii, Aemiliano, & Aquilino Coss.* Rursus lib. 4. eiusdem Cod. tit. 16. *de heredit. action. L.* 2. recensetur aliud rescriptum cum titulo: *Imperator Decius Augustus Telemocha*, & subsignatur *PP. XIV. Kal. Nouembris, Aemiliano & Aquilino Coss.* In Fastis omnium optimis, Constantio imperante, descriptis, quos proximè typis euulgabo, hæc collegia Consulum recitantur, quæ etiam leguntur in fragmento apud Bucherium in comm. ad Canonem Paschalem Victorij pag. 228.

Anni

Anni Christi

248.	B.	PHILIPPO III. ET PHILIPPO II.	*Sat.* XVII.
249.		*Aemiliano & Aquilino.*	*Lun.* XXVIII.
250.		*Decio II. & Grato.*	*Mar.* IX.
251.		*Decio III. & Decio Caesare.*	*Mer.* XXI.
252.	B	GALLO II. ET VOLVSIANO.	*Io.* II.

In Fastis Panuinij anno vrbis Romæ millesimo primo ponuntur Consules Philippus III. & Philippus II. Augusti, qui annus in laudatis Fastis signatur lit. B. qua vti & maioribus characteribus, quibus memorati Consules scribuntur, indicatur annus *Bissextilis*, cuius Kalendæ in diem *Saturni* incidentes nominantur, & *Luna* XVII. Qui sunt infallibiles characteres A. V. Romæ MI. Æræ Christi 248. qui fuit Bissextilis, Cyclo Solis V. lit. B. Cum verò Nouilunium proximum ante easdem Kalendas fuerit iuxtà meridianum Vrbis, Decembris die 14. horis 4. 50'. post meridiem, Luna XVIII. proximas Kalendas anni ineuntis aperuit. Ita vno die ætas Lunæ ibidem minor obtruditur. Ex hoc insigni monumento patet rectè à Panuinio anno insequenti V. C. 1002. statui Consules Æmilianum & Aquilinum. Cum verò horum consulatu signentur rescripta Philippi Augusti, ac postea etiam Imperatoris Decij, patet initium imperij Decij contigisse A. V. 1002. Christi 249. iuxtà veram Panuinij Chronologiam. Plurimi autem interest initium principatus Decij suo rectè anno statuere; quia cum ille post occupatum imperium, persecutionem contra Christianos instituerit, qua S. Fabianus Papa alijque in Romano Orbe Martyres occisi sunt, ac plura in Africana Ecclesia id temporis gesta fuerint ex epistolis S. Cypriani, in magnis Annalibus illorum ordo turbatur, quem tamen in suis ad eosdem animaduersionibus nunc restituet Antonius Pagy, cuius volumina magno Ecclesiasticæ historiæ incremento prælis modò cuduntur.

Itaque cum A. V. 1003. Christi 250. primus annus imperij Decij exierit, si ab eodem retrò numerentur anni Rhesænæ CXVIII. in eiusdem vrbis nummis obsignati, horum initium contigit A. V. Romę 885. Christi 132. eodemque XV. imperij Hadriani, *quo anno*, inquit V. C. Harduinus pag. 420. *Syriam is lustrauit*, vt Rhesæna ab Hadriano in Syria morante, autonomia siuè immunitate alijsque exemptionibus donata, Æram nouam eodem anno in honorem eiusdem Principis instituerit. At Rhesæna non erat in regione quæ ea ætate Syria diceretur, sed vltra Euphratem in Mesopo-

tamia. Eutropius lib. 9. cum narrasset Hadrianum post Traiani obitum imperium obtinuisse, ait: *Qui Traiani gloria inuidens, STATIM prouincias tres reliquit, quas Traianus addiderat, & de Assyria, Mesopotamia, & Armenia reuocauit exercitus: ac finem imperii esse voluit Euphratem*, quem limitem olim Romano in Oriente imperio Augustus constituerat, ac Cæsarum primus Traianus ad Assyrios vsque protulerat. Hieronymus eadem, vt pleraque alia, ex eodem Eutropio in Chronicon Eusebij deportans, anno primo principatus Hadriani recitauit. Spartianus cap. 5. de vita eiusdem Principis, ait: *Omnia trans Euphratem ac Tigrim reliquit*. Quæ & ipse recenset sub ipsa initia imperij Hadriani, cum adhuc esset in Syria A. V. 870. Christi 117. Extant nummi Hadriani cum epigraphe: ADVENTVI AVG. SVRIÆ: item IVDAEÆ, & in alijs ARABIÆ, itidem AEGYPTI; nullus verò cum epigraphe *Mesopotamiæ*; quòd hanc prouinciam, quam ab imperio disiunxerat, nunquam lustrauit. Cur ergo Rhesæna vrbs Mesopotamię nouam Epocham ab anno XV. imperij Hadriani instituit, cum extra Romani imperij limites sita esset? Huiusce tamen difficultatis solutionem mihi videor colligere ex laudato Spartiano, qui cap. 21. de Hadriano scribit: *Parthos in amicitia semper habuit, quòd inde regem detraxit, quem Traianus imposuerat. Armeniis regem habere permisit, quum sub Traiano legatum habuissent. A Mesopotamiis non exegit tributum, quod Traianus imposuit*. Itaque Traianus ex tribus illis memoratis regionibus legiones detraxit, ita vt Parthis ac Armenijs proprios reges habere permiserit; Mesopotamios autem liberos à tributis esse voluerit, quos tamen neutiquam Parthorum ditioni additos voluit, vt perperàm Salmasius putauit. Vti verò Abgarus in superiori parte Mesopotamię apud Edessam regnabat, ita alij reguli in alijs eius prouincię partibus angustius imperitabant; cum tamen aliæ vrbes post concessam ab Hadriano libertatem, quandam reipublicæ formam seruantes, in nullius reguli ditione censerentur. Has inter fuit Rhesæna ad Aboram sita, quæ cum A. V. 885. ab Hadriano siuè peculiaria priuilegia, siuè à finitimorum Dynastarum tyrannide tutelam impetrasset, nouam Epocham in eiusdem honorem instituisse videtur.

Alterum rursùs dubium occurrit, nempè cur Rhesænesij tot nummos vno eodemque anno CXVIII. imagine Decij, ac quoldam etiam Herenniæ Etruscillæ Augustæ vxoris, itemque vtriusque filij Decij Cæsaris obsignauerint, cum hactenùs rari eiusdem Vrbis nummi alios Cæsares repræsentantes, inuenti fuerint? Baronius tom. 2. ad A. Christi 253. num. 128. scribit Decium bello contra

Per-

Persas suscepto, in Syriam peruenisse, vbi S. Babylam Episcopum Antiochiæ neci tradidit. Et rursùs ad A. Christi 254. num. 27. ait: *Abusus est Decius de Persis, quam est consecutus Christiani hominis ope victoriam &c. occisis qui in eius manus deuenerant, Persis Christianis, Polychronio Episcopo Babylonis &c. ac demum post longa vincula Abdone & Sennen subregulis*. Hinc quispiam suspicari posset, victis ab Imperatore Decio Persis, tot nummos à Rhelænesijs eiusdem Augusti imagine obsignatos fuisse, quòd idem Princeps ipsorum vrbem à potentissimi hostis metu liberasset, ac in Mesoporamia existens, nouis eandem beneficijs ornasset. Ceterùm illa Decij in Persas expeditio in Annales Ecclesiasticos deportata est ex Actis, quæ præmittuntur narrationi martyrij S. Laurentij, quæ tamen eidem eruditissimo Baronio loco laudato num. 27. *nonnihil corrupta* dicuntur, & in notis Martyrologij ad diem 30. Iulij, *castigatione indigere* fatetur. Initio Actorum cap. 1. dicitur Decius victis acie Persis, Babylonem, Bactrianam, Hyrcaniam, & Assyriam occupasse, ac apud Babylonem templum Saturno ædificandum iussisse, quo perfecto, Polychronius Babylonis Episcopus Dijs ibidem libare recusans, neci traditus fuit, Clero eiusdem Ecclesiæ in ciuitatem Cordubam tracto, ibique postea interfecto. Additur Decium ex Perside Romam Abdonem & Sennem Persarum Subregulos duxisse, eosque ob Christi cultum interficiendos iussisse, quibus paucos intra dies socios addidit Sanctos Sixtum Papam ac Laurentium. Denique dicitur Decius à Dæmone correptus, animam Romæ inter cruciatus exhalasse. Quæ omnia planè fabulosa sunt. Nam Sex Rufus in Breuiario accuratè bella à Romanis cum Persis gesta recensens, bello à Gordiano contra illos feliciter administrato, addit alterum postea à Valeriano contra eosdem improsperè gestum, quæ itidem scribit Eutropius lib. 9. ita vt nulla vsquàm legatur Decij contra Persas expeditio. Decius anno Christi 249. imperium inuasit, vt ex eiusdem rescripto demonstraui. Anno proximo 250. erat Romæ, vbi S. Fabianum Papam die 20. Ianuarij martyrio affecit, ipsomet Decio II. & Grato Coss. vt in vetustis monumentis Ecclesiasticis legitur; vbi etiam Celerinum pro Christi fide in carcerem coniecit, de quo S. Cyprianus epist. 34. ad Clerum Carthaginensem scribit: *Hic ad temporis nostri prœlium primus: hic inter Christi milites antesignanus: hic inter persecutionis initia feruentia cum ipso infestationis principe & auctore*, nempè Imperatore Decio, *congressus, dum inexpugnabili firmitate certaminis sui aduersarium vicit, vincendi ceteris viam fecit*. Idem patet ex epistola Luciani ad eundem confessorem Celerinum quæ num. 72. apud S. Cypria-

Cyprianum recitatur, vbi ait: *Tu verò, Deo volente, ipsum anguem maiorem*, nempè Decium, *metatorem Antichristi non tantùm confessus deterruisti vocibus illis & verbis Deificis &c.* Porrò occiso Fabiano Papa, vltrà annum Romanam sedem vacasse optimè ex epistolis eiusdem Cypriani ac Cleri Romani Baronius demonstrat ad annum Christi 253. qui Æræ vulgaris est 250. Nam cum Decius in Vrbe præsens Ecclesiam sæuissimè persequeretur, Romanus Clerus non potuit nouum Pontificem designare. Aurelius Victor in Cæsaribus scribit à nouo Imperatore Decio Etruscum filium Cæsarem creatum, *statimque*, inquit, *eo in Illyrios præmisso, Romæ aliquantùm moratur mœnium gratia, quæ instituit, dedicandorum*. Addit caput Iotapiani, qui in Syria imperium inuaserat, ad eundem Decium delatum; *simulque*, inquit, *per eos dies Lucio Prisco, qui Macedonas præsidatu regebat, delata dominatio, Gothorum concursu &c. Qua causa Decio, quàm potuit maturrimè Roma digresso*. Id temporis Cornelium Papam creatum nempè anno Christi 251. indicat S. Cyprianus epist. 52. ad Antonianum de Decio scribens: *Cum multò patientiùs & tolerabiliùs audiret leuari aduersùs se æmulum Principem, quàm constitui Romæ Dei Sacerdotem*. In vetustis tabulis Ecclesiasticis Cornelij Papæ electio dicitur peracta vtrisque Decijs Consulibus, anno videlicèt Christi 251. Quare hoc anno Decius Prisci noui Imperatoris designatione intellecta, Roma contra eundem ac fauentes illi Gothos profectus, adulto autumno prœlio à Gothis victus, miserè extinctus est. Legatur Iornandes cap. 18. de rebus Geticis. Hinc Gallus Trebonianus ac Vibius Volusianus noui Principes annum proximum 252. Consules aperuerunt. Itaque fictitia est illa Decij in Persas expeditio in memoratis Actis narrata, vti etiam perperàm ibidem dicuntur Xystus Papa ac Laurentius martyres sub Decio occisi, qui Valeriano Augusto imperante, interfecti sunt; vti etiam falsum est Decium Romæ sæuam animam exhalasse, cum ille, vt cæteris consentientibus, ait Constantinus Augustus in oratione ad Sanctorum cœtum cap. 24. *in Scythicis campis vnà cum omni exercitu prostratus*, interierit. Cum in ijsdem Actis cap. 7. legamus: *Latuerunt autem corpora Sanctorum Abdon & Sennem vsque ad tempora Constantini*, patet scripta fuisse à posterioris æui Scriptore eorum quæ in literas mittebat, imperito. Itaque tot nummi apud Rhesænam vno eodemque anno scalpti fuerunt, non quòd ibidem bello Persico vrgente, Decius substitit; sed vel quia ciues ab absente Imperatore nouis beneficijs ornati fuerunt; vel quia Legatus quispiam Mesopotamiæ apud Rhæsenam coloniam Romanam fortè degens, tot numismata in honorem Decij ac totius domus Augustę obsignanda curauit.



DISSERTATIO IV.

DE EPOCHIS VRBIVM PHOENICES.

CAPVT I.

Phœnice pars terræ Chanaam, à Phœnice rege, Cadmi fratre nomen sortita. Eiusdem termini. Eadem ab Imperatore Hadriano fit peculiaris prouincia Proprætoria à Syria distincta, eiusque fines ad Euphratem prolati. Phœnice ab Arcadio Augusto duas in prouincias diuiditur. Prouinciæ diœceseos Orientalis ab eodem Principe in primas ac secundas dissectæ. Id de Cilicia fusius ostenditur. Ea occasione duo Anazarbi & Aegarum numismata, ac vtriusque Vrbis epochæ exponuntur; ac literarum ΓΒ *&* ΓΓ, *itemque* ΑΜΚ *in nummis Tarsi & Anazarbi interpretatio proponitur; simulque Scaligeri sententia de* L *litera* lustrum *in Græcorum nummis exprimente, refellitur.*



PHœnice angustior Syriç regio, ceteris tamen illustrior euasit, numerosis è suo sinu colonis in varias Orbis partes emissis. Nam & Thebę in Bœotia, ac quę diu de maris terrarumque imperio cum Romanis contendit, Carthago, ac Gades in extremis Hispaniç finibus ad Oceanum, Phœnicas conditores habuere. Plurimas deductas à Phœnicibus colonias, prolixiori opere recenset peregrinę vir eruditionis Samuel Bochartus in parte posteriori Phaleg. Phœnices omnium primi duce Cadmo literarum figuras in Græciam

ciam ſcribendi neſciam detulerunt. Illi maria nauibus ſulcare, claſſe confligere, ligna arte induſtria dedolare, metalla fundere, ac miſcere, purpuram tingere, ſindones texere, vitra conflare, aliaſque tum pacis tum belli artes omnium primi docuerunt. Phœnicem ipſam eſſe regionem Chanaam ex LXX. Interpretum verſione colligimus; vbi enim Hebraicè *terra Chanaam* appellatur, eadem Græcè *Phœnice* iiſdem nuncupatur. Hinc vbi apud Matthæum Euangeliſtam cap. XV. 22. legitur: *Et egreſſus inde Ieſus, ſeceſſit in partes Tyri & Sidonis. Et ecce mulier Chananæa de finibus illis egreſſa, clamauit &c.* apud Marcum cap. VII. 26. eadem narrantem, mulier illa *Syrophœniſſa* nuncupatur. Bochartus cap. 1. laudati libri, Phœnices nominis originem obſcuram ac incertam tradit. Euſebius in Chronico ait: *Phœnix & Cadmus de Thebis Aegyptiorum in Syriam profecti, apud Tyrum & Sidonem regnarunt.* Ita nouus rex Phœnix de ſuo nomine eam Syriç partem nuncupauit, vt & Ægyptus quç Aeria antea dicebatur ab rege Ægypto, ac Arcadia ante Pelagia, ab Arcade victa, noua nomina acceperunt, teſte ibidem Euſebio. Cum Ioſue mediterraneam Chananæorum regionem, Deo fauente, ſubiugaſſet, qui maritimam oram accolebant, communem gentis cladem euaſerunt, ac inopia anguſtioris agri cogente, rei nauali ſtudentes, breui immenſas opes mercimonia toto penè Orbe, quà mari alluitur, exercendo, contraxerunt. Vetuſtiores Geographi ac Hiſtorici Phœnicem eum Syriç tractum nuncuparunt, qui ab Eleuthero flumine vſque in Ægyptum extenditur. Strabo lib. 16. pag. 520. ait: *Reliqua regionis ora ab Orthoſiade vſque ad Peluſium, Phœnicia vocatur, anguſta ac maritimis æſtibus obnoxia.* Liuius lib. 35. ſcribit Antiochum Magnum Cleopatrę filię nuptias cum rege Ptolemæo *Raphiæ in Phœnice* celebraſſe; quæ vrbs M. P. XXII. diſtabat Rhinocorura Ægypti oppido. Dionyſius Periegetes, qui Auguſto imperante, ſcripſit, vt probaui Diſſert. 2. pag. 193. de Cenotaphijs Piſanis, ait Ioppem ac Gazam à Phœnicibus incoli; vnde & Stephanus vtramque vrbem Phœnici adcenſet. Ceterùm Phœnice breuiores poſtea terminos habuit. Nam Strabo cit. pag. 518. ſcribit Eleutherum amnem iuxtà quoſdam Phœnicem a Seleucide Syria diſterminare, quem pariter terminum Phœnici ad Septemtrionem ſtatuit Ptolemæus lib. 5. Ioſephus lib. 15. cap. 13. de Cæſarea, quæ antea Stratonis turris dicebatur, ait; *Sita eſt hæc vrbs in Phœnice, quà in Aegyptum præternauigatur, Dora inter & Ioppem vrbes paruas.* Verùm idem Ptolemæus, Plinius, Vlpianus, aliíque Cæſaream Palæſtinę adſcribunt, ac fines Phœnices inter Dora ac Cæſaream à Corſeo flumine deſignari autumant.

Quæ

Quæ diuisio postea recepta est. Hinc Guillelmus Tyri Antistes ac Phœnices Metropolita lib. 11. de bello sacro cap. 17. ait: Phœniciam maritimam extendi *à riuo Velaniensi*, aliàs Eleuthero, *vsque ad Petram concisam Doræ conterminam*. Dora enim siuè Doram in diuisione trium prouinciarum Palæstinę, Imperator Arcadius primę Palæstinę adiecit. In Itinerario Hierosolymitano, quod scriptum fuit Delmatio & Zenophilo Coss. Anno Christi 333. legitur:

Ciuitas Balaneas M. P. XII.
Finis Syriæ Cœlis & Phœnicis.
Mutatio Maraceas M. P. X.
Mansio Antaradus M. P. XVI.

Vbi postea vrbes ac minora oppida siuè mutationes Phœnices prouincię recitantur. Ipse quidem hoc in opere Dora intra Phœnicem recensebo, quòd eius prouincię vrbs erat, cum nummi quos exponam, ibidem scalpti sunt. Pars verò mediterranea Phœnices olim angustior erat, cùm Ptolemæus iuxtà vetustos eiusdem terminos, non autem quos nuper Hadrianus posuerat, quatuor tantum eiusdem oppida appellet; ac apud Plinium lib. 5. cap. 12. *circumfundi Syria Phœnicem* legamus; siquidem ab Oriente Cœle Syria cingebatur. Hadrianus Augustus mediterraneam Phœnicem vsque ad Euphratem vltra Palmyram extendit. Spartianus cap. 14. de vita eiusdem hæc scribit: *Antiochenses inter hæc ita odio habuit, vt Syriam à Phœnice separare voluerit, ne tot ciuitatum metropolis Antiochia diceretur*. Habemus auctę per Hadrianum Phœnices, testem locupletissimum S. Iustinum Martyrem in Dialogo contra Iudæos, vbi ait: *Damascum porrò Arabiæ fuisse, atque esse, etiamsi NVNC attributa est ei regioni quæ Syrophœnice dicitur, nemo vestrum inficiari potest.* Initio verò eius Dialogi legimus: *Tryphon, inquit, vocor; sum Hebræus ex circumcisione, qui ex bello, quod modò gestum est, euasi*. Hadrianus bellum illud contra Iudæos gesserat, quo eosdem contudit, ac prorsus oppressit, vti scribunt Dio, ac fusiùs Eusebius lib. 4. cap. 6. Quare liber ille Iustini scriptus fuit vltimis annis imperij Hadriani, vel sub initium principatus Antonini Pij, cui idem S. Martyr Apologiam pro Christianis inscripsit. Tertullianus eadem ex Iustino exscribens cap. 9. contra Iudæos, ait: *Et Damascus Arabiæ retrò deputabatur, antequàm transcripta esset in Syrophœnicem ex distinctione Syriarum*. Quæ repetit lib. 3. con. Marcionem cap. 13. Phœnicem verò ad vsque Euphratem versus Orientem protensam colligo ex Vlpiano, qui lib. 50. Digest. *L.* 1. *de censibus* §. 5. ait: *Est & Palmyrena ciuitas in prouincia Phœnice propè barbaras gentes & nationes collocata*. Eiusdem Palmyrę ager Euphrate terminabatur, à

quo eadem vnius diei itinere distabat, vt ostendi Differt. 2. cap. 3. §. 2. Ex illa verò Syriarum diuisione superior Syria vulgò *Syria Cœle*: inferior verò *Syria Phœnice* dicebatur, cum huic proprium legatum Proprætorem Hadrianus imposuisset. Iacobus Sponius hanc Inscriptionem altero à Sidone vrbe Phœnices lapide dicatam, recitat Sect. VIII. Miscellan. pag. 270.

IMPERATORES. CAESARES

L. SEPTIMIVS. SEVERVS. PIVS. PERTINAX

AVG. ARABICVS. ADIABENIC. PARTHICVS. MAXIMVS

TRIBVNICIA. POTEST. VI. IMP. XI. COS. II. PROCOS. P. P.

ET. M. AVREL. ANTONINVS. AVG. FILIVS. EIVS

VIAS. ET. MILIARIA. PER. Q. VENIDIVM. RVFFVM

LEG. AVG. PR. PR. PRAESIDEM. PROVINC. SYRIAE

PHOENIC. RENOVAVERVNT

Ita Q. Venidius Rufus anno VI. imperij Seueri Syriam Phœnicem prouinciam Legatus pro Prætore administrabat. Auctor est Dio in excerptis apud Leunclauium pag. 988. Imperatorem Macrinum dignitatem Senatoriam Mario Secundo detulisse, qui etiam eidem dicitur τῆς Φοινίκης προστατῶν, *Phœniciæ præses*. Extat etiam lib. 1. Cod. Lex. 3. *de diuersis rescriptis*, à Diocletiano missa *Crispino præsidi prouinciæ Phœnicis*. Auctor est Suidas, vt postea dicam, Paulum Tyrium insignem Oratorem ab Hadriano impetrasse, vt Tyrus Metropolis constitueretur, nempè nouæ prouinciæ Syriæ Phœnices à Syria Cœle tum primùm quod ad ciuilem administrationem attinet, disiunctę. In vetusto indice prouinciarum imperij Romani, qui Itinerario Antonini à Surita additus fuit, hæ Syriacę prouinciæ recensentur: *Syria Cilicia* vbi *Cœles* legendum. *Syria Palæstina*, *Syria Phœnice*. Quas itidem tres in Syria prouincias describit Ammianus Marcellinus lib. 14. Extat lib. 12. Cod. Theod. *lex* 52. *de decurionibus*, ad Iulianum Consularem Phœnicis. Et signatur *Accepta Idibus Octobris Tyro*, Mamertino & Neuitta Coss. A. Christi 362. Est Iuliani Augusti rescriptum. Rursus ibidem lex 83. à Theodosio seniori dicitur *scripta Petro Consulari Phœnicis*, *Damasco*, pridie

die Id. Maij, Gratiano, adde V. Theodosio Augg Coss. Anno Christi 380. Ita eadem die iisdemque Coss. lex 9. *de filiis militar. apparit.* in lib. 7. eiusdem Cod. recitatur *scripta Petro Consulari Phœnicis*; *Damasco*. Et in eodem libro lex 11. *de Tironibus*, signatur: *Dat. Idibus Maii*, *Tyro metropoli*, *PP.*, id est, *proposita*, *Beryto*, Antonio & Syagrio Coss. A. Christi 382. Est lex Theodosij Magni, quæ data Constantinopoli, missa fuit Tyrum, vbi tanquam in Metropoli Consularis Phœnices residebat; eademque indicatur proposita Beryti. Cum verò vtraque lex memorata dicatur scripta Petro Consulari Phœnices, *Damasco*, dubitari potest num illę Damasci tantùm propositæ fuerint, vel potiùs acceptę tanquam in Metropoli ac sede Consularis Phœnices. Et sanè Phœnice ab eodem Theodosio, vel ab Arcadio eiusdem filio, vti puto, in duas ciuiles prouincias dissecta est, quarum vna sub Tyro Metropoli Phœnice prima siuè maritima dicta fuit; altera, cuius Metropolis fuit Damascus, Phœnice secunda siuè Libani nuncupata est. Ipse quidem arbitror, cum laudatę leges emissæ sunt, nondum Phœnicem in duas prouincias distinctam fuisse; cum nusquam vlla earundem distinctionis nota ibidem appareat, sed vnius Phœnices Consularis ibidem mentio fiat sine additis *maritima*, aut *ad Libanum*. In Synodo Arianorum Antiochena anno Christi 341. dicuntur Episcopi congregati *ex prouinciis Syriæ Cœles*, *Phœnices*, *Palæstinæ*, *Arabiæ &c.* Vbi Magnus Episcopus Damasci post Æneam Ptolemaidis subscriptus legitur. Ita etiam Syria, Phœnice, ac Palæstina recitantur in Synodica Conciliabuli Philippopolitani, quod habitum fuit A. Christi 347. In Synodo quoque Oecumenica C-P. Theodosio Magno imperante, celebrata anno Christi 381. sub titulo *Prouinciæ Phœnices*, primo loco recensetur Zenon Tyrius, & post Nectabum Ptolemaidis, Philippus Damascenus. Quare nondùm Damascus euaserat Metropolis Phœnices Libani à Phœnice maritima disiunctę. Id verò temporis cum Augusti ciuilem prouinciam in duas partiebantur, binę etiam Ecclesiasticę prouincię euadebant. Valens Imperator, quò S. Basilij Cæsareę in Ponto Metropolitę iurisdictionem Ecclesiasticam imminueret, Cappadociam in duas prouincias diuisit, ac alterius Thyana metropolim fecit; atque Anthimus Episcopus Thyanorum metropoliticam sibi statim potestatem arrogauit, vti patet ex epist. 33. 35. alijsque S. Gregorij Nazianzeni. In diœcesi Patriarchatus Antiocheni longè plus quàm alijs in regionibus, prouinciarum ciuilium numerus auctus fuit. Nam Cilicia, Syria, ac Phœnice in binas singulę prouincias ciuiles partitę fuerunt; Palæstina verò in tres planè dissecta fuit,

quæ imperante Theodosio Magno erat intra diœcesim Patriarchatus Antiocheni. Extat *Lex* 30. *de erogat. milit. annonæ*, qua Theodosius iunior iubet, vt militibus limitaneis *per primam*, *secundam*, *& tertiam Palæstinam* precia, non verò species præbeantur. Signatur *Dat. X. Kal. Aprilis*, *Honorio Aug. VIII. & Theodosio Aug. III. Coss.* anno Christi 409. eodemque primo imperij eiusdem Theodosij. Quare ea prouinciarum diuisio facta fuit ab Arcadio, cui imperium Orientis obtigerat, Honorio fratre in Occidente imperante. Nam quò plures de se optimè meritos prouinciarum administratione decoraret, easdem in Orientali præsertim diœcesi multiplicauit. Quamuis verò Imperator plures ciuiles prouincias constituisset, Patriarcha tamen Antiochenus dubitauit, num totidem etiam prouincię Ecclesiasticę multiplicandę forent. Qua de re cum Alexander Antiochenus Antistes ad S. Innocentium Papam scripsisset, hocce responsum tulit cap. 2. Epist. 18. eiusdem Innocentij: *Nam quòd sciscitaris, vtrum diuisis imperiali iudicio prouinciis, vt duo metropoles fiant, sic duo metropolitani Episcopi debeant nominari: non verè visum est ad mobilitatem necessitatum mundanarum Dei Ecclesiam commutari, honoresque aut diuisiones perpeti, quas pro suis causis faciendas iusserit Imperator.* Verum secùs factum fuisse constat ex Synodo Ephesina, decimo anno ab Alexandri Antiocheni obitu celebrata, ac subsecutis postea litigijs, in quibus metropolitę primæ ac secundę Cilicię, Phœnicię maritimę ac alterius ad Libanum, ac denique vtriusque Syrię occurrunt, vt patet ex Epistolis veterum Patrum, quas vir magnus Christianus Lupus eruditissimis notis illustrauit, de quibus quædam hic cap. 3. subnotabo.

Scio Ioannem Harduinum longè antiquiorem censere Ciliciæ prouincię diuisionem. Extat Hadriani nummus in postica inscriptus: ΠΡΟΝΟΙΑ. ΚΒ. Eques Patinus pag. 197. interpretatur: *Prouidentia. Anno* XXII. imperij scilicèt Hadriani. Hanc interpretationem Harduinus explodit, quòd Hadrianus annum imperij XXII. non inijt. Verum cum ille imperauerit annos viginti ac menses undecim, vno minus die, nummus ille procul à Baijs in Italia, vbi Hadrianus decessit, cudi potuit in Cilicia vel in Syria, nondum ibidem obitu Imperatoris intellecto, vt paucis post diebus ineunte anno XXII. imperij eiusdem, publicaretur. Gisbertus Cuperus illustrissimus Fœderatarum prouinciarum Belgij apud Hagam Comitum Senator, idemque Scriptor insignis, pagina 174. sui Harpocratis, binas laudati nummi literas exponit: Κοινὸν Βειθυνίας: *Commune Bithyniæ*; quæ pariter interpretatio vero similis apparet. Ceterùm easdem literas Harduinus commentatur pag. 249. *Prouidentia*

dentia. Cilicia secunda; vt literę K B eidem exponantur Κιλικίας δευτέρας. Idem pag. 40. numisma Cornelię Paulę vxoris Imperatoris Elagabali, in auersa parte obsignatum: ANAZAPBEΩN. A M K. Latinè reddit: *Anazarbensium, prima metropoleos Cilicia*. Vbi notat easdem literas A M K occurrere etiam in nummis apud Tarsum Ciliciç percussis; *quòd*, inquit, *vt Cilicia prima Metropolis Tarsus foret, ita secunda Anazarbus: vtraque in prouincia sua ciuitatibus principatum obtineret*. Laudat Notitiam veterem Ecclesiarum, in qua sub Consulari Tarsus dicitur Metropolis Ciliciç primę; Anazarbus verò sub Præside Metropolis Ciliciæ secundę. Non possum ad laudati Scriptoris sententiam accedere; siquidem diuisio prouinciarum Ciliciç, Syrię maioris, Phœnices, ac Palæstinę in *primas* ac *secundas* contigit post tertium ferè sæculum ab imperio Hadriani, quod de Cilicia præsertim ostendo. Dio enim in Hadriano scribit: *Apronianus pater meus qui Cilicia præfuit &c.* In lib. 22. Digest. *L.* 3. *de testibus*, Callistratus I. C. ait: *Ideoque Diuus Hadrianus Vibio Varo Legato prouincia Cilicia rescripsit*. Hic Vibius Varus imperante Hadriano, A. V. 887. Christi 134. fuit Consul, collega Iulio Seruiano III. vt ex vetustis Inscriptionibus ostendi pag. 80. Epistolę Consularis. Item lib. 50. Digest. *L.* 2. *de iure immunit.* Vlpianus laudat rescriptum *ad Vinidium Rufum Legatum Cilicia*. Vinidij Rufi imperantibus Seuero ac Caracalla, Phœnices Legati Inscriptionem superiùs exhibui. Carus Imperator antea *Proconsul Cilicia* inscribitur in epistola apud Vopiscum cap. 4. de vita eiusdem. In vetustis Inscriptionibus Gruteri pag. 1102. 9. laudatur quidam Haterianus LEG. AVG. PR. PR. PROVINC. CILIC. Itaque antiquitùs iam inde ab imperio Hadriani ac successorum, vnus Legatus Augusti pro prætore vniuersam Ciliciam administrabat. In eodem volumine pag. 442. laudatur T. Varius Clemens *Procurator Prouinciarum Belgica, vtriusque Germania &c. CILICIAE*. Quòd Germania erat duplex prouincia, videlicèt superior & inferior, Varius dicitur vtriusque Germanię Procurator; cum verò Cilicia sine vlla distinctionis nota recitetur, vnica tantùm erat ciuilis prouincia. Ita quòd Hispania in Bæticam, ac Tarraconensem siuè citeriorem diuidebatur, Legati huius secundę passim in vetustis elogijs inscribuntur Præsides H. C. nempè *Hispania citerioris*. Præterea in Actis passionum Sanctorum Martyrum plures Ciliciæ rectores nominantur; nec vspiam duplex Cilicia indicatur. In actis SS. Tharaci, Probi, & Andronici, quę Græca nuper edidit summę eruditionis vir idemque veterum MSS. codicum indagator solertissimus, Emericus Bigotius, Numerius Maximus Præses Ciliçię legitur. In actis

S. Ze-

S. Zenobij die 30. Octobris dicitur Lysias à nouo Imperatore Diocletiano præses in Ciliciam missus, qui apud Mopsuestiam & Ægas Christianos supplicijs addixit. Maximianus eiusdem Ciliciæ administrator legitur in actis S. Sozontis, qui die 7. Septembris Pompeiopoli martyr occubuit; vti & Simplicianus in actis S. Bonifacij & sociorum. Nusquam verò in tot vetustis monumentis Ciliciæ *primæ* aut *secundæ* vestigium occurrit. Denique in Cod. Theodosiano extant constitutiones Imperatoris Constantij *L. 24. de Appellat.* cum titulo: *Procopio Præsidi Ciliciæ*; & rursùs *L. 1. de inoffic. dotibus, ad Maximum Præsidem Ciliciæ*, & à Valente Augusto *L. 5. de Susceptor.* semel & iterum *Præses Ciliciæ* nominatur. Cum verò idem Valens, Cappadociam in duas prouincias diffecuisset, vti tradunt S. Gregorius Nazianzenus Orat. 20. de laudibus Basilij Magni, ac Gregorius presbyter in vita eiusdem Nazianzeni, tum primùm nomina *Cappadocia prima*, ac *Cappadocia secunda* audita sunt. Quæ vocabula *primæ* ac *secundæ* Hadriani sæculum planè ignorauit. Nam id temporis Germania *superior*, & *inferior*, vti etiam Pannonia ac Mysia; vel Armenia *maior*, & *minor* dicebantur. At exemplo Valentis diuisis postea Cilicia, maiori Syria, Phœnice, ac Palæstina, harum singulæ *primæ* ac *secundæ* nominibus nuncupatæ sunt, quæ Latinæ uoces tum primum vsurpatæ, Romanum sermonem iam in barbariem inclinatum ostendunt. In veteri Notitia prouinciarum Imperij, quam superiùs appellaui, hæc leguntur.

ORIENTIS PROVINCIAE X.

1. *Syria Cilicia* (lege Cœle) *in qua est Antiochia.*
2. *Syria Palæstina.*
3. *Syria Phœnice.*
4. *Isauria.*
5. *Cilicia iuxtà montem Taurum.*
6. *Cyprus.* 7. *Mesopotamia inter Tigrim & Euphratem.*
8. *Euphratesia.* 9. *Osdroene.* 10. *Sophane.*

Hæc Notitia imperante Theodosio Magno, scripta colligitur, quòd inter octo prouincias Ponti nominatur *Honorias*; & inter sex Ægyptiacas recensetur *Arcadia*, quam de nomine Arcadij filij Theodosius nuncupauerat, cum ab altero iuniori filio Honorio priori *Honoriados* nomen imposuerit. Porrò in eo indice tres Syriarum prouinciæ appellantur, vti vna etiam tantùm Cilicia. Imò cum inter Ponti prouincias vnica etiam *Cappadocia* memoretur, facta antea ab Ariano Imperatore eiusdem diuisio, Theodosij decreto reprobata videtur. Hæc omnia firmantur ex subscriptionibus Synodi Constantinopolitanæ, quæ secunda inter Oecumenicas recensetur, quæ-

ue

ae celebrata est anno Christi 381. ac tertio imperij laudati Theodosij. Nam ibidem sub titulo *prouincia Cæles. Syria*, primo loco subscriptus legitur *Meletius Antiochenus*, à quo quartus nominatur *Ioannes Apamensis*, cuius postea vrbis Episcopi fuerunt Metropolitæ Syrię Secundę. Episcoporum Phœnicię primus subscribit *Zenon Tyrius*; ac dein quarto loco *Philippus Damascenus*. Rursùs sub titlo *prouincia Cilicia*, primus occurrit *Diodorus Tarsensis*; sub quo recitantur Episcopi *Mopsuestiensis*, & *Alexandrinus*, qui ambo postea sub Antistite Anazarbi Metropolita Cilicię Secundę in Synodis referuntur. Denique sub *Helladio Cæsariensi* Metropolita Cæsareę in Cappadocia, tertio loco numeratur *Etherius Tyanensis* in vna eademque Cappadocia Episcopus. Et sanè laudatę literę Alexandri Patriarchę Antiocheni, quibus S. Innocentio Papę significat in sua Orientali diœcesi *diuisas imperiali iudicio prouincias*, palàm demonstrant Ciliciam, ac reliquas proximè memoratas, ex quibus diœcesis Orientis constabat, recenti decreto Arcadij Augusti in primas ac secundas partitas fuisse.

Præterea nec illis literis A M K in Anazarbi nummo obsignatis, eadem vrbs Metropolis Cilicię secundę indicatur. Equidem cum hæc ipsa in literas mitterem, Serenissimus Etrurię Magnus Dux COSMVS III. commodùm mihi nummum ostendit sibi nuper Aleppo delatum, cuius hic iconem æri incisam appendo.



Est numisma primę, vti vocant, magnitudinis, cuius anterior epigraphe Latinè vertitur: *Imperator Cæsar Publius Licinius Valerianus Augustus*; & posterior: ΑΝΑΖΑΡΒΟΥ ΕΝΔΟΞΟΥ ΜΗΤ. ΕΤ. ΒΟC. *Anazarbi gloriosæ Metropoleos. Anno* CCLXXII. Vox Græca ἔνδοξος Latinis est *illustris*, *gloriosus*, *inclytus*. Procopius pag. 84. Hist. arcanæ vocat Anazarbum ἐπιφανεστάτην *illustrissimam*. Iustinianus Imperator in titulo edicti de fide post Synodum V. dicitur ἐνδοξὸς,

ἐνδο-

εὐτυχὴς, ἔνδοξος : *Pius* , *Felix* , *Inclytus* ; vti in Latinis alijs edictis inscribitur. Sex illę vmę cum ramo palmę, significant certamina Actia, Pythia, aliaque, quorum similia symbola in nummis passim occurrunt. Harduinus pag. 41. nummum Gallieni recitat apud Anazarbum percussum cum eadem Epocha ET. BOC. Anno CCLXXII. *vt sit* , inquit , *hic annus Gallieni primus* , *Vrbis Romæ* MXII. Epocham enim Anazarbi initam docet A. V. Romę 741. Hinc in altero nummo regio L. Veri retrorsus inscripto : ANAZAPBO. ET. BΠP. *Anno CLXXXII.* ait *annum hunc planè incidere in annum vrbis Romæ DCCCCXXII. M. Aurelii & L. Veri decimum : vndecimo enim L. Verus obiit* ; quod probat testimonio Capitolini , At vir clarissimus in initio Æræ Anazarbi deducendo planè deceptus est, ac perperàm L. Vero vndecim imperij annos attribuit, cum ille nondum exacto anno nono principatus , obierit. Hoc vno & altero amplissimo testimonio obiter demonstrabo. Extat nummus apud Vaillantium pag. 81. partis prioris de nummis Imperatorum, anteriùs inscriptum : M. AVR. ANTONINVS AVG. P. M. TR. P. XXIII. & retrorsùs ; DIVVS VERVS. S. C. cum L. Veri capite sine laurea. Marcus Aurelius A. V. Romę 922. Æræ Christi 169. iniuit TR. Pot. XXIII. vt patet ex pluribus eiusdem nummis in erudito opere Illustrissimi Comitis Mediobarbi à pag. 221. Cum autem L. Verus imperium inierit A. V. 914. Christi 161. Tribunicię potestatis M. Aurelij XV. vt ex vtriusque nummis dudùm ab eruditis probatum est, quod ex duabus etiam Inscriptionibus cap. 3. de uotis Decennalibus demonstraui, patet eundem L. Verum anno nono imperij vita defunctum, in Superos à collega Marco relatum, priusquàm huic exiret annus TR. P. XXIII. Præterea extat rescriptum eiusdem Imperatoris M. Aurelij *lib.* 3. *Cod. tit.* 31. *de petit. L.* 1. in cuius titulo legitur : *Imp. M. Aurelius Antoninus Augustus Augurino proconsuli Africæ* , & statim : *Senatus consultum auctore Diuo Hadriano auo meo &c.* & signatur : *Propositum VI, Kal. Februarias, Claro & Cethego Coss.* Hi Consules in Fastis prænotantur anno vrbis Romę 923. Christi 170. quo C. Serius Augurinus post consulatum gestum A. V. 909. Christi 156. proconsulatum suo tempore sortitus, Africam administrabat. At eo anno Christi 170. die 27. Ianuarij paulò antea mortuo Vero Augusto collega, vnus imperabat M. Aurelius, cuius solius nomen laudato rescripto præfigitur ; cum viuente Vero , vtriusque Augusti nomina vna simul prænotarentur ; quòd postea etiam semper obseruatum fuit, cum plures essent simul collegæ Imperatores. Hinc libro 2. Digest. *L.* 37. *de pactis* , ac *L.* 3. *de transact.* & alibi in titulis legimus :

mus: *Imperatores Antoninus & Verus*; siuè: *Diui fratres*, vti lib. 1. Cod. *L.* 2. *&* 3. *de alen. lib.* & in lib. 48. Digest. *L.* 26. & 27. *de pœnis*. Cum verò memoratum rescriptum ab vno M. Aurelio emissum, die 27. Ianuarij in Africa propositum fuerit, ac L. Verus apud Altinum Venetorum vrbem obierit, eiusdem mors contigit mense Decembri A. V. 922. Christi 169. imperij eiusdem nono. Galenus qui id temporis erat in comitatu Imperatorum, cap. 2. de libris proprijs, & cap. 9. de præcognit. ad Postumum scribit L. Verum *media hieme* imperandi ac viuendi finem fecisse.

Alter error Harduini in statuendo initio Æræ Anazarbi patet ex delineato Imperatoris Valeriani numismate, in quo obsignatur annus eius Vrbis BOC, *ducentesimus septuagesimus secundus*. Quare non vnus tunc Gallienus imperabat, patre Valeriano apud Persas captiuo, vt ille scriptor imaginatur. Equidem ex duabus literis Γ Γ, quæ in superiori parte areæ eiusdem nummi visuntur, facilè caput Epochę Anazarbi assequeremur, si ipsius Harduini nobis opinio probaretur. Nam idem quod vulgò etiam Antiquarij putant, tradit literam Γ esse L inuersam, quæ annum significet. Itaque pag. 41. nummos Anazarbi exponens, ait: *Sed* L, *qua* λύκαβας *signatur, inuersa in hunc modum* Γ. Et rursùs pag. 486. in priori nummo Caracallę apud Tarsum percusso cum literis Γ B, ait: *Hoc est*, λυκάβαντος β'. *anno secundo*; *est enim Latina forma, vt solet, inuersa litera* L, quæ ibidem repetit in nummo Pupieni. Hinc iuxta vulgarem hanc opinionem duplex Γ Γ *annum tertium* imperij Valeriani indicaret, qui cœpit A. V. Romę MVIII. Christi 255. & cum in nummo laudato iungatur cum eodem annus 272. Æræ Anazarbi, huius initium deduceretur ab A. V. Romę DCCXXXVII. Ipse tamen eam opinionem de litera Γ quæ nempè sit L inuersa, annumque designet, iamdiu ex nummis falsam iudicaui. Hoc antequam ostendo, operæ precium duxi aliqua de literæ L. in Græcorum nummis significatione præmittere. Nam Scaliger lib. 3. de emend. Temp. pag. 452. ac in notis Eusebianis num. 2194. contendit ea litera L *Lustrum* significari; vbi etiam ait: *Magnam inscitiam suam aperuerunt, qui* λυκάβαντα *interpretantur*; quam etiam *iocularem* opinionem irrisionis gratia appellat. Petauius lib. XI. doct. Temp. cap. 20. Scaligeri interpretationem refellit, quòd in nummis Neronis legitur L. I. & L. IΓ. ac L. IΔ. aitque: *Haccine lustra sunt* X. XIII. & XIV? quæ pariter in Antonini Pij nummis notat, in quibus est L. IΓ. & L. KA. Et concludit: *Ergo litera* L *non lustra, sed aliud quippiam designat, quod annuum sit, nisi annus ipse magis intelligitur*. Verum laudati nummi Scaligeri interpreta-

pretationem neutiquam profligant; siquidem facilè reponeret, eos nummos à diuersis vrbibus scalptos, recurrentibus apud easdem lustris numero diuersis, cum illa lustra apud singulas non ab vno eodemque anno initium duxerint. Casaubonus ac Carolus Dufresnius, vt ex epistola Illustrissimi Abbatis Nicasij Parisijs ad me perscripta, intellexi, putant L in nummis non quidem literam esse, sed circumductionem siuè notam διπλῆς, qua priores literæ à posterioribus distinguantur. Quidam etiam negant L esse literam in nummis Græcorum, cum Λ apud ipsos scribatur, alia verò L sit maiorum vna litera apud Romanos.

In primis, vt ab hoc postremo incipiam, literam L loco Λ apud Græcos antiquitùs adhibitam prodit prolixior Inscriptio Atheniensis apud Sponium Sect. X. Miscell. pag. 315. vbi pro Græcorum Λ semper L apparet; vti & in altera Inscriptione Gruteri pag. XX. 1. Cum verò Græci literam Λ inuenissent, veteri L ad annum tantùm designandum vti potuerunt, qua nempè λύκαβας indicaretur. Macrobius lib. 1. Satur. cap. 17. ait: *Annum quoque vetustissimi Græcorum λυκάβαντα appellant*. Initio Inscriptionis Gruteri pag. MXXXVI. 9. legimus.

ΕΒΔΟΜΟΝ ΕΙϹ ΔΕΚΑΤΟΝ ΤΕ ΒΙΟΥ ΛΥΚΑΒΑΝΤΑ ΠΑΡΩΝΤΑ
Septimus ac decimus vitæ dum labitur annus.

Et in altero epitaphio pueri Hermophili quod cum ducentis ac quinquaginta alijs vetustis Inscriptionibus in patrio Vrbinate Museo V. C. Raphael Fabrettus vetustatis seruandę, posteritatis verò instruendę gratia, collocauit, breue memorati pueri vitæ spacium describitur.

ΕΠΤΑ ΜΟΝΟΥΣ ΛΥΚΑΒΑΝΤΑΣ ΔΥΩ ΚΑΙ ΜΗΝΑΣ ΕΖΗΣΑ
Septem annos mensesque duos mihi vita cucurrit.

Cur verò apud poetas annus λύκαβας & πλέθον dictus fuerit, ex Artemidoro, Eustathio, ac Suida pluribus tradit Hadrianus Iunius initio tract. de anno & mensibus. Antiquarij dudùm vulgò putant in nummis L, quæ vetusta etiam fuit apud Græcos litera, λυκάβαντα, id est, *annum* exprimi. Extat in celeberrima Bibliotheca Serenissimi Magni Ducis Etrurię ad D. Laurentij, in Pluteo XXVIII. vetus codex signatus num. XIV. in quo diuersi tractatus Astronomici leguntur. In eo autem codice in auersa pagina 13. ante finem quædam compendiosè scribendi notę sub hoc titulo ponuntur.

in-

ἑτέρων δήλωσις τῶν σεσημειωμένων : *aliarum notarum declaratio*, has inter legitur L L ἔτη, id est, *anni*. Illud volumen notatur ibidem fuisse Angeli Politiani ex codicibus Comitis Ioannis Pici Mirandulani, qui *ingeniorum Phœnix* dictus est. Vti vero plures compendiariç notç, quç ibi exponuntur, Latinarum formam non praferunt, ita existimo apud Ægyptios annum nota L designatum fuisse, qua postea proximi Syri vsi sunt; siquidem in nummis in Ægypto scalptis, litera L ante annos imperij Principum posita frequentissimè occurrit. Porrò sapè in ijsdem ita formatur, vt inferior linea eius notç L longius protracta, literas numerales annorum veluti intra se claudat, quod in pluribus nummis obseruaui, ac in Othonianis visitur apud Seguinum cap. 4 num. XV. Equitem Patinum pag. 114. Thesauri Mauroceni, aliosque Numismatum interpretes. Hinc L compendiariç potiùs notç, quàm cuiuspiam literç rationem habere mihi videtur; quamuis à Monetarijs etiam nitidioris formç gratia, vti Latinorum L scalpta fuerit. Si enim *λυκάβαντα* eadem designare voluissent, cur non initiali litera Λ vsi fuissent, sed potiùs L litera ab omnibus Græcis iamdiu antiquata, cuius vix vnum & alterum tantùm exemplum in tot Inscriptionibus Græcis hactenùs vidimus? Cæterùm vtro modo L explicetur, certum est ea nota annum significari. In nummis Imperatoris Vitellij Mediceis, cum capite Serapidis apparent L. A, vti & in alio cum capite Isidis, vtrobique A maiori litera intra L clausa. Item in quatuor nummis Othonis pag. 114. Thesauri Mauroceni eædem literæ eadem pariter figura expressæ exhibentur à V. C. Patino. Nempè quòd neuter Augustus biennium imperij attigit, eadem A tantum, quæ nota est vnitatis, in ipsorum nummis apparet; in aliorum verò Cæsarum nummis post notam L numerales literç nunquam annos imperij eorundem excedunt, quo euidenti argumento colligimus eadem nota annos principatus Cæsarum demonstrari.

Scaligeri opinio, sua illi verba reddo, iocularis eiusdem hac in re inscitiam ostendit. Vnico sed locupletissimo testimonio hominis commentum profligabo. Nam proxima Dissert. IV, cap. 5. §. 1. è Cimelijs Mediceis nummum Augusti profero apud Sidonem scalptum cum notis L. ZIP. ac praterea binos Traiani nummos à Sidonijs pariter percussos, in quorum vno sunt notæ L. EKC. in alio verò L. ZKC. Porrò Augustus obijt A. V. Romæ 767. Traianus verò A. V. 870. Enimuero si in laudato Augusti nummo litera L *lustrum* indicat, fuisset illud apud Sidonios lustrum ZIP, CXVII. in nummis autem Traiani signarentur lustra CCXXV. & CCXXVII. ac proinde ab imperio Augusti ad annos principatus

Traiani centum ac decem planè lustra Sidone peracta fuissent; quæ dant annos 550. cum tamen ab obitu Augusti ad mortem Traiani tres tantùm supra centum anni numerentur. Idem demonstrari posset ex nummis Tyriorum quos superius pag. 63. delineatos produxi. Nam in nummo Antiochi Epiphanis legitur: ΤΥΡΙΩΝ. ΞΜΡ. in altero verò Demetrij Soteris: ΤΥΡΙΩΝ. L. ΗΝΡ. In priori signatur annus Epochę Seleucidarum CXLVII. in altero verò cum nota L annus eiusdem Æræ CLVIII. Antiochus Epiphanes regnum Syrię obtinuit anno ab vrbe Roma condita 578. quo acta est Olympias CLI. quiue fuit Æræ Seleucidarum *centesimus trigesimus septimus*, ex lib. 1. Maccab. cap. I. 11. Demetrius Soter regnare cœpit A. V. 592. tertio Olympiadis CLIV. Æræ autem Seleucidarum centesimo quinquagesimo primo, ex eodem lib. 1. Macc. cap. VII. Cum verò constet in vtroque nummo Tyriorum obsignari annos regni Seleucidarum, falsa est Scaligeri interpretatio notam L pro lustro accipientis. Altera quoque expositio Casauboni ac Dufresnij refellitur, nempè quòd L διπλῆς rationem habeat, cuius interuentu insequentes literę ab antecedentibus distinguantur. Nam in nummis Cæsarum in Ægypto scalptis, in posteriori eorundem parte sine vlla Inscriptione, hæ notæ apparent: L. A. & L. B. &c. item L. I A. & L. I B. &c. iuxtà numerum annorum imperij Cæsarum, cuiusmodi nummi Hadriani ac Antonini Pij innumeri planè in Cimelijs prostant, vbi nota L nullas priores à posterioribus literis distinguit; sed vti notabam, inferiori sua linea transuersaria in longiùs ducta, insequentes numerales literas intra se complectitur. Præterea διπλῆ est nota trigoni obliqui figuram habens citra basim, cuius figuram inferiùs Dissert. IV. cap. 5. §. 4. in nummo Dororum scalptam exhibeo; & occurrit in MSS. comœdijs Aristophanis, vt ea nota interlocutorum verba distinguantur. At in nummis nota L transuersariam lineolam rectam, non autem obliquam aut decussatam habet, vt nullam planè διπλῆς figuram præferat. In nummo Domitiani Mediceo, retrorsùs cum Aquila alis expansis globo insistente, legimus: ΕΤΟΥΣ ΤΡΙΤΟΥ, *Anno tertio*; in alio verò Antonini Pij in ijsdem Cimelijs, cum figura muliebri dextra bilancem, sinistra copiæ cornu tenente legitur: L. ΤΡΙΤΟΥ. Illa ergo nota L ponitur loco ΕΤΟΥΣ, annumque in nummis significat.

Vti verò isthæc notę siuè literę L interpretatio omnibus iam rei nummarię antiquę studiosis legitima ac certa censetur, ita altera Harduini aliorumque recentium Scriptorum expositio, qua literam Γ in nummis scalptam ante Β aut Γ, esse literam L inuersam imagi-

imaginantur, ac annum pariter eadem indicari putant, non dicam dubia, sed prorsus falsa mihi esse videtur. In ditissimo Serenissimi Magni Ducis Etruriæ Cimeliarchio plures id genus nummos obseruaui. Nam visitur in eodem numisma primi moduli Antonini Caracallæ cum epigraphe: ΑΥΤ. ΚΑΙ. Μ. ΑΥΡ. ϹΕΥΗΡΟϹ ΑΝΤΩΝΕΙΝΟϹ ϹΕΒ.Π.Π. *Imperator Cæsar Marcus Aurelius Seuerus Antoninus Augustus, Pater Patriæ*. In postica parte in gyro: ΑΝΤΩΝΕΙΑΝΗϹ ϹΕΥΗ. ΑΔΡ. ΜΗΤ. cum Leone, supra quem intra aream nummi sunt literæ Α Μ Κ; & in inferiori circulo: ΤΑΡϹΟΥ, & subtùs ΓΒ. Rursùs alius ibidem seruatur eiusdem magnitudinis nummus cum recitata proximè Caracallæ Inscriptione; & in parte auersa prima vox vna auctior syllaba scalpta est: ΑΝΤΩΝΕΙΝΙΑΝΗϹ; reliquę voces priori similiter. Supra Elephantem sunt literę ΑΜΚ, subtus: ΤΑΡϹΟΥ. ΓΒ. Quæ Inscriptiones Latinè vertuntur: *Antoniniana, Seueriana, Hadriana Metropoleos Tarsi*. Præterea tres maximi moduli Gordiani Augusti nummi in eadem Gaza seruantur, quorum vnus rarissimus anteriorem epigraphem præfert: ΑΥΤ. ΚΑΙϹ. Μ. ΑΝΤΩΝΙΟϹ ΓΟΡΔΙΑΝΟϹ ϹΕΒ.Π.Π. *Imperator Cæsar M. Antonius Gordianus Augustus Pater Patriæ*, cum radiato eiusdem capite. In auersa parte visitur Amphitrite Oceani & Doridos filia, Neptuni vxor, quæ vmbelico tenus muliebri forma scalpta est, cruribus duplicem piscem præfert, ac infra ventrem quatuor sunt monstra, cum epigraphe: ΤΑΡϹΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩϹ. ΑΜΚ. ΓΒ. In altero duæ figuræ stant, quarum vna togata, altera stolata, dextras iungunt. Eadem epigraphe cum literis ΑΜΚ. Γ. Β. quæ omnia visuntur in tertio nummo cum Hercule dextra clauam, sinistra exuuias leonis tenente, aduersùs draconem tortuosum Hesperidum custodem. Præterea in ijsdem Cimelijs Mediceis maximi itidem moduli nummus extat inscriptus: ΑΥΤ. ΚΑΙϹ. Μ. ΚΛΩΔ. ΠΟΥΠΙΗΝΟϹ ϹΕΒ. Π.Π. *Imperator Cæsar M. Clodius Pupienus Augustus, Pater Patriæ*, & retrorsùs cum figura dextra pilum, sinistra clypeum tenente: ΤΑΡϹΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩϹ. ΑΜΚ. Γ. Β. *Tarsi Metropoleos*. Rursùs in alio nummo maximi moduli legitur Inscriptio: ΑΥΤ. ΚΕϹ.(ita media illa litera est Ε) ΚΑΙΛ. ΒΑΛΒΕΙΝΟϹ ϹΕΒ. Capite laureato, ac pectore trabeato; *Imperator Cæsar Cælius Balbinus Augustus*; & in parte auersa: ΤΑΡϹΟΥ ΜΗΤΡ. Tres figurę nudę, intra quarum crura insertę sunt literę ΓΒ. & in extrema parte circuli inferius ΑΜΚ. In nummo maximo Pupieni Mauroceno apud Equitem Patinum pag. 83. in postica parte cum laureatis trium proximè memoratorum Cæsarum capitibus, legitur eadem Tarsi inscriptio cum literis supra capita ΑΜΚ, & subtus ΓΒ.

quæ

quæ omnes pariter apparent in nummo Alexandri Seueri apud Holstenium pag. 313. & in altero Maximini apud laudatum Patinum pag. 83. Ex tot nummorum descriptione in magnam falsitatis suspicionem venit recitata literarum Γ B expositio. Nam prodigio propius foret, Tarsum *anno* tantum *secundo* (ita Γ B illis exponuntur) imperij tot Augustorum nummos scalpsisse; nullos verò cum literis Γ A, siuè Γ Γ, Γ Δ &c. omnes enim, exceptis Pupieno & Balbino, vltra biennium imperarunt. Imò cum duo illi collegæ Augusti vix vno anno imperauerint, cur nulli eorundem nummi apud Tarsum cum notis Γ A scalpti sunt, sed omnes Γ B notas præferunt? Præterea in nummis Anazarbi visuntur literæ tantùm Γ Γ; næ illius vrbis ciues *anno* tantùm *tertio* imperij Valeriani ac Gallieni nummos scalpsisse putandi sunt?

Nicolaus Toinardus vir acutissimi ingenij eximiæque doctrinæ, datis ad me literis, quarum eruditione non quidem doctior, sed minùs indoctus fio, longè probabiliorem literarum Γ B & Γ Γ interpretationem indicauit. Nam vt in lapidum ac plurium etiam nummorum Latinis Inscriptionibus apparent literæ D. D. quæ *Decreto Decurionum* rectè exponuntur, ita literæ Γ B in nummis Tarsensium explicandæ sunt, Γράμματι Βȣλῆς, *Decreto Decurionum*, siuè *Curia*, aut *Senatus*. In magno Etymologico legimus: Γράμματα καὶ τὸ ψηφισμάτα. Psephisma verò est publicum Ciuitatis decretum; quam vocem Latio donatam, non semel Cicero vsurpat in oratione pro Flacco: *Vellem*, inquit, *tantùm habere otii, vt possem recitare psephismata Smyrnaorum, qua fecerunt in Castritium mortuum. Primùm vt in oppidum inferretur &c.* Quadam Atheniensium Psephismata recitant Iosephus lib. 14. Antiq. cap. 16. & Laertius in Zenone. Aristoteles lib. 2. Polit. ait: κατὰ γράμματα ἄρχειν, *secundùm leges imperare*. Itaque γράμματα leges, siuè publica decreta significant, ac proinde literæ Γ B Latinè sonant, *Decreto Decurionum*. Extat in Gaza Medicea paruus nummus cum capite muliebri velato, ac inscripto: ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΒΟΥΛΗ, *Antiochensium Curia*, seu *Senatus*. Plinius lib. 10. epist. 113. petit a Traiano, num his, qui *Buleuta leguntur*, soluenda sit pecunia; cui respondens Imperator, eosdem *decurionatus* candidatos appellat. In nummis autem Anazarbi literæ Γ Γ laudato Toinardo exponuntur: Γράμματι Γερȣσίας, *Decreto Senatus*. In veteri Inscriptione apud Sponium Sect. X. Miscell. pag. 357. legitur.

Η ΒΟΥΛΗ ΚΑΙ Ο ΔΗΜΟΣ ΚΑΙ Η ΓΕΡΟΥΣΙΑ
Decuriones, & populus, ac Senatus.

Num-

Nummus etiam apud V. C. Harduinum pag. 210. habet : ΙΕΡΑΠΟΛΕΙΤΩΝ ΓΕΡΟΥCΙΑ, *Hierapolitarum Senatus*. Itaque auctore Toinardo in nummis Tarsensium literę Γ Β *Decretum Decurionum*, aliæ verò Γ Γ in delineato mihi nummo Anazarbi, quæ vrbs in Cilicia licèt inferior, æmulationem tamen cum Tarso exercebat, *Decretum Senatus* significant; quarum literarum exponendarum gratia, longius diuerticulum feci.

Iam redeo ad Epocham ΒΟC in eodem Anazarbi nummo signatam, quæ dicitur Harduino in explicatione nummi Gallieni pag. 41. inita *circiter A.V.* 741. *Augusti principatus XXXI. post Actiacam victoriam XIX. vt sit hic annus*, videlicèt Anazarbi CCLXXII. *Gallieni primus*, *Vrbis Romæ MXII.* At nummus Mediceus falsos Harduini calculos redarguit; etenim etiam Valerianus Augustus eodem anno Anazarbensium ΒΟC, *ducentesimo septuagesimo secundo* imperabat. Nullus dubito quin Epocha Anazarbi fuerit Augustana, cœpta A. V. Romæ 734. quo testibus Dione lib. 54. ac Iosepho lib. 15. Antiq. cap. 13. Cæsar Augustus ex Asia proconsulari in Syriam perrexit, M. Apuleio, P. Silio Coss. Cum verò eo anno Augustus Ciliciæ quoque vrbes optimis legibus, vti ceteras quoque, instruxisset, ac illas inter Anazarbum pluribus beneficijs ornasset, ciues nouam in honorem Augusti Vrbis suæ Epocham instituerunt. Iam verò si ab A. V. Romę 734. numeres annos CCLXXII. in Anazarbi nummis obsignatos, horum postremus à parilibus decurrebat vsque ad autumnum cum A. V. Romę sexto supra millesimum, ac primo imperij Imperatorum Valeriani ac Gallieni, qui fuit Æræ Christianæ 253. cum annum proximum ijdem Augusti Consules aperuerint.

Denique in inferiori parte delineati Anazarbensium nummi, visuntur literæ A M K, quæ in septem etiam nummis Tarsensium è Gaza Medicea descriptis, alijsque apparent. Tristani interpretantis AManiticam Kiliciam commentum docti quique exploserunt. Petrus Fittonus insignis Antiquarius, quem laudat Seguinus in epistola ad nobilem virum Franciscum Gottifredum, in indice, quem contexuit, Cimeliarchij Medicei, in nummis Tarsensium eas literas A M K interpretatur : Πρώτης Μητροπόλεως Κιλικίας : *Primæ Metropoleos Ciliciæ*; quam expositionem Holstenius, qui Fittoni indicem legit, vt pleraque alia inde exscripta, suis in Stephanum notis inseruit pag. 313. Ita Sardis apud Seguinum pag. 22. dicitur *Asiæ*, *Lydiæ*, *Græciæ* Α ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΣ, *Prima Metropolis*. Cum verò eædem literæ A M K in nummis etiam Anazarbi scalptæ sint, *videtur*, inquit Holstenius pag. 33. *de primatu contendisse cum Tarso*

quam

quam quidem puto germanam earum literarum interpretationem. Aliam tamen expositionem V. C. Harduinus excogitauit, siquidem ne contentiones de primatu Tarsum ac Anazarbum induceret, rem vti prædixi, ita composuit, vt vtraque fuerit metropolis prima, sed diuersarum prouinciarum; nempè Tarsus in Cilicia prima: in secunda Anazarbus. At hic mihi, vt Ciceronis in oratione pro A. Cluentio verbis vtar, *nummarius interpres pacis & concordiæ non probatur*; nondum enim facta erat Ciliciæ in Primam & Secundam diuisio, quam post ducentos annos & quod excurrit, Arcadius Augustus induxit, vt densatis veterum monumenrorum testimonijs proximè demonstraui. Addo antiquiorem testem Dionem in oratione 34. quæ est Tarsica posterior, vbi hortatur Tarsenses, vt se beneuolos ac mites erga alias prouinciæ vrbes præstent, *quod*, inquit, *maius est, quàm esse penès vos, inque foro vestro iudicari. Hæc enim haud vllam prorsus præstant vtilitatem; neque enim si huc ad sacrificium occurrunt Adanenses vel Aegeates &c.* Ex his colligo imperante Traiano, tum Adanenses qui M. P. XXVII. Tarso distabant, tum etiam Ægeates, qui erant Syriæ proximi, ad forum Tarsi spectasse. Cicero lib. 3. famil. epist. 6. ad Claudium Pulchrum Ciliciæ proconsulem scribit: *Qui te forum Tarsi agere, decernere, iudicare dicerent.* Plinio lib. 5. cap. 27. *oppidum Aegæ liberum* vocatur; quamuis eiusdem ciues Tarsum à Ciliciæ præside euocarentur. Tacitus de Corbulone scribit lib. 13. *Apud Aegas ciuitatem Ciliciæ obuium Quadratum*, Syriæ Proprætorem, *habuit, illuc progressum, ne si ad accipiendas copias, Syriam intrauisset Corbulo, omnium ora in se verteret.* At si Ægeates ad communia Ciliciæ sacrificia facienda, teste Dione Chrysostomo, Tarsum conueniebant, intra vnam eandemque Ciliciam id temporis censebantur. Nam vti proxima Dissertatione notabam, in prouincijs communibus vrbium suffragijs primi earundem Pontifices creabantur, qui publica totius prouinciæ sacra ac munera curabant, ac vulgò Asiarchæ, Syriarchæ &c. dicebantur. In Latinis Actis S. Tharaci & sociorum apud Tarsum martyrum scribitur: *Numerius Maximus Proconsul Ciliciæ, aduocans Terentianum Sacerdotalem Ciliciæ, iussit ei sequenti die munera edenda curare.* In nupera Græca editione doctissimi Bigotij legimus Τερεντιανὸν Κιλικάρχην. Is erat Cilicarcha, id est, sacerdos publicus ab vrbibus Ciliciæ creatus. Nummus Tarsensium cum templo retrorsùs inscriptus: ΚΟΙΝΟΝ ΚΙΛΙΚΙΑΣ: *Commune Ciliciæ*, ea eiusdem prouinciæ sacra indicat apud Harduinum pag. 487. Cum ergo Ægenses ad publica sacra apud Tarsum conuenirent, illuc quoque Anabarzenses, qui Tarso erant proximiores, se contulisse putandi sunt.

At

At Cilicia ab Arcadio Augusto diuisa, Ægenses fuerunt sub Anazarbo Ciliciæ Secundæ metropoli. Hinc Anazarbus cùm primum metropoleos nomen obtinuit, nullius peculiaris diœceseos Ciliciæ caput euasit, sed honorario tantùm metropoleos titulo donata fuit, vti etiam Nicæa in Bithynia, Sidon in Phœnice, ac Laodicea in Syria superiori. Philippus Labbe tom. 2. Concil. vlt. edit. Parisiensis à pag. 54. post eas, quæ vulgò apponuntur Synodo Nicænæ, subscriptiones, exhibet, vt ipse ait, *nomina quorundam Patrum magnæ illius Nicænæ Synodi ex charta Niliaca, quam ferunt fuisse antiquissimam apud Ioannem Sambucum*. Porrò eos inter Patres nominatur ibidem Stephanus Episcopus *τῆς Αναζαρβέων μητροπόλεως τῆς δευτέρας τῆς Κιλικίων ἐπαρχίας*: *Anazarbensium metropoleos Secundæ Cilicium prouinciæ*. Ex his videtur Cilicia iam ante Synodum Nicænam ac imperium Constantini Magni diuisam fuisse in Primam ac Secundam. At miror Labbeum non obseruasse omnes illos Episcopos, quorum subscriptiones Nicæno Concilio affingit, trecentesimo ac quinquagesimo quinto anno post Nicænam Synodum vixisse, ac interfuisse Synodo VI. Oecumenicæ anno Christi 680. apud Constantinopolim sub S. Agathone Papa celebratæ. Nam tomo 6. Conciliorum pag. 1060. editionis ipsiusmet Labbei, leguntur omnia ea Episcoporum nomina, quæ in illa Niliaca charta memorati dicuntur; vbi & eorundem vrbes rectè describuntur, quæ in eadem charta Ægyptia erratis characteribus leguntur. Ex plurimis vnam hic subscriptionem recitabo. In ea charta nominatur Theopemptus Episcopus *Ιυστινοπολίτων ἤτοι Μοκρασίνων μητροπόλεως τῆς δευτέρας τῶν Καππαδοκίων ἐπαρχίας*: *Iustinopolitarum siuè Mocrasinorum metropoleos secundæ Cappadocium prouinciæ*. At in Synodo VI. rectè idem Theopemptus dicitur Episcopus *Ιυστινιανοπολιτῶν ἤτοι Μωκισσηνῶν μητροπόλεος δευτέρας τῶν Καππαδόκων ἐπαρχίας*: *Iustinianopolitarum siuè Mocisinorum metropoleos secundæ Cappadocum prouinciæ*. Equidem Labbeus ex nomine etiam errato *Iustinopolis* facilè poterat intelligere imperante Constantino, nullam vrbem id nominis tulisse, quod à Iustino Augusto licèt erroneè deriuabat. At fuit ea vrbs Iustinianopolis antea Mocisus in Cappadocia secunda, cui Iustinianus Imperator *metropolitana iura dedisse* dicitur in Synodo V. Collat. V. In illis autem subscriptionibus Synodi VI. legitur pag. 1061. Stephanus Episcopus *Αναζαρβέων μητροπόλεως τῆς δευτέρας τῶν Κιλίκων ἐπαρχίας*: *Anazarbensium metropoleos Secundæ Cilicum Prouinciæ*. Iustinianus in edicto contra tria Capitula, arguens falsitatis eos qui contendebant S. Gregorium Nazianzenum scripsisse epistolam ad damnatum in Synodo V. Theodorum Episcopum Mopsuestiæ, quæ reapse ad Theo-

dorum Thyanensem missa fuerat, ait: *Et quos Episcopos sub se habere poterat Mopsuestenus Episcopus, cum ipse sub Metropolitano Secunda Cilicia constitutus esset?* Gregorius Nazianzenus obijt Theodosio seniore imperante; vnde ante imperium Arcadij Cilicia duas in prouincias partita fuerat. Verùm Iustinianus eiusque Assessores de Cilicia locuti sunt, vti sua ætate ac diu antea diuisa erat. Cum enim in laudato Concilio C-P. Theodosio imperante, Olympius Episcopus Mopsuestię, ac proximus Theodori decessor, sub vno totius Cilicię tunc Metropolita Diodoro Tarsensi subscriptus legatur, modò veræ sint illę subscriptiones, nondum duas in prouincias Cilicia distincta fuerat, quæ tamen diuisio contigit eodem Theodoro paulò post apud Mopsuestiam Episcopo.

Antequam ex Cilicia in Syriam reuertar, iuuat obseruare nummum Iulię Mamææ, quem Tristanus tom. 2. pag. 431. in posteriori parte ita inscriptum profert: ΑΙΓΕΩΝ ΜΕΤΡΟ. Θ, & in area visitur litera O supra C: quem ille nummum ad Ægas Achaię refert. Harduinus ita in eodem legit: ΑΙΓΙΕΩΝ ΜΕΤΡΟ. ϹΟΘ. nempè: *Aegiensium Metropoleos. Anno CCLXXIX.* ac Ægis in Æolide nummum *veriùs* adscribendum putat. Illum tamen dubio procul ad Ægas in Cilicia vrbem proximè mihi laudatam, referendum censeo. Extat in Gaza Medicea hic Diadumeniani Cæsaris nummus.



Prioris partis Inscriptio Latinè vertitur: *Marcus Opelius Antoninus Cæsar*; qui Imperatoris Opelij Macrini filius fuit; posterior verò epigraphe est: *Macrinupoleos.... Aegensium*. Epocha in superiori parte areæ ΔΞϹ, indicat *Annum* CCLXIV. Ioannes Harduinus pag. 19. huic geminum eiusdem Cæsaris nummum è Gaza regia recenset, cum eodem Capræ syluestris symbolo, quam Græci αἶγα vocant, vnde & nomen ac insigne Ægarum deriuat. Inscriptionem verò hanc profert: ΑΙΓΑΙΩΝ..ΜΑΚΡΕΙΝΟΥΠΟΛ. In Mediceo numismate

mismate vox media postrema parte deficit. Patinus quidem pag. 131. Indicis Mauroceni legit : ΜΕΤΠΙΘΕ, quod vocabulum nihil planè significat. Vti verò Anazarbus in nummo proximè exposito, dicitur *ἔνδοξος inclyta*, siuè *gloriosa*; ita ea detrita vox speciale quoddam Ægarum epitheton significat, ex meliùs scalptis nummis inuestigandum. Hinc patet Tristanum eam vocem fallò ΜΕΤΡΟ. nempè *Metropolim* restituisse; nusquam enim ea vrbs in nummis metropolis nuncupatur. Harduinus pag. 18. è regio Cimelio nummum alium profert Alexandri Seueri inscriptum : ΑΙΓΑΙΩΝ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΠΟΛΙΣ. Et proximè notat hanc vrbem ab Alexandro Magno conditam fuisse ex Chronico Alexandrino ad annum alterum Olympiadis CXIII. quam vrbem *in Aeolide* sitam tradit. Hinc ait : *Vt nempè ab Alexandro Magno* Ἀλεξανδρούπολις, *sic à Macrino, Diadumeniani patre*, Μακρινούπολις *Aegensium vrbs cognominata est*. Idem verò Ægensium Epocham ait initium habuisse *post acceptum à Iulio Cæsare, vti remur, ius ciuitatis aut libertatis, anno Vrbis DCCVII. cum per Asiam iter faciens, Pharnacem Bosphori regem bello peteret*. In his Harduini verbis plura hic mihi corrigenda sunt. In primis autem errat laudatos nummos ad Ægas in Æolide referens, quæ dubio procul spectant ad Ægas in Cilicia, vt mox apparebit. Rursùs ex Chronico Alexandrino neutiquàm colligimus Ægas in Æolide ab Alexandro Magno conditas fuisse. Nam ibi recensentur plures vrbes ab Alexandro conditore nuncupatę, & eas inter Ἀλεξάνδρεια ἐν Αἰγαίοις ἡ καὶ Σκυθία, *Alexandria in Aegais, quæ & Scythia*; quæ vrbs Harduino dicitur *Geographis ante hunc diem incognita*. Sed nec post hunc diem cognoscetur, vbinam gentium eadem fuerit, quæ & *Scythia* diceretur. Illam certè ignorauit non vulgaris vir eruditionis Gisbertus Cuperus pag. 214. Monument. Antiq. vbi nihil certi ex illis Chronici verbis constare testatur. Quod si eandem nobis non indicet Carolus Dufresnius in suis ad idem Chronicon notis, eiusdem reperiundę erit deinceps spes desperatissima, cum vir omnium non librorum tantùm sed ipsarum etiam schœdarum diligentissimus ac accuratissimus perscrutator, nullam nobis *Alexandria in Aegais, quæ & Scythia*, notitiam dare potuerit. Cum Adanenses ac Ægenses cum Tarso in eadem Cilicia contentiones exercerent, vti Dio Chrysostomus in vtraque Tarsica testatur, hinc factum est, vt cum Tarsenses Hadriano Augusto adulantes, suam ipsorum vrbem *Hadrianam* nuncupassent, vti produnt nummi ex Mediceis Cimelijs proximè mihi descripti, Adanenses quoque & Ægenses Tarsensium exemplo, vrbes etiam suas *Hadrianas* appellauerint. Rigordus *le Cadet* Massiliensis nummarię erudi-

 tioni

tioni addictissimus è suo Museo Imperatoris Vibij Treboniani Galli nummum delineatum ad me transmisit, cum auersa epigraphe: ΑΔΡΙΑΝΩΝ ΑΔΑΝΕΩΝ, *Hadrianorum Adanensium*. In nummo verò M. Aurelij apud Harduinum pag. 19. ΑΔΡΙΑΝΩΝ ΑΙΓΕΑΙΩΝ legitur: *Hadrianorum Aegensium*. Rursùs imperante Macrino, Tarsenses de eiusdem cognomine semet Macrinianos appellarunt, vti prodit nummus apud eundem Harduinum pag. 486. inscriptus: ΤΑΡΣΟΥ ΜΑΚΡΙΝΙΑΝΗΣ ΜΗΤ. *Tarsi Macriniana metropoleos*; ac postea eandem vrbem de nomine Alexandri Seueri *Alexandrianam* dixerunt. Ægenses Tarsensium simiæ suam quoque ciuitatem *Macrinopolim* nuncuparunt, ac dein Alexandro Seuero etiam assentati, nummos hac epigraphe obsignarunt: ΑΙΓΑΙΩΝ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΠΟΛΙΣ, *Aegensium Alexandropolis*. Hæc si Harduinus obseruasset, neutiquàm Ægas *Alexandropolim* ab Alexandro Magno appellatas pronuntiasset, cum ab Imperatore Alexandro Seuero id sibi nomen imposuerint. Ex his etiam patet eos nummos perperàm referri ad Ægas in Æolide, cum ad eiusdem nominis vrbem in Cilicia pertineant, quæ Tarsensium, quibuscum æmulationem habebat, exemplo, de nouorum Cæsarum nominibus noua sibi pariter cognomina imponebat.

Idem tamen Harduinus rectè initium Epochæ Ægarum deducit ab A. V. Romę DCCVII. Cum enim Diadumenianus Cæsar cum Macrino Augusto patre menses tantùm quatuordecim in imperio vixerit, occisus A. V. 971. Christi 218. Epocha annorum 264. in eiusdem Opelij Antonini Diadumeniani scalpto apud Ægas nummo obsignata, ab A. V. Romę 707. ineunda est. Hinc rursùs apparet, eosdem nummos reuocandos esse ad Ægas Cilicum, non verò alteras Ægas in Æolide. Nam Hirtius cap. 66. de bello Alexandrino, scribit Cæsarem ex Ægypto in Syriam venisse, nempè A. V. Romę DCCVII. inde verò, inquit, *proficiscitur in Ciliciam, cuius prouinciæ ciuitates omnes*, quas inter erant Ægæ, *euocat Tarsum, quod oppidum ferè totius Ciliciæ nobilissimum fortissimumque est; ibi rebus omnibus prouinciæ & vicinarum ciuitatum constitutis, cupiditate proficiscendi ad bellum* contra Pharnacem *gerendum, non diutiùs moratur; magnisque itineribus per Cappadociam confectis, biduum Mazacæ commoratus &c.* Itaque Cæsar in conuentu apud Tarsum eo anno vrbis Romę 707. Ægensibus autonomiam aliasque exemptiones lege Dictatoria concessit. Hinc ijdem in honorem Cæsaris, Antiochensium ac Laodicenorum exemplo, nouam vrbis suæ Epocham instituerunt, cuius prior annus cœpit ab autumno eiusdem anni ab vrbe Roma condita 707. Quare annus eius Æræ CCLXIV. in

Diadu-

Diadumeniani Cæsaris nummo signatus, inijt ab autumno A. V. Romæ 970. Christi 217. ac primo imperij Macrini. Cum verò Cæsar ex Cilicia magnis itineribus in proximam Cappadociam profectus fuerit, bellum contra Pharnacem gesturus, falsò dicitur Harduino *cum per Asiam iter faciens, Pharnacem Bosphori regem bello peteret*, Ægensibus in Æolide ius libertatis donasse, cum tam procul ille ab Æolide iter confecerit, nempè per loca amplissimis Lycaoniæ, Pisidię, Phrygię, ac Lydię spatijs ab Ægis in Æolide distantia. Et sanè V. C. rectiùs dixisset Cæsarem, cum post victum Pharnacem, *per Gallograciam Bithyniamque in Asiam iter fecit*, vti scribit idem Hirtius cap. vlt. Ægis in Æolide ius libertatis dedisse. At nummi illi apud Ægas in Cilicia scalpti sunt.

Hæc de vtriusque vrbis in Cilicia Epochis inserui, quòd Cilices annum ac menses Syromacedonum seruabant. Extat apud Gruterum pag. 1052. num. 6. epitaphium Treuiris positum Eusebiæ ἀπὸ ΚΩΜΗϹ. ΑΔΑΝΩΝ, &c. EN. ΥΠΑΤΕΙΑ. ΟΝΩΡΙΟΥ. ΤΟ. Η. ΚΑΙ. ΚΟΝϹΤΑΝΤΙΝΟΥ. ΤΟ. Α. ΜΗΝΙ. ΠΑΝΗΜΟΥ. ΙΒ. ΗΜΕΡΑ. *Ex vico Adanorum &c. Honorio VIII. & Constantino I. Coss. mense Panemo, die duodecimo*. Scaliger lib. 4. de emend. Temp. pag. 485. idem epitaphium emendat, vbi & vulgares Fastos corrigit, qui Honorio in consulatu VIII. collegam Theodosium III. attribuunt. Præterea notat vrbem Adanorum in Cilicia imperante Honorio, vicum fuisse. Rectè tamen Petauius lib. 11. doctr. Temp. cap. 46. tradit Constantinum qui in Gallia imperium inuaserat, anno Christi 409. semet collegam Honorij Augusti in consulatu designasse, cum tamen extra Tyranni ditiones, cum Honorio Theodosium Augustum III. in Fastis signarint. Sed nec Adana sub Honorio in vicum mutata fuerant. Nam imperante Theodosio Honorij patre, Cyriacus Episcopus vrbis Adanorum adfuit Synodo C-P. anno Christi 381. qui Sozomeno lib. 7. cap. 10. dicitur Episcopus Ἀδαίων, *Adanorum*, Nectarij Senatoris ac dein Episcopi C-P. præceptor. In Concilio Ephesino, quod anno octauo ab obitu Honorij celebratum fuit, cum Ioanne Antiocheno Cyrillus Adanorum cum alijs Orientis Episcopis conspirauit, ad quem etiam extant literę Theodoreti. Huic successit Philippus, qui in Synodo Calchedonensi Act. VI. dicitur Episcopus πόλεως Ἀδάνης, *vrbis Adanæ*. Non ergo Adana in vicum versa sunt. Verùm & in altero epitaphio apud Holstenium pag. 7. legitur: ΚΩΜΗΣ ΑΔΑΝΩΝ: *vici Adanorum*; siuè quia Adanis erat sacer vicus, vti plures quoque Romæ numerabantur; vnde & Eusebia in priori epitaphio dicitur ΙΕΡΟΚΩΜΗΤΗΣ, è sacro vico; nisi ea voce sacrorum custos

stos

ftos ea femina indicatur, vt *ἱεροκόμας* apud Græcos æditum defignat, qui facrorum curam gerit. ita in Afia proconfulari erat vrbs quæ *Αὐλίου κώμη* dicebatur, cuius Epifcopus Thomas nominatur Act. VI. Synodi Calchedonenfis, vbi legimus: *πόλεως Αὐλίου κώμης*, *vrbis Aulii vici*, quæ etiam à Valentiniano Imperatore Valentinianopolis dicta fuit. Sed his miffis, quod ad inftitutum facit, aduerto in Eufebiæ Adanenfis epitaphio menfem Syromacedonum *Panemum* memorari; quòd Cilices vnà cum Syria in Seleuci Nicatoris poteftatem redacti, annum menfesque Macedonum receperunt. Imò Antiochus Antiochi Pij filius, Syria à Tigrane rege Armeniç occupata, annis duodeuiginti *in angulo Ciliciæ* delituit, vt eidem auitum poftea Syriæ regnum repetenti, Pompeius exprobauit, tefte Iuftino lib. 40.

CAPVT II.

Tyrus vrbs Phœnicum vetuftiffima. Eiufdem Reges. Ab Alexandro Magno expugnata, Macedonum poftea annum ac menfium nomina admifit. Scaligeri ac Petiti de anno Tyriorum fententiæ confutantur. Diagramma anni eorumdem proponitur, ac ex Synodis apud Tyrum habitis, demonftratur.

TYrus vrbs Phœnicum celeberrima, Syris *Sur* nuncupata, condita fuit, tefte Iofepho lib. 8. Antiq. cap. 2. annis CCXL. ante Templum Salomonis, cuius fundamenta iacta funt annis MXII. ante Æram Chrifti, vti fupputat Vfferius tomo priori Annalium. Herodotus lib. 2. narrat fe Tyrum eo confilio profectum, vt Herculis, cuius antiquiffimum ibidem templum celebrabatur, originem ac vetuftatem nofceret, fibique à facerdotibus Tyrijs refponfum fuiffe, vrbem vnà cum templo extructam; *effe autem à Tyro condita bis mille ac trecentos annos*. Auctor eft Gellius lib. 15. cap. 23. Herodotum anno altero Olympiadis LXXXVI. qui fuit ante vulgarem Chrifti Æram 435. natum fuiffe annum ætatis tertium ac quinquagefimum. Quare Tyrus condita fuiffet annis bis mille ac feptingentis circiter ante Natalem Chrifti. At fabulofam fuæ vrbis antiquitatem memorati facerdotes iactauerint; cum conftet Iofephum ex vetuftis Phœnicum Annalibus, quos Menander Ephefius Græcè interpretatus eft, primordia vrbis Tyri prodidiffe. Hinc cum Iofue cap. XIX. 29. *ciuitatem munitiffimam Tyrum* legimus, Tyrus

rus vulgò antiqua in continenti sita, intelligitur, non verò altera quæ in insula proxima extructa fuit. Iustinus lib. 11. narrat legatos Tyriorum Alexandro dicenti velle se Tyrum ingredi ad vota in templo Herculis soluenda, respondisse: *id eum in Tyro vetere & antiquiore templo facturum*. Quo ille responso indignatus, vti scribit Diodorus Siculus lib. 17. παλαιὰν Τύρον, *veterem Tyrum* diruit, vt deiectę vrbis lapidibus aggeres in æstuarijs excitans, alteram in insula Tyrum terrestribus copijs expugnaret. Huius tamen posterioris quoque Tyri antiquitatem celebrans Isaias cap. 23. ait: *Quæ gloriabatur à diebus pristinis in antiquitate sua*. Vrbis diuitias Zacharias cap. 9. describit: *Et ædificauit*, inquiens, *Tyrus munitionem suam, & coaceruauit argentum quasi humum, & aurum vt lutum platearum*. Enimuerò apud Ezechielem toto cap. 27. Deus ipse tantis encomijs Tyrum extollit, vt nihil ad eandem commendandam aut nobilius excogitari, aut elegantius dici possit. Regem Tyri legimus in cap. 27. Ieremiæ, & 28. Ezechielis. Hiram Tyriorum regem sacra Regum laudat historia. Plurium verò apud Tyrum regum indicem ex Menandri voluminibus exhibet Iosephus lib. 9. cap. vlt. ac lib. 1. contra Apionem, quorum tempora designat Langius lib. 2. de annis Christi cap. 8. Tyrus sub rege Azelmio ab Alexandro Magno septem menses obsessa, ac tandem expugnata, ingentem cladem accepit, ciuibus aut gladio peremptis, aut sub hasta venditis, nouisque inquilinis in vrbem migrare iussis, vti fusiùs narrat Arrianus lib. 2. Verùm quòd Sidonij in classe Alexandri militantes, quindecim millia Tyriorum in vrbis direptione furtim subducta, seruauerant, ac plures etiam ante obsidij exitum, Carthaginem veterem coloniam transmiserant, ijsque postea omnibus patrios lares repetentibus, Tyrus tam breui annorum spatio pristinas vires recuperauit, vt anno à memorata clade decimo octauo, Antigono potentissimo Asiæ regi quindecim mensibus restiterit. Antigono autem acie victo ac interempto, eiusque filio Demetrio à Seleuco postea capto, Tyrus in Seleuci potestatem venit; dein Ægypti regibus paruit, donec Antiochus Magnus bello, quod cum Ptolemæo Philopatore gessit, Tyrum anno tertio Olympiadis CXL. vrbis Romę 536. Theodoti Ætoli ducis proditione occupauit, vti narrat Polybius lib. 5. ac deinceps intra Seleucidarum regnum censita est. Hinc Tyrij annis ac mensibus Macedonum atque eorumdem Epocha vti cœperunt. Iosephus lib. 8. cap. 2. ex Menandro Ephesio Phœnicum Annalium Græco interprete de Hiromo rege Tyriorum hæc recitat: *Demolitus antiqua templa, Herculi & Astartæ noua instaurauit; primusque Herculi statuam erexit mense Peritio*. Hic

Hiro-

Hiromus in vulgatis Byblijs Hiran appellatur, qui ligna ac cæmentarios ad construendum templum Hierosolymis, Salomoni suppeditauit 3. Regum cap. 5. vbi ex ver. 7. colligimus Sidonios id temporis sub imperio regis Tyri fuisse.

Scaliger in additis ad opus de doctrina Temporum pag. 749. omnium primus anni Solaris Tyriorum formam descripsit. Ibi enim tradit annum Tyriorum eundem fuisse cum anno Damascenorum, ac verno tempore initium habuisse, cuius singuli menses fuerint tricenarij, additis in exitu diebus quinque Epagomenarum, sex verò, si annus proximus foret bissextilis. Hinc ait Peritium fuisse postremum mensem anni Tyriorum, cuius dies trigesimus ac vltimus cum XVI. Martij Romanorum concurrebat, additis verò diebus quinque Epagomenarum, vt annus Solaris 365. diebus compleretur, primus dies mensis Dystri ac pariter anni noui Tyriorum correspondebat diei XXII. Martij in anno Iuliano. Petauius lib. 1. doctr. Temp. cap. 26 cum prænotasset diagramma anni Tyriorum è veteri codice ab Henrico Stephano publicatum, multis erroribus in mensium diebus numerandis, scatere, addit Tyrios quosdam menses habuisse tricenarios, quosdam verò vnius ac triginta dierum, vt Solaris annus integer decurreret; quinam verò menses ex triginta diebus, quiue ex vno insuper die conflarentur, non designat, quod certus cuiusque mensis dierum numerus sibi incompertus esset. Samuel Petirus lib. 4. Eclog. Chronol. cap. 22. ex laudato codice Henrici Stephani, docet Tyrios annum ab Hyperberetæo inchoasse, cuius neomenia siuè dies prima cum XIX. Romani Octobris concurrebat. Addit menses fuisse omnes tricenarios, cum quinque diebus Epagomenarum in fine anni. Ricciolius lib. primo Chronol. cap. 20. in diagrammate anni Macedonum scribit Tyrios annum ab Hyperberetæo inchoasse, cuius initium in 24. Septembris Romanorum incidebat. Hosce diuersos anni ac mensium Tyriorum typos eruditi Chronologi excogitarunt, quorum tamen errores ex vetustis Ecclesiæ Tyriæ monumentis in præsentia corrigam. ac veram anni Tyriorum formam exhibebo. In Synodo Calchedonensi Act. IX. recitantur gesta apud Tyrum in causa Ibę Metropolitę Edesseni, quorum initium est: *Post Consulatum Flauii Zenonis & Postumiani virorum Clarissimorum, sub die V. Kal. Martii, in colonia Tyro metropoli Consulari, anno quingentesimo septuagesimo quarto, mensis Peritii die decima; secundùm Romanos verò Februarii quinta ac vicesima, Indictione prima &c.* Consulatus ibidem ita appellatus, ac epochæ Tyriorum annus 574. sunt characteres anni Christi 449. vt inferiùs ostendam. Rursus in Synodo Constantinopolitana sub

Menna

Menna Patriarcha Act. V. recitantur gesta Synodi apud Tyrum ab Epiphanio Metropolita celebratæ, *mense secundùm Tyrios Loo, die vicesima octaua, siuè Septembris decima sexta, anni sexcentesimi quadragesimi tertii, Indictione duodecima.* Hæc Synodus habita fuit anno Christi 318. postquàm Epiphanius literas accepit à Ioanne Patriarcha ac Synodo C.P. de damnato Seuero Antiocheno, die 20. Iulij eiusdem anni 518. vt Baronius ac collectores Conciliorum rectè aduertunt. Porrò ex gestis in causa Ibæ, atque ex hac posteriori Synodo Epiphanij, in quibus dies mensium Tyriorum cum diebus mensium Romanorum compositi recitantur, typus anni ac mensium Tyriorum manifestè innotescit.

DIAGRAMMA ANNI TYRIORVM.

Menses Tyriorum.	Dierum	Incipiunt
Hyperberetæus	30.	Octobris XIX.
Dius	30.	Nouembris XVIII.
Apellæus	30.	Decembris XVIII.
Audynæus	30.	Ianuarij XVII.
Peritius	30.	Februarij XVI.
Dystrus	31.	Martij XVIII.
Xanthicus	31.	Aprilis XVIII.
Artemisius	31.	Maij XIX.
Dæsius	31.	Iunij XIX.
Panemus	31.	Iulij XX.
Lous	30.	Augusti XX.
Gorpiæus	30.	Septembris XIX.

In hoc diagrammate Peritius incipit die XVI. Februarij; ac proinde decima Peritij concurrit cum XXV. Februarij, vt reapse ijdem dies in gestis iudicialibus in causa Ibæ componuntur. Rursus mensis Tyriorum Lous init die XX. Augusti; vnde dies 28. Loi cum Septembris XVI. decurrit, cum qua in Synodo Tyria Epiphanij comparatur. Cum verò à 19. Octobris ad 25. Februarij inclusiuè colligantur dies CXXX. qui dierum numerus dat quatuor menses tricenarios, ac tertiam partem quinti, colligimus priores quatuor menses anni Tyriorum fuisse purè tricenarios, ac decimum diem quinti mensis Peritij rectè cum 25. Februarij coniungi. Rursùs à 26. Februarij ad 16. diem Septembris, inclusis terminis, fit summa dierum CCIII. quot planè colliguntur ab XI. Peritij ad XXVIII. Loi, posito Peritio tricenario, ac quinque mensibus ante Loum

singulis vnius ac triginta dierum. Denique à Septembris die XVII. ad Octobris XVIII. inclusis terminis, numerantur dies 32. quot habentur à 29. Loi inclusiuè ad vltimam diem Gorpiæi, quæ Tyriorum annum claudebat. Atque ita ex diebus 130. dein 203. ac denique 32. fit annus Solaris dierum 365. Ex his patet fictitios esse dies Epagomenarum in anno Tyriorum Scaligero ac Petito excogitatos. Nam Petitus ac Scaliger ex gestis in causa Ibæ, ac vetusto codice ab Henrico Stephano laudato, rectè quidem Hyperberetæum à die 19. Octobris inchoant; at errant in statuendis omnibus mensibus tricenarijs. Nam iuxtà Petiti opinionem ab vndecima Peritij ad 28. Loi inclusis terminis, medijs quinque mensibus tricenarijs, colligerentur dies 198. ac dies 28. Loi correspondèret diei XI. Septembris; cum tamen in memorata Synodo cum 16. Septembris iungatur. Verùm Scaliger qui annum Tyriorum à Dystro cœptum fingit, ante cuius exordium dies V. Epagomenarum inserit, qui æquiualent totidem diebus, quorum singuli quinque mensibus ante Loum supra triginta à Tyrijs adijciebantur, aliter refellendus est. Iudicium in causa Ibæ habitum dicitur die 10. Peritij anno Tyriorum 574. qui vt ait ibidem Scaliger, fuit Christianæ Epochæ 448. Synodus verò Epiphanij peracta fuit anno Tyriorum 643. quem constat fuisse Christi 518. At si mense Dystro annus Tyriorum incipiebat, eo anno Christi 448. die 28. Loi numeratus fuisset annus Tyriorum 575. Iam verò anno dato Christi 448. mense Loo, adde annos LXX. habebis annum Christi 518. Loo decurrente. Præterea anno Tyriorum 575. adde annos LXX. consurget mense Loo annus Tyriorum 645. At mense Loo anno Christi 518. decurrebat annus Epochæ Tyriorum 643. Igitur in Scaligeri opinione biennium abundat. Nam in primis iudicium in causa Ibæ ait peractum anno Christi 448. quod tamen vt palam faciam, anno insequenti 449. contigit. Rursùs quòd verno tempore annos Tyriorum multiplicat, altero quoque anno ab Epocha Tyriorum exorbitat. Ex his etiam patet errasse virum aliàs eruditum Georgium Hieronymum Velschium pag. 48. notarum in tabulas Æquinoctiales noui Arabum ac Persarum anni, vbi putat Tyrios annum Solarem recepisse, sed qui dierum tantum esset 364. quod ait se colligere ex actis laudatis in causa Ibæ: ex quibus nihil planè simile deduci satis euidenter monstratum est.

CAP.

CAPVT III.

Tyrus antiquata Epocha Seleucidarum, nouam induxit. Variæ de initio eiusdem Scriptorum sententiæ referuntur. Ex Tyriorum monumentis hæc cæpit A. V. Romæ 628. ob autonomiam ab Alexandro II. rege Syriæ obtentam. Eadem in nummo tetradrachmo Tyriorum obsignata. Hoc Tyriorum numisma memoratur à Iosepho, cuius duo collata inuicem testimonia antilogiæ arguuntur. Tetradrachmus Tyriorum eiusdem omninò ponderis cum Statere ac Siclo Hebræorum, argenti semunciam pendebat. De Asylo apud Tyrum. Plures nummi Tyriorum Epocha obsignati, exponuntur. Maritima Tyriorum potentia fusiùs ab ipso Deo apud Ezechielem descripta. Tyrus quando metropolis facta. Episcoporum Tyri ac Beryti de iure metropolitico contentiones explicantur. Antistes Tyri erat protothronus in Patriarchatu Antiocheno. *De voce* Paralia *V. C. errores emendantur.*

ANtigono à fœderatis regibus ac suis quondam sub Alexandro Magno commilitonibus in acie occiso, Syria partim in Seleuci Nicatoris, partim in Ptolemæi Soteris Ægypti regis potestatem venit. Tyrus tamen ac Sidon in Demetrij filij Antigoni fide manserunt, qui easdem petenti Seleuco, non sine indignatione negauit, vti auctor est Plutarchus in Demetrio. Verum hoc quoque rege paucos intra annos à Seleuco capto, ac liberam in custodiam tradito, Tyrus Seleuci regno addita fuit; quam tamen postea reges Ægypti possederunt, quousque Antiochus Magnus eandem cum vniuersa Phœnice ac Cœlesyria regno Syrię adiecit. Hinc Tyrij Epocha Seleucidarum vti cœperunt, vt patet ex eorundem nummis, quorum binos exhibui Differt. 2. cap. 1. At in præsentia de Æra Tyri, non quam cum alijs Syriæ vrbibus communem quondam habuit, sed qua peculiari ea ciuitas postea vsa est, disputationem instituo. Nam viri eruditi qui genio sæculi indulgentes, veteres nummos scriptis illustrandos suscepere, in varias opiniones de anno à quo primùm Epocha Tyriorum deducenda sit, abierunt. Horum tres hic appellabo, qui partę sibi doctis

voluminibus famæ supersunt, Ezechiel Spanhemius Differtat. IX. pag. 872. cum prænotasset annos Epochæ Tyriorum memorari ab Eusebio in Chronico, ac rursùs in Actis Concilij Calchedonensis, ait eosdem retrò putatos, caput Æræ Tyriorum referre ad annum ante Christum CXXXIII. ac initium regni Antiochi Grypi, *fortè quòd tum*, inquit, *Autonomi facti sunt Tyrii*. Verum Ioannes Vaillantius pag. 305. Hist. regum Syriç, putat ex nummis potius Tyriorum, quàm ex scriptis Eusebij aut Actis in Calchedonensi Synodo recitatis, initium Epochç Tyri colligendum esse. Cum verò in nummis Antiochi Euergetis regis Syriç, quem à venandi studio *Sidetem* vulgò appellarunt, Tyrus tum primùm cum titulis ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΣΥΛΟΥ *sacra & inuiolata*, legatur, Tyriorum, inquit, *Epocha anno Seleucidarum* 174. *primo scilicèt Antiochi Euergetis regni anno statuenda est*; nempè ante Christi Æram 139. vrbis Romæ 615. Denique Ioannes Harduinus, in libro de Vrbium ac Populorum nummis illustratis, pag. 513. tradit iuxtà Eusebium initium Epochæ Tyriorum figendum esse in anno vrbis Romç 629. ante Christum CXXV. Ceterùm Scaliger in additis ad lib. de doctr. Temp. pag. 749. ac Vsserius tom. 2. Annal. pag. 121. docent initium Æræ Tyriæ deducendum esse ab anno Periodi Iulianæ 4588. Cyclo Lunæ IX. Solis XXIV. quibus characteribus designatur A. V. Romæ 628. ante Christum 126. idemque quartus Olympiadis CLXIII. ac Seleucidarum CLXXXVII. ab autumno inchoatus.

Hæc postrema sententia certa est, cui ipsimet Tyrij locupletissimam fidem faciunt, ita vt citra errorem à nemine in dubium reuocari possit. Præmittam Eusebij testimonium qui in Chronico narrat hæresim Manichæorum innotuisse *secundo anno Probi: iuxtà Antiochenos trecentesimus vigesimus quintus annus fuit: iuxtà Tyrios quadringentesimus secundus &c.* Iam superiùs Differt. 2. cap. 3. §. 1. demonstraui annum secundum imperij Probi concurrere cum A. V. Romç 1030. Æræ Christi 277. quo Imperator Probus Augustus & M. Aurelius Paulinus consulatum gesserunt. Initium Epochç Tyriorum contigit per autumnum A. V. Romç 628. ante Christum 126. Adde annos 402. habebis vsque ad autumnum annum vrbis Romç 1030. Christi 277. Rursùs ab autumno A. V. Romæ 628. numerato annos 77. deuenies ad A. V. 705. quo per autumnum cœpit Epocha Antiochenorum, vt in dissertatione superiori ostensum est. Adde annos 325. eris ad A. V. 1030. Antiochenorum 325. Tyriorum verò 402. Quare Epocha istorum cœpit A. V. Romæ 628. Præterea in Synodo Chalchedonensi Act. IX. recitatur iudicium in causa Ibæ Metropolitæ Edesseni habitum ab Episcopis, vt

vt initio ibidem notatur, *Post consulatum Flauii Zenonis & Postumiani VV. CC. die V. Kalendarum Martiarum, in colonia Tyro clarissima metropoli Consulari, anno quingentesimo septuagesimo quarto, mensis Peritii die decima, secundùm Romanos autem Februarii die quinta ac vicesima, Indictione prima*. Character consularis designat annum Christi 449. V. C. 1202. à parilibus, quod capite sequenti ostendam: Hic verò annus Tyri 574. est annus Epochę eiusdem vrbis. Adde autem anno Vrbis Romę 628. annos 574. eris ad A. V. 1202. Christi 449. Itaque Epocha Tyriorum iniit A. V. 628. Appello tertium testimonium, quod memorati Scriptores non obseruarunt, ex Synodo Tyria ab Epiphanio Archiepiscopo celebrata, anno Christi 518. Ea verò recitatur post Act. V. Synodi C-P. sub Menna Patriarcha, ac dicitur habita *in mense secundùm Tyrios Loo, die vicesima octaua, siuè Septembris decima sexta, anni sexcentesimi quadragesimi tertii, Indictione duodecima*. Hic annus Tyriorum 643. componitur cum anno Christi 518. Enimuerò si anno vrbis Romę 628. addas annos 643. eris ad A. V. Romę 1271. Christi 518. quo ab Epiphanio Synodus habita fuit. Ita vbique annorum summa cohæret; ac proinde certum est Epocham Tyriorum cœpisse A. V. Romę 628. Ex hoc autem testimonio ex Synodo Epiphanij Tyrij desumpto, colligimus Epocham Tyri inisse die XIX. Octobris vnà cum prima die Hyperberetæi, à quo Tyrij annum nouum auspicabantur. Nam si anno Christi 449. die decima Peritij, quæ Romanis erat dies 25. Februarij, numerabatur annus Tyriorum 574. anno abhinc 69. nempè Christi 518. eadem die 10. Peritij seu 25. Februarij decurrebat annus Tyriorum 643. qui cum adhuc die 28. Loi, siuè 16. Septembris in laudata Synodo notetur, anni Epochę Tyriorum post Septembrem multiplicabantur; nempè cum annis ciuilibus ipsiusmet vrbis, die 19. Octobris, vt in superiori càpite demonstraui. Hinc mihi veniam dabit V. C. ac amicus noster Vaillantius, si maiorem ipsismet Tyrijs quàm ipsi fidem commodem; longè enim meliùs ciues suæ ipsorum vrbis annos nouerunt, quam ceteri. Et sanè nummi in quibus ante A. V. Romæ 628. Tyrus cum titulis ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΣΥΛΟΥ legitur, eiusdem epochæ exordium neutiquam in anteriora tempora retrahunt. Nam vrbes non à delato iure asyli, sed vt plurimùm ab autonomia sibi concessa, nouam Epocham instituere consueuerunt. In ipsa Syria, ne in longinqua mittam diligentiam curiosam, Antiochia iure asyli apud Daphnem pollebat Antiocho Epiphane regnante, vt disertè traditur in 2. Maccabæorum cap. IV. 34. At illa vrbs tum primùm Epocham nouam inuexit, cum autonomiam à Romanis acce-

accepit . Præterea extat in Gaza Medicea nummus cum epigraphe : ΑΠΑΜΕΩΝ ΤΗΣ ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΣΥΛΟΥ : *Apamenorum* vrbis *ſacra & inuiolata*. Ibi verò notatur epocha in area nummi cum elephanto ΞΛΣ, anno CCXXXVII. Eſt annus Epochæ Seleucidarum, qua ſola Apamenos vſos ſcimus. Non ergo à iure asyli noua apud Syriç vrbes Epocha inſtituta fuit. Non ibo inficias potuiſſe Tyrios à iure asyli ob honorem Herculis delato, nouam Epocham inducere ; at reapſe illam ſe tunc non inſtituiſſe ijdem Tyrij in geſtis publicis ſemel & iterùm conteſtantur . Quid quòd ipſi etiam nummi Tyriorum idem euincunt apud eundem V. C. pag. 322. Hiſtoriæ laudatę, vbi recitat numiſma inſcriptum : ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ ΤΥΡ. ΙΕ. ΑΣΥ. ϛΠΡ. *Regis Demetrii. Tyri ſacra , inuiolatæ. Anno* 186. Videſne Tyrum cum iure asyli adhuc vſam Epocha Seleucidarum , cuius ibi annus ſcalptus 186. concurrebat cum A. V. Romæ 628. quo tamen anno eodem Demetrio occiſo, nouam Epocham inuexit ?

Cum, Antiocheni , horumque exemplo ſuperioris Syriæ vrbes à Demetrio Nicatore rebellaſſent , nouum ſibi regem à Ptolemæo Phyſcone Ægypti rege petierunt, qui Alexandri cognomento *Bala* filium , vti aiebat , & ipſum Alexandrum nomine , cum validis copijs in Syriam nouum regem miſit , qui propè Damaſcum cum Demetrio prœlio congreſſus ,ac victoriam indeptus , Syriam occupauit. Demetrius amiſſo exercitu , Tyrum templi Herculis religione fretus , celeri fuga ſe proripuit , vbi naui egrediens , ſtatim interfectus fuit. Ex laudato proximè nummo Tyriorum patet eoſdem , Antiochenis alijſque a Demetrio deficientibus , in fide eiuſdem manſiſſe . Hinc nouus Rex Alexander vulgò ignominiæ cauſa *Zebenas* appellatus , quo Tyrios mari præpotentes , ſibi amicos faceret , eoſdem autonomia initio ſtatim regni donauit ; nempè vt vrbs libera sub tutela regum Syriæ , ſuiſmet legibus vteretur. Strabo lib. 16. pag. 521. edit. Caſauboni , de Tyrijs ait : *Non ſolùm à regibus , ſed à Romanis etiam autonomia donati ſunt , cum quidem paruo ſumptu impetrarint , vt eorum votum Romani ratum haberent , atque confirmarent* . Et Ioſephus lib. 15. cap. 4. ſcribit Antonium omnes vrbes Syriæ ab Eleuthero flumine ad Ægyptum vsque , Cleopatræ regno adieciſſe , exceptis Tyro ac Sidone, *quas* , inquit , *iam inde à maiorum ætate ſciebat liberas* . Ita Tyrij ab Alexandro Zebena nouo rege Syriæ A. V. 628. ante Chriſti epocham 126. autonomiam conſecuti , nouam vrbis ſuæ Æram eo ipſo anno , menſe Hyperberetæo iniuerunt, quo menſe annus Ætæ Seleucidarum CLXXXVII. inchoabatur . Extat in vetuſto lapide apud Gruterum pag. 1105.

ſculpta

sculpta longa epistola, in cuius titulo legitur nomen Vrbis ΤΥΡΙΩΝ ΤΗΣ ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΣΥΛΟΥ ΚΑΙ ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ ΦΟΙΝΕΙΚΗΣ ΚΑΙ ΑΛΛΩΝ ΠΟΛΕΩΝ ΚΑΙ ΝΑΥΑΡΧΙΔΟΣ &c. Sunt insignes tituli vrbis *Tyriorum sacra, & inuiolata, & suis legibus vtentis, Metropoleos Phœnicis, & plurium ciuitatum, ac Nauarchidos*, siuè *Classica*. At illa autonomiam pluris quam cetera beneficia æstimauit; vnde ab eadem impetrata, nouam Epocham inuexit. Ioannes Harduinus, qui vrbium Epochas in nummis obsignatas, satis quidem diligenter perquisiuit, licèt non æquè feliciter easdem exposuerit, pag. 513. sæpius appellati voluminis, nullum Tyriorum numisma hac recentiori Epocha notatum producit; quamuis eandem ex Chronico Eusebiano laudat. Extat in Gaza Medicea hic nummus argenteus maximi moduli.



In antica parte visitur caput Herculis Tyrij laureatum, vti Antiocheni suum Iouem Philium in nummis laureato capite exprimebant. In postica parte legitur : ΤΥΡΟΥ ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΣΥΛΟΥ : *Tyri sacra & inuiolata*. Et in area ΕΚ, id est, *Anno* XXV. Claua, quę Herculis Tyriorum Numinis tutelaris erat insigne, in eorundem nummis passim occurrit, vt mox apparebit. Aquila cum ramis palmę rostro nauis insistens, dudùm etiam regnantibus apud Tyrum Seleucidis, in eiusdem nummis scalpebatur, quòd palma erat Phœnicis, cuius Tyrus metropolis, symbolum; rostro autem nauis maritima Tyriorum potentia exprimebatur. Videsis hæc eadem symbola in pluribus eorundem nummis apud eruditissimum Vaillantium in Historia Regum Syrię, vbi pag. 257. Aquilam Regum Ægypti insigne, à Tyrijs etiam suis in nummis scalptam putat in gratiam Cleopatræ, quam Ptolemæus Philometor apud Ptolemaidem Alexandro Theopatori regi Syriæ vxorem tradidit anno Seleucidarum 162. vti legitur in cap. 10. lib. 1. Maccabæorum.

Sed

Sed probabiliorem eius symboli in Tyriorum nummis originem colligo ex Nonno lib. 40. Dionysiacorum, vbi narrat Herculem monuisse, vt Tyrum in rupibus siuè scopulis fluctiuagis conderent, quos Aquilæ ibidem inter oleæ ramos repertæ, ac dein Dijs mactatæ, sanguine aspersos, solidarent.

Sponte volantem Aquilam, mucrone in guttur adacto.
Neptuno, regique Ioui mactare gigantes
Aggressi, sectaque gula de vulnere sanguis
Purpuream fœdauit humum, steteruntque vetusta
Iuncta Tyro, quæ saxa sacri liquor imbuit atri
Sanguinis &c.

Quare quòd Tyrus Aquilæ Dijs sacratæ cruore solidatis medio in mari rupibus, fundata fuerat, Aquilæ symbolo vti potuit. Hinc discimus, cur Lucano lib. 3. dicatur: *Et Tyros instabilis*, quòd nempè in rupibus antea fluctiuagis condita dicebatur. Epocha annorum XXV. in laudato nummo notata, inita ab A. V. Romæ 628. dat initium anni 25. mense Hyperberetæo A. V. 652. Antiochis fratribus Grypo ac Cyziceno in Syria partito imperio, regnantibus, cum Iudæi & Arabes Cyziceni ditiones præualidis copijs subiugarent.

Numisma, quod hactenùs exposui, laudatur à Iosepho lib. 2. belli cap. 26. vbi narrans quanto lucro Ioannes Gischalensis emptum in Galilæa oleum, apud Cæsaream maritimam Phœniciæ vrbem distraheret, hæc ait: *Nummoque Tyrio, qui quatuor Atticos faceret, emptis quatuor amphoris, eodem precio amphoræ dimidium venundabat*. Hoc ipsum recitans in libro de vita sua, ait: *Sciens enim apud Cæsarienses sextarios duos vna drachma venire; Gischalis autem octoginta sextarios drachmas quatuor, totum illud oleum, quod ibi erat, ad eos transmisit*. Nummus Tyriorum, quem è Museo Mediceo produxi, à me in bilance appensus, semunciam pendebat, ac proinde est tetradrachmus, id est, valens quatuor drachmas Atticas. Sanctus Hieronymus in cap. 4. Ezechielis ad V. 10. ait: *Siclus autem, id est, Stater habet drachmas quatuor. Drachmæ autem octo Latinam vnciam faciunt*. Quatuor Hebræorum siclos eiusdem Gazæ Mediceæ ponderaui, ac singuli semunciam pendebebant, ac cum eodem nummo Tyrio æquata lance, pares erant. Cleopatra in lib. de mundicijs scribit: *Stater habet drachmas quatuor, appellantque ipsum tetradrachmon*. Et rursus: *Libra habet vncias duodecim, drachmas octo*. Quod Tyrij erant Iudæis finitimi, ac plura inter eosdem commercia exercebantur, hi siclos, illi verò æqualis ponderis argenteos nummos scalpebant, semunciam omnes pendentes. Eos

verò

verò nummos tetradrachmos ingenti numero apud Tyrum ſcalptos patet, quòd plurimi adhuc in Cimelijs ſeruantur; nouem ſanè vidi in Gaza Sereniſſimi Magni DVCIS Etruriæ in poſtica inſcriptos: ΤΥΡΟΥ ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΣΥΛΟΥ, cum laureato capite Herculis in parte anteriori, vt in ſuperiùs delineato. In vno tamen viſitur caput diadematum cum epigraphe: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ, *Regis Antiochi*. Interim hic obiter aduerto in laudatis Ioſephi teſtimonijs quædam mihi difficilia occurrere. Nam in lib. 2. de bello ſcribit Ioannem Giſchalenſem nummo Tyrio quatuor Atticos valente, emiſſe quatuor amphoreos olei. Græcè enim ſcribit *τέσσαρα ἀμφορεῖς*. Amphoreus autem Græcorum eſt menſura minor amphora Romana; hæc enim continebat ſextarios XLVIII. amphoreus verò Græcorum habebat ſextarios triginta ſex, vti ſcribit Cleopatra in lib. de mundicijs, alijque in calce tom. V. operum Galeni. Idem verò Ioſephus in altero opere laudato de vita ſua, narrat apud Cæſarienſes olei ſextarios duos vna drachma venditos; Giſchalis autem octoginta ſextarios drachmis tantum quatuor coemptos. Enimuerò ſi Cæſareę duo olei ſextarij vna drachma vendebantur; quatuor drachmis octo ibidem ſextarij diſtrahebantur. At in lib. 2. de bello ait Ioannem quatuor drachmis vendidiſſe apud Cæſaream *ἡμιαμφόριον dimidium amphorei*. Itaque amphoreus ſexdecim ſextarios continebat. Verùm alibi ſcribit Giſchalis *octoginta ſextarios drachmis quatuor emptos*. Quare vna drachma viginti ſextarij ibidem emebantur; & ſi nummo Tyrio qui quatuor Atticos, id eſt, drachmas faceret, emebat quatuor amphoreos, iam amphoreus continebat ſextarios viginti; nam ait Giſchalis octoginta ſextarios drachmis quatuor venundatos. Qui verò & vbi frequentatus ſit amphoreus viginti, vel ſexdecim ſextariorum mihi planè incompertum eſt. Idem verò hiſtoricus lib. 8. Antiq. cap. 2. de Bato Hebræorum menſura ait: *Batus autem capit ſextarios ſeptuaginta duos*; vbi Batum parem Græcorum metretæ facit, quæ totidem ſextarios continebat. Rursùs vbi IV. Regum VI. 25. *quarta pars cabi* nominatur, Ioſephus lib. 9. cap. 2. eadem Græcè ſcribens, *ſextarium* reponit. Cum enim diutiùs cum Romanis vixerit, Romanam ſextarij menſuram optimè nouit, vti etiam alias Græcorum. Hinc lib. 3. Antiq. cap. 7. ait Hebræorum aſſaronem ſeptem cotylas Atticas continere; & cap. 10. ſcribit Hin duos choas Atticos facere. Et lib. 9. cap. 2. notat Satum Iudaicam menſuram continere *modium Italicum & medimnum*. Hinc non poſſum non mirari eundem adeo variata menſurarum proportione de amphoreis ac ſextarijs vtroque laudato loco ſcripſiſſe. Galenus lib. 1. de com-

pos. medicam. per genera cap. 16. narrat nomen ſextarij vnà cum Romanorum imperio ad Græcos traductum, apud quos tamen diuerſæ à Romana erat menſuræ. Cleopatra ſcribit ſextarium continere duas cotylas, nempè vncias XVIII. additque: *vocatur autem ſextarius apud Aegyptios Inion*. Villalpandus in Ezechielem par. 2. lib. 3. cap. 14. pluribus probat ſextarium parem fuiſſe logo Hebræorum. Sed de his non eſt hic diſputandi locus; nec inde quidpiam lucis coruſcat ad duo illa ſatis obſcura Ioſephi loca illuſtranda.

In eodem nummo alijſque Tyrus Asyli honore gloriatur, cuius inſigne exemplum occurrit. Etenim Demetrius II. Syriæ rex, vti prænotaui, prœlio circa Damaſcum ab Alexandro II. Balæ filio, victus, *cum*, inquit Iuſtinus lib. 39. *Tyrum religione Templi ſe defenſurus, petiiſſet*, naui egrediens, priusquàm in templi asylum ſe reciperet, peremptus fuit. Cum Cn. Octauius in Samothraciam ad Perſeum iam debellatum Macedoniæ regem capiendum, miſſus fuiſſet, *à violatione asyli ob honorem Deorum abſtinuit*, vt ait Plutarchus in Æmilio. Erat templum Caſtoris & Pollucis asyli priuilegio ibidem donatum. Antonius in oratione funebri apud Appianum lib. 3. ciuil. vocauit Iulium Cæſarem nuper occiſum, *ἱερὸν καὶ ἄσυλον*, *ſacrum & inuiolatum*, qui tituli in laudato nummo Tyro deferuntur. Nempè Cæſar erat donatus perpetua Tribunicia poteſtate, quæ faciebat, ne vlla vis citra capitis diſcrimen, eadem prædito inferri poſſet; vti ex Liuio lib. 9. in oratione Poſtumij Conſulis, alijſque paſſim Romanis ſcriptoribus intelligitur. De asylis templorum ſcribit Tacitus lib. 3. Annalium.

In eodem Muſeo Mediceo plures variæ magnitudinis nummi Tyriorum continentur, qui omnes annos Epochę eorundem præferunt. Exhibeo in primis typum ærei numiſmatis primæ magnitudinis ac pulcherrimę & integerrimę ſcalpturę.



In

In superiori parte nummi notę numerales Η Α Σ annum Ærę Tyriorum CCXXXVII. designant, qui cœpit die 19. Octobris, quę apud Tyrios erat prima mensis Hyperberetæi, A. V. Romę 865. Traiano Augusto VI. & T. Sextio Africano Coss. Duo alij minores nummi in eodem Cimeliarchio visuntur cum eadem Inscriptione ac trireme; sed in superiori parte areę signatur Epocha Γ Ζ Σ, *Anno* CCLXIII. vbi media litera numeralis Ζ habet lineam obliquam alia lineola intersectam, vt distincta appareat à litera numerali Ζ, quæ cum non est media, sed vltima in nummis, septenarium numerum exprimit. Porrò annus 263. illis in nummis signatus, cœpit ab Octobri A. V. Romę 890. eodemque postremo imperij Hadriani. In antica parte cum capite turrito vrbis Tyri, visitur ramus palmæ, vt & in alio proximè producendo, arbor palmę, quòd ager Tyrius adeo palmetis abundabat, vt palma Tyrum patriam iactet in epigrammate Meleagri apud Holstenium, ac Spanhemium pag. 316. Et sanè palma Græcis dicitur *φοίνιξ phœnix* à Phœnice regione palmarum feracissima. In laudatis nummis, alijsque passim tres priores literę vrbis Tyri nomen componentes, in vnam conflatæ, Tyriorum monogramma sunt, iisque ΤΥΡΟΥ exprimitur, ac ΙΕΡΑΣ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ: *Tyri sacræ metropoleos*. Triremis aut media Nauis Tyriorum symbolum erat, quo maritima eorundem potentia designabatur. Imò quidam nauim à Tyrijs inuentam putabant, quos inter Tibullus lib. 7. eleg. 7. ait:

Prima ratem ventis credere docta Tyrus.

Sed haud necesse est hominum hic testimonia appellare, Deo ipso maritimas Tyriorum vires elegantissimo panegyrico commendante apud Ezechielem integro capite XXVII. Quædam hic inseram. Etenim Ver. 8. ait: *Habitatores Sidonis & Aradii fuerunt remiges tui; sapientes tui, Tyre, facti sunt gubernatores tui. Senes Giblii, & prudentes eius habuerunt nautas ad ministerium variæ supellectilis tuæ; omnes naues maris & nautæ earum fuerunt in populo negotiationis tuæ.* Vbi cum Deus ore prophetę totius Orbis gentes, quibuscum Tyrij commercia exercebant, enumerasset, Ver. 25. concludit: *Naues tuæ, principes tui in negotiatione tua; & repleta es, & glorificata nimis in corde maris.* Et cap. 26. destruendę postea Tyro monodiam à ceteris gentibus canendam, præformans, ait: *Quomodo peristi quæ habitas in mari, vrbs inclyta, quæ fuisti fortis in mari cum habitatoribus tuis, quos formidabant vniuersi?* Tyrij omnium gentium merces æquè ac scelera & pessimos mores suam in vrbem adduxerant. Hinc eisdem Deus indignatus, Nabuchodonosorem regem Assyriorum contra Tyrum excitauit, à quo difficili ac diuturniori tredecim anno-

rum obſidione oppugnata, deditionem facere coacta fuit, anno ante Epocham Chriſti iuxtà Vſſerium 572. Obſidium difficile Dei verbis deſcribitur Ezechielis cap. XXIX. 18. *Nabuchodonoſor*, inquit, *rex Babylonis ſeruire fecit exercitum ſuum ſeruitute magna aduerſùs Tyrum: omne caput decaluatum, & omnis humerus depilatus eſt &c.* Tanta erat vetus Tyriorum potentia.

In laudato nummo Tyrus dicitur *ſacra metropolis*, qui quidem titulus paucis exponendus eſt. Nam Suidas V. *Paulus* ſcribit: *Paulus Tyrius Orator fuit temporibus Philonis Byblii, qui ſub Hadriano Imperatore cum legatum egiſſet, metropolim Tyrum fecit*. Hadrianus imperium accepit A. V. 870. ante quem tamen Tyrus in Mediceo nummo metropolis appellatur. Strabo qui libros Geographicos initio principatus Tiberij deſcripſit, lib. 16. vocat Tyrum ac Sidones vrbes antiquas & illuſtres, addens: *controuerſumque manet, vtra earum Phœnicum metropolis dici debeant*. Quare Tyrus ante Hadriani imperium Metropoleos titulum ferebat, ſecùs ac Suidas exiſtimauit. Verùm nomine *metropoleos* intelligi poteſt vrbs, quæ aliarum veluti mater extiterit, quæue colonos in alia oppida miſerit; atque ita Tyrus nomen metropoleos vſurpauit, cum Carthago in Africa aliæque in Hiſpania maritimę vrbes Tyriorum colonię fuerint. At in Phœnicia Sidon ſe omnium metropolim iactabat, quòd ipſamet Tyrus Sidoniorum colonia erat, vti teſtatur S. Hieronymus in cap. 23. Iſaiæ: *Tradunt*, inquit, *hiſtoriæ quòd Tyrus colonia Sidonis ſit*. Hoc tamen Tyrij inficiabantur, ſeque Sidonijs antiquiores eſſe contendebant; vnde de iure metropoleos inter vtroſque, vt ait Strabo, controuerſia erat. Rursùs ea vrbs metropolis dicebatur, vbi prouincię præſes ſedem tenebat: qua ratione metropoles prouinciarum paſſim dignoſcebantur; atque ita ad Eccleſias idem nomen translatum eſt, vt illa metropolitana appellaretur, in qua Epiſcopus totius prouincię primas reſideret. Spartianus cap. 14. de vita Hadriani ſcribit: *Antiochenſes inter hac ita odio habuit, vt Syriam à Phœnice ſeparare voluerit, ne tot ciuitatum metropolis Antiochia diceretur*. Itaque cum Hadrianus Syriam ſuperiorem a Phœnice diſtinxerit, ac nouum Legatum Proprætorem in Phœnicen miſerit, hic apud Tyrum iuſſu Principis, ſedem poſuit, ac proinde Tyrus noua Phœnicum metropolis eſſe cœpit, quem honorem Paulus Orator ſuę patrię ab Hadriano, auctore Suida, impetrauit. Sanctus Iuſtinus Martyr, qui ſub Hadriano vixit, & Apologiam pro Chriſtianis Antonino Pio Hadriani ſucceſſori nuncupauit, in Dialogo contra Iudæos, ait: *Damaſcum porrò Arabiæ fuiſſe, atque eſſe, etiamſi nunc attributa eſt ei regioni, quæ Syrophœnice dicitur, nemo*

mo vestrum inficiari potest . Illa nota temporis *nunc* non obscurè indicat Damascum Phœnici ab Hadriano additam, cum nouam prouinciam Phœnicen à superiori Syria distinctam, ac per specialem legatum proprætorem administrandam, constituit, vt superiori cap. 1. prænotaui. Ita Tyrus nouę prouincię Syrophœnices metropolis ac legati Augusti sedes sub Hadriano euasit. Et quidem Sidon, quæ de metropoleos dignitate, qua vrbs aliarum mater designatur, cum Tyro contendebat, nunquam in nummis sub Traiano & Hadriano ibidem scalptis, semet metropolim nuncupauit, cum eo titulo in nummis Elagabali ornetur; quòd nempè sub prioribus Cæsaribus neutiquam metropolis dicebatur. Iam verò alios nummos Tyriorum Epocha insignitos, exhibeo.



Hæc tria numismata ex collectione Principis Cardinalis Leopoldi in Mediceis Cimelijs seruantur. In antica parte vtriusque grandioris nummi visitur caput Herculis laureatum. In altera verò parte scalptum est monogramma vrbis Tyri, ita vt claua Herculis insigne rectam lineam literę T suppleat, in illius summitate superiori literæ Y parte apparente; litera verò P loco transuersariæ lineæ T ponitur, vt epigraphe sit: ΤΥΡΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ, *Tyri Metropoleos*. In vno eorundem nummorum signatur annus vrbis Tyri SNC, *ducentesimus quinquagesimus sextus*. Literam maiorem S fuisse apud Græcos notam numeri VI. superiùs pag. 258. ostensum est. Ille verò annus cœpit die 19. Octobris vna cum mense Hyperberetæo, A. V. Romę 883. decimoquarto imperij Hadriani. In altero notę numerales ΘΟΣ annum exprimunt CCLXXIX. qui eadem die initium habuit, A. V. Romę 906. decimo tertio imperij Antonini Pij, C. Bruttio Præsente A. Iunio Rufino Coss. vt hocce collegium restitui pagina 93. Epistolę Consularis; quæ correctio colligitur etiam ex prolixa Inscriptione apud Sponium sect. 2. Miscell. pag. 52. & 53. Holstenius pag. 332. not. in Stephanum ex eadem Gaza Me-

Medicea tres Tyriorum nummos laudat, & vnius etiam typum proponit similem allatis cum claua Herculis, ac inferiùs literis H A C & aduersùs tribus literis Phœnicijs. Alterum ibidem nummum Mediceum appellat cum epigraphe intra coronam populeam: ΤΥΡΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ Η ΠΡΩΤΗ ΣΥΡΙΑΣ, nempè: *Tyri metropoleos quæ prima Syriæ*. Verum vir insignis à descriptore indicis Cimeliarchij deceptus est, ijsdem nummis non visis, aut quòd eos se vidisse testatur, minùs accuratè consideratis. Nam nullus ea in Gaza nummus seruatur, in quo Tyrus Η ΠΡΩΤΗ ΣΥΡΙΑΣ inscribatur. Dicam quod res est. Vir alias eruditus Petrus Fittonus Anglus, cum iussu Serenissimi Magni Ducis Ferdinandi II. nummos laudatę Gazę in ordinem redigeret, ac in indicem cogeret, in nummo ab Holstenio delineato, legit: ΤΥΡΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ, & subtus literas H A C in indice interpretatus, easdem maioribus characteribus, vti ceteras nummorum Inscriptiones exarauit, atque ita exposuit: Η ΠΡΩΤΗ ΣΥΡΙΑΣ, nempè harum literarum H A C priorem H accepit pro pronomine relatiuo feminini generis; alteram A, quæ apud Græcos initium numeri designat, ac pro primo ponitur, putauit *primam* significare, atque adeo ΠΡΩΤΗ interpretatur; denique postrema litera C eidem ΣΥΡΙΑΣ nota esse visa est. Holstenius aliam etiam subijcit interpretationem, vt literis H A C designetur Η ΑΣΥΛΟΣ, *quæ Asylum*. Hæc tamen figmenta ex nummo perperàm aut lecto, aut correcto, procedunt. Nam in illo nummo legitur post monogramma Tyri ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ, & subtùs non H A C, sed H Λ C, vt media litera non sit A, sed Λ optimè apparens; est ergo annus Epochę Tyriorum H Λ C *ducentesimus tricesimus octauus* initus prima die Hyperberetæi, quæ fuit apud Romanos XIX. Octobris A. V. Romę 865. decimoquinto imperij Traiani.

Nummus inter vtrumque hactenùs expositum delineatus, est minoris magnitudinis, ac monagramma Tyri metropoleos longè ceteris elegantiùs expressum præfert. Nam tum quatuor priores literæ ΜΗΤΡοπόλεως, tum etiam tres vocis ΤΥΡου in vnum monogramma conflatę visuntur, id est, *Tyri Metropoleos*. Si syllabę ΙΕΡ & ΑΣ quas inter est palma, vnum vocabulum formant, erit *sacræ*. Sin autem diuisæ putentur, *sacræ asyli* sonabunt; sed ex alijs nummis Tyriorum prior interpretatio sit probabilior. At Epocha eiusdem nummi ΘΙC *annum* CCXIX. indicat, qui cœpit cum Hyperberetæo, memorata die 19. Octobris A.V. Romę 846. eodemque imperij Domitiani decimo tertio. In simili nummo cum eadem palma in scrinijs sæpiùs laudati D. Francisci Dron, legitur:

ΤΥΡΟΥ

ΤΥΡΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛ. ΙΕΡΑC ΘΟC. *Tyri metropoleos sacra. Anno* CCLXXIX. qui annus in Mediceo etiam numiſmate cum claua Herculis ſuperiùs poſito, obſignatur. Hí verò duo nummi cum palma, in antica præferunt caput turritum mulieris, vt in maiori nummo cum trireme itidem ſuperiùs allato viſum eſt. Porrò cum Tyrij anno Seleucidarum CLXXXVII. Vrbis Romę 628. Æra veteri eorundem Regum omiſſa, nouam inuexerint, omnes laudati hactenùs nummi, in quibus numerus annorum vltra ducentos excurrit, poſteriorem Tyriorum Epocham præferunt.

Ezechiel Spanhemius Diſſert IX. pag. 878. ſcribit ex Actis Synodi Calchedonenſis notas eſſe *eiuſdem Tyri cum Beryto contentiones, quibus factum eſt, vt non ſolùm Tyrus metropolis* Phœnicię primę, *Berytus autem* Phœnicię ſecundę *diceretur; ſed etiam vt à Theodoſii iunioris temporibus, iuxtà Notitiam Imperii, Tyrus* Metropolis maritima, *altera verò* Libani *diceretur*. Non poſſum ad eruditiſſimi viri ſententiam accedere; nuſquam enim legitur Berytus fuiſſe metropolis Phœnicię ſecundę, ſeu Libani. Theodoſius iunior ſurreptitijs precibus Euſtathij Epiſcopi Beryti deceptus, hocce decretum emiſit: *Propter multas iuſtaſque cauſas, metropolitano nomine & dignitate ciuitatem Berytum decernimus exornandam, iam ſuis virtutibus coronatam. Igitur hæc quoque metropolitanam habeat dignitatem; Tyro nihil de ſuo iure derogetur. Sit illa mater prouinciæ maiorum noſtrorum beneficio: hæc noſtro*. Extat hæc ſanctio in lib. XI. Cod. Iuſt. tit. 21. Ex hoc Principis decreto Euſtathius Beryti Epiſcopus ius metropoliticum ſibi vindicans, Tyri metropolitę diœceſim inuadens, ſibi ſubdidit *Byblum, Botrym, Tripolim, Orthoſiada, Areas, & Antaradum*, vti eidem obiecit in magna Synodo Calchedonenſi Photius Tyri metropolita. At memoratæ vrbes erant omnes intra Phœniciam maritimam, in qua & Berytus vrbs Byblum inter & Sidonem cenſebatur. Itaque Euſtathius Epiſcopus Berytenſis in parte Phœniciæ maritimę, non autem in Phœnicia Libani, ius metropoliticum ſibi vſurpauit. Theodoſius Auguſtus nudum metropoleos titulum vrbi Beryto conceſſerat; cum diſertè pronuntiauerit: *Tyro nihil de ſuo iure derogetur*. At cum plurimum eidem Euſtathij ambitio derogaret, in Synodo laudata Act. IV. integrum ius Tyrio Archiepiſcopo aſſertum eſt, Epiſcopo Berytenſi in ordinem redacto. Hinc epiſtolam Synodalem Phœnicię maritimę ad Leonem Auguſtum, ſubſcribunt hoc ordine Epiſcopi: *Dorotheus*, proximus Photij ſucceſſor, *Epiſcopus Tyri, Euſtathius Epiſcopus Beryti, Megas Epiſcopus Sidonis &c.* Ita Euſtathius præſumpta Metropolitani poteſtate priuatus, inter ſuffraganeos Epiſcopos Phœnicię maritimæ

ſemet

femet fubfcripfit. Idem tamen Euftathius qui Actione IV. eius Synodi Calchedonenfis iure metropolitico priuatus fuerat die XV. Octobris anni Chrifti 451. in Act. VI habita die 25. eiufdem menfis dicitur Epifcopus τῆς Βηρυτίων μητροπόλεως, *Berytiorum metropoleos*; nempè folo nomine talis. Ita imperator Marcianus Act. VII. eiufdemmet Synodi dixit: *Calchedonenfium ciuitatem, in qua fanctæ fidei Concilium geftum eft, metropolis priuilegia habere fancimus, nomine tantùm; falua videlicèt Nicomedienfium ciuitati propria dignitate.* Nicomedia enim vetus erat Bithyniæ metropolis tum ciuilis tum etiam Ecclefiaftica. Ex quo Phœnicia in duas prouincias diuifa fuit, quarum vna maritima feu Prima, alia Libani fiuè Secunda diceba-tur, Tyrus maritimæ: Damafcus verò alterius ad Libanum metropoles fuere. Inter epiftolas Patrum fcriptas poft Synodum Ephefinam in caufa ibidem exorti fchifmatis, quas vir doctiffimus Chriftianus Lupus publicauit, legitur cap. 197. epiftola Ioannis Patriarchę Antiocheni ad S. Proclum Patriarcham C.P. in qua ait: *Hi qui ex Paralia funt Deo amiciffimi Epifcopi, his confona componentes, & fubfcribentes dixerunt. Illi qui ex fecunda Phœnicia venientes propter ordinationem religiofiffimi Theodori, qui tua dignus eft fanctitate, & quem te arbitror noffe: illum dico qui eft à fecunda cathedra, id eft, confeffu, ipfi quoque fubfcripferunt.* Hic Theodorus, mortuo Ioanne, qui anno Chrifti 431. contra S. Cyrillum cum fchifmaticis confpirauerat, & in actis *Damafci metropolitanus* nuncupatur, ab Epifcopis Phœnicię Secundę feu Libani apud Antiochiam Damafci Metropolita confecratus fuit. Idem anno Chrifti 449. interfuit Concilio Antiocheno fub Domno Patriarcha, & anno 451. Calchedonenfi; in cuius Act. XIV. idem Theodorus dicitur *Damafci metropolitanus*. Lupus rectè obferuat in notis ad laudatam epiftolam, Antiftitem Tyri fuiffe protothronum feu primum Metropolitam in Patriarchatu Antiocheno; fecundum verò ab ipfo fuiffe Epifcopum Damafci Metropolitam Phœnicię Secundę; ac proinde hic in laudata epiftola *à fecunda Cathedra* nuncupatur. Idem autem Lupus exponens recitata verba eius epiftolę: *Qui ex Paralia*, hæc fcribit: *Hoc eft Cyprus; etenim Paralia eft idem quòd maritima. Paralos Salaminia erat famofiffima triremis fpecies; ideoque ab illa omnis infula accepit nomen Paralia.* Magnus hic dormitat Homerus. Nam ibi vox *Paralia* non Cyprum, fed Phœniciam primam defignat, cuius metropolis Tyrus; fiquidem hæc ad diftinctionem Phœnicię mediterraneæ feu ad Libanum παραλία, id eft, *maritima* dicebatur. In veteri Notitia ecclefiarum pag. 60. legimus: Ἐπαρχίας Φοινίκης παραλίας: *Prouincia Phœnices maritimæ*, vbi primo

loco

loco nominatur Tyrus metropolis, dein Berytus. Itaque Ioannes Antiochenus in ea epistola ad S. Proclum nominat primo loco Episcopos *Paraliæ*, id est, Phœniciæ maritimæ, quibus adiungit Episcopos *Phœniciæ Secundæ*, *duarum Ciliciarum*, *Arabiæ*, *Mesopotamiæ*, *Osrhoenæ*, *Euphratesiæ*, *Isauriæ*, *Syriæ denique primæ*, *ac secundæ*, quæ sunt vndecim prouinciæ Ecclesiasticæ, in quas diœcesis Patriarchatus Antiocheni diuidebatur, quarum singulæ suos habebant Metropolitas; ita vt Episcopus Tyri esset Metropolita Phœniciæ Paraliæ seu maritimæ; Episcopus verò Damasci Metropolita Phœniciæ Libani, Episcopo Beryti inter suffraganeos Archiepiscopi Tyri numerato. Episcopi Cyprij id temporis ob impetratum ab Synodo Ephesina priuilegium autocephaliæ Episcopo Constantiæ, iuri Patriarchę Antiocheni se subtraxerant, ac idem Constantiensis Episcopus totius insulę Exarchum Ecclesiasticum agebat, vti eruditè exponit idemmet Lupus tom. 1. Concil. in notis ad Synodum Ephesinam pag. 367. Rursùs minùs rectè Lupus scribit: *Paralos Salaminia erat famosissima triremis species*; etenim Paralus & Salaminia erant diuersæ naues, non vna eademque triremis. Thucidides lib. 3. ait: *conspectus enim fuerat à nauibus Salaminia & Paralo*; quod ex alijs etiam Scriptoribus constat.

CAPVT IV.

Ex charactere Epochæ Tyriorum demonstratur annus quo causa Ibæ Metropolitæ Edesseni apud Berytum ac Tyrum discussa fuit. Varij errores Scaligeri. Nota temporis post consulatum *quem annum designet, ac quando primum inducta. Gothofredi sententia de Indictionibus vno anno tardius in Oriente numeratis, refellitur. Ibæ causa vno eodemque anno in triplici Episcoporum iudicio agitata, ac insignium Scriptorum ea de re opiniones confutatæ.*

QVæ hactenùs de Epocha Tyriorum ex Nummis alijsque vetustis monumentis producta, & in bono lumine collocata sunt, viam aperiunt ad assequendum annum, quo causa Ibæ Metropolitę Edesseni apud Tyrum discussa fuit; simulque ea illustranda, quæ in Act. IX. & X. Synodi Chalchedonensis recitantur; cum insignes Scriptores in illis referendis, aberrauerint. In Act. IX. laudata recensentur gesta in causa Ibæ in hæc planè verba initio

 conce-

concepta : *Post consulatum Flauii Zenonis & Postumiani VV. CC. die V. Kalendarum Martiarum, in colonia Tyro clarissima metropoli Consulari, anno quingentesimo septuagesimo quarto, mensis Peritii die decima, secundùm Romanos autem Februarii quinta & vicesima, Indictione prima, Photius reuerendissimus Episcopus Tyri metropolis &c.* Scaliger in additis ad lib. de doctr. Temp. pag. 749. scribit : *Et Consules & Indictio produnt annum Christi* 448. *Erat igitur annus periodi Iulianæ* 5161. *proinde annus primus Æræ Tyriorum consurgit ex anno* 4588. *Cyclo Lunæ IX. Solis XXIIII.* Idem ibidem & in notis Eusebianis num. 2293. ait Tyrios annos suos à deducta colonia sub rege Syriç Demetrio putasse. At Scaliger plures errores errat. Nam Tyrus annos suos putauit non à deducta regnante Demetrio colonia, sed ab autonomia sibi post necem Demetrij, ab Alexandro rege Syriæ concessa, vti superiùs ostensum est. Præterea falsum est Consules ibi memoratos prodere annum Christi 448. cum planè constet ex forma appellandi consulatus, annum 449. designari. Zeno ac Postumianus fuerunt Consules anno Christi 448. quo anno plures epistolæ S. Leonis Papç ac Synodus C-P. Sancti Flauiani contra Eutychetem eosdem Consules præferunt. Actio prima Concilij prioris Flauiani initio statim habet : *Flauio Zenone & Postumiano Consulibus clarissimis, die sexto Idus Nouembris &c.* Actio verò VI. ita inchoatur. *Die Sabbati, quæ est vicesima dies Nouembris.* Hæc omnia repetuntur in prima Actione Synodi Calchedonensis. At annus Christi 448. in Fastis signatur Zenone & Postumiano Coss. quo anno bissextili dies XV. Nouembris incidit in feriam II. siuè diem Lunæ, ac vicesima eiusdem mensis fuit Sabbatum, vt in laudatis Actis Synodalibus legitur, Cyclo Solis IX. litt. DC. Hæc vti certa sunt, ita planè etiam certissimum est illa anni designandi formula : *Post consulatum Fl. Zenonis & Postumiani*, indicari annum qui proximè post illorum consulatum fuit, nempè annum Christi 449. quo anno in Oriente Consul fuit Flauius Protogenes, in Occidente verò Flauius Asturius, quem cum Theodosius qui in Oriente imperabat, in ea sibi subiecta parte imperij non publicasset, in publicis in Oriente gestis ad eum annum designandum, à quibusdam scriptum est : *Flauio Protogene V. C. & qui fuerit nuntiatus, Consulibus*, vti legitur in secunda Synodo eiusdem S. Flauiani ; vel ab alijs acta publica initiò ita concepta sunt : *Post consulatum Zenonis & Postumiani.* Synodus latrocinialis Ephesina celebrata fuit anno Christi 449. Theodosius Imperator in sacra ad Dioscorum iubet illum proximis Kalendis Augusti Ephesum metropolim Asiæ conuenire, Synodi ibidem habendç gratia, cum decem metropolitis

ac

ac totidem ſuffraganeis Epiſcopis. Ea verò epiſtola ſignatur data *tertio Kalendas Aprilis*, *μετὰ τὴν ὑπατείαν Ζήνωνος καὶ Ποσουμιανοῦ τῶν λαμπροτάτων*: *Poſt conſulatum Zenonis & Poſtumiani Clariſſimorum*. Acta verò eiuſdem pſeudoſynodi Epheſinæ ita inchoantur: *Τοῖς μετὰ τὴν ὑπατείαν* &c. vti proximè: *Poſt conſulatum Zenonis & Poſtumiani VV. CC. die VI. Idus Auguſti*. Quæ eſt nota chronologica anni Chriſti 449. Cum anno Chriſti 308. Conſules fuiſſent Maximianus Herculius X. & Maximianus Galerius VII. & anno ſequenti 309. ob diſſidia inter Imperatores, nulli Conſules deſignati Kalendis Ianuarijs annum aperuiſſent, ſcriptum in Faſtis fuit: *Poſt Conſulatum decimum & ſeptimum*. Qui chronologicus character tum primùm anno Chriſti 309. inuentus, poſtea non ſemel in vſum venit; ſiuè cum ineunte anno, nulli Conſules procedebant, vt de anno Chriſti 351. tradit Socrates lib. 2. cap. 24. ſiuè, vt mox notabam, quia alter Conſulum ab Imperatore non erat ſuis in prouincijs renuntiatus. Imò ſi quempiam annum priuati Conſules aperuiſſent; anno vero præcedenti duo Imperatores geſſiſſent conſulatum, horum nomine additis verbis *Poſt conſulatum*, acta publica pro libito præſignari cenſueuerunt. Ita Synodus Oecumenica Epheſina anno Chriſti 431. Baſſo & Antiocho Conſulibus celebrata, initio Actionis I. hac nota temporis obſignatur: *Poſt conſulatum Dominorum noſtrorum Flauii Theodoſii XIII. & Valentiniani III. ſemper Auguſtorum &c.* Et Synodus Africana annum Chriſti 399. *Poſt conſulatum glorioſiſſimi Imp. Honorii Auguſti IV.* inſcripſit; cum tamen duo Auguſti Manlium Conſulem ſuis in reſcriptis notarent, Eutropio illius collega paucos poſt initi conſulatus dies occiſo, & è Faſtis eraſo; qua de re extat lex 17. *de pœnis* à Theodoſio lata in Cod. eiuſdem. Hinc patet Scaligeri hallucinatio, qui annum in laudato iudicio Eccleſiaſtico apud Tyrum habito, notatum: *Poſt conſulatum Zenonis & Poſtumiani*, putauit annum biſſextilem Chriſti 448. cum eo charactere annus inſequens certiſſimè indicetur.

Magnus Eccleſiaſticorum Annalium conditor Cardinalis Baronius ad annum 448. ſcribit hoc ipſo anno iudicium in cauſa Ibæ apud Tyrum habitum, additque: *perperàm ibi poni in cuſis in hunc diem codicibus, deprauato nimirum textu*: Poſt conſulatum Flauij Zenonis & Poſtumiani, *reſtituenduſque*, inquit, *eſt, vt dicat: ſub Conſulatu eorundem*. Baronium ſequuntur Petauius in Chronico, Binius ac recentes etiam collectores Conciliorum Tom. 4. pag. 628. At nullus eorum de anno epochæ Tyriorum ibidem expreſſo cogitauit; cum tamen annus ibi notatus Tyriorum DLXXIV. idem iudicium anno Chriſti 449. peractum demonſtret. Primus annus

Epochę Tyri cœpit per Autumnum A. V. Romę 628. Quare annus Tyriorum 574. die 10. Peritij, siuè Februarij 25. concurrebat cum anno, qui fuit à parilibus Romę conditę 1202. Christi verò 449. Rursùs annus quo ab Epiphanio ac suffraganeis Episcopis coacta fuit Synodus contra Seuerum Antiochenum, dicitur Tyriorum 643. quem fuisse Æręę Christianę 518. rectè tradunt Baronius, Binius, ac laudati Conciliorum collectores. Iam verò ab anno Tyriorum 643. ac Christi 518. per annos 69. regredientes, deuenimus ad annum Tyriorum 574. Christi verò 449. vt superiùs demonstratum est. Quòd illud iudicium Tyrium ibidem signatur gestum *Indictione prima*, laudati Scriptores illud ad annum 448. retraxerunt, quo die 25. Februarij Indictio prima numerabatur, cum anno proximo 449. eodem die Indictio secunda decurreret. Verùm cum character consulatus ac annus Tyriorum 574. optimè secum conueniant, ac illud iudicium affigant anno Christi 449. miror cur numerum erratum Indictionis sequi maluerint.

Iacobus Gothofredus eximiæ eruditionis vir, in laterculo Indictionum qui legitur in prolegomenis initio tom. 1. Cod. Theod. pag. CLXXXI. scribit Indictiones ab imperio Valentiniani ac Valentis in Oriente vno anno tardiùs quàm in Occidente, numeratas fuisse; quod videtur colligi ex *L. 6. de collat. donat.* lib. XI. Cod. Theod. Verùm opinio Gothofredi non vno testimonio refellitur. Nam Theodosius Imperator Orientis in lege 9. *de Indulg. debit.* data V. Idus Aprilis, Constante & Constantino Coss. anno Christi 414. ait: *Ex Indictione sexta vsque ad præsentem duodecimam, emergentibus necessitatibus reseruatis &c.* At eo anno die 9. Aprilis etiam in Occidente Indictio XII. decurrebat. Rursùs in calce sacræ Theodosij contra Irenæum Tyri Episcopum Nestorianum hæc leguntur: *Lecta sunt hæc in Ecclesia Monachorum in desertis degentium, die 23. Pharmuthi, Indictione prima, anno Diocletiani CLXIV.* Pharmuthus in anno fixo Ægyptiorum inibat die 27. Martij Romanorum, vt postea patebit Differt. V. cap. 2. Hinc dies 23. Pharmuthi concurrebat cum die 18. Aprilis. Annus verò 164. Ærę Diocletiani decurrebat anno Christi 448. At mense Aprili eo anno tum in Occidente tum etiam in Ægypto Indictio I. numerabatur. Extat antiquius etiam Sancti Epiphanij testimonium, qui in libro Anchorati ad quosdam Syedræ in Pamphylia vrbis presbyteros scripto, ait: *Nam hic annus est nonagesimus Diocletiani, Valentiniani & Valentis decimus, Gratiani sextus* (septimus) *consulatus Gratiani Augusti tertiùm & Equitii V. C. Indictio II.* Annus ab imperio Diocletiani XC. fuit Æræ Christi 374. fratrum Imperatorum Valentiniani ac Va-

Valentis decimus, quo Gratianus Aug. III. & Equitius Consules in Fastis signantur. Eo autem anno tum in Occidente, tum etiam in Oriente, vbi scribebat Epiphanius, Indictio secunda numerabatur. Denique, vt testimonio propiori vtar, Synodus Tyria ab Epiphanio Metropolita anno Christi 518. dicitur habita *die vicesima octaua Loi siuè Septembris decima sexta, sexcentesimi quadragesimi tertii anni, ἰνδικτιῶνος δωδεκάτη Indictione duodecima*; quæ etiam in Occidente Kalendis eiusdem mensis incœperat. In Concilio Hierosolymitano celebrato A. Christi 536. hæc initio statim præmittuntur: *Post consulatum Flauii Belisarii gloriosissimi, decimotertio Kal. Octobris, Indictione quintadecima, in colonia Aelia metropoli siuè Hierosolymis &c.* eodem autem anno Synodus C-P. à laudato Menna coacta dicitur Act. I. initio: *Post consulatum Flauii Belisarii clarissimi, sexto Nonas Maias Indictione decima quarta &c.* Itaque in Phœnicia ac Palæstina Indictio Kalendis Septembris inibat; cum eo anno 536. die 19. Septembris Hierosolymis Indictio XV. numeraretur. Et sanè etiam ante Iustinianum Indictiones Romę inchoatas fuisse Kalendis Septembris non obscurè indicat vetus Romę ad D. Pancratij scalptum epitaphium, quod recitat V. C. Iacobus Sirmondus in notis ad epistolas Ennodij Ticinensis lib. 8. epist. 1. & ex eodem Reinesius pag. 978. veterum Inscriptionum.

HIC REQVIESCIT MAXIMVS PARVVLVS

QVI VIXIT ANNOS VI. MENS. VII. DIES X.

DEPOSITVS EST SVB D. ID. AVGVSTAR

SYMMACHO ET BOETIO VV. CC. CONS

IN FINE IND. XV.

Illi verò Consules anno 522. præfiguntur, Iustino imperante, cum id temporis Indictio XV. vsque ad exitum Augusti decurreret. Itaque cum anno Christi 518. vsque ad pridie Kalendas Septembris scriberetur in Oriente, imò apud Tyrum, vt colligitur ex Synodo memorata Epiphanij, Indictio XI. anno Christi 449. die 25. Februarij, siuè apud Tyrios Peritij decima, numerabatur Indictio secunda, ac proinde exscriptorum errore *prima* initio gestorum in causa Ibæ pro *secunda* posita fuit. Vel, quod probabilius puto, Indictio aliena ac posteriori manu & quidem erronea ibidem inser-

ta

ta fuit. Omiſſis innumeris exemplis, quibus probantur anni Indictionum perperàm in vetuſtis monumentis notati, vno & altero tantum vtar, quòd vtrumque pertinet ad hunc ipſum annum Chriſti 449. Pſeudoſynodus Epheſina Dioſcori in Act. 1. Synodi Calchedonenſis legitur celebrata: *Poſt conſulatum Zenonis & Poſtumiani CC. ſub die ſexto Idus Auguſti, quæ eſt ſecundùm Aegyptios Meſori XV. Indictione tertia*; cum tamen anno 449. quo illa Synodus habita eſt, menſe Auguſto ſecunda Indictio numeraretur. Præterea in Act. X. eiuſdem Synodi Calchedonenſis recitatur alterum iudicium de Iba habitum apud Berytum, quod hiſce verbis inchoatur: *Poſt conſulatum Flauii Zenonis & Poſtumiani VV. CC. Kalendis Septembris, Indictione ſecunda, in Colonia Chriſti amica Beryto, conſidentibus Photio & Euſtathio, & Vranio religioſiſſimis Epiſcopis in nouo Epiſcopio Beryti ſanctiſſimæ nouæ Eccleſiæ*. Nullus dubito, quin omnes illæ chronologicæ notæ aliena manu aſſutæ fuerint, cum Acta legitima ab illis verbis inciperent: *In colonia Chriſti amica Beryto &c.* Hic priùs loquar de Indictione, cetera mox in examen adducam. Ille character Conſularis, vt oſtendi ſignat annum Chriſti 449. At eo anno Kalendis Septembris Indictio tertia inchoabatur, ac proinde perperàm prima dies Septembris Indictione ſecunda ſignatur. Et ſanè Synodus Tyria ſub Epiphanio Metropolita anno 518. peracta die 16. Septembris, *Indictione duodecima* notatur, vti proximè vidimus; vnde etiam in Phœniciæ metropoli Tyro Indictiones Kalendis Septembris multiplicabantur. Præterea nec illud iudicium haberi potuit apud Berytum anno 449. Kalendis Septembris. Nam Photius, Euſtathius, & Vranius Epiſcopi qui iudices delegati cauſam Ibæ apud Berytum diſcuſſerunt, eo anno 449. die VIII. Auguſti ſederunt apud Epheſum in Synodo latrocinali contra S. Flauianum ſententiam pronuntiantes, vti patet ex actis illius Pſeudoſynodi inſertis Act. I. Concilij Calchedonenſis tom. 4. pag. 262. vltimæ Pariſienſis editionis. Verùm nec vna die ea pſeudoſynodus peracta fuit, cum in eadem Domnus Patriarcha Antiochenus, Ibas metropolita Edeſſæ, Theodoretus Cyrrhi, alijque inſignes Epiſcopi ſedibus ſuis pulſi fuerint, quorum cauſæ non vna eademque die octaua Auguſti diſcuti potuerunt. Euagrius lib. 1. cap. 3. ſcribit: *Epheſus autem diſtat ab vrbe Antiochia itinere dierum triginta*. Berytus verò erat vltra Antiochiam M. P. CCLIII. ex Itinerario Antonini. Itaque ſi Photius, Euſtathius, ac Vranius anno Chriſti 449. die VIII. Auguſti fuerunt Epheſi in Synodo latrocinali, neutiquam proximis Kalendis Septembris, nempè poſt tres tantùm ac viginti dies, potuerunt conuenire apud Berytum in Phœ-

Phœnice ad Ibæ causam cognoscendam. His accedit, Ibam in pseudosynodo Ephesina pulsum fuisse Episcopatu, Nonno eidem subrogato. Qui igitur fieri potuit, vt memorati Episcopi, qui ante tres ac viginti dies Ibam à suis Clericis accusatum in Ephesino Concilio, quod ipsi Oecumenicum appellabant, damnauerant, ac ab Episcopatu eiecerant, eundem non modò cum suis ijsdem Clericis veluti integra causa, litigantem audirent; verùm etiam absolutum, ad suam cathedram Edessam dimitterent? Cum in Synodo laudata Act. IX. & X. gesta iudicialia apud Berytum ac Tyrum recitata fuissent, magnificentissimi iudices ad pleniorem totius causæ cognitionem assequendam, dixerunt: *Ea quidem quæ relecta sunt*, nempè Tyri ac Beryti gesta, *clarent*; *vt autem nihil desit iudicare debentibus*, *relegantur quæ in Ephesо in vltimum de Iba reuerendissimo Episcopo gesta sunt*. Act. X. pag. 673. Itaque patet iudicium de Iba apud Ephesum fuisse *vltimum*, quod iam iudicia apud Berytum ac Tyrum præcesserant.

Baronius cum optimè notasset Ibam mense Augusto anno 449. damnatum in Ephesino conuentu, Nonno Episcopo eidem substituto, non fuisse proximis Kal. Septembris Berytum ad causam dicendam vocatum; ait eundem anno 448. die 25. Februarij in consessu Tyri celebrato, absolutum, ac à nouis accusatoribus rursum delatum, iterùm eodem anno Kalendis Septembris apud Berytum in iudicium accersitum. Hinc ait prius iudicium Tyrium signari Indictione prima; aliud verò Berytense Indictione secunda, quæ mense Septembri anno Christi 448. inchoata fuit. Verùm cum iudicium Tyrium in Actis dicatur contigisse die decima Peritij, quæ erat Romanis 25. Februarij, anno Epochę Tyriorum DLXXIV. quem iam ostendi, fuisse Christianę Epochę 449. res paucis exponenda est. Cum quidam Clerici Edesseni Ibam Episcopum apud Domnum Patriarcham Antiochiæ accusassent, Domno Ibæ amico, accusatoribus non obscurè infesto, ijdem in regiam Vrbem profecti, Imperatori Theodosio ac Sancto Flauiano Episcopo C.P. rem integram detulerunt. Theodosius die 26. Octobris anni Christi 448. Damascio Tribuno ac Notario mandatum dedit, vt in Phœniciam statim profectus, à delegatis iudicibus Ibæ causam discutiendam curaret. Damascio à S. Flauiano collega additus fuit Eulogius Diaconus. Iudices verò designati sunt Photius Tyri metropolita, Eustathius Beryti, in Phœnice maritima Episcopi, ac Vranius Antistes Himerorum, quæ vrbs erat in prouincia Osrhoene, cuius Ibas erat Metropolita. Photius collegas iudices, Ibam, ac huius accusatores Tyrum advocauit. Clerici accusantes statim

ac aduenere, tota passim vrbe publicarunt Ibam dixisse: *Non inuideo Christo facto Deo: inquantum enim ipse factus est, & ego factus sum*; quæ blasphema verba cum Photius Tyrijs scandalo esse intelligeret, *iussimus*, inquit idem Photius Act. X. Synodi Chalchedonensis pag. 639. *eos egredi à Tyro; scandalizabatur enim ciuitas, quæ numquam tale aliquid cogitauerat, vel audiuerat*. Ita iudicium Berytum eiusdem prouinciæ vrbem Tyro M. P. LIV. distantem translatum fuit. Ibas quo obiectam sibi hæreticę propositionis calumniam repelleret, suum quemdam Diaconum Beryto Edessam submisit, vt à Clero Edesseno literas obtineret, quibus testarentur numquam ea hæretica verba se ab Iba prolata audiuisse. Clerus epistolam Ibæ fauorabilem scripsit, quæ legitur pag. 668. cum inscriptione: *Instructio & deprecatio Dei amantissimis ac sanctissimis Episcopis Photio & Eustathio ab omni Clero Edessena metropoleos*. Quæ epistola cum Calchedone coram Synodo legeretur, Theophilus nouus Ibæ accusator reposuit Diaconum epistolæ latorem, quòd Ibæ erat amicus, verbum in eadem mutasse, *misit enim*, inquit, *eum à Beryto*. Ibidem pag. 673. Et sanè Baronius fatetur hanc epistolam à Clero Edesseno missam, cum causa Ibæ Beryti discuteretur. Verùm vir alias incomparabilis eruditionis, non aduertit verba epistolæ quam integram magnis Annalibus inseruit. Nam postquàm Clerus testatus fuisset verba illa hæretica numquam Ibæ excidisse, rogant Photium ac Eustathium iudices, curent Ibam *velociter ad suum gregem reuerti*: καὶ μάλιστα τῆς σωτηρίου ἑορτῆς τοῦ ἁγίου Πάσχα προσπελαζούσης, *& maximè salutari festo sancti Paschatis appropinquante*; cum id temporis, addunt, *& propter catechismos, & propter eos qui digni sunt sancto baptismate, opus sit eius præsentia*, Ex his intelligimus iudicium apud Berytum contigisse paulò ante tempus Paschale, non autem mense Septembri, vt post Baronium opinatus est etiam V. C. Christianus Lupus in notis ad Ephesinam pseudosynodum cap. 3. vbi pag. 853. grauiori errore addit annum 449. cum id temporis Ibas esset ab Episcopatu depositus. Pascha anno Christi 449. fuit die 27. Martij, quæ decima Dystri erat apud Tyrios. Porrò catechismi tempus in Palæstina Phœnicię finitima quadraginta ante Pascha dierum tempore definit S. Cyrillus Hierosolymitanus in priori catechesi, & baptizandos quadraginta diebus ante solemnia Paschalia nomen coram Episcopo profiteri iubet Siricius Papa in epist. ad Himerium Tarraconensem. Hinc propter tempus proximi catechismi Clerus rogauit, vt iudicio absoluto, Ibas Edessam reuerteretur. Ceterùm cum Ibas & Cleri Edesseni testimonio & propria asseueratione, immunis ab hæreseos cri-

mine

mine appareret, & alia eidem obiecta crimina partim diluisset; partim iudicum decreto correcta fuissent, Episcopi iudices sedulam operam nauarunt, in Clericis accusatoribus cum suo Episcopo conciliandis; quod vbi se assecutos cognouerunt, Tyrum iterùm reuersi sunt, vt eidem vrbi, cui paulò ante ea Ecclesiasticorum litigia scandalo fuerant, mutuam inter eosdem redintegratam concordiam ostenderent. Ita quibusdam conuentionibus Ibam inter & accusatores pax inita fuit, quam Ibas dato sacramento, alij subscriptione firmarunt apud Tyrum. Pacis formula cum subscriptionibus legitur Act. IX. à pag. *629*. Viri eruditi cum in Act. IX. Calchedonensi legerent acta apud Tyrum, ac dein Actione sequenti X. gesta in eadem causa apud Berytum, & illa quidem die 25. Februarij, hæc verò Kalendis Septembris, putarunt sex integros menses inter vtrumque iudicium intercessisse, ita vt die 25. Februarij apud Tyrum inita fuerit inter eosdem concordia, à qua eodem anno Clerici resilientes, accusationem iterùm apud Berytum contra Ibam mense Septembri restaurauerint. At hæc dubio procul falsa esse ipsius Photij iudicis verbis ostendo. Nam hic apud Chalchedonem in Synodo interrogatus, num Ibas ab accusatoribus in iudicijs in Phœnicia habitis, conuictus fuisset, respondit Act. X. pag. *636*. *Venerunt tres quidem cohabitatores ipsis Clericis iniuriantibus, & litigantibus, contra eum dicere testimonium. Nos diximus, quia non possunt cohabitantes inimicis, susceptibiles ad testimonium comprobari. Fecimus ergo eos amicos, & sancta munera rursùs in Episcopio communicauerunt inuicem presbyteri & ipse*. At illi tres testes contra Ibam à Clericis producti leguntur in gestis apud Berytum pag. 653. vbi Samuel princeps accusatorum Ibæ iussus testes nominare: *Sunt quidem multi: coram omni Clero, dixit. Ex his autem sunt hic tres; & tres à canonibus & legibus admittuntur*. Cum verò Samuel eos nominasset, Ibas vnum eorum Maram præcipuè excepit, quòd palam cum accusatoribus Antiochiæ ac Constantinopoli in eodem hospitio degisset. Tum Episcopi iudices alios testes accusatoribus nominandos dixerunt, cum tres appellati fidem in iudicio non facerent; *quoniam illos*, inquiunt, *reuerendissimus Ibas tanquam accusatores vobiscum hic asserit existentes*. Quæ iterum repetunt: *Non suscipimus trium testium, qui à vobis adducti sunt voces; & maximè cum suspecti sint eidem religiosissimo Episcopo Ibæ*. Hinc cum tres appellati à Clericis testes exceptionem paterentur, *quia essent cohabitantes inimicis Ibæ*, ac proinde in Berytensi iudicio non fuissent suscepti, Photius ac collegæ curarunt vt Clericos inter ac Ibam pacem certis conditionibus componerent, quæ paulò post apud Tyrum contigit,

tigit, die decima mensis Peritij, anno Tyriorum 574. iuxtà Romanos verò die 25. Februarij, Anno Christi 449. Quare Ibas pleno mense ante Paschalia festa absolutus, Edessenam suam metropolim repetens, consueta Ecclesiæ instituta circa Catechumenos exercere potuit, priusquàm illos Sabbato sancto salutaribus vndis ablueret, quod enixè Clerus Edessæ ab Episcopis iudicibus postulauerat. Ceterùm non modò Clerici Ibæ accusatores ab inita cum eodem pace resilierunt, verùm etiam ijdem Episcopi qui Ibam absoluerant, ipsum eodem anno damnarunt. Nam in Synodo Ephesina, quam postea S. Leo Magnus irritam habuit, præside Dioscoro Patriarcha Alexandrino, mense Augusto eiusdem anni Christi 449. Ibas à Clericis Nestorianæ hæreseos accusatus, sede Episcopali deiectus, solum vertere iussus fuit. Eustathius Beryti Episcopus Act. X. Synodi Calchedonensis, interrogatus de ijs, quæ contra Ibam apud Ephesum gesta fuerant, respondit: *Quia introduxerunt tres, & sex, & duodecim testes propter dictionem quam dixit, hoc est,* Non inuideo Christo facto Deo. *Hic est Photius Episcopus &c.* Ex his colligimus causam Ibæ post diem octauam Augusti, qua iam incumbente nocte, S. Flauianus damnatus fuit, in latrocinali Concilio Ephesino iterùm discussam fuisse. Hoc etiam in eadem Act. X. prodit Theophilus Ibæ accusator, *relegantur*, inquiens, *quæ in Ephesò* in vltimum *de Iba reuerendissimo Episcopo gesta sunt*. Itaque gesta apud Ephesum in causa Ibæ posteriora fuere vtroque iudicio, Tyrio ac Berytensi. Hoc ipsum disertè tradunt Patres Synodi V. in Collat. VI. vbi gestis apud Tyrum recitatis, hæc statim addunt: *Cum hæc ita iudicata essent, & finem non suscepissent, sicut est inuenire ex his, quæ* postea *mota sunt*, nempè apud Ephesum, *eiicitur Ibas ab Episcopatu, nec non etiam Domnus Antiochiæ Episcopus*. Et rursùs Collat. VIII. cum dixissent Ibam apud S. Flauianum Antistitem C.P. & Imperatorem Theodosium accusatum fuisse, *qui & causæ*, inquiunt, *examinationem delegauerunt Photio Episcopo Tyri & Eustathio Episcopo Berytorum ciuitatis. Postea verò*, videlicèt apud Ephesum, *inculpatus idem Ibas, ab Episcopatu deiectus est*. Cum autem Ibas anno Christi 449. mense Augusto in Concilio latrocinali Ephesino sacra sede depulsus fuerit, neutiquàm proximis Kalendis Septembris eiusdem causa apud Berytum discussa fuit; sed illud iudicium mense circiter Februario habitum fuit; vnde Indictionem II. vnà cum mense Septembri memoratis Actis fallaci manu præfixam fuisse colligimus. Interim aduerto Tyrios vt antiquitus in nummis, ita etiam posteriori ætate quinto ac sexto Christi sæculo, in annis designandis minores maioribus numeros præposuisse.

Nam

Nam in Act. IX. Calchedonensi iudicium in causa Ibæ dicitur habitum: ἔτους τετάρτου ἑβδομηκοστοῦ πεντακοσιοστοῦ, μηνὸς Περιτίου, *anno quarto septuagesimo quingentesimo, mense Peritio*. Synodus autem Epiphanij signatur celebrata τοῦ τρίτου τεσσαρακοστοῦ ἑξακοσιοστοῦ, *anno tertio quadragesimo sexcentesimo*. Hac de ratione numerandi plura prænotabam Dissert. 3. cap. 4. pag. 148.

CAPVT V.

Epochæ Sidonis, Ptolemaidis, Aradi, Paneados, Dororum, ac Gabæ ex nummis deductæ.

NOn sum nescius quosdam qui nummorum tantùm interpretationibus student, molestè habituros me paulisper ad res Ecclesiasticas exponendas digressum fuisse. Vtinam verò ad illa sæpè diuerticula pedem referre possem. Etenim magna operæ precia mererer, si vti modò ex Tyriorum, ac Antiochenorum antea Epochis in nummis scalptis præstiti, profanæ ac Ecclesiasticæ historiæ chronologiam repararem. Verùm in aliis aliarum vrbium Phœnices nummis puras putas illarum Epochas explicabo, quòd nihil in eisdem occurrat, quod in meliorem historiæ vsum conferri possit.

§. I.

EPOCHA SIDONIORVM.


Sidonis conditor pronepos Noe. Tyrus eiusdem colonia. Reges Sidoniorum. Astarte Dea eorundem, quæ & Europa siuè in Africa Cælestis. Epocha Sidonis cœpit A. V. Romæ 643. ob autonomiam à rege Antiocho Cyziceno obtentam.

SIdon vrbs Phœnicum antiquissima, à Sidone conditore nomen accepit. In cap. 10 Geneseos Noe posteri recitantur, vbi num. 15. legimus: *Chanaam autem*, qui Nepos erat Noe, *genuit Sidonem primogenitum suum*. Hunc verò Sidonem vrbem in Phœnice condidisse, ac de suo nomine nuncupasse tradit ex vetustis Annalibus Iosephus lib. 2. Antiq. cap. 7. & cum eodem S. Hieronymus in quęst. 10. super Genesim, qui in cap. 23. Isaię scribit: *Tradunt enim historia quod Tyrus colonia Sidonis sit*; vnde cum Propheta ibidem ait:

virgo filia Sidonis, Tyrum nomine virginis designatam scribit, cuius conditores fuerunt Sidonij. Iustinus lib. 18. ait: *Post multos deinde annos à rege Ascaloniorum expugnati Sidonii, nauibus appulsi, Tyrum vrbem ante annum Troianæ cladis condiderunt*. At Sidonios diu ante ante annos trecentos, quàm Troia caperetur, Tyrum veterem in continenti sitam coloniam deduxisse produnt sacræ literæ Iosue cap. XIX. vbi V. 28. & 29. legimus *Sidonem magnam, & ciuitatem munitissimam Tyrum*; quæ vtraque vrbs celebris habebatur, quo tempore Iosue terram promissam Tribubus Israeliticis diuisit, annis ante Troiæ excidium, vti supputat Vsserius, ducentis ac sexaginta. Reges Sidoniorum appellat Ieremias cap. XXV. 22. & XXVII. 3. Et 3. Reg. cap. XVI. 31. Iezabel vxor Achab, dicitur filia *Ethbaal regis Sidoniorum*. Sidonios tamen Tyriorum regibus quandoque paruisse colligimus ex 3. Regum cap. 5. cum Salomon ab Hiramo Rege Tyri petijt, vt Sidonijs imperaret scissionem lignorum in monte Libano pro templo Hierosolymis extruendo. Menander in Annalibus apud Iosephum lib. 9. cap. vlt. narrat Sidonios à rege Tyri ad Assyrios defecisse. Eusebius in Chronico num. 562. edit. Scaligeri, ait: *Phœnix & Cadmus de Thebis Aegyptiorum in Syriam profecti, apud Tyrum & Sidonem regnauerunt*. Tennes Sidoniorum rex legitur apud Diodorum Siculum lib. 16. qui vrbem Artaxersi Persarum regi prodidit; at ciues in desperationem acti semet vnà cum vrbe incendio absumpserunt, quo quadraginta hominum millia perijsse ferunt. Verùm ciuibus qui mercaturam nauibus exercentes, miserandum Sidonis casum euaserant, in patriam reduces breui eandem restaurarunt. Quamuis autem postea Sidonij sub Persarum ac dein Alexandri Magni imperio essent, proprios tamen reges habere permissi sunt, quos inter Strato & Abdolominus memorantur Iustino lib. 10. Alexandro tamen defuncto, Ptolemæis Ægypti, ac postea Seleucidis Syriæ regibus paruerunt. Sidonij annum Macedonum receperunt, ac Seleucidarum Epocha vti ceteræ quoque gentes in Syriarum prouincijs, vtebantur, vt ex eorumdem nummis patet, quorum ectypa videsis apud Vaillantium pag. 242. 285. &c. Hist. Regum Syriæ. Vsserius cap. 4. de anno Solari Macedonum recitat è vetusto fragmento Sauiliano variarum gentium menses, qui cum Ianuario Romanorum concurrebant, & eos inter Tyriorum Apellæus, ac Sidoniorum Dius cum Ianuario iunguntur. Et sanè apud Tyrios dies XV. Apellæi cum Kalendis Ianuarijs anni Iuliani concurrebat, vt superiùs monstrabam. Vtcumque tamen menses suo in anno Sidonij disposuerint, hunc cum ceteris Syris ab autumno extra dubium auspicabantur.

Sido-

Sidonij antiquata Epocha Seleucidarum, specialem suæ vrbis Æram inuexerunt, quam in eorundem nummis omnium primus Scaliger obseruauit lib. 3. can. Isagogic. pag. 296. vbi Hadriani nummum profert inscriptum: ΣΙΔΩΝΟΣ ΝΑΥΑΡΧΙΔΟΣ Ε.Ζ.Κ.Σ. nempè *Sidonis Classica. Anno* 227. *Sed quo*, inquit, *anno cusus sit ille nummus non constat. Hoc enim ignorato, caput illorum annorum deprehendi non potest*. Holstenius pag. 292. not. in Stephanum erroneè Epocham scribit: L. ZKE. Illustrissimus Spanhemius Dissert. IX. pag. 872. laudat nummos ab Occone descriptos, ac à Scaligero notatos, nullosque alios sibi obseruatos scribit, quibus Epocha Sidoniorum indicetur. Ioannes Harduinus in egregio volumine geographico nummis illustrato pag. 453. dubitat num Æra Sidoniorum eodem quo & Ascalonitarum, anno inierit; ac pag. 454. ex nummo Traiani colligit Epocham Sidoniorum congruere cum altera Tyriorum. Verum hic Scriptor si nummos regios vidisset, aut eos qui attentiùs eosdem inspexerunt, consuluisset, rectam chronologiam Æræ Sidoniorum assequutus fuisset. Illam ex nummis regijs ac Mediceis iam demonstro.



Hi duo Sidoniorum nummi sunt in Cimelijs Mediceis, quorum prior est Augusti sine Inscriptione; in altera illius parte hic delineata, visitur currus cum sacello distylo Deæ Astartes, addita epigraphe: ΣΙΔΩΝΟΣ, & in medio Θ, nempè ΘΕΑΣ, id est, *Sidonis Dea*. Epocha additur: L. ZIP. *Anno* CXVII. Alter nummus est Hadriani, cuius epigraphe partim detrita, supplenda est ex Museo Regis Christianissimi, in quo idem nummus visitur inscriptus: ΑΥΤΟ. ΤΡΑΙΑΝ. ΑΔΡΙΑΝΟC. *Imperator Traianus Hadrianus*. In altera parte inscriptio est similis præcedenti, cum eodem curru, eidemque imposito sacello tetrastylo cum simulacro Astartes, ac subtùs Epocha ΗΚ.. detrita tertia litera, quæ tamen in simili numis-

mate

mate regię Gallorum Gazæ perſpicuè apparet, videlicet HKΣ, *Anno* CCXXVIII. Sacrę literę nomen Deæ Sidoniorum produnt 3. Reg. cap. XI. 5. *Sed colebat Salomon Aſtartem Deam Sidoniorum*. Et 4. Reg. cap. XXIII. 3. legimus: *Aſtaroth Idolo Sidoniorum*. Et antea in lib. Iudicum cap. 2. & 3. exprobatur Hebræis ſacrilegium, quod admiſerant *ſeruientes Baalim & Aſtaroth*. Sanctus Auguſtinus quæſt. 16. in lib. Iudicum notat apud LXX. Interpretes legi *Aſtartibus*, in Latina autem, qua id temporis in Africa vtebatur, verſione haberi: *Aſtarti*, addens: *ex Hebræo*, Aſtaroth *legimus*. Et poſtea: *Solet dici Baal nomen eſſe apud gentes illarum partium*, Iouis, *Aſtarte verò*, Iunonis &c. *Iuno autem ſine dubitatione ab illis* Aſtarte *vocatur*. Seldenus plura eruditè congerit de Aſtarte Syntag. II. de Dijs Syris cap. 2. Ioſephus lib. 8. cap. 2. ex Tyriorum Annalibus quos in Græcum è Phœnicio ſermone Menander Epheſius tranſtulit, de Ieromo Tyri ac Sidonis rege, qui Hiram in lib. 3. Regum cap. 5. vocatur, hæc recitat: *Et demolitus antiqua templa, Herculi & Aſtarti noua inſtaurauit, primuſque Herculi ſtatuam erexit menſe Peritio*. Et eidem Ioſepho lib. 1. con. Apionem ex laudatis Annalibus Tyrijs Ithobalus *Aſtartes ſacerdos*, qui & poſtea Tyriorum rex, nominatur. Philo Byblius in Theologia Phœnicum apud Euſebium, interpretante eundem Cupero, laudat *ναὸν ζυγοφορούμενον ἐν Φοινίκῃ*, *templum in Phœnicia à iugalibus tractum*. Macrobius illud ipſum indicans lib. 1. Satur. cap. 23. ſcribit: *Vehitur enim ſimulacrum Dei Heliopolitani ferculo, veluti in pompa ludorum Circenſium Deorum ſimulacra; & ſubeunt plerumque prouinciæ proceres, raſo capite, longi temporis caſtimonia puri, &c.* Ita Sidonij in Phœnice, in qua Heliopolis erat, Aſtartes ſimulacrum intra ſacellum in curru trahebant, ſuperſtitione ſumpta ab Ægyptijs, quorum ſacerdotes ex Herodoto lib. 2. cap. 63. ſolebant trahere *plauſtrum quatuor rotarum, quo vehitur ſacellum cum ſimulacro, quod in eo eſt*. Hæc prænotauit multiplicis eruditionis ſcriptor idemque fœderatarum Belgij Prouinciarum apud Hagam Comitum Senator Gisbertus Cuperus pag. 133. & 166. Harpocratis doctiſſimis abs ſe commentarijs illuſtrati. Porrò Aſtartem eandem cum Europa fuiſſe docent vulgati Sidoniorum nummi. In Cimelijs Regis Chriſtianiſſimi viſitur numiſma Neronis retrorsùs inſcriptum: ΘΕΑϹ ΣΙΔΩΝΟϹ. L. ΕΟΡ. *Deæ Sidonis. Anno* CLXXV. vbi viſitur Europa tauro vecta, vti in Traiani quoque nummo apud Patinum, in quo eadem epigraphe recitatur cum Epocha Sidonis ZK.. obtrita poſtrema nota numerali, quæ in gemino nummo eiuſdem regij Cimeliarchij legitur, videlicet, ZKΣ, *anno* CCXXVII. Poetæ enim finxerunt Europam ex agro Sidonio-

rum

rum à Ioue tauri imaginem simulante raptam; vnde Ouidius 2. Metam. V. 835. ait Europam regis filiam ex ea regione raptam, quam

—— Indigenæ Sidonida dicunt.

Lucianus sub initium opusculi de Dea Syria ait: *Est autem & aliud templum in Phœnice magnum, quod Sidonii celebrant, Astartes;* quo nomine eiusdem sacerdotes Europam Cadmi sororem intelligere testatur, & statim: *numisma quoque quo Sidonii vtuntur, Europam habet insidentem tauro, Ioui videlicèt.* Eusebius in Chronico num. 690. scribit: *Europa à Cretensibus rapta est naui, cuius insigne taurus;* vnde Iouis in Creta regnantis, in taurum versi fabula deriuauit. Europa, quæ Dea Sidonis in nummis dicitur, eadem & Astarte dicebatur. Tyrij Sidoniorum coloni, cum Carthaginem postea in Africa condiderunt, Astartes siuè Europæ cultum illuc inuexerunt. Hanc tamen Carthaginienses *Cœlestem* vulgò appellabant; quam etiam non tauro, sed leone, vti Cybelem alij, vectam in nummis scalpabant, quorum ectypa magnis Ecclesiæ Annalibus Cardinalis Baronius inseruit tom. 2. ad A. Christi 210. qui tom. 5. ad A. Christi 399. plura eruditè congerit de Cœlesti Dea Carthaginiensium. Apud Eusebium lib. 1. laudati operis cap. 7. legimus: *Imposuit autem Astarte capiti suo regale insigne tauri caput;* quo eadem cum Europa esse indicatur. Sed missis fabulis ac superstitiosis Idolatrarum deliramentis, nummum Traiani producam, cuius iconem accepi à D. Francisco Dron Parisijs S. Thomæ ad Luparam Canonico, veterum numismatum studiosissimo, quę non sui ipsius oblectationi, sed antiquæ præsertim eruditioni felicius promouendę, ingenti numero collegit.



Huncce Traiani nummum alij euulgarunt, sed erratis literis numeralibus IZKE. In antica solum *Traiani* sine titulis eo in nummo detritis, nomen legitur. Alterius partis epigraphe est: ΣΙΔΩΝΟΣ ΝΑΥΑΡΧΙΔΟΣ L. ZKΣ, id est, *Sidonis Classica*, quo titulo potentia

tentia maritima eiusdem vrbis exprimitur. Mulier in naui dexteram protendens, Fortunam Sidonijs in re nauali siuè nauigationinibus ac maritimis expeditionibus propitiam designat. Epocha L.ZKΣ annum CCXXVII. indicat. Laudatissimus amicus noster Ioannes Vaillantius ex Museo Serenissimi Principis Ludouici Augusti Borbonij Ducis Cenomanensis hanc alterius nummi Inscriptionem mihi insinuauit, nempè: ATT. KAIC. TPAIAN. *Imperator Cæsar Traianus*; & retrorsùs cum eodem symbolo Fortunæ ac simili epigraphe: ΣΙΔΩΝΟΣ ΝΑΥΑΡΧΙΔΟΣ. L. EKΣ. *Sidonis Classicæ. Anno* CCXXV. Harduinus priorem Traiani nummum cum Epocha ZKC è Cimelio etiam Regio appellat pag. 454. additque: *Alter inscriptus* ΘΕΑΣ CΙΔΩΝΟC, *sub eodem Principe, è Gaza Regia, habet* HKC, *Annum* CCXXVIII. Cum verò in Hadriani etiam nummis proximè è Regio ac Mediceo Cimeliarchio productis, legatur: ΘΕΑΣ ΣΙΔΩΝΟΣ. L. HKC, nempè eodem *anno* 228. me certò assequutum putabam initium Epochæ Sidoniorum. Nam cum Traianus imperium cum vita reliquerit A. V. 870. mense Augusto, succedente die 11. eiusdem mensis Hadriano, si in nummis vtriusque Principis signetur annus Sidoniorum 228. decurrens vsque ad autumnum A. V. Romæ 870. initium Epochæ Sidonis figendum est in autumno A. V. 642. Verùm quòd suspicabar nummum proximè ab Harduino laudatum, non Traiani esse, sed Hadriani, ea de re scripsi ad Sebastianum Bianchi, quem Serenissimus Magnus Dux Etruriæ Parisios miserat, vt regia Cimelia aliaque veterum nummorum in Gallijs scrinia perlustraret, priusquàm Mediceæ Numismatum Gazæ præficeretur. Is autem rescripsit eum regium nummum cum Epocha HKC non Traiani esse, sed Hadriani, id sibi testantibus viris illustribus Ioanne Vaillantio, qui postremum regij Cimeliarchij indicem concinnauerat, ac Petro Rainsantio erudito eiusdem custode. Hinc vereor, ne perperàm quoque Scaliger loco superiùs laudato, nummum obtruserit inscriptum: ATT. ΚΑΙΣΑΡ ΑΔΡΙΑΝΟC ΣΕΒΑΣΤΟΣ; & retrorsùs ΣΙΔΩΝΟΣ ΝΑΥΑΡΧΙΔΟΣ. L. ZKC. *Anno* CCXXVII. Ille enim erratos sæpiùs apud Occonem, Græcos nummos appellat; ac laudata epigraphe cum Epocha L. ZKC. in Cimelijs Regio, Mauroceno, alijsque in Traiani, non autem Hadriani nummis legitur. Si tamen eadem ita scalpta in vtriusque Principis nummis reapse reperiatur, illius initium colligendum est ab autumno A. V. Romę DCXLIII. eiusque annus 227. concurreret vsque ad autumnum cum A. V. 870. quem Traianus postremum, Hadrianus verò primum imperij habuit. Ceterùm ab anno eodem ab vrbe Roma condita 643. initam Æram

Sido-

Sidoniorum colligo ex delineatis Traiani ac Hadriani nummis; siquidem Traianus imperabat anno Sidonis 227. Hadrianus verò proximo 228. Quare annus laudatæ Epochę ΖΚΣ CCXXVII. in Traiani nummo scalptus, correspondet A. V. Romę 870. quo vsque ad priorem partem Augusti Traianus erat superstes; annus verò ΗΚΣ, CCXXVIII. in laudatis nummis Hadriani obsignatus, cœpit ab autumno eiusdem anni Vrbis Romę 870. ac totus ferè cum primo Hadriani principatus concurrit, nempè vsque ad diem XI. Augusti A. V. 871. Itaque Æra Sidoniorum inijt ab autumno anni periodi Iulianę 4603. Olympiadis CLXVII. anno secundo, vrbis Romę 643. ante Æram Christi CXI. Cyclo Solis XI. Lunæ V. Hinc exponitur Epocha in delineato Augusti nummo Mediceo; etenim annus ΖΙΡ CXVII. ibidem impressus, cœpit ab autumno A. V. 759. octennio ante obitum Augusti. Annus verò ΕΟΡ, CLXXV. in regio Neronis numismate scalptus, initium cepit ab autumno A. V. Romę 817. eodemque vndecimo imperij Neronis.

Ex tot nummis hactenùs expositis, patet error Harduini, qui pag. 453. scribit *vero esse simile* Epocham Sidoniorum *eodem anno, quo Ascalonitarum Aera, cœpisse*; & altera statim pagina 454. addit: *Quòd peculiaris Sidoniorum Aera congruere non immeritò videtur cum Epocha Tyriorum*. Vtrumque falsò dicitur. Nam Epocha Ascalonis, vt inuictis nummorum testimonijs Differt. 5. cap. 3. mihi demonstrabitur, inijt ab autumno A. V. Romę 650. ac proinde toto septennio recentior est Epocha Sidoniorum. Imò in falsa opinione Harduini qui pag. 78. initiùm Ærę Ascalonis colligit ab A. V. 652. pleno nouennio post illam Sidoniorum incœpit. Enimuerò si Æra Sidoniorum ab A. V. Romę 652. duceretur, annus eiusdem 175. in nummo Neronis exsculptus, cœpisset per autumnum A. V. 826. quo Vespasianus anno iam labente sexto à nece Neronis, imperabat. Rursùs annus Sidoniorum ΕΚΣ, CCXXV. in Traiani nummo signatus, iniuisset ab autumno A. V. 876. Traiano iam ante sexennium demortuo. Nec dissimiles anachronismi sequuntur, si Æra Sidonis eodem quo & alia Tyriorum, anno cœpta dicatur. Nam Harduinus Epocham Tyri pag. 513. auspicàtur ab A. V. Romę 629. Quare annis quatuordecim Sidoniam Epocham præcedit. Iam verò annus 175. in Neronis nummo, ab A. V. 629. summa deducta, exijsset A. V. Romę 804. ante quadriennium quàm Nero imperium, sublato Claudio, occuparet. Rursùs annus Sidoniorum 228. in laudatis Hadriani nummis, exijsset A. V. Romæ 857. tredecim ante annos priusquàm demortuo Traiano Hadrianus succederet. At iniuriam erudito Lectori facio, hosce annorum

calculos minutatim subducendo, cum ipsimet nummi Sidoniorum satis superque manifestent peculiarem fuisse eius vrbis Epocham ab Æris Tyriorum atque Ascalonitarum distinctam.

Ioannes Vaillantius pag. 343. Hist. Regum Syriç exhibet numisma inscriptum: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΕΙΦΑΝΟΥΣ. ΕqΡ. *Regis Antiochi Epiphanis. Anno* CXCV. In icone nummi scalptoris errore obsignata est Epocha ΕΠΡ, CLXXXV. quo anno nondum Antiochus VIII. in Syria regnabat. Itaque V. C. in expositione eius nummi rectè annos recitat CXCV. Ibi verò visitur Aquila cum palmæ ramo, ac inferiùs acrosterio, quo postremo symbolo ait designari Sidonem vrbem maritimam. Aquila cum eodem ramo palmæ in Tyriorum etiam nummis scalpebatur, quorum vnum è Gaza Medicea protuli cap. 3. huiusce Dissertationis. Cum verò Tyrij A. V. Romç 628. ineunte anno Seleucidarum 187. nouam Epocham instituerint, laudatus nummus exprimens annum Seleucidarum 195. ad Sidonios referendus est. Hic annus Seleucidarum concurrit cum A. V. Romç 637. vsque ad autumnum; ac proinde nondum Sidonij nouam Epocham inuexerant. Regnabat id temporis in superiori Syria atque Phœnice Antiochus VIII. quem ex nummis *Epiphanis* cognomen tulisse ostendit Vaillantius. Vidi tamen nummum amici nostri Iosephi Magnauaccæ Bononiensis inscriptum: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. ΕqΡ. *Regis Antiochi Benefici. Anno* CXCV. cum ijs omnino symbolis, quæ in nummo Antiochi Sidetis exhibet idem Sciptor pag. 310. Et quidem cum contenderem illum nummum ad eundem Sidetem, qui Euergetis titulum tulit, pertinere; idem Magnauacca nummum ad me transmisit, in quo Epocha ΕqΡ clarè appatens, eundem ad Antiochum VIII. referebat. Reges Syriæ varijs subinde cognominibus à subditis nuncupabantur. Nam hunc Antiochum VIII. vocant etiam *Philometorem* Iosephus lib. 13. & Porphytius in collectaneis apud Scaligerum pag. 227. qui tamen à Syris ac postea etiam vulgò à Scriptoribus ab adunco naso *Grypus* appellatus est. Hunc Cleopatra ex Demetrio II. genitum, occiso ante suamet manu filio Seleuco, regem Syriæ designauit anno secundo Olympiadis CLXIV. Vrbis Romç 631. ita tamen vt ipsa omnem imperij potestatem retineret; vnde & in nummis argenteis maximi moduli Mediceis Cleopatræ ac filij Grypi iugata capita visuntur, matre dextrotsùs obsignata. Eosdem nummos videsis in laudata Historia regum Syriæ. Verùm paulo post Grypus matrem veneno sibi necem intentantem, eodem veneno extinxit, ac solus in Syria rerum potitus est, quousque bello sibi ab Antiocho vterino fratre illato, regni partem amisit,

ſit. Hunc alterum Antiochum eadem Cleopatra ex Antiocho Euergete genuerat, eiuſque vitæ metuens, procul illum à Syria Cyzicum deportatum, ibidem educandum curauerat; vnde *Cyziceni* cognomen tulit. Is ergo collectis in Aſia copijs, in Syriam contra Antiochum Grypum deſcendit, à quo prœlio victus, in Aſiam ſe recepit, ac breui reſtaurato exercitu, nouam belli aleam iterùm tentaturus, in Syriam profectus, eandem profligatis Grypi copijs, occupauit. Porphyrius ex Suctorio Callinico rerum Seleucidarum hiſtorico plurima de iiſdem regibus, teſte D. Hieronymo in comm. ad cap. 11. Danielis, exſcripſit. Horum quadam fragmenta Scaliger publicauit à pag. 227. additorum ad Chronicon Euſebij. Ibi verò initium regni Antiochi Cyziceni in Syria dicitur contigiſſe *ἀπὸ τῆς ρξζ΄ Ὀλυμπιάδος ἔτει πρώτῳ, anno primo Olympiadis* CLXVII. qui fuit Vrbis Romę 642. Addit Porphyrius bellum ciuile regum fratrum *τῷ δευτέρῳ τῆς Ὀλυμπιάδος, anno ſecundo eiuſdem Olympiadis*, Vrbis Romę 643. ea condicione compoſitum, vt Antiochus Cyzicenus in Cœle Syria regnaret; Antiochus verò Grypus in Syria Antiochena, ac ſuperioribus Aſiæ prouincijs cis Taurum imperium retineret. Phœnicem autem, in qua erat Sidon, Cyziceno traditam colligo ex Ioſepho lib. 13. cap. 16. vbi narrat Cyzicenum, cum Samaritis ab Hyrcano Iudæorum principe ac Pontifice obſeſſis, opem ferre fruſtra tentaſſet, Tripolim in Phœnice ſe recepiſſe. Hinc ſatis fit probabile Cyzicenum, quò nouum ſibi regnum ſecuriùs ſtabiliret, Sidonijs initio ſtatim, nempè eodem anno Vrbis Romę 643. autonomiam conceſſiſſe, quòd ea vrbs maritimis viribus præpollebat. Vel fortaſſis ipſi Sidonij ciuili bello fratrum Seleucidarum regno in partes diuulſo, ſeſe in libertatem aſſerentes, quandam Reipublicę formam induerunt; ac proinde à parta libertate, nouam etiam vrbis ſuæ Epocham inchoandam decreuerunt. Mortuo Hyrcano, Alexander Iannæus eiuſdem filius, rex Iudæorum Ptolemaidem in Phœnice obſedit, *cum Antiochus Philometor*, vulgò Grypus, *& frater eius Antiochus Cyzicenus*, inquit Ioſephus lib. 13. cap. 20. *mutuis cladibus ſuas vires attererent, nihil præſidii ab eis expectandum erat Ptolemaidenſibus*; vnde hi Ptolemæi Lathuri, qui à matre Cleopatra Ægypto pulſus, in Cypro regnabat, opem implorarunt, ſpem eidem facientes Zoilum, qui apud Dora ac turrim Stratonis, quæ poſtea Cæſarea dicta eſt, erepta Cyziceno oppida, tyrannidem exercebat, *& Sidonios, multoſque adiuturos.* Itaque cum Zoilus memoratas in Phœnice vrbes occupaſſet, alijs verò oppidis Iudæi ſeruitutis iugum minarentur, ac mutuis Regum fratrum diſcordijs Seleucidarum potentia in contemptum

abijsset, Sidonij per semet suam vrbem regebant; vnde & ab ijsdem Ptolemenses contra obsidentium Iudæorum impetum, suppetias sperabant.

§. II.

EPOCHA PTOLEMAIDIS.

Ptolemais antea Acco *&* Ace *nuncupata. Eadem cum Arcis ac Ecdippa ab Interprete Stephani perperàm confunditur. Nuptiæ Regum apud Ptolemaidem in sacris literis memorantur. Claudius Augustus eandem Vrbem iure coloniæ insigniuit. Syri præter centesimas, tributum capitis Romanis soluebant. Epocha Ptolemaidis Cæsariana cœpit A.V. 706. Ptolemais vrbium Syriæ postrema à Saracenis expugnatur.*

PTolemais vetustissima in ora Phœniciæ vrbs, Accho antiquitùs nuncupata, in libro Iudicum cap. I. 31. memoratur: *Aser quoque* inquit sacer textus, *non deleuit habitatores Accho & Sidonis &c.* Sanctus Hieronymus in lib. de locis Hebraicis scribit: *Accho qua nunc Ptolemais appellatur, fortis Aser, de qua habitatores pristinos nequiuit expellere.* Quamuis enim Hebræi mediterraneas terræ sibi promissæ gentes Deo fauente, internecione deleuerint, maritimas tamen Palæstinæ aut Phœniciæ vrbes non subiugarunt, Deo auxilium subtrahente, ne illi maritima negotia exercentes, peregrinam religionem ac alienos mores induerent. Eadem verò vrbs à Græcis Ἄκη *Ace* postea dicta fuit. Stephanus scribit: *Ptolemais vrbs Phœniciæ. Priùs Ace vocabatur à curatione morsus inflicti Herculi à serpente.* Pinedo Hebræus recens Stephani poligraphi interpres, insigniter hallucinatur, dum pag. 111. V. Ἄρκη *Arce*, contendit ex Iosepho *Acen*, *Arcen*, *Ecdippam*, ac *Ptolemaidem* vnam eandemque quatuor nominum vrbem fuisse; putatque errare Ptolemæum Geographum ac Plinium eadem vti diuersa oppida describentes. At vetusta Itineraria Hebræum interpretem manifestè redarguunt. Nam Antoninus in itinere Constantinopoli in Ægyptum, scribit: à Balanea *Antaradon M. P. XXIIII. Areas M. P. XXXII. Tripolim M. P. XVIII. Byblon M. P. XXXVI.* Ibi verò Ptolemais locatur infrà Arcas M. P. CLXXXIV. Et in Itinerario Hierosolymitano à Basilisco Mutatione, *Mansio Arcas. M. P. VIII.*

Mutatio

Mutatio Bruttus M. P. IV. Ciuitas Tripolis M. P. XII. Dein post plura oppida, inter quæ Berytus, Sidon, ac Tyrus recitantur, ponitur: *Mutatio Ecdeppa M. P. XII. Ciuitas Ptolemaida M. P. VIII.* Itaque Arce, erat vrbs in superiori parte Phœnicię versùs Antiochiam propè Tripolim; Ptolemais verò sita erat in extrema parte eiusdem Phœnicię versùs Palæstinam, ac ab Ecdippa, vti vocat Plinius, octo milliarijs distabat. Vuillelmus Tyri Præsul lib. 7. cap. 21. scribit Tripolim, Byblum, & Archim vnius Principis Saracenorum ditionem constituisse, & cap. 14. ait: *Est autem Archis vna de vrbibus Phœnicis ad radices Libani in colle sita munitissimo, quinque aut sex à mari distans milliaribus &c.* Ita ille, Baldricus, Iacobus de Vitriaco, ac ceteri scriptores belli sacri eandem vrbem *Archim* appellant, quæ *Arce* in singulari, vel plurali numero *Arcæ* ab alijs nuncupatur. Hæc patria fuit Imperatoris Alexandri Seueri, & in Ecclesiasticis gestis memoratur. Nam Photius Metropolita Tyri in Act. IV. Synodi Calchedonensis accusauit Eustathium Berytensem, qui sibi vsurpasset vrbes *Byblon*, *Botryn*, *Orthosiada*, Ἄρκας *Arcas*, *Antaradum*. Epiphanius itidem Tyri Archiepiscopus in literis synodicis recitatis Act. 5. Synodi C-P. sub Menna, semel & iterùm meminit vrbis Ἀρκηνῶν *Arcenorum*; ex quibus diuersum ab assignato à Stephano, gentile eius vrbis intelligitur; vnde & Lampridius cap. 5. de vita Alexandri Seueri laudat *Arcenam vrbem*. Itaque Arcæ seu Arce diuersa vrbs erat ab Ace siuè Ptolemaide, ac longiùs inter se in eadem Phœnicia distabant. Et sanè non possum non mirari Pinedum ex Iosepho easdem confundere, cum hic Arces siuè Arcarum situm longè procul à Ptolemaide describat eo ipso loco, vnde interpres Stephani oppositum colligebat. Nam Iosephus ibi, nempè libro 5. cap. 1. ait: *In hac portione fuit vrbs Arce, alio nomine Actipus.* Vbi Pinedo Actipus idem oppidum cum Ecdippa perperàm dicitur. At Iosephus post binos versus statim addit Iordanem fluuium oriri ex monte Libano κατὰ Βορέα πόλεως Ἀρκῆς παρακειμένης, *quà fines sunt vrbis Arces versùs Septemtrionem.* Itaque Arce erat vrbs ad radices Libani; Ptolemais verò erat vltra Libanum imò & Antilibanum, Carmelo monti proximior, à quo milliarijs XXXVI. distabat in ora maritima Phœnices versùs Palæstinam. Diuus Hieronymus in libro de locis Hebraicis scribit Achzibam fuisse in tribu Aser. *Hæc est & Dippa* (lege *Ecdippa*) *in nono milliario Ptolemaidis pergentibus Tyrum.* Pinedo Actipus cum Achziba, & hoc vtrumque oppidum cum Ptolemaide perperam confunditur. In cap. 10. lib. 1. Maccabæorum legitur: *Et anno centesimo sexagesimo ascendit Alexander Antiochi filius, qui cognominatus*

est

est Nobilis, & occupauit Ptolemaidem; & receperunt eum, & regnauit illic. Hic nouus Syriæ rex fuit Alexander, vulgò Balas, qui se ab Antiocho Epiphane Syriæ rege genitum iactans, anno Seleucidarum 160. Ptolemaide receptus, rexque ibidem salutatus, regnum Syriæ occiso in prælio Demetrio Sotere, occupauit, ac ducta in vxorem Cleopatra filia Ptolemæi Philometoris, nuptias regia pompa apud Ptolomaidem, rege Ægypti illuc filiam sponsam deducente, celebrauit. Tum Ionathas Iudæorum princeps ac Pontifex, inquit sacer textus, *abiit cum gloria Ptolemaidam & occurrit ibi duobus regibus.* Ita Alexander nuptiarum pompam apud eam vrbem celebrauit, quæ Syriarum prima eundem nouum regem exceperat. Rursùs cap. 12. dicitur Ionathas iterùm post aliquot annos Ptolemaidem profectus, vt eandem vrbem sibi à Tryphone promissam, Iudæorum præsidio muniret; & V. 48. insidiæ eidem instructæ recitantur: *Vt autem intrauit Ptolemaidam Ionathas, clauserunt portas ciuitatis Ptolemenses, & comprehenderunt eum &c.* Verum ciuilibus Seleucidarum discordijs regno Syriæ debilitato, Ptolemais ab Alexandro Iannæo rege Iudæorum, dein à Ptolemæo Lathuro obsessa, ac ab huius matre Cleopatra regina Ægypti capta, & tandem à Tigrane, quem ex Armenia vltrò Syri acciuerant, expugnata, varias calamitates pertulit, vti narrat Iosephus lib. 13. Antiquitatum; donec Pompeius victo Tigrane, Ptolemaidem cum vniuersa Phœnice in Populi Romani potestatem redegit. Hanc postea vrbem Imperator Claudius coloniam fecit, scribente Plinio lib. 5. cap. 19. *Iuxtà est colonia Claudii Ptolemais, quæ quondam Acc.* Vlpianus apud Tyrum Ptolemaide M. P. XXXII. distantem vrbem natus, lib. 50. *Digest. L. 1. de censibus num.* 3. ait: *Ptolemensium enim colonia, quæ inter Phœnicem & Palæstinam sita est, nihil præter coloniæ nomen habet*; proximè autem notauerat Laodiceam in Syria Cœle ius Italicum ab Imperatore Septimio Seuero obtinuisse. Extant nummi Claudij ac Neronis in auersa parte inscripti: COL. PTOL. *Colonia Ptolemais*, cum colono boues agente, ac quatuor signis militaribus; vnde & militum coloniam illuc à Claudio deductam intelligimus; nec vero simile videri potest, Claudium puro puto coloniæ nomine Ptolemaidem donasse. Cum Pompeius prouincias Syriæ Romano imperio adiecisset, *Syria tum primum facta est stipendiaria*, vti loquitur Velleius lib. 2. Appianus in Syriacis ait: *Syri quoque ac Cilices quotannis persoluunt centesimas.* Sed præter tributum soli, alterum etiam capitis Syros soluisse testatur Vlpianus in laudato lib. 50. Digest. tit. eodem *de censibus*, vbi *L. 1. num.* 3. ait: *velut in Syriis à quatuordecim annis masculi, à duodecimo*

mo femina vsque ad sexagesimum quintum annum tributo capitis obligantur. In eo autem *tit. XV. de Censibus* recitantur plures coloniæ, quæ ab Imperatoribus *ius Italicum* obtinuerant, de quo iure eruditè disputat Gothofredus in notis ad *tit. 13. de iure Italico vrbis C-P.* lib. 14. Codicis Theodosiani. Initio quidem duum generum erant coloniæ; aliæ enim erant ciuium Romanorum; aliæ verò Latinæ dicebantur. At cum Latini socij per vniuersam Italiam armis sumptis, Romanam sibi ciuitatem dari contenderent, in quam illi spem à Tiberio Druso erecti fuerant, Romani quamuis Latinorum vires pluribus prœlijs contudissent, ne iterum rebellarent, Italos ciuitate donarunt; vnde & *ius Italiæ* deriuauit. Paulus Iuris consultus *L. 8. de censibus* num. 7. ait: *Diuus Vespasianus Cæsarienses colonos fecit, non adiecto, vt & iuris Italici essent: sed tributum bis remisit capitis; sed Diuus Titus etiam solum immune factum interpretatus est*. Et antea num. 3. scripserat: *Diuus Antoninus Antiochenses colonos fecit, saluis tributis*. Vtraque vrbs, videlicèt Antiochia ac Cæsarea erat in Syria, ac proinde earumdem ciues soluebant centesimas ac tributum capitis. Ius Italicum ab vtroque tributo eximebat. Iam verò cum Cæsarienses remissionem tributi capitis à Vespasiano, ac immunitatem etiam soli, nempè à centesimis, ab eiusdem filio Tito impetrassent, neutiquàm tamen plenè ius Italicum habuerunt; siquidem Vlpianus laudato loco *L. 1. de censibus num. 6.* ait: *In Palæstina duæ fuerunt coloniæ, Cæsariensis & Aelia Capitolina, sed neutra ius Italicum habet*. Hinc ius Italicum alia priuilegia continebat, præter plenariam immunitatem soli ac capitis; quæ quidem consistebant in alienationibus, traditionibus nexi, mancipationibus, annali exceptione, in iure capiendi, alijsque actibus, qui in colonijs iuris Italici fieri poterant eo iure, quo in Italico solo celebrabantur. Cum hoc iure Cæsarea in Palæstina donata non fuisset, licèt soli ac capitis immunitate frueretur, à Vlpiano dicitur non habuisse ius Italicum, quod eodem teste, Seuerus Tyro ac Laodiceæ concessit. Cum verò scribit Ptolemaidem *nihil præter coloniæ nomen habere*, iure Italico illam carere significat, quo immunitas à tributo soli ac capitis indicatur, de quo tantum priuilegio Vlpianus eo in libro de censu scribit. Ita Antiochenses facti coloni, vt ex Paulo proximè notabam, nullam tributorum immunitatem à Caracalla acceperunt; quamuis tum hi, tum etiam Ptolemenses aliqua alia coloniarum priuilegia obtinuere, quæ tamen sola ius Italicum non præstabant. Ita quidem Vlpiani ciuis Tyrij de vicina Ptolemaide verba interpretor; nisi fortè ob aliquot publicum crimen ea vrbs priuilegia coloniarum amiserit.

Vidi

Vidi in ſcrinio D. Apollonij Baſſetti Sereniſſimo Magno Etruriæ Duci à ſecretis, nummum in antica parte inſcriptum: IMP. CAES. NER. TRAIANVS AVG. GERM. & in poſtica: COL. PTOL. *Colonia Ptolemais*; cum figura Genij vrbis turrita, ſpicas dextra manu tenente, ac monticulos inſidente, cum ſuppoſita figura, quæ manibus expanſis medio corpore ex vndis emergit, qua exprimitur deſcriptus Plinio lib. 36. cap. 26. ferax nitri ad conflandum vitrum *Belus amnis quinque mille paſſuum ſpatio in mare profluens, iuxtà coloniam Ptolemaidem*. Alterius nummi Ptolemenſium typum ab erudito amico noſtro Ioanne Vaillantio acceptum, exhibeo.



Eſt numiſma Imperatoris Elagabali, cum anteriori epigraphe: *Imperator Cæſar M. Aurelius Antoninus*; ac poſteriori, *Colonia Ptolemais*, cum Fortunæ ſimulacro intra templum. Literæ Græcæ inferiùs poſitæ H Ξ C, ſignant annum CCLXVIII. Eſt Epocha à Ptolemenſibus in honorem Iulij Cæſaris decreta. Nam cum Scipio Proconſul in Syriam A. V. 705. veniſſet, ac ſuæ diœceſeos vrbes, bello iam ciuili flagrante, acerbiſſimis tributis afflixiſſet, vt Diſſert. 3. cap. 5. fuſiùs expoſui; ac poſtea Iulius Cæſar A. V. 707. victor ex Ægypto per Syriam aduersùs Pharnacem partim claſſe, partim terreſtri itinere exercitum duceret, *commoratus ferè*, vti ſcribit Auctor libri de bello Alexandrino cap. 65. *in omnibus ciuitatibus, quæ maiori ſunt dignitate, præmia benemeritis & viritim & publicè tribuit*. Cum enim Cæſar cum paucis copijs apud Alexandriam difficili bello premeretur, Syrię ac Phœnicię vrbes certatim ad eundem milites ac commeatus tranſmiſerunt. Hinc cum ille poſtea bello feliciter profligato, ex Ægypto diſcedens, per Phœniciam iter faceret, Ptolomenſes quorum erga ſe ſtudium proximo bello expertus fuerat, pluribus beneficijs ornauit; nam & tributa lege Scipionis impoſita imminuit, atque vrbis autonomiam Dictatorio

edicto

edicto iterum sanxit. Hinc ciues in honorem Cæsaris, nouam Epocham instituendam decreuere, cuius annum primum illum ipsum qui tunc in cursu erat, esse voluerunt, qui nempè cœperat ab autumno A. V. 706. quod pariter Laodicenses fecisse in superiori Dissertatione cap. 8. §. 2. demonstraui. Ex his facilè exponuntur anni in laudato Elagabali nummo obsignati. Nam ab A. V. 706. annos numerando 268. horum postremus cœpit per autumnum anni Vrbis 973. quo & tertius eiusdem Augusti annus labebatur, qui fuit Æræ Christi CCXX. ipso Antonino Aug. III. & Eutychiano Consulibus. Cum enim Elagabalus annos tantum tres ac menses IX. imperauerit, palàm intelligimus Æram Ptolemaidis in eius nummo signatam, esse Cæsarianam, & ab A. V. 706. colligendam, eamque pari annorum numero cum Æra Laodicenorum decurrere. Vrbem Ptolemaidem Christiani anno Salutis 1104. à Saracenorum tyrannide liberarunt, ac per annos 187. tenuerunt. Nam Veneti, Ianuenses, ac Pisani missis in eam vrbem colonis, distinctas intra eandem regiones, siuè quòd erant cum præsidio, castra possidebant; vnde inter easdem nationes sæpè de maritimo imperio secum inuicem vario Marte certantes, rixæ ac contentiones eruperunt. Et quamuis Christiani continuis bellorum calamitatibus & aduersis casibus fracti, Syriæ prouincias amisissent, Ptolemaidem ac Tyrum diutiùs aduersùs Saracenorum potentiam defenderunt, donec barbari cum maximis copijs Ptolemaidem obsidentes, eandem anno Domini 1291. die 18. Maij, feria sexta, vi expugnatam, euerterunt, cuius nuncio perterriti qui cum præsidio Tyrum tenebant, vrbem eodem die deserentes, Christianorum in Syria regno tot Regum, Principum, ac nationum impendijs ac sanguine parto, finem nobis semper luctuosum imposuerunt. Ptolemais verò ad paucas casas redacta, nouo ***San Giouanni d' Acri*** nomine Italis mercatoribus nota est, qui è proximo litore arenas, quas Belus fluuius deuoluit, vitris conficiendis, asportant.

§. III.

EPOCHA ARADIORVM.

Aradus vrbs Phœnicum à quonam condita. Reges proprios olim habuit. Macedonibus dein Romanis paruit. Epocha Aradiorum cœpit A. V. Romæ 495. Hoc ex nummis MEDICEIS demonstratur. Aradij ab Antiocho Seleuci Nicatoris nepote autonomia donati. Eorumdem libertas in sacris literis indicata.

ARadus vrbs Phœnicum insignis, sita erat in insula stadijs viginti à continente disiuncta. Eiusdem ambitus stadiorum septem definitur Straboni libro 16. ac Plinio lib. 5. cap. 20. quod totum paruæ insulæ spatium vrbs occupabat. In Chronico Eusebij dicitur condita anno primo Olympiadis V. nempè annis septem ante vrbem Romam. Vuillelmus Tyriorum Archiepiscopus lib. 7. de bello sacro cap. 15. de Arado & Antarado scribit: *Harum vtraque sita est in Phœnicia: & eiusdem ciuitatis vnus & idem auctor fuit Aradius, videlicèt nouissimus natu filiorum Chanaam, filii Cham, filii Noe*. Verùm Aradius Geneseos cap. X. non postremus, sed nonus inter vndecim filios Chanaam numeratur. Iosephus lib. 1. Antiq. cap. 7. ac S. Hieronymus in quæst. in cap. X. Geneseos, tradunt Aradium pronepotem Noe eam insulam habitasse, cui & nomen dedit. Quidam tamen apud Strabonem laudato libro, putant Aradum à profugis Sidoniorum condiram fuisse. Ezechiel cap. XXVII. 8. Tyrum alloquens, ait: *Habitatores Sidonis, & Aradii fuerunt remiges tui*. Et V. 11. *Filii Aradii cum exercitu tuo erant super muros tuos in circuitu*. Itaque Aradij anno circiter sexcentesimo ante Christi Domini Natalem, erant subditi regi Tyriorum; sed postea sub Persarum monarchia proprios reges habuere, vt alię quoque Phœnicum vrbes, ac Persis tributa soluebant. Idem Strabo ibidem ait: *Aradii reges suos habebant, vt cetera Phœnicum ciuitates*. Auctor est Arrianus lib. 2. Alexandrum Magnum, cum in Phœniciam advenisset, Aradum & Marathum ex aduerso vrbem magnam & opulentam deditione accepisse; additque: *Erat is Gerostratus Aradiorum & quotquot insula finitimi sunt, rex*. Eadem postea vrbs Seleucidis paruit. Idem Strabo rursùs, *Aradii itaque*, inquit, *cum vniuersa*

uersa Phœnicia, Syriacis regibus vt amicis obtemperabant. Postea duobus fratribus dissidentibus, Callinico Seleuco, & Antiocho qui Hierax cognominatus est, Callinico adhærentes, pacti hoc sunt, vt ad se ex regno confugientes, recipere liceret, nec tradere inuitos, sed nec iniussu regis enauigare permittere. Ita Aradus ius Asyli obtinuit. Liuius lib. 35. recitat orationem, qua legatus Antiochi Magni apud T. Quinctium Consulem, regiæ classis potentiam exaggerabat: *Dextrum*, inquiens, *cornu Sidonios & Tyrios: sinistrum Aradios & ex Pamphylia Sidetas tenere, quas gentes nulla vnquam nec arte nec virtute nauali æquassent*. At euerso regno Seleucidarum, ac Phœnicia à Pompeio in prouinciæ formam redacta, Aradij deinceps in Romanorum potestate fuerunt. Exorto autem bello ciuili, Aradij iussi sunt à Q. Metello Scipione Syriæ proconsule naues ad Pompei classem augendam, armare. Hinc Cicero lib. 9. ad Atticum epist. 13. queritur classem, quæ *Alexandria, Colchis, Tyro, Sidone, Arado &c.* comparabatur, commeatus Italiæ interclusuram. Altero postea bello ciuili Bruto ac Cassio, quorum partes Aradij secuti fuerant, extinctis, missos ab Antonio tributorum exactores facto tumultu, combusserunt; vnde à Ventidio Antonij in Syria legato obsessi, diutiùs restitere; quamuis fame postea debilitati, C. Sosio Ventidij successori deditionem facere coacti sunt. Eusebius in Chronico ait: *Curtius Salassus in insula Arado cum quatuor cohortibus viuus combustus est, quòd tributa grauiùs exigeret*. Cum postea Aradus Christianam religionem recepisset, eiusdem Episcopi in Synodis memorantur. Notanda est subscriptio epistolę Synodicę Episcoporum Phœnicię maritimę ad Leonem Augustum 3. par. Concilij Calchedonensis num. 37. vbi postremo loco legitur: *Atticus Episcopus Aradiæ Constantiæ*, quod alterum nomen ab Imperatore Constantio tulisse videtur. At Eusebius lib. 4. de vita Constantini cap. 39. scribit innumera Deorum simulacra in ignem coniecta fuisse *in vrbe quadam Phœnicum, quæ Imperatoris nomine appellatur*. Sozomenus lib. 2. cap. 4. eadem referens, ait: *Simili etiam de causa Constantinam vrbem Phœnicia Imperatoris nomine appellatam cognoui*. Hanc vrbem ex proximè recitata subscriptione Aradum fuisse puto, ibique pro Aradi *Constantiæ*, Aradi *Constantinæ*, legendum videtur. Stetit Aradus ad annum vsque Christi 649. quo Mauias Saracenorum princeps eandem acri obsidione oppugnatam, cepit, murisque deiectis, incendit, vti scribit Cedrenus ad annum octauum imperij Constantis II. vbi ait: *fecitque vt insula in hunc vsque diem habitatoribus careat*. Inter opera D. Hieronymi tom. 4. extat opusculum inscriptum: *De Actis Apostolorum*, vbi de Damasco vrbe celebri scri-

bitur : *nunc metropolis Saracenorum perbibetur , vnde & rex eorum Mauuias famosam in ea sibi suaque genti basilicam dedicauit, Christianis in circuitu ciuibus Baptistæ Ioannis Ecclesiam frequentantibus* . Ex his patet Anonymum eius libelli auctorem scripsisse post Saracenorum principatum Mauiæ delatum , qui Mahuuias ab alijs dicitur, cuius contra Christianos gesta medio septimo Æræ Christianæ sæculo ab historicis recitantur .

Epocha Aradi in plerisque eiusdem nummis occurrit, cuius tamen initium non idem ab eruditis statuitur. Nam V. C. Vaillantius pag. 345. Hist. Regum Syriæ , scribebat Æram Aradiorum cœpisse A. V. Romç 511. Seleucidarum LXX. vnde & illorum nummum inscriptum : ΑΡΑΔΙΩΝ ΑΣ · ΕϘΡ. *Aradiorum Asyli Anno* 195. ait percussum fuisse A. V. 706. Scipione Syriæ Proconsule . Ioannes Harduinus in laudato mihi sæpiùs volumine pag. *66.* & *67.* tradit Epocham Aradiorum eandem fuisse cum Æra Seleucidarum . Eius verba sunt : *Inde porrò efficias , quod alios hactenùs fugit , Tripolitarum , Aradiorumque Aeram eandem esse planè cum Aera Seleucidarum , atque ab A. V. C. CDXLII. vnà cum Seleuci Nicatoris principatu in Syria , duxisse initium* . Vnum & alterum errorem errat . Nam Æra Seleucidarum initium cepit à principatu Seleuci apud Babylonem , non autem in Syria , quam anno tantùm vrbis Romæ CDLIII. post Antigoni cædem obtinuit , vt fusiùs ostendi Differt. 2. cap . 1. Rursùs Epocha Seleucidarum antiquior est Æra Aradiorum ; hanc enim quinquaginta & amplius annis illa præcedit , vt ex nummis Mediceis iam demonstro .



Anticæ partis Inscriptio est : ΑΥΤ. ΤΡΑΙΑΝΟϹ ΑΡΙϹΤ. ΚΑΙϹ. ϹΕΒ. ΓΕΡ. ΔΑΚ. ΠΑΡΘ. *Imperator Traianus , Optimus Cæsar Augustus , Germanicus , Dacicus , Parthicus* . Posticæ autem : ΑΡΑΔΙΩΝ : *Aradiorum* ; vbi visitur imago Fortunæ vti planè à Lactantio describi-

tur

tur lib. 3. cap. 29. *Nam simulacrum eius cum copiæ cornu, & gubernatulo fingitur; tamquam hæc opes tribuat, & humanarum rerum regimen obtineat.* Additur in area nummi Epocha Aradiorum ΔΟΤ, *anno* CCCLXXIV. Hunc nummum ex Cimelijs Serenissimi Magni Ducis Etrurię appellat Holstenius pag. 42. notatum in Stephanum de Vrbibus; vbi tamen in area auersæ partis legit ΔΩΤ, media litera erroneè expressa. Eques Patinus pag. 187. in typo nummi persimilis exhibuit . ΟΤ, indicans priorem literam in suo numismate detritam esse. Harduinus pag. 67. putat scalptum ΟΤ, *Anno* CCCLXX. Vt nummum, inquit, *Neronis esse verius putem*. At nummus Mediceus optimè seruatus, duraturis in omne æuum literis, Traianum ibidem scalptum prodit anno Aradiorum ΔΟΤ, CCCLXXIV. Ex titulo *Parthici* qui eo in nummo Traiano defertur, propiùs ducimur ad initium Epochæ Aradiorum intelligendum. Nam Dissert. 3. cap. 8. §. 2. ex nummis Laodicensium ac inscriptis lapidibus, ostendi Traianum labente anno Vrbis Romæ 868. Christi CXV. Ctesiphonte regia Parthorum capta, *Parthicum* ab exercitu vocatum ante Nouembrem eiusdem anni eo cum titulo in nummis obsignatum fuisse. Cum verò Traianus obierit inito Augusto A. V. Romę 870. patet cum Aradiorum nummum percussum fuisse intra biennium, quod fuit ab æstate A. V. 868. ad æstatem A. V. 870. ac proinde initium Epochę Aradi non posse retrahi supra A. V. 494. Nam si cœpisset A. V. Romę 493. annus abhinc 374. exijsset per autumnum A. V. 867. quo Traianus nondum in lapidum ac nummorum Inscriptionibus *Parthicus* nuncupabatur. Rursùs initium Epochę Aradiorum nequit protrudi infra annum Vrbis Romæ 496. Etenim ab A. V. 497. numerando annos 373. ijdem exijssent per autumnum A. V. 870. ac annus Aradiorum 374. cœpisset Hadriano iam imperante. Vidi in scrinio D. Apollonij Bassetti Serenissimo Magno Duci COSMO III. à secretis, nummum in postica cum boue currente obsignatum: ΑΡΑΔΙΩΝ, & supra taurum ΕΟΤ, id est, *Aradiorum. Anno* CCCLXXV. Huic geminum possidet Illustrissimus ac Excellentissimus D. Ioannes Dominicus Theupolus Venetus Patricius, qui vti magnis impensis veterum Numismatum thesaurum sibi comparauit; ita eorundem studiosos pari beneuolentia ac patrocinio complectitur. In antica parte nummi visitur caput muliebre velatum sine epigraphe; & infra aliud minimum caput laureatum, quod planè nequit perspici, num Traiani sit vel potius Hadriani eiusdem successoris. Et sanè si Hadriani esset, initium Epochę Aradiorum statuendum esset per autumnum A. V. 495. Nam annus inde 375. in laudato nummo

mo ſcalptus, exijſſet circa autumnum A. V. 870. Hadriano iam à die XI. Auguſti imperante; atque ita nummus recitatus Traiani cum Epocha annorum 374. percuſſus fuiſſet apud Aradum anno poſtremo imperij eiuſdem. Eques Patinus pag. 166. in Domitiano ſimilem nummum recitat cum capite muliebri, & altero minimo laureato, in antica parte, & retrorsùs: ΑΡΑΔΙΩΝ. ΕΣΤ. *Aradiorum*. Annus tamen Epochę incertus eſt, quod media litera numeralis Σ in mendo cubat. Harduinus pag. 67. loco Σ reponit notam numeri apud Græcos XC. vt ſit annus Ærę Aradiorum CCCXCV. ac Domitiano nummum adſcribit. Errat; ſiquidem in nummis Domitiani apud Aradum percuſſis, vt poſtea expono, viſitur Epocha annorum ΒΜΤ. & ΒΝΤ; nec media litera numeralis altera poſt Ν, nempè Π aut ϙ nummis Domitiani conuenire poteſt, quia vtraque annos poſt necem Domitiani deſignat. Harduinus ex Epocha Seleucidarum Aradijs erroneè affictа, mediam illam notam numeralem pro arbitrio repoſuit. Qua in re alterum errorem errat. Nam nota illa, quæ eſt veluti G Latinorum media lineola inferiùs cadente, nondum id temporis apud Græcos in vſu erat ad numerum nonageſimum deſignandum; ſed paſſim adhibebant ϙ, quam literam *Koppam* dicebant, vt eruditè oſtendit Scaliger in notis Euſebianis num. MDCXVII. vbi & Marium Victorinum laudat ſcribentem: *Sed* ϙ *numero ſeruire, atque nonaginta ſignificare*; quod ex nummis Regum Syrię intelligimus; ac binos etiam Antiochenorum Koppa obſignatos ſuperiùs produximus. Beda etiam in libello de indigitatione tom. 1. pag. 179. ait: *Copbe quoque idcircò ponitur iuxtà literam* Ρ, *quæ valet nonaginta*. Nam cum apud Græcos à Κ proximè ſequentes literæ ſingulæ numeros decennio auctos exprimant, litera Π deſignat LXXX. poſt quam ſequebatur ϙ nempè Koppa, ſignum numeri XC. Hinc poſtea Ρ eſt nota centeſimi, Σ ducenteſimi &c. Iam verò pag. 240. oſtendi in nummis numerum XC. tribus notis deſignatum fuiſſe, quarum prior fuit ϙ, quæ poſtea ſuperiùs aperta ϥ in nummis ſcalpta, diuerſam figuram prætulit. Interim conſtat notam numeri XC. quam ibidem Harduinus adponit, nunquam à Monetarijs adhibitam fuiſſe; quippè quæ recentior eſt, ac ex prioribus notis deriuat, ita tamen vt Latinorum potius G, quàm vetuſtoris Græcorum Koppæ figuram præferat. Sed alios Aradiorum nummos producamus.

Hunc



Hunc quoque nummum ex Cimelijs Mediceis laudat Holstenius pag. 42. vbi tamen Epocham omittit. Inscriptio anticæ Latinè datur: *Imperator Cæsar Marcus Aurelius Antoninus*. In auersa parte legitur: ΑΡΑΔΙΩΝ. Ετους ΖΟΤ. *Aradiorum. Anno* CCCCLXXVII. Tristanus tom. 2. pag. 230. similem ferè nummum tanquam Caracallæ recitat, vbi tamen arbor visitur inter Taurum & Arietem. Eundem è gaza Regis Christianissimi producit Harduinus, addens ibidem, vt in Mediceo, signari Epocham: ΕΤ. ΖΟΤ. Anno CCCCLXXVII. aitque nummum esse *M. Aurelii Antonini* Philosophi, ac designari A. V. Romę DCCCCXVIII. qui fuit Aradiorum 477. Sed si vir oculissimus quippe qui in præfatione iactat se *innumera in hoc genere doctrinæ animaduertisse, quæ nondum à quoquam animaduersa sint*, nummum ipsum in regijs scrinijs inspexisset, non autem in eorundem indicibus, neutiquam in eam præposteram opinionem descendisset. Nam eo in nummo scalpta visitur imago M. Aurelij Antonini Elagabali prorsus imberbis, qui teste Dione, anno ætatis decimo octauo occisus fuit. At M. Aurelius Antoninus, vulgò Philosophus A. V. 918. quo eum nummum Harduinus scalptum putat, annum agebat ætatis XLV. ac Tribuniciæ potestatis XIX. & in nummis cum eo anno TR. P. XIX. benè barbatus apparet. Sed neque idem nummus est Aurelij Antonini Caracallæ, vt Tristanus alijque existimarunt. Nam cum in nummo Traiani proximè exposito, signetur annus Aradiorum 374. ac ex titulo *Parthici* ibidem expresso constet eundem nummum non fuisse scalptum ante A. V. 868. adde annos 103. habebis annum Aradiorum CCCCLXXVII. Vrbis Romę 971. quo Elagabalus imperabat. Præterea accepi à V. C. Vaillantio typum nummi, in cuius priori parte legitur: ΑΝΤΩΝΙΝΟС ΚΑΙ ΟΥΗΡΟС СΕΒ. *Antoninus & Verus Augusti*. Et retrorsus cum Fortuna temonem ac

comu

cornu copiæ tenente, vt in Traiani nummo proposito: ΑΡΑΔΙΩΝ. ΑΚΤ. *Aradiorum. Anno* CCCCXXI. Extant huic similes nummi in regia Gallorum Gaza ac thesauro Mauroceno cum capitibus M. Aurelij ac L. Veri, eademque epigrapha; & in altera parte cum boue currente legitur: ΑΡΑΔΙΩΝ. Ε. ΑΚΤ. *Aradiorum. Anno* CCCCXXI. qui numerus collectus ab A. V. Romę 495. dat initium anni 421. per autumnum A. V. Romę 915. eodemque altero imperij vtriusque Augusti. In indice Patiniano pag. 125. prior nota numeralis Α omissa est; siquidem Epocha ΚΤ tantùm exprimitur. Verùm ibidem scalptum esse ΑΚΤ, mihi testatus est laudatus aliàs Nicolaus Bon, qui centiès Mauroceni Cimeliarchij nummos tractauit, ac in indicem retulit, quocum etiam ipse semel & iterùm, Domino superstite, eosdem vidi. Hinc corrigendus alter error Harduini, qui in *Addendis* pag. 568. hunc M. Aurelij ac L. Veri nummum recitans, Epocham finxit ΑΠΤ, *anno* CCCCLXXXI. media nota numerali Α in Π demutata, vt Aradiorum Æram eandem cum vetustiori altera Seleucidarum obtruderet. Cum Ioannes Vaillantius anno 1685. exeunte, Romę esset, nummum emit, cuius hunc ad me typum transmisit.



Epigraphe anterior Latinè datur: *Cæsar Domitianus Augustus*; & posterior: ΑΡΑΔΙΩΝ. ΒΝΤ. *Aradiorum. Anno* CCCLII. Quem annorum numerum si colligas ab A. V. Romę 495. eundem habebis exactum A. V. 847. quo Domitianus Idibus Septembris annum imperij XIII. compleuit. Eques Patinus pag. 166. alium Domitiani nummum recitat inscriptum: ΑΡΑΔΙΩΝ. ΒΜΤ. *Aradiorum. Anno* CCCXLII. qui cœpit A. V. 836. ac cum tertio principatus eiusdem Augusti concurrit. Harduinus pag. 67. contendit eo in nummo legendum esse ΒϚΤ, *vt sit is annus Seleucidarum, Aradiorumque* 392. *Vrbis Romæ* 833. *ac Domitiani primus*. Sed viri Clarissimi errorem superius confutaui. Præterea Epocha Seleucidarum

inijt

inijt ab Hyperberetæo A. V. Capitolino 441. Quare annus eiusdem 392. exiſſet cum Septembri A. V. Capitolino 833. cum Domitianus duodeuiceſimum initi nuper imperij diem ageret, vt vix tam breui ſpatio noui principatus nuntius in Phœniciam deferri potuerit.

Hactenùs demonſtratum eſt Epocham Aradiorum intra annos Vrbis Romæ 494. & 496. initium cepiſſe, nullo numiſmate hucvſque inuento, vel ſaltem mihi noto, quod alterutrum eiuſdem primùm inductæ annum indicet. Interim probabiliter dicetur inita ab autumno A. V. 495. Cum verò per ea tempora ceteræ vrbes Syriæ Seleucidarum Æra vterentur, inueſtigandum eſt, cur Aradij omnium primi Epochæ Seleucidarum nouam ſuæ vrbis propriam ſubſtituerint. Antiochus cognomento Θεὸς Seleuci Nicatoris nepos, id temporis in Syria regnabat; Phœnice verò ad Ptolemæum Philadelphum Ptolemæi Soteris filium, Ægypti regem pertinebat. Sanctus Hieronymus qui Porphyrij hominis apud Tyrum nati libros legit, & quamuis pleroſque in eiſdem errores notet, multas tamen eaſque præclaras inde etiam notitias rerum Seleucidarum exſcripſit, quas tamen idem Porphyrius ex libris Callinici Sutorij magna parte decerpſit. Itaque S. Doctor in cap. XI. Danielis paucis geſta regum Syriæ deſcribens, ait: *Tertius & ipſe Antiochus qui vocabatur* Θεὸς, *id eſt*, *Deus*. *Iſte aduerſus Ptolemæum Philadelphum*, *qui ſecundus imperabat Aegyptiis*, *geſſit bella quàm plurima*, *& totis Babylonis & Orientis viribus dimicauit*. Addit S. Doctor vetuſtas appellans hiſtorias, claſſem Ptolemæi habuiſſe nàues mille ac quingentas, & alias inſuper mille ad commeatus deuehendos. Ptolemæus Soter ea condicione fœdus cum Seleuco percuſſerat, vt poſt deuictum Antigonum, *Aſia quidem vniuerſæ dominatus Seleuco pararetur*; *Cœlem verò Syriam & Phœnicem propriam vt ſibi faceret*; vti apud Polybium lib. 5. legati Ptolemæi Philopatoris loquuntur. Hinc Theocritus in Idylio XVII. inter gentes Ptolemæo Soteri ſubditas verſu 86. nominat Φοίνικας *Phœnices*; qui cum proximo verſu *& Syros* addat, Cœle-Syros intellexit, non verò Syriæ ſuperioris gentes. Ptolemæus etiam Philadelphus eandem Phœniciam poſſedit; ſiquidem huius filius Ptolemæus Euergetes. in marmore Adulitano, cuius inſcriptionem Leo Allatius etiam Latinè publicauit, dicitur *Aegypti*, *Lybiæ*, *Syriæ*, *Phœnices*, *Cypri*, *Lyciæ*, *Cariæ*, *& Cycladum inſularum imperium à patre accepiſſe*. Antiochus III. cognomine Magnus regum Syriæ primus Phœniciam inuaſit, captis Beryto, Tyro, Ptolemaide, Botry, alijſque eius prouinciæ ciuitatibus, vti narrat laudato lib. 5. Polybius. Cum verò Aradij anno Vrbis Romæ 495. ob acceptam autonomiam,

nouam exinde Epocham instituerint, in obscuro est, num id priuilegij obtinuerint ab Antiocho cognomento *Deo* Syriæ rege, vel potiùs à Ptolemæo Philadelpho, qui in Ægypto ac Phœnicia etiam regnabat, vti ostendimus; quod etiam colligitur ex Iosepho lib. 12. cap. 4. vbi ait Ptolemæum Euergetem Philadelphi filium collegisse octo millia talentorum ex annuis vectigalibus *Cœles Syriæ, Phœnices, Iudææ, atque Samariæ*; vbi ait ad eundem Regem Alexandriam venisse *omnes Syriæ & Phœnices vrbium principes ad emenda vectigalia, quæ singulis annis rex vendebat oppidanorum potentioribus*, ac eadem conduxisse Iosephum nepotem Oniæ Iudæorum Pontificis. Quòd Polybius describens expeditionem Antiochi Magni in Phœnicia contra Ptolemæum Philopatorem susceptam, neque Tripolim neque Orthosiada ab eodem captas vrbes memorat, suspicari possumus eam superiorem Phœniciæ partem versùs Syriam Antiochenam intra regnum Seleucidarum fuisse. Porrò Aradus distabat Balanea vrbe Seleucidarum in Syria Antiochena M. P. XXVI. ac propterea ad regnum Seleucidarum fortasse spectabat. Hinc bello inter Antiochum Θεὸν & Ptolemæum Philadelphum exorto, cum Aradij maritimis viribus præpollerent, ab Antiocho autonomia donati sunt, vt aduersùs Ægyptias classes promptiori animo depugnarent. Vel fortè ijdem Aradij qui insulam incolebant, à potentissima mille ac quingentarum nauium classe Ptolemæi sibi metuentes, ad eius partes transierunt ea conditione, vt suis sibi legibus viuere liceret. Quare vti penè mihi certum est Aradios eius belli occasione autonomiam accepisse, ita incompertum habeo à quonam memoratorum regum eandem obtinuerint. Cum verò bello ciuili inter fratres Antiochos Hieracem ac Callinicum, Aradij huic adhærentes, ius asyli ab eodem recepissent, formam quandam reipublicę præferentes, res suas feliciter promouerunt. Extat apud Polybium lib. 5. insigne libertatis siuè autonomiæ Aradiorum exemplum. Nam cum Antiochus Magnus laudati Callinici filius, contra Ptolemæum Philopatorem exercitum duceret, *Marathum progressus*, inquit Polybius, *quum ad eum Aradii venissent de societate acturi, non solùm illos in societatem accepit, sed etiam controuersiam, quæ insulanos Aradios & eos, qui continentem habent, inuicem alienabat, sedauit, atque vt inter sese concorditer viuerent, effecit.* Hæc contigere anno tertio Olympiadis CXL. vrbis Romę 536. Quare id temporis Aradij non erant subditi regibus Syrię; subditis enim non societatis, sed obsequij erga reges cura inest. Præterea lib. 1. Maccabæorum cap. 15. recitantur literæ cum titulo: *Lucius Consul Romanorum*. Narratur in illis societas & amicitia,

quam

quam Iudæorum gens per legatos cum S. P. Q. R. contraxerat. Et postea additur: *Hæc eadem scripta sunt Demetrio Regi, & Attalo, & Ariarathi &c. & in Coo, & in Siden, & in Aradom, & in Rhodom &c.* Neque Tyrus aut Sidon vrbes in eadem Phœnice longè nobiliores nominantur, sed vna Aradus, quia in illis literis Reges ac populi, siuè vrbes libertate potientes recitantur. Atque hoc alterum est illustre autonomiæ Aradiorum exemplum. Scriptæ sunt illæ literæ A. V. Romę 615. quo Lucius Calpurnius Piso collega M. Popilio Lænate consulatum gessit. Antea verò ijdem Aradij trecenta talenta obtulerant Ammonio regis Alexandri Balæ in Syria præfecto, vt ipsis Marathum ex aduerso in continente vrbem traderet; ex Diodoro Siculo pag. 349. excerptorum Henrici Valesij. Alexander Balas occisus fuit anno Seleucidarum 167. ex libro 1. Maccab. cap. 11. qui annus partim concurrit cum A. V. Romæ 609. Ita Aradij quòd erant liberi, res suas vel cum detrimento regum Syriæ promouere tentabant. Porphyrius apud D. Hieronymum in cap. XI. Danielis scribit Ægyptum ab Antiocho Epiphane subactam fuisse, & statim de eodem ait: *vnde & regrediens, capit Aradios resistentes, & omnem in litore Phœnices vastat prouinciam, confestimque pergit ad Artaxiam regem Armeniæ*, qui ab Antiocho Magno eiusdem Epiphanis patre ad Romanos defecerat, ex Strabone lib. 11. Ita Aradij autonomiam iactantes, ab Antiocho Epiphane ad obsequium Seleucidis præstandum coacti sunt.

§. IV.

EPOCHA PANEADOS.

Hæc vrbs Lesen *antiquitùs appellata; dein à Philippo Tetrarcha* Cæsareæ Augustæ, *siue vulgò* Philippi *nomen tulit. Postea* Neronias, *denique* Paneas *sub Cæsaribus dicta est. Num à Panio monte, vel culto ibidem Pane nomen sortita fuerit. Non fuit colonia ab Augusto deducta. Eusebius perperàm scribit eandem in honorem Tiberij* Cæsaream *nuncupatam. Eiusdem Epocha in nummis. Illius initium inter annos Vrbis Romæ 751. & 755. statuendum.*

HÆc vrbs sex nomina sortita est. Eiusdem initia vetustissima memorantur D. Hieronymo in cap. 48. Ezechielis, vbi nominat

minat vrbem Lesem in tribu Dan, *qua*, inquit, *hodie appellatur Paneas*. Iosue cap. XIX. 47. dicuntur filij Dan eodem oppido expugnato, ibidem habitasse, *vocantes nomen eius Lesen-Dan ex nomine patris sui*. Philippus postea Tetrarcha, Herodis regis filius, inquit Iosephus lib. 18. Antiq. cap. 3. *Paneada sitam ad Iordanis fontes instruxit ædificiis*, *addito* Cæsareæ *nomine*. Et vt ab altera Cæsarea Palæstinę distingueretur, *Cæsarea Philippi* de nomine conditoris vulgò dicta fuit. Ita Marci VIII. 27. legitur: *Et egressus est Iesus & discipuli eius in castella Cæsareæ Philippi*; quod ipsum habetur Matthæi cap. XVI. 13. Holstenius pag. 154. not. in Stephanum, ex nummo colligit eam vrbem dictam fuisse Claudio imperante, *Claudiam Cæsaream*, qua de re inferiùs sermo redibit. Rex iunior Agrippa, vt ait Iosephus lib. 20. Antiq. cap. 8. *prolatis pomœriis Cæsarea, quæ Philippi dicitur*, *mutato nomine*, *in Neronis honorem*, *vocauit eam Neroniadem*. Verùm cum pessimo Neronis exitu, mali ominis nomen desijt; ac ciues eandem *Cæsaream Augustam* nuncuparunt, quod ex nummis mox laudandis, apparet. At hoc quoque augusto licèt, nomine antiquato, *Paneas* per plura sæcula nuncupata fuit, quousque à Saracenis expugnata, *Belina* nomen accepit, vti produnt Vuillelmus Tyrius, Baldricus, Iacobus de Vitriaco, ac ceteri qui bella sacra pro recuperandis Hierosolymis, descripserunt. Stephano nominatur *Paneas oppidulum Phœniciæ*; vbi in notis Thomas de Pinedo ait: *Sanè nullum noui huius nominis Phœniciæ oppidum*; cum Plinius, inquit, ac Iosephus Paneada regionem nominent. Est supina Hebræi interpretis hallucinatio. In excerptis apud Valesium pag. 76. Polybius ostendit plura errata fuisse Zenoni historico in descriptione prœlij, *quo Antiochus in Syria Cœle ad oppidum Panium cum Scopa conflixit*. At minùs rectè Valesius Polybij verba περὶ τὸ Πανίον, *ad oppidum Panium* Latinè reddidit; nullum enim regnante Antiocho Magno, oppidum Panium eo loci ab Historicis memoratur. Stephanus laudat Πανίον σπήλαιον Παλαιστίνης, *Panium specus Palæstinæ*, quod quidem specus erat ibidem veteri religione Gentilibus celebratissimum, vt proximè ex Iosepho intelligemus. Vrbs Paneas apud Ecclesiasticos Scriptores occurrit. Eusebius lib. 7. Hist. Eccles. cap. 17. scribit: *Apud Cæsaream Philippi, quam Phœnices* Paneada *nominant ad pedes Panii montis, ex quibus profluit Iordanis &c.* D. Hieronymus in cap. 16. Matthæi de Philippo Tetrarcha ait: *qui in honorem Tiberii Cæsaris Cæsaream Philippi, quæ nunc* Paneas *dicitur*, *appellauit*; *& est in prouincia Phœnices*. Sozomenus lib. 5. cap. 20. de Iuliano Augusto apostata loquens: *Cum*, inquit, *certior factus esset Cæsarea Philippi*; *est ea vrbs Phœniciæ*,

quam

quam Paneadem *vocant &c.* Eandem nominat Philoſtorgius, cuius mox verba recitabo. Eiuſdem vrbis Epiſcopi in Synodis etiam appellantur. Vnam proferam Calchedonenſem, in cuius Act. IV. legitur Olympius Epiſcopus Πανεάδος ἐπαρχίας πρώτης Φοινίκης, *Paneados prouinciæ primæ Phœniciæ*. In tabulis Peutingerianis legitur: *Scythopoli XIII. Tiberias XXXII. Cæſarea Paneas XXVIII. ad Ammontem XXVIII. Damaſco*. Libanum montem inter Cæſaream Philippi ac Damaſcum extendi tradit Vuillelmus Tyrius lib. 17. cap. 2. Plinius lib. 5. cap. 15. ait: *Iordanes amnis oritur è fonte Paneade, qui cognomen dedit Cæſareæ*. At Philoſtorgius nomen Paneados à ſimulacro Panis ibidem culto, deriuatum autumat lib. 7. cap. 3. ſcribens: *Secutis autem temporibus Cæſarea Philippi cognominata eſt. Sed cum Gentiles Panis ſimulacrum in ea collocaſſent, in* Paneados *vocabulum tranſiit*. Spanhemius contendit pag. 895. Paneadem nec à fonte, nec à Pane, ſed à proximo Panio monte nomen accepiſſe. Polybius legat. 72. narrat Antiochum Magnum περὶ τὸ Πάνιον, *apud Panium* Ægyptiorum copias inito prœlio, profligaſſe, quod prœlium Ioſephus lib. 12. cap. 3. ait geſtum ab Antiocho *ad fontes Iordanis*. Idem verò Ioſephus lib. 15. cap. 13. ſcribit ab Herode dicatum fuiſſe templum Auguſto *propè Panium*. Hic mihi notandus eſt error Holſtenij, qui pag. 24. not. in Stephanum, ait: *Nec videtur Paneas à Gaza, cuius Polybius tamquam Panio vicina meminit, multùm fuiſſe diſſita*. At Paneas erat vicina Tyro, quæ ex Itinerario Antonini à Gaza diſtabat M. P. CLXIV. & inter Panium ac Gazam ſitę erant Galilæa, Samaria, ac Iudæa. Idem Ioſephus eo loco hæc addit de Panio: *Id ſpelunca eſt in monte amœniſſima, eique ſubiecta in immenſum hians terræ deuexitas, plena aquis ſtagnantibus. Ei mons valdè magnus imminet; ſub ſpelunca autem ſcatent fontes Iordanis fluminis. Hunc locum alioquin etiam celebre, ornauit templo extructo in honorem Cæſaris*. Itaque Panium erat ſpelunca amœniſſima, vbi Panis ſimulacrum vetuſta religione colebatur, quod Numen erat tutelare loci, cui & nomen primitus dedit, vt non ſolùm teſtimonio Philoſtorgij, ſed plurium etiam eiuſdem vrbis numiſmatum Panis imagine obſignatorum, euincitur; quamuis erret Philoſtorgius, dum nomen Cæſareæ Philippi antiquius Dei Panis cultu pronuntiat; Panium enim laudat Polybius Scriptor longè Cæſareæ Philippi nomine vetuſtior. Pan montium Deus dicebatur, iuxtà illud Statij carmen lib. 2. Sylu. in Surrentino Pollij,

Dorida montani cupierunt prendere Panes.

Pan etiam apud Phornutum in libro de natura Deorum, *in montibus & ANTRIS vitam exigere* dicitur. Hinc in eo amœniſſimo mon-

tis

tis antro Pan vetusta superstitione adoratus, *Panii* nomen loco dedit, quo nomine totus postea mons appellatus fuit. Et quidem antiquius illius montis nomen ex præceptore Hebræo prodit S. Hieronymus in lib. de locis Hebraicis scribens: *Hebræus verò, quo prælegente, Scripturas didici, affirmat montem Hermon Paneadi imminere, quem quondam tenuere Heuæi & Ammorrhæi, de quo nunc æstiua niues Tyrum ob delicias deferuntur*. In capite tertio lib. Iudicum vers. 3. legimus *Heuæum qui habitabat in monte Libano: de monte Baal Hermon vsque ad introitum Emath*; quę vrbs erat in Cœle Syria ad Orontem, postea Epiphania nuncupata. Ex his intelligimus sitam Paneadem propè Tyrum, quę Scriptori de locis in Actis Apostolicis tom. 3. Operum D. Hieronymi dicitur distasse *vicesimo propè milliario à Cæsarea Philippi*. Idem verò Hieronymus laudato libro scribit quarto à Paneade milliario versùs Tyrum ad radices Libani, in viculo Dan fontem *Dan* pariter appellatum fuisse, qui versùs Paneadem decurrens, ante vrbis portam cum altero riuo, qui *Ior* communi apud Hebræos nomine dicebatur, commixtus, Iordanis nomen accipiebat. Iosephus lib. 3. de bello cap. 18. ait: *Naturalis quidem pulchritudo Panii regis opibus & Agrippæ diuitiis magnificentius accurata est. Manifestè autem flumen Iordanis ex hoc antro incipiens &c.* Quibus postremis verbis riuum *Ior* Hebraicè dictum laudat, quem Plinius fontem Paneadam appellat. Itaque horum nominum etymologia hoc ordine deducta videtur, vt à culto ibidem Pane, antrum *Panii* nomen primitùs tulerit, & ab antro tum fons inde erumpens Paneas, tum etiam totus mons *Hermon* quondam dictus, Panius postea appellatus fuerit, à quo denique monte vrbs Paneas nomen sortita est. Et sanè Paneada non à fonte, vt Plinius putabat, sed à monte Panio proximè appellatam, produnt eiusdem nummi mox exponendi, in quibus eadem dicitur *Cæsarea Augusta* ΥΠΟ ΠΑΝΕΙΩ, *sub Panio*. Etenim quoties in nummis vrbs cuipiam flumini proxima indicatur, inserta ibidem legitur præpositio πρὸς *propè*; non autem ὑπὸ, id est, *sub*; ita enim in nummis leguntur Apamea ΠΡΟϹ ΜΑΙΑΝΔΡΟΝ, Antiochia ΠΡΟϹ ΕΥΦΡΑΤΗΝ, Nicopolis ΠΡΟϹ ΙϹΤΡΟΝ, apud V. C. Spanhemium Dissert. IX. à pag. 888. nempè *propè Mæandrum*; *propè Euphratem*; *propè Istrum*. Quæ vrbes minùs rectè dicerentur esse *sub Istro*, *sub Euphrate &c.* Quando verò vrbs monti proxima designatur, dicitur sub monte, vel propè montem, nempè Græcè ὑπὸ vel πρὸς. Hinc Stephanus V. *Cæsarea*, tertiam huius nominis vrbem ait sitam πρὸς τῇ Πανιάδι *propè Paneadem*, nempè fontem ex Panio monte erumpentem. Quare cum in nummis dicatur Cæsarea Augusta *sub Panio*, hac

voce

voce non Paneas fons, sed Panius mons exprimitur, à quo postea ea vrbs proximè nomen habuit, ac Paneas dicta fuit. Sed iam mittamus horum nominum etymologias, in quibus expiscandis vel ipse Romanorum doctissimus Varro non semel derdiculus fit. Extat in Museo Mediceo mediocris nummus Paneados, quem tamen scalptor ac si esset maioris moduli, hac forma expressit.



In priori parte numismatis epigraphe Latinè redditur: *Imperator Cæsar M. Aurelius Antoninus Augustus*; in posteriori verò legitur: ΚΑΙCΑΡΕΙΑC CΕΒΑCΤΗC ΙΕΡΑC ΚΑΙ ΑCΥΛΟΥ ΥΠΟ ΠΑΝΕΙΩ, id est, *Cæsarea Augusta, sacra, & inuiolata, sub Panio*. In area verò nummi visitur Pan fistulam siuè tibiam inflans, cum annis Epochæ Paneados hinc inde scalptis, ΡΟΒ, nempè: *Anno* CLXXII. Proferunt hunc nummum è Cimelijs Mediceis illustres scriptores Holstenius pag. 154. not. in Stephanum de Vrbibus, ac Spanhemius pag. 895. quorum posterior epocham omisit; prior verò non exposuit. Ibi tamen Holstenius nummum recitat è Gaza Barberina in cuius priori parte legitur: ΒΑCΙΛΕΥC ΗΡΩΔΗC: *Rex Herodes*, & in auersa: ΚΛΑΥΔΙΑ ΚΑΙCΑΡΙΑ, *Claudia Cæsarea*, intra coronam; quem nummum ille refert ad Cæsaream sub Panio. Vix in hanc sententiam trahi possum. Nam Caius Cæsar teste Iosepho lib. 18. cap. 9. Agrippam seniorem *tetrarchiæ quæ Philippi fuerat, regem constituit*. Idem verò Agrippa Berenicem fratri Herodi iunxit, *impetrato illi regno Chalcidis à Claudio*, ex eodem lib. 19. cap. 4. Quare imperante Claudio, Cæsarea sub Panio, quæ postea Paneas dicta est, intra regnum Agrippę, non autem Herodis regis Chalcidicę censebatur. Quamuis verò etiam Agrippa solo cognomine *Herodis* in Actis Apostolicis cap. 12. appelletur, in nummis tamen solo fortassis nomine Agrippę obsignatus fuit; licèt

secùs

secùs sentiat laudatus Spanhemius pag. 443. Num verò ibidem Agrippę regis Iudæorum, vel eiusdem fratris regis Chalcidensium effigies scalpta sit, vnus nobis forsitan ostendet eruditissimus Nicolaus Toinardus in genealogia Herodiadum. Ceterùm vti Agrippa Tiberiadem abs se Galilææ metropolim constitutam, *Claudiam* penès cognomen appellauit, vt ex nummis Differt. V. cap. 5. ostendam, & Gabem etiam Galilææ vrbem *Claudiam* nuncupauit, vt §. VI. dicetur; ita eiusdem exemplo Herodes frater quampiam donati sibi ab Imperatore Claudio regni vrbem *Claudiam Cæsaream* nominauit; quippè qui etiam in nummis ΦΙΛΟΚΛΑΥΔΙΟΣ *Claudii Amicus* inscribitur apud Seguinum cap. 2. num. 13. quamuis V.C. Spanhemius eum nummum Agrippę deputet. Quod alterum si dicatur, Cæsarea Palæstinę metropolis *Claudia* cognomine ab eodem Agrippa donata probabiliùs censeri poterit, quàm altera Cæsarea sub Panio. Extant in Cimeliarchio Parisiensi insignis Antiquarij Francisci Dronij bina numismata, quorum hic iconas appendo,






In antica parte nummi minimę magnitudinis nulla extat inscriptio; sed puerilis tantùm vultus diadematus ibidem visitur, quem fortassis Commodi Cæsaris esse indicat obsignatus annus idem qui in M. Aurelij patris nummo scalptus est. Epigraphe alterius partis est: ΚΑΙCΑΡΕΙΑC ΠΑΝΙΑΔΟC. ΡΟΒ. *Cæsarea Paniados. Anno* CLXXII. Græca vox ΠΑΝΙΑΔΟC *Paniados* sine diphthongo legitur; vbi in priori nummo Mediceo ΠΑΝΕΙΩ cum diphthongo scalptum est. In laudatis Iosephi locis Πανίον *Panium* scribitur; at in lib. 3. de bello cap. 33. qui in Latina editione est 18. Πανεῖον non semel legimus; & doctissimus Valesius in notis ad cap. 17. lib. 7. Eusebij aduertit eandem vocem in diuersis MSS. codicibus vtroque modo exaratam fuisse. Ptolemæo qui sub Antonino Pio Augusto & M. Au-

M. Aurelio Cæsare scripsit, lib. 5. Geographiæ cap. 15. inter vrbes Phœnicum *Καισάρεια Πανίας*, *Cæsarea Panias* recensetur, vti planè in eo paruo nummo legitur; vt proinde superflua sit correctio Holstenij pag. 240. not. in Stephanum, vbi contendit in Ptolemæi codice legendum Πανέας, non autem Πανίας. Itaque eodem tempore ea vrbs dicebatur *Cæsarea Augusta sub Panio*, vel *Cæsarea Panias*, quæ postea breuiori appellatione *Paneas* vulgò dicta est. Alter nummus, cuius postica tantùm delineata est, Commodi Augusti imaginem laureatam exprimit cum hisce tantùm literis KOM... *Com..* reliqua Inscriptione detrita. In area visitur figura Panis tibiam inflantis, cum notis numeralibus P Y & A, quæ postrema litera fortassis est A, media transuersa lineola temporis iniuria detrita, vel artificis negligentia deficiente; quibus sanè literis annus CXCI. designatur. Media autem nota numeralis præter morem ferè vti maior Y scalpta est, cum in alijs nummis ita ϥ signetur, vt patet in nummis Ascalonis, Gazę, ac Neapolis in Samaria, quorum icones hoc in opere exhibeo. Porrò in tribus propositis nummis Pan eiusdem vrbis numen tutelare indicatur; illius enim symbolum est organum ex septem fistulis compositum, quod in minimo nummo expressum est. Maximus vatum canit Ecloga II.

Mecum vnà in syluis imitabere Pana canendo;
Pan primus calamos cera coniungere plures
Instituit &c.
Est mihi disparibus septem compacta cicutis
Fistula, Damœtas dono mihi quam dedit olim.

Quale septem fistularum organum nummus præfert. Poetę enim finxerunt Syringa nympham insequentis Panis vim fugientem, in palustres calamos mutatam, ex quibus Pan organum conflauit. Habes fabulam apud Ouidium lib. 1. Met. à V. 711. vbi ait:

Atque ita disparibus calamis compagine ceræ
Inter se iunctis, nomen tenuisse puellæ.

Seruius in notis ad laudatam Eclogam Vergilij de Pane scribit: *Fistulam septem calamorum habet propter armoniam cœli, in quo septem soni sunt.* Plurimi enim putabant septem planetas perenni motu suauissimum concentum reddere; vnde etiam dixere Mercurium lyram ex septem neruis seu chordis composuisse, ac Vergilius VI. Æneid. V. 641. laudat *septem discrimina uocum*. Hæc de rebus passim obuijs indicasse sufficiat.

Eusebius in Chronico ad annum primum Olympiadis ducentesimę primę, qui fuit vrbis Romę 778. ac duodecimus imperij Tiberij Cæsaris, ait: *Philippus Tetrarcha Paneadem, in qua plures*


ades construxerat, *Cæsaream Philippi vocauit*, *& Iuliadem aliam ciuitatem*. Quem sequutus S. Hieronymus in comment. ad cap. 16. Matthæi de eodem Philippo scribit: *qui in honorem Tiberii Cæsaris*, *Cæsaream Philippi*, *quæ nunc Paneas dicitur*, *appellauit*; *& est in prouincia Phœnicis*. Scaliger in notis Eusebianis num. 2041. putat Eusebium pro arbitrio annum conditę Cæsareę Philippi, siuè Paneados, finxisse, cum Iosephus nullum certum annum designet, quo ea vrbs extructa fuit. Addit Paneadem ac Iuliadem à Tetrarchis conditas videri *non procul initio imperii Tiberiani*. Harduinus pag. 112. ex Thesauro Goltzij nummum Augusti profert inscriptum: COL. CAESAREA PHILIPPI, ex quo intelligitur Paneas olim facta Romanorum colonia ab Augusto. Verùm miror virum eruditum hæc ex Goltzio figmenta in suum certè insigne volumen deportasse. Equidem Goltzius nouo commento in altero nummo, quem Tito imponit, satis ridiculè legit: COL. CAESAREA PANIAE, quem itidem nummum Harduinus recenset. Nusquam in Cimelijs Latini Paneados nummi inuenti sunt. Vlpianus apud Tyrum vrbem M. P. XX. Paneade distantem, natus, suæ prouinciæ Phœnices colonias enumerans in lib. 50. Digest. tit. 15. *de censibus*, nusquam hanc Cæsaream siuè Paneada nominat, cum tamen Berytum laudet, quam vnam Augustus coloniam in Phœnice deduxit. Goltzius ex nomine *Cæsarea* eam vrbem coloniam putauit, ac Harduino fucum fecit. Suetonius in Augusto cap. 60. scribit: *Reges amici atque socii & singuli in suo quique regno* Cæsareas *vrbes condiderunt*; quarum tamen nulla tum temporis erat colonia, quòd non liberę essent, vti colonię, sed iuri suorum quæque regum subiectę. Cæsarea Paneas erat antea in tetrarchia Philippi, postea fuit in regno Agrippę, qui eandem etiam Neroniadem appellauit, vt superius ex Iosepho prænotabam. Verùm Goltzius non semel Vrbium, quarum nomina apud Stephanum legebat, numismata finxit, quæ vti nulli monetarij percusserunt, ita in nullis vspiam Cimelijs hactenùs repertæ sunt. Redeo ad Eusebium, cuius metachronismus de condita imperante Tiberio, Cæsarea Philippi, ex Mediceo numismate confutatur. Nam cum in eodem annus eius vrbis CLXXII. cum principe Marco Aurelio obsignetur, etiamsi idem annus fingatur fuisse Romę à parilibus 933. ac postremus imperij eiusdem M. Aurelij, abhinc per annos 172. regredientes, erimus ad annum vrbis Romę 761. Cæsare Augusto imperante, qui sexennio etiam insuper vixit. Verùm ex vtroque nummo Commodi probatur ea vrbs condita ante annum Vrbis 758. Nam in nummo minimo Commodus tantùm Cæsar sine laurea ac puerili

vultu

vultu visitur, anno Paneados CLXXII. qui cum A. V. 929. creatus fuerit Augustus, ab hoc anno exclusiuè per annos 172. retrò numerantes, deueniemus ad A. V. 757. Et quidem, si vllus coniecturę locus datur, possemus pronuntiare eos nummos M. Aurelij patris, & Commodi filij Cæsaris sculptos esse A. V. 929. cum vterque Syriam perlustraret. Verùm obstat his alter nummus Commodi apud Paneada percussus cum Epocha annorum CXCI. vel saltem CXC. qui etiamsi ponatur V. C. 945. ac postremus vitæ Commodi, abhinc per annos CXC. in nummo obsignatos, retrograda numeratione deueniemus ad A. V. 755. eundemque secundum vulgaris Æræ Christi Domini, P. Vinicio & Alfinio Varo Coss. In magnis Baronij Annalibus mors Herodis Ascalonitę recitatur A. V. 759. à parilibus, M. Æmilio Lepido & L. Arruntio Coss. Hæc tamen opinio ab eruditis vulgò refellitur, & ex laudato nummo eiusdem metachronismus apparet. Nam Paneas siuè Cæsarea Augusta ante annum Vrbis Romę 759. extructa fuerat à Philippo Tetrarcha, qui in partem regni post obitum Herodis patris successit, ex Iosepho lib. 17. cap. 13. Tacito lib. 5. Hist. & quod ceteris antistat, Euangelio S. Lucę cap. 3. Varię sunt scriptorum opiniones de anno obitus Herodis. Ipse quidem in Cenotaphijs Pisanis Dissert. 2. à pag. 146. scripsi Herodem sæuam animam inter acerbissimos cruciatus proiecisse A. V. 751. a parilibus. Iosephus verò lib. 18. cap. 6. tradit Philippum Tetrarcham, à quo Cæsarea condita fuit, obijsse *anno vicesimo imperii Tiberii* Cæsaris, quem hic expleuit A. V. 787. die 19. Augusti, cum idem Philippus Tetrarchiæ *triginta septem annis* præfuisset, quos ab anno Vrbis memorato 787. inclusiuè retrò numerantes, habemus annum vrbis Romæ 751. quo teste Iosepho, Philippus tertiam paterni regni partem obtinuit. Quare cum ex nummo Commodi Augusti, in quo Æra Paneados, siuè Cæsareę Augustę in Phœnicia designatur annorum CXC. colligamus eandem extitisse A. V. 755. neque condi potuerit ante A. V. 751. quia eo iam magna parte exacto, Philippus obtenta ab Augusto Tetrarchia, Roma in Palæstinam redijt, consequens fit, vt intra triennium quod intercedit inter annos ab vrbe Roma condita 751. & 755. Cæsarea Philippi siuè Paneas condita fuerit.

Addo heic aliud numisma Paneados, quod seruatur in Cimelijs Illustrissimi & Excellentissimi D. Hieronymi Corarij Veneti Senatoris, cuius erga bonas literas studium non modò excelsior turris, quam intra ædes patrias varijs astrorum motibus & aspectibus commodius assequendis, extruxit: verùm etiam ingens numisma-

tum maximi præſertim moduli collectio ſummis impenſis eidem comparata, ſatis ſuperque manifeſtant. Vti verò ſpeculatoriam turrim non tam ſuo quàm aliorum ſyderali ſcientiæ vacantium, commodo excitauit, ita & nummos non ad priuati Muſei ornamentum, ſed eruditioni eorum, quibus eſt domi curta ſupellex, liberali manu promouendę, collegit. Et ſanè cum ab eodem deſcriptionem nummi Cæſareę ſub Panio per literas petijſſem, ipſummet æreum numiſma per publicum tabellarium ad me tranſmiſit, quò certiorem inde notitiam perciperem. Ecce eiuſdem ectypum.



Eſt nummus Getę Cæſaris, vt apparet ex mutilata anticę partis epigraphe ..ΕΠΤ.. ΓΕΤ.. nempè: CΕΠΤΙΜΙΟC ΓΕΤΑC: *Septimius Geta*; cuius caput ſine laurea eundem id temporis Cæſarem, ac nondum Auguſtum deſignat. Prior pars auerſæ Inſcriptionis detrita eſt, cum ibi ſolùm legatur: ΚΑΙCαρείας CΕΒαςῆς ΙΕΡᾶς: *Cæſarea Auguſta ſacra*. At epigraphe ex Mediceo numiſmate ſuppletur. Auget nummo precium Epocha in area eiuſdem C B, nempè: *Anno ducenteſimo ſecundo*. Viſitur ibidem vt in hactenùs laudatis nummis, Pan tibiam inflans. Sed quid peculiare in Corario numiſmate apparet, nempè pera paſtoralis ex trunco pendens. Hinc illa pera Pan tutelare paſtorum numen exprimitur. Vnde Vergilius Ecloga II. canit:

——— *Pan curat oues, ouiumque magiſtros*.

Seruius in comm. plura de Pane ſcribit, quæ ad myſticum ſenſum deflectit. Ea inter ait: *pedum habet propter annum, qui in ſe recurrit*. Num verò pedus, an verò truncus arboris ſit, quod ponè figuram Panis in recitatis nummis viſitur, alij iudicent; neque enim mihi vacat eſſe tam curioſum. Ex craſſitie eiuſdem truncus potiùs arboris intelligitur. Ceterùm Epocha ibidem ſcalpta C B, *anno* CCII. Euſebij rursùs metachroniſmum oſtendit. Nam ab A. V. 778. quo Euſebius recitat natalem Cæſareę Paneados, numerando annos

annos 202. erimus ad A. V. 980. qui fuit sextus imperij Alexandri Seueri, Imperatore Geta ante annos quindecim occiso. Hic à Septimio Seuero patre designatus fuit Augustus A. V. Romę 961. à quo anno exclusiuè retrò annos 202. numerantes, habemus annum Vrbis 758. ac proinde Cæsarea Paneas condita fuit in honorem tum imperantis Cæsaris Augusti, non autem Tiberij, vti scribunt Eusebius, & ex eodem S. Hieronymus. Geta creatus fuit Cæsar A. V. 951. quo eiusdem frater Antoninus Caracalla Augusteam dignitatem accepit, ex Spartiano cap. 16. de vita Seueri. Diem verò delatę eidem Getę Cæsareę dignitatis hactenùs ignoratum, produnt Acta passionis SS. Martyrum Perpetuę & Felicitatis, quæ ipsamet Vbia Perpetua anno ætatis vicesimo secundo in carcere descripsit; ibi enim ait: *Munere enim castrensi eramus pugnaturi. Natale tunc Getæ Cæsaris.* Et inferius: *Quid vtique non permittis refrigerari noxiis Nobilissimi Cæsaris scilicet, & Natali eiusdem pugnaturis?* At illa cum socijs passa est die septimo Martij, Natali Getę Cæsaris, cuius prior natalis genuinus contigit die 27. Maij ex Spartiano cap. 3. de vita eiusdem. Interim notatur antiquiùs, quàm plerique existimarunt, titulum *Nobilissimi* Cæsaribus delatum fuisse. Cum verò Geta per octennium Cæsar fuerit, neque ex laudato nummo potest colligi annus, quo primùm Epocha Paneados inierit.

§. V.

EPOCHA DORORVM.

Dora non vno modo apud veteres scripta. Olim proprium Regem habuere. Dororum situs. Epistola Petronij Syriæ præsidis ad Dorienses. Eiusdem Vrbis Epocha recentior inita A. V. Romæ 691. Tempore D. Hieronymi erat deserta. Stephanus ibidem Episcopus ab Apostolica Sede vicarius totius Palæstinæ creatus, interfuit Synodo Lateranensi sub S. S. Martino Papa ac Martyre.

HÆc vrbs non vno modo penès nomen scribitur. Nam D. Hieronymo & alijs *Dora* singulari numero ac feminino genere effertur. At Hecatæo & Stephano *Dorus* dicitur, vti Tharsus, Tyrus &c. Plinius lib. 5. cap. 19. *Doron* neutro genere vti & Iose-

phus

phus non vno loco *Dora* plurali numero nuncupauit. Auctor est Claudius Iullus Phœnicorum lib. 3. apud Stephanum quosdam scripsisse eam vrbem à Doro Neptuni filio conditam fuisse, à quo & nomen accepit. Illius tamen antiquitatem sacræ literæ produnt Iosue cap. XII. 23. vbi inter reges ab eodem debellatos, nominatur *Rex Dor, & prouincia Dor vnus*. Nam antiquitùs, vt ex Strabone, Arriano, alijsque prænotaui, singulæ Phœnicum vrbes proprijs regibus obtemperabant; vnde & in laudato capite in vna tantùm Syriæ parte, quam Iudæi occuparunt, vnus ac triginta reges angustis ditionibus imperitabant. Eadem vrbs Hebraicè dicta est Naphat Dor, qua de voce scribit S. Hieronymus in lib. de locis Hebraicis: *Dor naphet, quod Symmachus transtulit* Dor maritima; *hæc est Dora in nono milliario Cæsareæ Palæstinæ pergentibus Tyrum; nunc deserta, quæ cum cecidisset in sortem Manasse, eam possidere non potuit, quia in ea habitatores pristini remanserunt*. Cum enim Hebræi naues non haberent, maritimam regionem non debellarunt, classibus Phœnicum præualentibus. Iosephus lib. 15. Antiq. cap. 13. scribit Herodem *Dora inter & Ioppen* Cæsaream condidisse, à qua Dora M. P. IX. distabant in confinijs Phœnices iuxtà postremam Syriæ diuisionem, cum Iosephus ibidem ipsam quoque Cæsaream intra Phœnicem collocet. Idem lib. 2. contra Apionem scribit: *Phœnicia verò iuxtà montem Carmelum Dora ciuitas nuncupatur, quæ nihil commune habet cum Apionis nugamentis; quatuor enim dierum itinere distat ab Idumæa*. Eandem sitam *in loco Chersonesi formam habente, incipiente illinc monte Carmelo*, tradit Artemidorus apud Stephanum in fragmentis. Post obitum Alexandri Magni diutius Ptolemæis cum maritima Phœnicia paruit. Antiochus Magnus A. V. 537. bello contra Ptolemæum Philopatorem suscepto, Dora obsedit; sed irrito conatu, cum locus esset natura munitus; erat enim vrbs in peninsula, ac proinde vna tantum parte oppugnari poterat, cum qua parte pelago cingebatur, subsidia in vrbem inferrentur, ex lib. 5. Polybij. Illam tamen Antiochus Epiphanes Seleucidarum regno adiecit. Cum Tryphon occiso Antiocho Alexandri Balæ filio, regnum Syriæ occupasset, bello postea ab Antiocho Sidete eidem illato, *Doram fugiens per maritimam* describitur lib. 1. Maccabæorum cap. 15. vbi hæc leguntur: *Et applicuit Antiochus super Doram cum centum viginti millibus virorum belligeratorum, & octo millibus equitum: & circuiuit ciuitatem, & naues à mari accesserunt*. Hoc Dororum obsidium dicitur ibidem contigisse anno Seleucidarum CLXXIV. qui iuxtà stylum Scriptoris eius historiæ, cœpit à Neomenia Nisan A. V. Romæ 615. a parilibus. Rursus ibidem Ver. 25.

Antio-

Antiochus autem rex applicuit castra in Doram secundò, admouens ei semper manus, & machinas faciens. At naui postea fugiente Tryphone Orthosiada, vrbs deditionem fecit. Cum verò fraternę Grypi ac Cyziceni regum discordię Seleucidarum regni vires attererent, Zoilus quidam Dora ac proximam Stratonis Turrim per tyrannidem occupauit. Illo tamen è medio sublato, Alexander Iannæus Iudæorum rex Dora inuasit, ac Iudaicos ritus ciuibus imperans, vrbem penè desertam reddidit. Denique Pompeius A. V. 690. iterùmque anno sequenti in Syriam veniens, Dora è Iudæorum seruitute vindicata, cum vniuersa Phœnicia Romano imperio subdidit, eamque vrbem libertate donatam, suis legibus vti permisit. Quæ eidem Iosepho narrantur lib. 14. cap. 8. *Similiter*, inquit, *& maritimas Gazam, Ioppen., Dora, & Stratonis Turrim* (quę postea ab Herode magnificè restaurata, Cæsarea est appellata) *Pompeius liberas esse iussit: easque omnes prouinciæ contribuit*. Præterea Gabinius Syrię proconsul, cum A. V. 698. prouinciam lustraret, deuastatas a Iudæis vrbes restaurandas iussit, quas inter Dora recenset Iosephus ibidem cap. 10. Hinc postea ciues veteri contra Iudæos odio, imperante Claudio, eiusdem Principis statuam, Iudaicam religionem irrituri, in Synagoga collocarunt; quamuis eandem P. Petronius Syrię Præses inde amouendam iusserit, data ea de re ad Dorienses epistola, quam Iosephus recitat lib. 19. cap. 6. cum titulo: *Publius Petronius Legatus Tiberii Claudii Cæsaris Augusti Germanici Δωριέων τοῖς πρώτοις λέγει: Doriensium primatibus dicit*. Ipse tamen Iosephus proximo capite Δωριτῶν, *Doritarum* semel & iterum scribit; & in Græca editione epistolę IX. S. Martini Papę ad Pantaleonem laudatur Stephanus Episcopus τῆς Δωριτῶν πόλεως, *Doritarum vrbis*. Stephanus etiam notat gentile eiusdem ciuitatis vtroque modo scriptum apud veteres occurrere. In regia Galliarum Gaza hic Doriensum nummus seruatur, cui geminus propè etiam visitur in Cimelijs Serenissimi Principis Ludouici Augusti Cenomanensium Ducis.



In

In antica parte Inſcriptio Latinè vertitur : *Imperator Cæſar Nerua Traianus Auguſtus* , *Germanicus* , *Dacicus* . In altera verò parte legitur : ΔΩΡιέων ΙΕΡᾶς, ΑϹΥΛου, ΑΥΤΟΝόμου, ΝΑΥΑΡχίδος , id eſt, *Dorienſium* vrbis *ſacra* , *Aſyli* , *ſuis legibus vtentis* , *Claſſica* . Ibi viſitur caput Iouis laureatum ; cuius tamen effigiem ſcalptor maluit delicatiorem exprimere , cum in nummo truculentior appareat . Sanctus Hieronymus in epitaphio Paulę , deſcribens eiusdem iter Beryto Hieroſolyma , ait ; *Mirata ruinas Dor vrbis quondam potentiſſimæ* ; *& vice verſa Stratonis turrim ab Herode rege Iudææ in honorem Cæſaris Auguſti* , Cæſaream *nuncupatam* . Ideo verò dicitur vrbs Dororum *potentiſſima* , quòd validas claſſes , vti ceterę Phœnicum ciuitates , antiquitùs inſtruebat . Hinc in alio nummo Traiani in eodemmet regio Cimeliarchio legitur ſupra triremem : ΔΩΡΑ ΙΕΡΑ , *Dora ſacra* ; vnde ob potentiam maritimam in altero nummo Ναυαρχὶς appellatur ; quod ipſum prodit acroſtolium , quod infra mentum Iouis in nummo conſpicitur . In vtroque autem nummo Epocha Dororum ſcalpta eſt . Nam in eo , quem delineatum produxi , legitur < POE ; vbi prior nota διπλῆς figuram præfert , qua veteres vtebantur , vt priora verba à ſequentibus ſcripto diſtinguerent , vt ſuperiùs pag. 308. adnotaui , de cuius etiam notę vſu varijſque figuris agit Iſidorus lib. 1. Originum cap. 21. Si quis tamen putet eam notam eſſe literam Λ deiectam , quę vicem gerat vſitatę aliàs literę ſiuè notę L ad annos ſignificandos , haud equidem contentioſus repugnabo. Ceterùm notę numerales POE , *annum* Epochę Dororum CLXXV. deſignant , ita vt maiores numeri ſecus ac in aliarum Phœnices vrbium nummis , minoribus præponantur . Harduinus in *Curis ſecundis* pag. 600. rectè initium Epochę laudatę colligit ab A. V. Romę *691.* quo Cicero Conſul fuit , tunc enim Dorienſes ob autonomiam à Pompeio regnum Seleucidarum in prouincię formam redigente impetratam , nouam ſuæ ipſorum vrbis Epocham inuexerunt . Ita annus eiuſdem Æræ 175 . cœpit ab autumno anni vrbis Romę 865. ac cum ſequenti cucurrit , qui fuit decimus ſeptimus imperij Traiani , quo Imperator bello contra Parthos ſuſcepto , in Syriam venit . Hinc in nummo nec *Optimus Auguſtus* , nec *Parthicus* nuncupatur ; nondum enim eos titulos tulerat . Harduinus in nummo quoque cum triręme exhibet eundem annum Dororum POE . At Andreas Morellius ſcribit eo in nummo infra triremem haſce literas apparere POP , vt tertia potiùs ſit B parumper obtrita , ac proinde annus 172. indicetur . Rem dubiam in medio relinquo .

D. Hieronymus in lib. de locis Hebraicis ait : *Dor eſt oppidum*

iam

iam desertum in vndecimo milliario Cæsarea pergentibus Ptolemaidem; & antea ibidem scribit, vti prædixi, *Dora in nono milliario Cæsarea Palæstinæ pergentibus Tyrum , nunc deserta &c.* Numeri IX. & XI. ex litera I transposita, à librarijs variati leguntur. Quòd Dora deserta essent, nulli eiusdem vrbis Episcopi in vetustioribus Synodis memorantur. At V. C. Harduinus pag. 143. ait: *In Concilio Constantinopolitano V. pag. 192. inter Episcopos Palæstinæ subscribit* Βαρώχιος ἐπίσκοπος Δώρων : *Barochius Episcopus Dororum*. Erratum tamen est viro erudito. Nam Barochius Dororum Episcopus legitur subscriptus in Synodica epistola Concilij Hierosolymitani celebrati à Ioanne Patriarcha anno Christi 518. nempè annis triginta quinque priusquàm Concilium V. Constantinopoli cogeretur: cui vnus Palæstinorum Ioannes Metropolita Cæsariensis interfuit. Extat tamen longè præclarius Dorensis Ecclesiæ monumentum in Synodo Lateranensi habita à S. Martino Papa ac Martyre anno Christi 649. Nam sub initium Secretarij siuè Actionis II. laudatur Stephanus Episcopus Δώρων Dororum, qui etiam dicitur πρῶτος τῶν ὑπὸ τὸν Ἱεροσολύμων ἀρχιερατικὸν θρόνον τελοῦσης δικαιοδοσίας: *Primas diœceseos Patriarchali Hierosolymorum throno contributa*. Cum enim Sergius Ioppensis Episcopus vacuam ob mortem S. Sophronij Hierosolymorum sedem inuasisset, Stephanus Dorensis Antistes iussus fuit à Theodoro Papa Apostolicas vices in Palæstinæ prouincijs contra Sergij rapinas exercere. Hæc cum scripsissem, vidi in Cimelijs Mediceis hunc alterum Dororum nummum, cuius hic typum appendo.



In antica parte legitur: ΑΥΤΟ. ΤΡΑ. ΑΔΡΙΑΝΩ ΣΕΒ. *Imperatori Traiano Hadriano Augusto*. In altera verò: ΔΩΡ. ΙΕΡ. ΑΣΥΑ. ΑΥΤ. ΝΑΥΑΡ. Π Ρ. *Dorensium*, vrbis, *sacra*, *inuiolata*, *suis legibus vtentis*, *Classica*. *Anno* CLXXX. qui inijt ab autumno A. V. Romæ 870. quo Hadrianus in Syria imperium accepit, vbi pariter hiemem exegit. In annis Epochæ secùs ac in priori nummo, minor numerus maiori præponitur, nempè octogesimus centesimo.

§. VI.

EPOCHA GABENORVM.

Variæ Scriptorum opiniones de vrbe Gabe. Erat in confinijs Phœnices propè Cæsaream. Epocha Gabenorum inita videtur A. V. Romæ 693. Ea vrbs ab Agrippa rege Claudiæ *cognomen accepit. Vsserius eandem cum Sebaste perperàm confundit.*

EXtant in regia Galliarum Gaza Gabenorum numismata, quorum ectypa exhibeo; at eius vrbis situs priùs quærendus est. Nam Sphanhemius pag. 898. Gabam in Palæstina collocat. Stephanus eandem Galileæ adscribit. Plinio lib. 5. cap. 19. inter Tetrarchias cingentes, siuè intercursantes Syriam Decapolitanam, *Gabe* nominatur cum Paneade, Abila, & alijs. Vsserius tom. 2. Ann. pag. 500. Gabinios ac Sebastenos in Samaria eosdem facit, quòd Iulius Africanus in Chronico Georgij Syncelli pag. 308. Sebastem vocat τὴν Γαβινίων πόλιν, *Gabiniorum vrbem*. Cum enim Samaria ab Hyrcano Iudæorum Pontifice ac principe olim destructa, Gabinij Proconsulis Syriæ iussu, restaurata fuerit, vti tradit Iosephus lib. 14. Antiq. cap. 10. noui eiusdem vrbis incolæ *Gabiniani* dicti sunt. Hanc postea vrbem Herodes splendidissimè auctam, & ornatam, *Sebasten* appellauit. Stephanus scribit ex Iosepho lib. 5. Gabam vrbem fuisse in Galilæa, cuius gentile eidem dicitur Γαβηνός, *Gebenus*. Pinedus in notis aduertit eam vrbem à Iosepho ibidem cap. 5. poni in tribu Beniamin, ac à LXX. Interpretibus Gabaam nuncupari. Non aliter in vulgato Bibliæ sacræ codice legitur Iudicum XIX. 14. *Occubuitque Sol iuxtà Gabaa, quæ est in tribu Beniamin.* Errat tamen Pinedus; siquidem Tribus Beniamin loca possedit in ipsa regione Iudeæ, vbi & Ierusalem, à qua prouincia Gaba in Galilæa sita, distabat, cum media inter Iudæam ac Galilæam esset Samaria. Præterea vrbs in tribu Beniamin à LXX. Interpretibus & à Iosepho dicitur Γαβαά, *Gabàa*, ac ciues Γαβαλωοί, *Gabaeni*. Altera verò Γάβα *Gaba*, ciues Γαβηνοὶ *Gabeni* vocantur. Hæc autem posterior vrbs erat in mediterraneis inter confinia Cæsareæ ac Ptolemaidis. Iosephus in libro de vita sua, scribit Eubutium regis Agrippæ iunioris Decadarchum, qui magni Campi in Galilæa præfecturam gerebat, cum intellexisset Iosephum venisse in vicum Simoniada

moniada situm in Galilææ finibus, assumptis trecentis armatis, alijsque qui degebant *ἐν Γάβα πόλει, in vrbe Gaba*, contra Iosephum iter itendisse. Addit verò de semet Iosephus: *Cumque venissem in vrbem Besaram, ἐν μεθορίοις τῆς Πτολεμαΐδος κειμένην, εἴκοσι δ' ἀπέχουσαν σταδία τῆς Γαβᾶς: sitam in confiniis Ptolemaidis, à Gaba viginti distantem stadiis*, vbi Ebutius substiterat. Dein narrat Ebutium oblatam sibi à Iosepho pugnam declinasse, ac *εἰς Γάβαν πόλιν, in Gabam vrbem* rediisse. Idem Historicus lib. 2. de bello cap. 19. de Iudæis à Romanis rebellantibus scribit: *Etiam in Cedasam Tyriorum, & Ptolemaidem; Gabam quoque* (Grecè *Γάβαν*) *Cæsareamque tendebant*. Ex vtraque Iosephi narratione colligimus vrbem Gabam sitam fuisse inter Ptolemaidis ac Cæsareæ territoria, quibuscum Gabenorum ager in mediterraneis iungebatur. Eusebius Cæsariensis in libro de locis Hebraicis, quem auctum, ac Latio à Hieronymo donatum, tertio eiusdem Operum tomo insertum legimus, ait: *Est quoque oppidum quod vocatur Gabe, in sextodecimo milliario Cæsareæ*. Ita Gabe siuè Gaba, cuius gentile *Γαβηνὸς Gabenus*, erat vrbs propè Cæsaream, eademque vna erat tetrarchiarum, quæ ab Occidente Decapolim, Plinio teste, cingebat; quam quidem ab Imperatore Claudio dono acceptam, Agrippa senior *Claudiam* appellauit, quo etiam cognomine proximam Tiberiadem nuncupauit. Eadem postea à Nerone iunioris Agrippæ regno cum Paneade, Tiberiade, alijsque Phœnices ac Galilææ oppidis addita fuerat, vnde Gabeni Eubutio eiusdem regis duci fauebant. Iosephus lib. 15. cap. 13. de Cæsarea scribit: *Sita est hæc vrbs in Phœnicia, quà in Aegyptum prænauigatur, Doram inter & Ioppen*. Hinc Gabam proximam Cæsareæ vrbem in Phœnicia locaui. Equidem postea Cæsarea Palæstinæ adiecta fuit, vti etiam Gaba. In Synodo Hierosolymitana anno Christi 536. à Petro Patriarcha celebrata, nominatur in editione Latina inter Episcopos *Anastasius Gabenorum*, *Γαβηνῶν* Græcè, quamuis *Γαβῶν* ibi legatur, vt vrbis potiùs, quàm gentile nomen exprimatur. Itaque quousquè certiora prodantur, Gabenorum nummos ad Gabem ex Iosepho ac D. Hieronymo propè Cæsaream vrbem, reuocandos censeo. Illorum typos propono.



In priori nummo latinè Inscriptio suppleta legetur : *Imperator Traianus Hadrianus Augustus* ; & in altera parte : ΓΑΒΗΝΩΝ ΚΛΑΥΔΙέων . ΖΟΡ . *Gabenorum Claudiorum* . *Anno* CLXXVII. Alter nummus ex eadem regia Gaza est Antonini Pij , in antica inscriptus : ΑΥΤ. ΚΑΙC. ΑΤΩΝΕΙΝΟC CEB. ΕΥC. *Imperator Cæsar Antoninus Augustus Pius* . Et in postica : ΓΑΒΗΝΩΝ. ΖΙC. *Gabenorum* . *Anno* CCXVII. In hoc verò visitur figura Dei Luni , cui similem dudum exposuit in nummo Valeriani doctissimus Seguinus pag. 94. de Nummis Select. nisi quòd ibi in humeris , hic sinistrorsus in circulo nummi Luna bicornis conspicitur . Harduinus pag. 173. hunc ipsum Antonini Pij nummum recitat , atque Epocham Gabenorum cœptam post concessam à Pompeio quibusdam Syriæ oppidis libertatem , quæ cum eandem obtinuerint A. V. Capitolino 690. colligit *annum hunc Gabenorum esse Antonini Pii decimum septimum* , *Vrbis Romæ 906*. Verùm si alterum numisma Hadriani in indice eiusdem regię Gazę obseruasset , rectiùs Gabenorum Epocham exposuisset ; siquidem in delineato Hadriani nummo annus signatur ΖΟΡ. nempè 177. quæ summa deducta ab A. V. *690*. eiusdem annum 177. iungit cum anno Vrbis 867. Traiano adhuc ad biennium superstite . In nummo Hadriani legitur annus Gabenorum 177. in altero Antonini Pij eiusdem successoris annus 217. quadraginta annorum discrepantia . Annus Romę 913. fuit postremus imperij ac vitę Antonini Pij ; vnde abhinc per annos quadraginta retrocedentes , erimus ad A. V. 874. qui fuit quartus imperij Hadriani vsque ad diem XI. Augusti . Hinc intelligimus Epocham Gabenorum initium habuisse intra annos Vrbis Romę *693*. & *696*. Nam ab A. V. *693*. collige annos insuper 177. peruenies ad A. V. 870. qui fuit primus imperij Hadriani . Rursùs ab A. V. *696*. numerato annos CCXVII. in Antonini Pij nummo scalptos , habebis annum Vrbis *913*. cumque postremum imperij Antonini Pij . Quare ex collatione vtriusque nummi patet Æram Gabeno-

rum

rum intra illud quadriennium cœptam fuisse. Enimuerò quamuis Gaza libertatem à Pompeio A. V. *691.* acceperit, suam tamen Æram post biennium iniuit, cuius rei rationes suo inferiùs loco reddentur; ita licèt Gabeni libertatem A. V. Romę *691.* ab eodem Pompeio impetrauerint, nouam tamen Æram post eum annum inchoarunt. Satis tamen probabile est eosdem initio statim imperij ab Hadriano in Syria initi, laudatum nummum in ipsius honorem cudisse, ac proinde caput eorumdem Epochę dęducendum ab A. V. *693.* à quo & Gazenses suos annos exorsi sunt. Iosephus lib. 13. cap. 23. ait: *Per hac tempora & Syrorum & Idumaeorum, & Phœnicum vrbes tenebant Iudai; ad mare Stratonis turrem &c.* & pluribus oppidis enumeratis, addit: *Possidebant & alias Syria non obscuras vrbes, quas imperio suo nouiter adiecerant.* Has inter erat Gabe siuè Gaba, quę in mediterraneis à Stratonis turri M. P. XVI. tantùm distabat. Idem verò scriptor lib. 14. Antiq. cap. 8. recensens vrbes autonomia à Pompeio donatas, nominat turrim Stratonis, non autem Gabem; hæc tamen de Iudæis ibidem scribit: *Vrbes verò quas sibi subiugauerant in Syria* Cœle, *ademptas illis iussit proprio parere Præsidi; & totam gentem priùs elatam rebus prosperis, contraxit intra veteres terminos.* Ita Gabe à Pompeio è Iudæorum seruitute vindicata, libertatem accepit.

In priori nummo Hadriani Gabeni se *Claudios* inscribunt, quod nouum vrbi cognomen, vti dixi, à rege Agrippa seniori impositum fuit in honorem Claudij Augusti, à quo regnum aui Herodis accepit. Ex hactenùs dictis apparet perperam Gabenorum vrbem eandem cum Samaria putari; siquidem vtriusque vrbis Epochæ in nummis diuersæ leguntur. Nam. annus Samariæ vrbis CCXVI. signatur in nummo Commodi Augusti, quem Dissert. V. cap. 4. §. 1. producam; annus verò Gabenorum 217. concurrit cum annis imperij Antonini Pij. Ex laudato tamen Iulio Africano colligimus Samariam vrbem *Gabiniorum* appellatam, quod cognomen ab Aulo Gabinio Syriæ proconsule desumpsit, cuius iussu restaurata fuit, vti tradit Iosephus lib. 14. cap. 10.

§. VII.

§. VII.

EPOCHA BOTRYS.

Botrys vrbs Phœnicum à rege Ithobalo condita. Eiusdem situs. Perperàm cum Bosor *confunditur. Nomen gentile eius oppidi in nummo expressum, veterum monumentorum testimonijs firmatur. Quidam Episcopi Botrys nominati. Eiusdem ciuitatis Epocha ab A. V.* Romæ *705. probabiliter collecta.*

BOtrys vrbs Phœnices Roma ac Carthagine antiquior, ab Ithobalo I. Tyriorum ac Sidoniorum rege condita fuit ex vetustissimis Phœnicum Annalibus, quos Menander Ephesius in Græcum sermonem transtulit. Huius verba sunt apud Iosephum lib. 8. Antiq. cap. 7. de rege Ithobalo: *Hic Botrym in Phœnice condidit*. Vbi hæc Iosephus de Achab rege Israel scribit: *Vxorem præterea duxit filiam Ithobali Tyriorum ac Sidoniorum regis, cui nomen Iezabela*. Et in 3. Regum cap. XVI. 31. legitur de Achab: *Insuper duxit vxorem Iezabel filiam Ethbaal regis Sidoniorum*. Achab regnum inijt anno 918. ante Æram Christi. Botrys situm indicat Polybius lib. 5. pag. 411. edit. Casauboni, de Antiocho Magno scribens: *Deinde per Theoprosopon Syriam ingressus, Berytum venit, & in transitu Botrym occupauit*. Vox illa *in Syriam*, quæ in Græco textu non legitur, perperàm ab interprete Casaubono inseritur; cum Antiochus ex superiori Syria, in qua regnabat, Botrym ac Berytum copias duxerit. Rectiùs *in Phœniciam* addidisset; siquidem Botrys erat vrbs maritima Phœnicum inter Tripolim ac Berytum. Mela lib. 1. cap. 12. ait à Sidone *ad promontorium Euprosopon duo sunt oppida, Byblos & Botrys*. At legendum est *Theoprosopon*. Polybius loco laudato scribit Θεοῦπρόσωπον, vti etiam Ptolemæus lib. 5. cap. 16. ac sæpiùs Strabo lib. 16. Illud promontorium à recentioribus nautis *Capo Pagro* nuncupari scribit Maginus. Ea verò Græca vox *Dei faciem* Latinè sonat. Pinedo in notis ad Stephanum V. ΒΟΤΡΥΣ, ait se existimare Botrym fuisse *vrbem illam, quæ Iosue cap. XXI. 36. dicitur Betser; septuaginta senibus* Βοσὼρ, inter ciuitates XLVIII. Leuitis assignatas. Est insignis Hebræi præsertim scriptoris hallucinatio. Nam Iosue cap. XX. inter sex ciuitates refugij V. 8. legitur: *Et trans Iordanem contra Orientalem plagam Iericho, statuerunt Bosor,*

quia

quæ sita est in campestri solitudine de tribu Ruben, quod ipsum repetitur cap. 21. eo ipso textu, quem Pinedus laudat. Itaque Bosor vrbs trans Iordanem in tribu Ruben perperam confunditur cum vrbe Botry, quæ erat in litore Phœnicio extra terminos terræ promissæ, cuius fines in Tribu Aser fuere *vsque ad Sidonem magnam*, Iosue cap. XIX. 28. Hinc D. Hieronymus in Topicis, siue de locis Hebraicis, ait: *Sidon vrbs Phœnices insignis olim Chananæorum terminus ad Aquilonem respiciens, & postea regionis Iudææ. Cecidit autem in sortem tribus Aser, sed eam non possedit, quia hostes nequaquàm potuit expellere*. Iacobus de Vitriaco cap. 44. de bello sacro, describens vrbes Phœniciæ à Tyro Aradum versus, Byblo recitata, ait: *Post hanc supra mare sita est ciuitas, quæ dicitur Botrum, vulgariter autem Betiron*. Vuillelmo Tyri Archiepiscopo lib. 13. cap. 3. *Botrium* vocatur. Nullos huiusce Vrbis nummos vidi, quos nec ab Antiquarijs laudatos legi. Vnius tamen ectypum ex Anglia acceptum, ad me transmisit V. C. Ioannes Vaillantius, cuius hic iconem adpono.



In antica parte visitur caput Imperatoris Elagabali cum epigraphe Latinè reddita: *Imperator Cæsar M. Aurelius Antoninus*. Et retrò cum Idolo intra templum: ΒΟΤΡΥΗΝΩΝ, *Botryenorum*, & subtus: ΟC, *Anno* CCLXX. Stephanus V. Βότρυς scribit erroneè à Pausania eius Vrbis gentile dici Βοτρυηνός, cum Βοτρυαῖος scribendum esset, quòd antea etiam docuerat V. Ἀσκύρας, dicens errari in formatione nominis Βοτρυηνός, si à Βοτρυός genitiuo sit. At domestica nummi apud Botrym scalpti auctoritas Stephano præferenda est, cum eadem etiam non vnius aut alterius scriptoris, sed publico Tyrij populi testimonio confirmetur. In Act. V. Synodi Constantinopolitanæ à Menna Patriarcha anno Christi 536. celebratæ, referuntur gesta Synodalia apud Tyrum sub Epiphanio Metropolita, vbi ceteras inter populi acclamationes legitur: Ἠλίαν τὸν Βοτρυηνὸν ἀναθεματίσον:

Heliam

Heliam Botryenum anathematiza; & rursùs: *Per victoriam Augusti* *κάθελε τὸν Βοτρυηνόν*, *depone Botryenum*. Erat hic ex ſecta Acephalorum, quem Seuerus Patriarcha hæreticus Antiochenus apud Botrym in Phœnice Epiſcopum conſecrauerat. Itaque rectè Pauſanias memoratæ vrbis gentile formauit, cum eodem pariter modo tum ciues Botrys, tum ceteri quoque Phœnices illud efferrent. In Synodo Calchedonenſi Actione IV. Photius Tyri Metropolita queſtus eſt, quòd Euſtathius Beryti Epiſcopus ob hanc vrbem ab Imperatore Theodoſio metropolitano titulo inſignitam, ſibi in prima Phœnicia *Byblum*, *Botrym*, *Tripolim*, treſque alias vrbes vſurpaſſet.

Epocha Botrys in laudato nummo ſcalpta, eſt annorum 270. Cum Antoninus Elagabalus, qui ibidem obſignatus legitur, imperium à militibus in Syria acceperit A. V. Romæ 971. Chriſti 218. *τῆς τοῦ Μαΐου ἑπτακαιδεκάτης*, *decimoſeptimo* (XVI. perperàm vertit Interpres) *Kal. Iunias*, abhinc per annos 270, retrò numerantes, erimus ad A. V. Romæ 701. citra quem eadem Epocha retrahi nequit. Rursùs cum idem Elagabalus occiſus fuerit menſe Martio A. V. à parilibus 975. Chriſti 222. initium laudatæ Epochæ nequit protrahi vltra A. V. Romæ 705. quo ſi dicatur Botryenorum Æra cœpiſſe, idem initium habuiſſet cum Epocha Iuliana Antiochenſium, de qua ſuperiùs prolixè diſputatum eſt. Enimuerò ſi nummus ille reapſe præferat annos 270, ijdem probabiliter ab A. V. 705. deducti videntur. Verumtamen valdè ſuſpicor, eas numerales nummi notas fortaſſis aliquantiſper detritas, ac proindè minùs rectè exſcriptas fuiſſe, ita vt tutius ſit, iudicium interim ſuſpendere, quouſque alij Botrys nummi, qui planè rariſſimi occurrunt, maiorem eiuſdem Epochæ notitiam præbeant. Hinc in titulo huiuſce capitis ceteras inter Epochas, hanc Botrys, ac alteram proximè ſequentem Bybli neutiquam inſcripſi, quòd neutrius nummos vidi, ac earumdem vrbium Æræ nulla certa ratione conſtabant.

§. VIII.

§. VIII.

EPOCHA BYBLI.


Byblos à Saturno condita. Quidam eiusdem reges. Byblij in sacris literis Giblij *nuncupati. Byblos ab Alexandro Magno pactionibus capta; dein regibus Aegypti, postea Seleucidis paruit. Pompeius eiusdem vrbis tyrannum neci tradidit. Isidis apud Byblum templum, eademque in nummis Bybliorum obsignata. Adonis Cyneræ Bybliorum regis filius, ibidem cultus. Ab eodem proximum Byblo flumen nomen sortitum. Epocha Bybliorum in medio relinquitur.*

BYblos siuè Byblus vrbs Phœnicum maritima, inter Tripolim ac Berytum, quatuor à Botry milliarijs, in eminenti colle sita erat. Sancheniatho historicorum vetustissimus, cuius libros è Phœnicio sermone in Græcum transtulit Philo Byblius, apud Eusebium lib. 1. de præpar. Euang. cap. 7. scribit Saturnum a Cœlo ac Terra genitum fuisse; dein: *Aedes suas*, inquit, *Saturnus mœnibus cinxit, vrbemque condidit primam, Byblum a Phœnicibus nuncupatam*. Plutarchus in libello de Iside & Osiride, ex vetustis Ægyptiorum commentarijs narrat Isidem *Byblum venisse*, vt ciectum è pelago intra arcam coniugis Osiridis cadauer inueniret, eamque humaniter à Malcandro rege ac Astarte siuè Saosi regina tum apud Byblum regnantibus exceptam, quæsitum mariti cadauer sub alta erica latens, reperisse, quod postea in Ægyptum translatum, ac in partes discissum, in diuersis vrbibus tumulauit. Lucianus de Dea Syria scribens, ait: *Sunt autem ex Bybliis nonnulli, qui dicunt apud sese humatum esse Osirim Aegyptium*; cui inde rei fidem facere conabantur, quòd singulis quibusque annis caput super vndas enatans ex Ægypto, statis anni diebus, Byblum deferebatur. Et hoc, inquit Lucianus, *me præsente tum Bybli factum est, & caput ipsum spectaui è papyro effigiatum*. Hoc Osiris caput in manu Deæ in varijs vrbium Phœniciæ nummis spectatur. Hæc tamen omnia ad vetustatem vrbis Bybli iactandam fictis fabulis prodiderunt. Sanctus Hieronymus in libro de locis Hebraicis, ait: *Byblos ciuitas Phœnices, cuius meminit Ezechiel, pro qua in Hebræo continetur Gobel*. Nam in cap. XXVII. 9. Ezechielis inter nauales

Tyriorum socios nominantur *senes Giblii*, qui à LXX. Interpretibus πρεσβύτεροι τῶν Βυβλίων *senes Bybliorum* nuncupantur. Et in 3. Regum cap. V. 18. iubente Hiram rege Tyri, *Giblii præparauerunt ligna & lapides ad ædificandam domum*, quam Deo Salomon maximam dicauit. Vti verò Byblus Hebræis dicebatur Gobel; ita Syris *Gibelet* etiamnum vocatur; varias verò nominis Byblij etymologias producit Stephanus in libro de Vrbibus. Byblij vti ceteræ Phœnicum vrbes, cum à Tyrijs rebellassent, proprios sibi reges imposuerunt, qui Persarum postea Monarchis tributa persoluebant. Arriano lib. 2. *Enulus Bybliorum rex* memoratur, qui cum Byblum ab Alexandro Magno pactionibus captam intellexisset, cum Bybliorum nauibus à Darij regis classe ad nauales Alexandri copias transfugit. Extincto postea Alexandro, Byblus Ptolemæis Ægypti regibus paruit, quousque Antiochus Magnus anno tertio Olympiadis CXL. qui fuit vrbis Romę 536. bello aduersùs Ptolemæum Philopatorem suscepto, Phœnicem prouinciam Seleucidarum regno adiecit, vti fusius narrat lib. V. Polybius. At Syrię regno sub Antiochis fratribus Grypo ac Cyziceno, horumque filijs ciuilibus discordijs euerso, Tigrane Armeniorum rege superiorem Syriam occupante, quidam tyrannidem apud Byblum inuasit, cuius rei auctor est Strabo lib. 16. scribens: *Byblus fuit Cyneræ regia, in qua sunt sacra Adonidis. Eam tyranno securi percusso, Pompeius liberauit.* Cyneras fuit è vetustis Bybli regibus, qui ex Zmyrna coniuge Adonim puerum formosissimum suscepit; vnde Adonis Ouidio in fine libri 10. Metam. *Cynireius heros* appellatur. Lucianus loco laudato ait: *Ceterùm ascendi & in Libanum ex Byblo, itinere vnius diei, cum audiuissem ibi antiquum templum Veneris esse, quod Cyneras dedicasset.* Hoc fortaßè templum fuit, quod Veneri Aphacitidi *circa montem Libanum & Adonim fluuium* sacratum, ac impuris cæremonijs Idolatrarum pollutum, Constantini Magni iussu deiectum fuisse post Eusebium scribit Sozomenus lib. 2. cap. 4. Byblus in diuisione prouinciarum Syrię sub Christianis Imperatoribus, Phœnicię primę siuè maritimę attributa fuit, eiusque Episcopi Basilides in Concilio Constantinopolitano primo, & Rufinus in Calchedonensi recitantur; & in huius quarta Actione Photius Tyri metropolita inter vrbes suæ diœcesi ab Eustathio Berytensi Episcopo, vt alias dixi, surreptas, *Byblum* recensuit. Cum postea eadem vrbs in Saracenorum potestatem venisset, anno Christi 1106. Ianuenses cum LXX. triremibus ad sacrum bellum profecti, eandem recuperarunt; cumque Ecclesię Botrys ac Archarum sub vno Tripolis Episcopo constitutę fuerint, Byblo proprius Antistes impositus fuit,

ad

ad quem extat Innocentij III. epistola lib. 1. num. 516. & altera apud Vuillelmum Tyrium lib. 14. cap. 13. Lege eundem lib. 11. cap. 9. Denique cum Guido rex Hierosolymitanus anno Domini 1187. ingenti prœlio à Salahadino victus fuisset, Byblus, Berytus, aliæque vrbes in Saracenorum iterùm potestatem venerunt, vti narrat Iacobus de Vitriaco cap. 95. de bello sacro. Vetusta Bybliorum numismata in Cimelijs seruantur, quorum vnum & alterum hic delineatum exhibeo.



Prior nummus visitur in Gaza Medicea cum epigraphe in antica parte: ΑΥΤ. Μ. ΑΥ. ΚΟΜΜΟΔΟC ΑΥΓ. *Imperator M. Aurelius Commodus Augustus*, & retrorsùs: ΒΥΒΛΟΥ ΙΕΡΑC, *Bybli sacra*, cum Iside velum nauis expansum tenente. Hyginus fabula postrema, quæ numero est 276. ait: *Velificia primum inuenit Isis. Nam dum quærit Harpocratem filium suum, rate velificauit*. Plutarchus in laudato opusculo de Iside & Osiride, scribit ex erica, intra quam Isis apud Byblum Osiridis cadauer in arca clausum inuenit, lignum confectum, quòd sua etiam ætate *coli à Bybliis in fano Isidis* testatur. Ita Byblij, quòd Isis suam quondam in vrbem aduenerat, eandem dicato templo, eiusque imagine nummis obsignatis, eximiè coluerunt.

Alterius nummi typum ad me transmisit vir insignis Ioannes Vaillantius, cum anteriori epigraphe: ΑΥΤ. ΚΑΙ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟC. *Imperator Cæsar Antoninus*, cum radiato eiusdem capite. In posteriori autem parte inscribitur: ΒΥΒΛΟΥ ΙΕΡΑC, *Bybli sacra*. Ibi visitur intra templum tetrastylum Genius vrbis Bybli capite velato ac turrito, reliquo corpore veste obducto, monticulos insidens, cum imagine fluuij ex vndis partim emergentis. Cardinalis Baronius tomo quarto magnorum Annalium ad Annum Christi 362. nummi typum producit cum epigraphe: GENIO ANTIOCHENI;

vbi Genij figura eodem prorsus modo formata visitur, vt in allato Bybliorum numismate. Idem verò Baronius imaginem inferiùs media sui tantùm parte apparentem, ad Daphnem refert, quę dubio procul est Orontis Antiochiam alluentis, vt harum rerum periti norunt. Ita in hoc Bybli numismate figura fluminis Adonis per Bybliorum agrum decurrentis, exprimitur. Adonis filius fuerat Cynerę apud Byblum regis, vt ex Plutarcho & Ouidio prænotaui; ac Byblij dicebant Adonim ab apro in Bybliensi agro percussum, interijsse, vti narrat laudato loco Lucianus, vbi etiam annua sacra Adonis in templo *Veneris Bybliæ* describit. Hinc ab eodem Adone fluuium aliquot infra vrbem milliarijs in mare sese exonerantem, Adonim nuncuparunt; qui cum rubro Libani montis puluere ventorum vi, stato anni tempore, in ipsum decidente, infectus, veluti cruentus laberetur, Byblijs lugendi Adonis tempus indicabat, ex eodem Luciano. Ceterùm notę CKΔ, quę in infima parte expositi nummi visuntur, *annum* CCXXIV. designant; cuius quidem Epochę caput & origo mihi planè ignoratur; cum præsertim V. C. Vaillantius scripserit, nescire se, num hic nummus Antoninum Caracallam adhuc iuniorem, vel Antoninum Elagabalum potius exprimat. Equidem si dicatur Bybliorum Epocha initium cepisse ab A. V. Romę 734. quo Augustus in Syriam adueniens, Byblios peculiaribus beneficijs affecit, annus eiusdem Æræ 224. in nummo signatus, concurrit cum A. V. Romę 958. vsque ad autumnum, quo Imperator Antoninus Augustus alterum consulatum gessit vnà cum fratre Geta Cæsare. Hanc tamen Epocham in medio relinquo, quam vti etiam alteram Botrys tanquam appendices adiectas volo.



DISSERTATIO QVINTA.

DE EPOCHIS VRBIVM PALÆSTINÆ.

CAPVT I.

Palæstini antiquitùs Philistiim nuncupati. Palæstina pars Syriæ, à cuius diœcesi auulsa, à peculiari Cæsarum Legato proprætore administrata fuit. Consulares, dein Proconsules eidem præfecti. Erat vna ciuilis prouincia. Arcadius Palæstinam in tres prouincias dissecuit, quarum tertia Salutaris appellata, ex Arabiæ Petrææ parte constabat.



PAlæstina vltima Syriarum dicitur Ammiano Marcellino lib. 14. per interualla magna portenta, cultis abundans terris & nitidis. Clauditur à Septemtrione Phœnice, ob Ortu Cœle Syria, à meridie Arabia Petræa, vti partim etiam ab Ægypto, ab occasu verò mari Syriaco. Hieronymus in quæst. super Genesim ad cap. 10. ait: *Casloim qui deinceps Philistiim appellati sunt, quos nos corruptè Palæstinos dicimus.* Hinc vbi Geneseos XXI. dicitur Abraham habitasse iuxtà LXX. Interpretes ἐν τῇ γῇ τῶν Φυλιστιείμ *in terra Phylistiiorum*, vulgata cum Hieronymo habet, *in terra Palæstinorum*. Hæc ore Amos cap. IX. 7. inquit Deus: *Nunquid non Israel ascendere feci de terra Aegypti, & Palæstinos de* Cap-

Cappadocia, vbi in Hebræo textu legitur: *& Philistæos ex Caphthor.* Quod ipsum scribit Moyses in cap. 2. Deuteronomij V. 23. Cappadocia Hebræis *Caphthor* dicebatur, vnde Philistæi siuè Palæstini ortum traxere, qui Heuæos, vt ibidem legitur, ab Haserim vsque Gazam habitantes, expulerunt. In lib. 1. Reg. cap. VI. 18. memorantur vrbes Azotus, Gaza, Ascalon, Geth, & Accaron, *secundùm numerum vrbium Philisthiim quinque prouinciarum*. Quæ Palæstinorum ditio etiam Iosue 13. describitur. Ex quo Hebræi promissas sibi diuinitùs terras occuparunt, in eos angustiores limites Palæstinorum ditio redacta fuerat. Herodotus lib. 7. scribit: *Hi Phænices, vt ipsi memorant, quondam mare Rubrum accolebant; illinc transgressi, maritima Syriæ habitant. Is autem tractus Syriæ & quicquid Aegypto tenùs est, Palæstina vocatur.* Verùm de Palæstinorum origine secùs ex sacris literis sentiendum. Et lib. 1. Ascalonem *Palæstinæ vrbem vocat*. Dio verò lib. 37. ait: *Hæc eo tempore in Palæstina gesta sunt; ita enim antiquitùs vniuersa ea gens vocabatur, quæ se à Phœnicia ad Aegyptum vsque iuxtà mare mediterraneum extendit. Habent autem aliud ascititium nomen; regio enim ipsa Iudæa: gens Iudæi appellantur.* At Iudæa vna erat regionum Palæstinæ; neque enim Gaza, Ascalo, aut Azotus aliæque ijs proximæ vrbes Palæstinorum ad Iudæam pertinebant, vti neque Samaria, quæ ipsa sub Cæsaribus erat intra Palæstinam. Cum Iudæi Nerone imperante, à Romanis defecissent, Imperator Fl. Vespasianum legatum proprætorem belli gerendi, ac iuris etiam dicendi causa, vniuersæ Palæstinæ præfecit. Nam antea partim fuerat sub regno Herodiadum, eoque deficiente, sub Procuratoribus; partim sub imperio Præsidum Syriæ, quibus ipsi quoque Procuratores parebant. Tacitus lib. 15. ait: *Syriæque executio Cintio, copiæ militares Corbuloni permissæ*. Ita iurisdictio ad priorem legatum: imperium militare ad posteriorem in eadem Syria spectabant. At Vespasianum vtriusque potestatis exercendę causa, Palæstinæ impositum fuisse colligo ex eodem Tacito, qui lib. 2. Hist. de Vespasiano ac Muciano scribit: *Ceterùm hic Syriæ, ille Iudææ præpositus, vicinis prouinciarum administrationibus, inuidia discordes, exitu demùm Neronis positis odiis, in medium consuluere*. Et inferiùs: *Haud dubia destinatione discessere, Mucianus Antiochiam, Vespasianus Cæsaream. Illa Syriæ, hæc Iudææ caput est.* Vbi Iudæam accipit pro Palæstina, siquidem Cæsarea à Iosepho lib. 19. cap. 13. dicitur *vrbs sita in Phœnice*, quæ euersis Hierosolymis, tertius Palæstinæ metropolis euasit. Cum verò Vespasianus à Romanis legionibus in Oriente Imperator creatus, in Italiam redijsset, ac postea Titus Hierosolyma expugnasset, Cæ-

sennius

sennius Pætus Legatus Proprætor in Syriam venit, in Palæstinam verò Lucilius Bassus itidem Legatus missus fuit, vt Iudaicum bellum profligaret, ex Iosepho lib. 7. de bello Iud. cap. 21. & 25. Lucilius Bassus a Vitellio classi præfectus, eandem Vespasiani ducibus prodiderat, vti narrat Tacitus in fine lib. 2. Historiarum. At Basso in prouincia demortuo, Fuluius Silua in Palæstinam successor venit, qui Massada oppido munitissimo capto, Iudaico bello finem imposuit. Itaque cum Cæsennius Pætus Syriam administraret, Bassus ac dein Silua Palæstinam rexere. Hanc verò suos deinceps peculiares Legatos habuisse, videntur probare vetusta monumenta dudùm Valesio in notis Eusebianis obseruata. Nam Eusebius lib. 3. cap. 32. narrat S. Simeonem secundum Hierosolymorum Episcopum imperante Traiano, *coram Attico Consulari*, accusatum, crucis supplicio extinctum fuisse. Cum ætate Eusebij Consulares vocarentur, qui Palæstinam regebant, vt mox ex Hieronymo ostendo, eo vocabulo Atticum designauit, qui tamen Legatus Augusti iure prætorio Palæstinam moderabatur. Auctor est Dio in excerptis a Valesio editis, Lusium Quietum ob præclara facinora bello altero Dacico, ac postea Parthico edita, consulatum à Traiano obtinuisse, quem etiam Iudæis passim rebellantibus, Legatum Palæstinę præfecit; quod pariter narrat Eusebius lib. 4. cap. 2. qui in Chronico scribit Iudæos rursùs sub Hadriano arma contra Romanos cepisse, ac Palæstinam depopulatos, *tenente prouinciam Tinio Rufo, cui ad opprimendos rebelles, Hadrianus misit exercitum*. Is Tinius Rufus Legatus Proprætor Thraciam etiam administrauit, vt ex nummo Hadriani in regijs Cimelijs intelligimus, in cuius postica legitur apud Harduinum pag. 93. BIZYHNΩN. ΕΠΙ.ΤΙΝ. ΡΟΥΦΟΥ. *Bizyensium. Sub Tinio Rufo*, videlicèt Legato Augusti in Thracia, in qua erat Bizya. Hæc tamen producta à Valesio testimonia indicant bello tantum ingruente, peculiarem Palæstinę Legatum proprætorem impositum. Nam Traiano imperante, bellum aduersùs Petræos Arabas Cornelius Palma Syrię præses summo cum imperio administrauit. Hinc nondum Palæstina à speciali Legato Augusti proprætore regebatur; alias eidem vtpotè proximam Arabię prouinciam tenenti, bellum Arabicum commissum fuisset. At Petræis & Bostrenis in potestatem Romanorum ab eodem Palma redactis, tum primum Palæstinę & Arabię Legatus proprætor impositus fuisse videtur. Nam vna Palæstina angustior regio, ac tot bellis Iudaicis deuastata, neutiquam tantę dignitatis ac potestatis præsidem exigebat. Spartianus cap. 14. de vita Hadriani ait: *Antiochenses inter hæc ita odio habuit, vt Syriam à Phœnice separare voluerit*. Solam Phœ-

Phœnicem nominat, quia iam antea Palæstina à iurisdictione Syriæ Præsidis auulsa fuerat, nempè post Arabiam Petræam in prouinciæ formam redactam. Vetus inscriptio Gruteri pag. 495. prodit quemdam, cuius ibi nomen detritum est, ΠΡΕΣ. ΑΝΤΙΣΤΡΑΤΗΓΟΝ ΣΥΡΙΑΣ ΠΑΛΑΙΣΤΙΝΗΣ, *Legatum Proprætorem Syriæ Palæstinæ*. Hinc patet media ætate Romanorum Cæsarum, Palæstinam à peculiari proprætore administratam. Dio lib. 55. enumerans Romanorum legiones sub Septimio Seuero, laudat Legionem II. Scythicam in Syria, Tertiam Gallicam in Phœnice, *Sextam Ferratam in Iudæa*, Tertiam Cyrenaicam in Arabia. Ita id temporis quatuor illæ prouinciæ à suis quæque Legatis Augusti regebantur. Suetonius in Vespasiano capite 8. ait: *Cappadociæ propter assiduos Barbarorum incursus legiones addidit, Consularemque rectorem imposuit pro Equite Romano*. Soli enim Legati proprætores prouincias cum legionum præsidio tenebant.

Eusebius in lib. de Martyribus Palæstinis scribit imperante Diocletiano, Vrbanum Palæstinæ præsidem Christianos sæuissimè persecutum fuisse, illumque cap. 7. vocat ὅλου τε τοῦ Παλαιστινῶν ἔθνους ἐπάρχοντα: *totius Palæstinorum gentis Præsidem*, cui Firmilianus successit, vti scribit cap. 8. Hieronymus in vita S. Hilarionis narrat nobilem Francum ab Imperatore Constantio publica euectione impetrata, *& acceptis ad Consularem quoque Palæstinæ literis*, ad Hilarionem Gazam propè aduenisse. Quare id temporis rector Palæstinæ dicebatur Consularis. Extat in Cod. Theod. Iuliani *L.* 55. *de decurionibus* missa *Leontio Consulari Palæstinæ*, anno Christi 363. Verùm paullò post Proconsul Palæstinæ præpositus fuit. In eiusdem Codicis libro 11. recitatur Lex 28. *quorum appellat.* à Theodosio Magno lata anno Christi 383. cum titulo: *Eucherio Proconsuli Palæstinæ*. Et anno proximo 384. data est *L.* 42. *de Appellat. ad Agroetium Proconsulem Palæstinæ*; ac anno 385. in lib. 10. lex 4. *de fisci debit.* inscribitur *Florentio Proconsuli Palæstinæ*. Zosimus lib. 4. narrans gesta anni 388. scribit ab eodem Theodosio Hilarium Παλαιστίνης ἁπάσης *totius Palæstinæ* rectorem designatum. Sanctus Hieronymus describens in epitaphio Paulæ iter eiusdem in Palæstinam, quod in magnis Annalibus recitatur anno Christi 385. ait: *Cum proconsul Palæstinæ, qui familiam eius optimè nouerat, præmissis apparitoribus, iussisset parari prætorium, elegit humilem cellam*. Iustinianus in Nouella 103. ait Palæstinam à Proconsule administratam fuisse, *cum vna prius tota Palæstina esset*, quod ex laudato Zosimo patet; quamuis etiam vna ac tota fuerit etiam sub Consularibus imperantibus Constantio, ac Iuliano. Verùm cum Arcadius post Theodosium

dosium patrem, imperium Orientis solus teneret, Orientales prouincias in plures diuisit. Ita Syriam, Ciliciam, ac Phœnicem in primas ac secundas distinxit; Palæstinam verò in tres prouincias discreuit; nempè in primam Consularem, in secundam præsidalem, ac tertiam itidem præsidalem, quæ *Salutaris* etiam dicta est. Extat in lib. 7. laudati Cod. *L.* 30. *de erogat. milit. annonæ*, qua pro speciebus annonarijs iubentur tradi ipsa precia militibus limitaneis *per primam, secundam, & tertiam Palæstinam*. Est sanctio Theodosij iunioris emissa anno Christi 409. ac primo imperij eiusdem, qui cum nondum octauum ætatis annum exegisset, non ipse, sed eiusdem pater Arcadius diuisæ in tres prouincias Palæstinæ auctor censendus est. Sed hoc ipsum insigni S. Hieronymi testimonio comprobatur, qui in quæst. super Genesim ad cap. 21. scribit Isaac natum *in Geraris, vbi & Bersabee vsque hodie oppidum est, quæ prouincia ante non grande tempus ex diuisione præsidum Palæstinæ, Salutaris est dicta*. Hunc verò librum scriptum ante annum Christi 411. patet ex præfatione, in qua tacito nomine Rufinum contra se grunnientem perstringit, quem anno Christi 411. diem obijsse ostendi lib. 1. Hist. Pelagianæ cap. 3. Et sanè illa verba Hieronymi *ante non grande tempus*, aliquot iam elapsos annos designant. In Notitia imperij qui liber imperante eodem Theodosio iuniore, scriptus fuit, tres Palæstinæ recensentur. Tunc autem limites Palæstinę latiùs ad Ortum prolati sunt, magna Arabię Petræę parte eidem adiecta. Nam eiusdem metropolis Petra cum vniuersa circumquaque regione Palæstinę tertię attributa fuit, cuius itidem metropolis constituta fuit eadem Petra. Hieronymus in lib. de locis Hebraicis, ait: *Ailat in extremis finibus Palæstinæ iuncta meridianæ solitudini & mari Rubro: vnde ex Aegypto Indiam, & inde ad Aegyptum nauigatur. Sedet autem ibi legio Romana cognomento Decima, & olim quidem Ailat à veteribus dicebatur, nunc verò appellatur Aila*. In Notitia imperij Orientis sub Duce Palæstinę legitur *Præfectus legionis Fretensis Ailæ*. In cap. 6. indicis. Gruteriani plures inscriptiones notantur, in quibus LEG. X. FRETENSIS memoratur. In Act. IV. Synodi Calchedonensis legitur *Beryllus Episcopus Ailæ tertiæ Palæstinæ*. Erat autem Aila vltra Petram, vti scribit ibidem Hieronymus V. *Amalecites*. Itaque vsque ad mare Rubrum Palæstina tertia protendebatur; imò ex laudata Notitia imperij colligimus eam tertiam Palæstinę prouinciam extra veteres Palæstinę terminos fuisse, ac ferè totam ex Arabiæ Petræę parte compositam. Hinc Theodosius Imperator in *L.* 29. *de Iudæis* anno Christi 429 memorat Iudæorum primates, *qui in vtriusque Palæstinæ Synedriis nominantur*;

minantur; nempè in prima ac ſecunda Palæſtina, in quarum vtraque vti auita regione, Iudæi Synedria ſiue curias ſuas habebant. quæ tamen Synedria nulla illis erant in Palæſtina tertia ſiuè Salutari, quòd hæc ex parte Arabię, in qua nullę Iudæis curię antea erant, veteri Palæſtinę adiecta fuerat. In tabula geographica Patriarchatus Hieroſolymitani apud Carolum à S. Paulo, Palæſtina prima dicitur SALVTARIS; ſed hoc nomine tertia Palæſtina deſignabatur. In Synodo Epheſina Actione I. ſubſcriptus legitur Saidas Epiſcopus *Phanus τῆς Σαλυταρίας Παλαιςίνης, Salutaris Palæſtinæ.* Phænon autem dicitur Hieronymo in libro de locis Hebraicis oppidum inter Zoaram & Petram, quæ a Ptolemæo lib. 5. cap. 17. in Arabia Petræa vrbes collocantur. Et in Notitia imperij ſub diſpoſitione Comitis Orientis recenſentur prouincię *Palæſtina*; *Palæſtina ſecunda*; & poſtremo loco *Palæſtina Salutaris*. Hinc Pancirolus in notis ad eandem Notit. ac Carolus à S. Paulo errant, dum Æliam Capitolinam ſiuè Hieruſalem vocant metropolim Palæſtinę Salutaris, cum Petra vrbs vetuſta Arabię fuerit eius prouincię metropolis. Præterea intra Palæſtinam ſecundam continebatur Decapolis Syrię, in qua erant Scythopolis, Pella, Gadara, Capitolias, alięque vrbes, quę à Ptolemæo in Syria caua extra Palæſtinam recitantur. Denique Dora, quæ à Plinio ac Ptolemæo intra limites Phoenices ponuntur, ad primam Palæſtinam tranſlata ſunt. Ipſe quidem hoc in opere Palæſtinam eos intra terminos deſcribam, quos antiquitùs habuit, cum eiuſdem vrbes nummos, quos exponam, ſcalpsere. Quare omittam Epocham vrbis Petrę, quam Auctor Chronici Alexandrini initam tradit anno primo Olympiadis CCXXI. Vrbis Romę 858. quod ſequiori æuo ea vrbs ab Arabia auulſa, tertiæ Palæſtinę metropolis euaſit. Cornelius Palma Syrię præſes eo anno Vrbis 858. victis Arabibus, Petram ac Boſtram Romano imperio adiecit, vti ſcribit Dio in Traiano. Hinc vtraque vrbs nouam Æram induxit, quod hic tantum indicaſſe ſufficiat.

CA-

CAPVT II.

Gaza vrbs vetustissima Philistinorum. Eiusdem situs. Ab Alexandro Magno expugnata, nouos colonos accipit. Menses Macedonicos iuxta formam anni Aegyptiorum seruabat. Diagramma Anni Gazensium. De initio eiusdem Scaligeri ac Samuelis Petiti errores refelluntur. Iosephi textus exponitur.

GAza Syriç Palæstinç vrbs fuerat antiquitùs vna ex quinque Philistinorum satrapijs, ac memoratur ab historicorum vetustissimo ac veracissimo Moyse in cap. X. Geneseos V. 19. Et Iosue cap. XIII. 3. legitur: *Terra Chanaam quæ in quinque regulos Philistiim diuiditur, Gazaos, & Azotios, Ascalonitas, Gethaos, & Accaronitas.* Et Zacharias cap. 9. vaticinatur: *Et peribit rex de Gaza.* Vti enim in proximis vrbibus Phœniciç, ita & in oppidis maioribus Palæstinæ reguli angustis terminis imperabant. Situm Gazæ describit Arrianus lib. 2. *Distat*, inquiens, *Gaza à mari stadiis summum viginti; accessu quidem propter arenæ altitudinem difficillimo. Ad hac mare vrbi propinquum limosum est; vrbs ipsa ampla & spatiosa, & in colle sita, validoque muro cincta est.* Cum Persæ in Syriam irrupissent, cunctis eius prouinciç vrbibus deditionem potentissimis hostibus statim facientibus, inquit Polybius in excerptis apud Valesium pag. 87. *soli Gazæi resistere ausi, obsidionem pertulere.* Alexander postea bello Persico, bimestri obsidione, in qua & vulnus accepit, Gaza expugnata, ciues internecione deleuit, aliosque ex finitimis oppidis colonos vacuam in vrbem deduxit, vt ibidem narrat Arrianus. Extincto verò Alexandro, Antigono regi paruit, donec eodem ingenti prœlio in Phrygia victo, & interempto, anno quarto Olympiadis CXIX. vrbis Romç 453. Gaza cum Palæstina, Phœnice, ac Cœle Syria in Ptolemæi Soteris, qui primus post Alexandrum in Ægypto regnauit, potestatem venit; siquidem inter regiones eidem subditas, recensentur Theocrito in Idyllio XVII. Ægyptus, Phœnicia, Arabia, Syria &c. Antiochus Magnus Syriæ rex Seleucidarum regnum aucturus, Cœlesyriam ac Phœniciam inuasit. Ptolemæus Philopator auitam ditionem defensurus, cum validis copijs contra hostem mouens, inter Gazam, & Raphiam Antiochum acie victum, Phœnicia ac Cœlesyria recuperatis,

 ratis,

ratis, intra veteres Seleucidarum regni fines compulit, vti describit Polybius lib. 5. Anno postea tertio decimo mortuo Ptolemæo Philopatore, ac Ptolemæo Epiphane adhuc pupillo succedente, idem Antiochus, vti loquitur Iustinus initio libri 31. *Phœnicem ceterasque Syriæ quidem, sed iuris Aegypti ciuitates cum inuasisset, legatos ad eum Senatus misit, qui denuntiarent ei, abstineret à regno pupilli*. Gazenses in regis Ægypti fide manentes, ab Antiocho obsessi, & expugnati, ingentem cladem acceperunt, ex Polybio in excerptis Valesianis pag. 77. & 86. Quamuis autem postea Antiochus bellum contra Romanos meditans, pacem cum Ptolemæo rege fecerit, data eidem in vxorem filia Cleopatra, ac Cœlesyria, Phœnicia, Samaria, simulque Iudæa nomine dotis, eidem regi Ægypti promissis, ex Iosepho lib. 12. cap. 3. ac nuptias apud Raphiam quæ M. P. XXII. supra Gazam Ægypto erat contermina, regia pompa celebrasset, Epiphanis tamen adolescentia contempta, neutiquàm memoratas prouincias reapse eidem tradidit; siquidem bello aduersùs Asiam minorem & Romanos vrbium Asiæ libertatem defendentes, suscepto, fuere in classe Antiochi Tyriorum ac Sidoniorum naues, quorum maritimam potentiam ac in naualibus prœlijs virtutem altiùs apud Romanum Consulem regis Antiochi legatus exaggerabat, ex laudato aliàs Liuio, qui lib. 37. scribit ab eodem Antiocho Hannibalem in Syriam missum *ad Phœnicum accersendas naues*. Polybius legat. 72. de Antiocho Epiphane scribit: *Erat autem illo tempore Antiochus in Cœle Syria & Phœnice rerum dominus. Nam postea quàm Antiochus pater illius, de quo nunc loquimur, regis, ad Panium duces Ptolemai deuicit, ex illo tempore omnia commemorata loca Syriæ regibus paruerunt*. Hinc in lib. 2. Maccabæorum cap. III. 5. Apollonius iussu Seleuci Antiochi Magni filij, *dux Cœlesyriæ & Phœnicis* constitutus memoratur, vti etiam cap. IV. 4. vbi versu 18. Antiochus Epiphanes Seleuci demortui frater, dicitur quinquennalem agonem apud Tyrum celebrasse, & V. 23. inquit sacer textus: *inde venit Ioppen, & inde Hierosolymam*. Erat Ioppe inter Gazam & Cæsaream Palæstinę. Præterea idem Antiochus Epiphanes Legatis Græcorum, qui ipsum pacis inter eundem & Ptolemæum Philometorem restaurandę causa conuenerant, cum plura respondisset, non destitit etiam, inquit Polybius legat. 82. *postremò negare verum esse de pactis, quæ legati Alexandrini facta dicebant inter Ptolemæum*, nempè Epiphanem, *nuper mortuum & Antiochum patrem, quibus pactis nomine dotis concedebatur Ptolemao Cœle Syria, quando in vxorem duceret Cleopatram eius, qui iam regnat, matrem*. Itaque pactam nomine dotis ab Antiocho magno Phœnicis

nicis ac Cœles Syriæ cessionem, eiusdem filius Epiphanes pernegabat, vt palam constet eandem nunquam effectam.

Ex his colligimus Gazam, quæ ad annum vsque vrbis Romæ 556. regibus Ægypti paruerat, profligatis apud Panium siuè fontes Iordanis Ptolemæi Epiphanis ducibus, ab Antiocho Magno regno Seleucidarum adiectam fuisse, ac deinceps cum ceteris Phœnicię vrbibus Æram Seleucidarum adhibuisse. Arrianus lib. 2. de Gaza scribit: *prima occurrit ex Aegypto in Phœnicem* euntibus; & Marco Diacono dicitur *ciuitas Palæstina in confinio Aegypti*. Quare quòd erat Ægypto finitima, ac diutiùs Ptolemæis Ægypti regibus subdita fuerat, typum anni Ægyptiorum etiam sub Romanis seruauit; quamuis nominibus mensium Syromacedonum vteretur. Thebani in Ægypto iam inde à vetustissima ætate annum Solarem seruantes, eundem ex 365. diebus componebant, ita vt omnes menses tricenarios haberent, qui dant dies 360. in exitu verò anni communis quinque dies addebant; & quamuis in potestatem Macedonum venissent, nec annum Macedonicum, nec itidem nomina mensium eiusdem receperunt, quemadmodùm victoribus adulantes Chaldæi, Syri, Phœnices, ac Asiatici fecerant. Anni Gazensium vrbis typum prodidit Marcus Diaconus Gazensis Ecclesiæ in vita S. Porphyrij eiusdem vrbis Episcopi, apud Surium tom. 1. ad diem 25. Februarij vbi ait: *Cum autem pergeret Deus non pluere primo mense, qui ab eis vocatur Dius; deinde etiam secundo, qui dicitur Apellæus*. Et inferius de Gazensibus scribens: *Est autem*, inquit, *apud eos Audynæus, apud Romanos Ianuarius; præcedunt autem quinque diebus eorum menses Romanos. Vndecimo autem die peregimus festum Theophaniorum Domini N. Iesu Christi*. Ita solemnitas Epiphanię quæ apud Romanos die 6. Ianuarij agebatur, ab Ægyptijs vndecimo Tybi, & à Gazensibus vndecimo die Audynæi celebrabatur. Denique idem Marcus ait: *Nauigauimus Gazam vicesimo tertio Xanthici, qui apud Romanos est decimus octauus dies Aprilis*. In Annalibus Baronianis ad Annum 401. ad hæc Marci verba, in margine notatur: *Aprilis* XXIII. quasi Xanthicus Gazensium vnà cum Aprili Romanorum initium sumpsisset; cum tamen Xanthicus die 27. Martij Romani inchoaretur, vt mox expono. Euthalius Diaconus in vita S. Pauli, quæ legitur præfixâ scholijs Oecumenij in Acta Apost. ait Doctorem gentium martyrium subijsse *quinto die iuxtà Syromacedones Panemi mensis, qui apud Aegyptios dici potest Epiphi: apud Romanos verò tertio Kalendarum Iulii, nempè vicesimo nono mensis Iunii*. Syromacedones Gazenses aliosque in Palæstina intellexit, quorum menses cum Ægyptiorum mensibus inchoabantur, vt ex hoc diagrammate apparet. DIA-

DIAGRAMMA ANNI GAZENSIVM.

Menſes Gazenſium &	*Aegyptiorum* :	Dierum.	Ineunt iuxtà Romanos	
I. Dius.	3. *Athyr.*	30.	Octobris	XXVIII.
II. Apellæus.	4. *Choiac.*	30.	Nouembris	XXVII
III. Audynæus.	5. *Tybi.*	30.	Decembris	XXVII.
IV. Peritius.	6. *Mechir.*	30.	Ianuarij	XXVI.
V. Dyſtrus.	7. *Phamenoth.*	30.	Februarij	XXV.
VI. Xanthicus.	8. *Pharmuthus.*	30.	Martij	XXVII.
VII. Artemiſius.	9. *Pachon.*	30.	Aprilis	XXVI.
VIII. Dæſius.	10. *Paynus.*	30.	Maij	XXVI.
IX. Panemus.	11. *Epiphi.*	30.	Iunij	XXV.
X. Lous.	12. *Meſori.*	30.	Iulij	XXV.
XI. Gorpiæus.	*Epagomenæ*	30.	Auguſti	XXIV.
XII. Hyperberetæus.		30	Septembris	XXIII.

Dies quinque Epagomenarum

In anno Gazenſium inibant die 23. Octobris : exibant die 27. At in anno Ægyptiorum incipiebant die 24. Auguſti, deſinebant die 28. vnde nouus in Ægypto annus eiuſque priores duo menſes erant

1. *Thoth*	30.	Auguſti die 29.
2. *Paophi*	30.	Septembris die 28.

Hic typus anni apud Gazenſes colligitur ex laudatis teſtimonijs Marci Diaconi Gazenſis. Nam dies XI. Audynæi concurrit cum ſexto die Ianuarij ; & dies XXIII. Xanthici cum die XVIII. Aprilis, ac quintus Panemi cum 29. Iunij, vti alter Diaconus Euthalius vtrumque diem componit. Idem Marcus ſcribit S. Porphyrium obijſſe *die ſecundo menſis Dyſtri*; illius verò annua memoria in menologio Græcorum, nec non Romano Martyrologio die 26. Februarij celebratur ; & in poſito diagrammate dies ſecundus Dyſtri correſpondet diei 26. Februarij . Hinc apparet menſes Gazenſium fuiſſe omnes tricenarios, atque illos in exitu anni communis quinque dies adieciſſe, vt annum ſolarem ex 365. diebus componerent; cui tamen anno ſequente Biſſextili, ſextam diem Epagomenarum more Ægyptiorum, addebant. Quòd Gazenſes diutiùs ſub regno Ptolemæorum fuerant, quò cum proximis Ægyptijs conuenirent, decem priores anni menses vnà cum menſibus Ægyptiorum inchoa-

choabant. Verùm cum more Syromacedonum, quorum mensibus vtebantur, annum ab autumno deducerent, cum Ægyptij annum suum à die 29. Augusti auspicarentur, ac proinde diuersis mensibus dies Epagomenarum superadderent, Gazenses Gorpiæum, & Hyperberetæum non exordiebantur vnà cum mensibus Thoth & Paophi Ægyptiorum. Dies prima Epagomenarum Gazæ erat 26. Paophi Ægyptiorum ac 23. Octobris Romanorum; quinta ac postrema Epagomenarum erat dies 30. Paophi ac 27. Octobris in anno simplici, seu communi. At sequente anno Bissextili sexta quæ intercalabatur dies, erat 28. Octobris, ac proinde annus cum mense Dio Gazæ die 29. inchoabatur, quousque ob additum apud Romanos diem intercalarem 29. Februarij, menses à Xanthico, vt in anno simplici, iisdem diebus mensium Romanorum inibant.

Iosephus Scaliger libro 1. canonum Isagog. pag. 144. tradit annos Gazensium fuisse Actiacos, ac initium habuisse à Gorpiæo quem inibant die prima Thoth Ægyptiorum, ac 29. Augusti Romanorum. Hinc dies Epagomenarum Gazę additos ponit suo exitum mensis Loi. At Samuel Petitus lib. 4. cap. 23. annum Gazensium auspicatur ab Hyperberetæo, ac die 28. Septembris Romanorum; Epagomenas orditur à die 23. Septembris: additque: *Optimè conuenit cum Marci Gazensis calculo*, quem etiam Scriptorem Scaliger laudat. Ita quidem non semel contingit viros eruditos saltuatim & calamo ad alia properante, libros legere. Etenim Marcus Diaconus disertè scribit: *Cum autem pergeret Deus non pluere PRIMO mense, qui ab eis vocatur Dius; deinde etiam SECVNDO, qui dicitur Apellæus &c.* Igitur in anno Gazensium primus mensis erat Dius, non Gorpiæus, vti Scaliger; nec Hyperberetæus, vt Petitus imaginantur. Peius verò erratum est Scaligero, qui ab æstiua tempestate annum Gazensium inchoat, cum ab adulto iam autumno ille initium traheret. Petitus inuestigans ibidem annum, quem primum Gazenses ex Lunari in Solarem demutarunt, prænotat Gazam quanquam esset religionis Græcanicæ, & Iudaicam auersaretur, ab Augusto tamen Herodis regno additam fuisse, teste Iosepho lib. 15. cap. 11. ac rege eodem defuncto, concessam fuisse huius filio Archelao; *qua de re*, inquit, *insignis est locus Iosephi* lib. 17. cap. 13. vbi cum dixisset ab Augusto traditas fuisse Archelao Tetrarchæ Cæsaream, Sebastem, Ioppem, & Hierosolyma, addit: Γάζα γὰρ, καὶ Γάδαρα, καὶ Ἵππος Ἑλληνίδες εἰσὶ πόλεις ἀπορρήξας αὐτὰς τῆς ἀκρας ἕως Συρίας προσθήκην ποιεῖται. Quorum verborum sensum reddit: *Has vrbes Gazam, Gadara, & Hippon, quamquam essent Græcæ religionis, permissas fuisse ab Augusto imperio Archelai*, ex quibus

bus infert Petitus, Archelao in exilium postea iussu Augusti anno decimo Æræ Christi, vrbis Romę 763. Viennam Allobrogum deportato, Gazenses Syrię prouincię adiectos, annum solarem recepisse; siquidem eo anno Cyclo Lunæ XI. Solis XIX. lit. F. Hyperberetæus cœpit die 28. Septembris, à qua deinceps die Gazenses annos Solares auspicati sunt. Hæc Petitus, quæ partim falsa sunt, partim incerta. Etenim falsum est, Augustum Gazam, Gadara, & Hippon post mortem Herodis, Archelao eiusdem filio concessisse, Iosepho disertè oppositum testante. Nam libro 2. belli cap. θ′. Græcæ editionis, Latinæ verò cap. 4. ait: τὰς γὰρ Ἑλληνίδας Γάζαν, καὶ Γάδαρα, καὶ Ἰόππην ἀποτεμνόμενος τῆς βασιλείας προσέθηκε Συρίᾳ: *Vrbes verò Græcanicas Gazam, Gadara, & Ioppem à regno separans, Syriæ contribuit*. Nec diuersa scribit eo lib. 17. Antiquitatum, quem Petitus laudabat; ibi enim in codice Mediceo num. 77. in Pluteo LXIX. post vocem πόλεις, ait: ἀπορρήξας αὐτὰς (non αὐτοὺς vti ex vulgato ait Petitus) τῆς ἄκρας ἴσως Συρίας προσθήκην ποιεῖται: nempè, *ipsas auulsas ab extremo*, videlicèt limite regni nuper demortui Herodis, *Syriæ adiecit*. Hinc ex falso principio Petitus initium anni Solaris Gazensium colligit ab anno V. 763. quo eorum vrbs Syrię prouincię attributa fuerit, cum id post mortem statim Herodis contigerit. Porrò incompertum est, num Gazenses cum ab Antiocho Magno ab Ægyptiorum imperio auulsi, Seleucidarum regno additi fuerunt, vnà cum nominibus mensium Macedonicorum, annum etiam Lunarem periodicum admiserint, vel potiùs Solarem annum Ægyptiorum retinuerint. Hoc alterum probabilius faciunt Epagomenę in exitu anni apud Gazenses seruatę, quę anno Lunari nullatenùs conueniunt, sed tantùm Solari ex mensibus tricenarijs. Romani, Græci, Asiatici, Syri, Phœnices, alijque cum annos Lunares in Solares mutarunt, ex mensibus dierum 30. & 31. vario licèt ordine dispositis, annum dierum 365. instituerunt; nec Epagomenas admiserunt, quæ nullum antea locum in annis ipsorum periodicis habuissent. Quare Epagomenę in anno Solari Gazensium satis indicant diu antea formam anni Ægyptiaci apud Gazam seruatam. Si quis verò velit affirmare eosdem cum ceteris Palæstinis ac Phœnicibus annos Lunares adhibuisse, ac in ijsdem in Solares commutandis, maluisse proximorum Ægyptiorum annum imitari, nullo certo testimonio redargui poterit. Verumtamen concedant necesse est, Gazenses in anno Solari disponendo, duo præsertim obseruasse, videlicèt vt annum cum ceteris Syris per autumnum auspicarentur, & vt menses eiusdem vnà cum mensibus Ægyptiorum, quibuscum commercia ob finitimos agros exercebant,

bant, pari dierum numero decurrerent, quod in prioribus decem mensibus Gazensium & Ægyptiorum ex descripto diagrammate patet.

CAPVT III.

Variæ Scriptorum opiniones de initio Epochæ Gazensium. Ea cœpit A. V. Romæ DCXCIII. Insigne Marci Diaconi Gazensis testimonium expenditur. Idem initium probatur ex nummo Plautillæ Augustæ. Ex eodem aliisque nummis Fulvia *familia Plautiani demonstratur. Quo anno Plautilla nupta Antonino Caracallæ. Initium ac finis Episcopatus S. Porphyrij apud Gazam ostenditur. Cur Gazenses biennio post obtentam à Pompeio autonomiam, Epocham inierint? Nummi eadem obsignati producuntur. De Marna apud Gazam culto, eiusque templo iussu Arcadij Imperatoris deiecto. Notæ diuersæ numerales vnà simul in Gazensium nummis signatæ, variè exponuntur. Numerus XC. hisce notis ϟ vel ϙ in nummis Gazæ aliarumque in Syria vrbium promiscuè expressus. Alij Gazensium nummi eadem Aera notati. Io Gazæ culta. Ex nummo Caracallæ initium laudatæ Epochæ iterùm confirmatur. Nummus Faustinæ iunioris ac Lucillæ explicatur.*

MArcus Diaconus narrat S. Porphyrium Gazensis Ecclesiæ Episcopum, cuius ille vitam describit, obiisse *die secundo mensis Dystri, anno, vt est Gazensium computatio, quadringentesimo octogesimo; Episcopatus ab eo gesti vicesimo quarto, mense vndecimo.* Si nota Consulatus aut labentis tunc Indictionis, annum obitus S. Porphyrij designasset, initium Epochę Gazensium, quam appellat, palam indicasset, quæ tamen nullis characteribus chronologicis aliàs notis expressa, non ab vno eodemque anno à Scriptoribus deducitur. Nam Scaliger lib. 2. can. Isagogic. pag. 120. illam inchoat ab anno Periodi Iulianæ 4651. qui fuit vrbis Romæ *691.* Hinc in fine totius Operis comparat annum Christi 1604. cum anno Gazensium 1*666*. In eadem sententia est V. C. Harduinus, qui pag. 177. Epocham Gazæ auspicatur A. V. Romæ Capitolino 690.

quo, inquit, *Cicero Consul fuit*. Spanhemius Dissert. IX. pagina 869. eandem Æram exorditur ab A. V. Romæ 692. L. Iunio Silano & L. Licinio Murena Coss. At Vsserius illius initium in annum proximum protrahit, id est Vrbis 693. Denique Bollandus in notis ad vitam S. Porphyrij sub die 26. Februarij, putat annos Gazensium initium cepisse A. V. 696. Certa tamen mihi sententia stat Epocham vrbis Gazæ inchoatam fuisse anno Periodi Iulianę 4653. Vrbis Romę 693. Olympiadis CLXXIX. anno quarto, ante Æram Christianam 61. Cyclo Solis V. Lunæ XVII. M. Pupio Pisone & M. Valerio Messalla Consulibus. Auctor vetustus Chronici Alexandrini ad annum IV. Olympiadis 179. ait: *Hinc Gazenses sua tempora numerant*. Antequàm hanc veram chronologiam nummorum testimonijs confirmo, eandem ex Marco Gazensi Diacono illustro. Etenim scribit S. Porphyrium obijsse *die secunda Dystri anno Gazensium* 480. *Episcopatus ab eo gesti vicesimo quarto*, *mense vndecimo*. Quare Porphyrij consecratio contigit anno Gazensium 455. vere circiter ineunte. Idem verò Marcus narrat mortuo Andrea Episcopo Gazę, ob exorta de noui Episcopi designatione dissidia, communi consilio quinque ex Clero ac totidem è laicis electos, qui ad Metropolitam Palæstinę profecti, *peterent ab eo Episcopum &c. Pontificatus autem munus tunc obibat Ioannes*, *qui ipse quoque erat vir probus*. Tum narrat Ioannem Cæsareæ Archiepiscopum re intellecta, Porphyrium Hierosolymis, vbi degebat, ad se euocasse, cui idemmet Marcus sese comitem addidit. *Illa autem*, inquit, *die profecti sumus Cæsaream &c. Cum autem id audiuisset beatus Ioannes Archiepiscopus*, *cursu ad nos accessit*; statimque Porphyrij ordinationem recitat. Nondum Antistes Hierosolymitanus ius Patriarchicum vsurpauerat, sed & ipse erat subditus Metropolitę Cæsariensi, vti etiam disertè testatur S. Hieronymus in epistola ad Pammachium contra errores Ioannis Hierosolymitani. Hæc autem Porphyrij ordinatio contigit post annum Christi 394. siquidem in Synodo celebrata Constantinopoli in controuersia de Episcopatu Bostreno in Arabia, hæc initio leguntur: *In consulatu religiosissimorum & Dei amantissimorum Imperatorum N. N. Flauii Arcadii Augusti III. Honorii II. tertio Kal. Octobris &c. sedentibus sanctissimis Episcopis*, *Nectario Constantinopolis*, *Theophilo Alexandrino*, *Flauiano Antiochcno*, *Palladio Cæsareæ Cappadociæ*, *Gelasio Cæsareæ Palæstinæ*, *Gregorio Nissæ*, *&c.* Consulatus tertius ac secundus Augustorum fratrum est index anni Christi 394. vrbis Romę 1147. quo die 29. Septembris Gelasius Archiepiscopus Cæsareę in Palæstina memoratę C-P. Synodo interfuit. Hinc patet exeunte Septembri anno Christi 394.

non-

nondum Ioannem fuisse Metropolitam Cæsareę in Palæstina, eiusdem decessore Gelasio adhuc superstite, quem etiam viuentem laudat S. Hieronymus in catalogo Eccles. Scriptorum. Ex his manifestè colligimus Epocham Gazensium initium habuisse post A. V. Romę 692. Nam à die 28. Octobris huiusce anni numerando annos 455. quorum postremo sub initium veris Porphyrium à Ioanne Metropolita Cæsariensi ordinatum ostendi, erimus ad annum Vrbis 1147. Christi 394. quo Gelasius exeunte Septembri, adhuc erat Cæsareę in Palæstina Episcopus, ac præsens aderat Constantinopoli in Synodo.

In maximo Christianissimi Regis Cimeliarchio visitur insignis Plautillę Augustę nummus apud Gazam scalptus, cuius typum ad me Andreas Morellius vir magni apud eruditę rei nummariæ cultores nominis, transmisit. Illius iam antea iconem exhibuerat Tristanus tom. 2. pag. 248. vbi tamen annos Epochę nec rectè expressit, nec planè intellexit.



Anterior epigraphe Latinè vertitur: *Fuluiam Plautillam Augustam*. Posteriùs autem legitur: ΓΑΖΑ. ΔΖC. *Gaza*. *Anno* CCLXIV. In primis ex hoc nummo, vti scitè prænotauit laudato loco Tristanus, discimus nomen familiæ, in qua Plautilla nata est; erat enim Fuluia, cum feminæ passim sine prænomine, nomen familię ferrent, addito cognomine vt plurimùm apud Romanos diminutiuo. Extant alij nummi in eadem regia Gaza *Fuluiam* Plautillę familiam prodentes. Hos inter vnus cum epigraphe: ΦΟΥΛ. ΠΛΑΥΤΙΛΛΑ CΕΒ: *Fuluia Plautilla Augusta*; & retrò cum Diana Ephesia cum ceruis &c. ΑΚΡΑCΙΩΤΩΝ, *Acrasiotarum*. Hanc vrbem Spanhemius pag. 899. nusquàm apud Scriptores inuentam tradit. Tristanus tom. 2. pag. 94. ac Patinus pag. 262. eandem suspicantur esse Acram in Isthmo veteris Sarmatię. Harduinus pag. 338. Acrasum

Lyciæ vrbem obtrudit, quæ pag. 25. errore Typographi *Lybiæ* deputata fuerat. Verùm vrbs Lyciæ non Acrasus, sed *Acarassus* dicebatur. Stephanus ex Capitone scribit: Ἀκαρασσὸς πόλις Λυκίας: *Acarassus vrbs Lyciæ*. In subscriptionibus Act. VI. Synodi Calchedonensis legitur: *Stephanus Episcopus Limyrensium definiens subscripsi per Nicolaum Episcopum* Ἀκαρασσίων πόλεως, *Acarassensium ciuitatis*. Erat Limyra vrbs Lyciç, ac proinde eiusdem Episcopus per collegam in Lycia Episcopum subscripsit. Deinde post septem eiusdem Lyciæ Episcopos subscriptus nominatur Nicolaus Episcopus πόλεως Ἀκαρασσοῦ, *vrbis Acarassi*. At Acrasus erat in Lydia. In Notitia Ecclesiarum pag. 45. apud Carolum à S. Paulo sub titulo: ἐπαρχία Λυδίας, *Prouincia Lydiæ*, recitatur Episcopus Ἀκρασοῦ, *Acrasi*. In Concilio VII. Oecumenico inter Antistites Lydiç nominatur Constantinus Ἀκρασοῦ, *Acrasi*. In Notitia vrbium Imperij apud eundem pag. 29. recensetur sub Consulari Lydiç Ὀκρασός, *Ocrasus*, vbi prior litera in A mutanda est, vt sit *Acrasus*, qua in vrbe Lydiæ laudatus nummus scalptus est. Alium nummum Fuluiç Plautillç ex Gaza Medicea Gabalis in Syria percussum produxi Dissert. 3. cap. 8. §. 3. alterum seruant locupletissima quorumcumque veterum monumentorum, si statuas excipias, Cimelia quç Veronç in patria nostra visuntur in ædibus Illustrissimi Comitis Francisci Moscardi. Ecce nummi typum.



Est numisma maioris moduli, cuius epigraphe in antica parte Latinè redditur: *Fuluia Plautilla Augusta*. Posterior autem: *Sub primo Pontifice M. Aurelio Antonino. Byzantiorum*. Hanc autem Inscriptionem etiam in nummo Antonini Caracallæ recitat Harduinus pag. 105. Ita ex hoc quoque nummo discimus familiam Plautillæ eiusque patris Plautiani, quem Panuinio præeunte, ceteri in Fastis vocant *Septimium Plautianum*, qui *Fuluius* dicendus est. Et sanè Spartianus cap. 6. de vita Seueri ait: *Plautianum ad occupandos*

dos Nigri liberos misit; & in vita Pescennij cap. 5. scribit: *Fuluium autem ad occupandos Nigri liberos* à Seuero missum. Ex quo vtroque collato testimonio Casaubonus rectè Fuluiam gentem, è qua natus Plautianus, omnium primus intellexit, quam postea tot etiam nummi nobis prodiderunt. Præterea idem Spartianus initio vitæ Seueri vocat eiusdem matrem *Fuluiam Piam*, & auum maternum *Fuluium Pium*. Quare Fuluia gens erat Lepte in Africa, ex qua vrbe tum Imperator Seuerus, tum etiam Plautianus Plautillę pater oriundi erant. Herodianus lib. 3. scribit: *Plautianus erat Seueri municeps, Afer natione, & vt quidam putant, consanguineus*; quippè qui erat è gente Fuluia, è qua in eadem vrbe Seueri Augusti mater Fuluia Pia ortum duxerat. Ex his suppleri potest insignis Inscriptio Gruteri pag. CCLXX. 6. eidem Plautiano dicata, in qua eiusdem postea occisi nomen iussu Seueri detritum fuit. Baronio ad Annum Christi 205. nominantur Consules *Plautianus Sillanus* & *Geta Cæsar*. Sed nec Sillani alterum Plautiani cognomen vspiam legitur, nec Plautiani collega fuit Geta Cæsar Seueri Augusti filius, sed P. Septimius Geta eiusdem Seueri frater, quod scitè Panuinius monuerat.

Hinc stylum verto ad alteram partem delineari nummi Plautillæ, in qua visitur Marnas cum Diana, de quorum apud Gazam cultu proximè dicam. Epocha ibidem signatur ΔΞC, *anno ducentesimo sexagesimo quarto*, qui exijt die 27. Octobris, quæ postrema dies erat Hyperberetæi apud Gazenses, A. V. Romæ 957. imperij Seueri XII. & Caracallę, cuius Plautilla vxor, itidem imperij Augustei VII. Seuerus tertium ac Marcus Antoninus filius primum, ex Spartiano cap. 16. de vita Seueri, *in Syria consulatum inierunt*, A. V. Romę 955. Christi 202. Inde Seuerus per Palæstinam in Ægyptum profectus, Memphim vsque se contulit, vetusta gentis monumenta ac templa ingenti curiositate perlustrans. Cum verò Romam redijsset, anno sequenti V. C. 956. Christi 203. vota Decennalia celebrauit, decimo imperij anno mense Maio, exacto, cum annum vndecimum principatus iniisset. Extant nummi eiusdem inscripti: VOT. SVSC. DEC. P. M. TR. P. XI. COS. III. P. P. Dio narrat eundem vota Decennalia soluisse, addito congiario ac donatiuo, qua largitione *tot aureos, quot annos imperauerat, dedit*. Et statim addit: *Eodem anno celebratæ sunt nuptiæ Antonini filii Seueri, & Plautillæ Plautiani filiæ*. Herodianus etiam lib. 3. de Seuero scribit: *Ipse interea rebus ad Orientem gestis, Romam reuertebatur*, & postea narrans gesta Seueri in Vrbe ait: *Tum Bassiano filio* qui tunc M. Antoninus dicebatur, *ac maior natu erat*, uxo-

vxorem dedit filiam Plautiani Praefecti cohortibus Vrbanis. Itaque teste Dione scriptore amico ipsius Seueri Augusti, Plautilla A. V. *956.* nuptias cum M. Antonino celebrauit, ac titulum Augustę tulit. Iam verò si Epocha Gazensium inisset ab A. V. *691.* quæ est Scaligeri & Harduini sententia, annus eiusdem 264. in Plautillæ nummo obsignatus, exisset die 27. Octobris A. V. 955. Christi 202. cum nondum Plautilla esset vxor Antonini. Notandum est Dionem annos per Consules digessisse, ac proinde illos inchoare à Kalendis Ianuarijs; quamuis Xiphilinus in Epitome Consules omisit, qui in prioribus integris libris Dionis semper recitantur. Quare cum Dio scribat Seuerum Romę vota Decennalia celebrasse, & *eodem anno* Plautillam vxorem filio Antonino dedisse, vtrumque contigit anno Christi 203. V. C. *956.* Fuluio Plautiano Plautillę patre iterum & P. Septimio Geta Coss. Hinc ex laudato nummo probatur Epocha Gazensium cœpta post A. V. *691*. Præterea alter insignis error Harduini intelligitur. Nam cum in nummo eiusdem Plautillę Augustę apud Tristanum pag. 248. & Equitem Patinum pag. 213. legatur: ΓΑΖΑ ΑΞΕ, reposuit ΓΑΖΑ ΑΞC, *Gaza Anno* CCLXI. *qui annus*, inquit, *incidit in Vrbis Annum DCCCCL. Seueri sextum, cum iam Caracalla Plautilla nupsisset*. At Plautilla teste laudato Dione scriptore synchrono, eodemque Senatore Romano ac Seueri Augusti familiari, *eodem anno* Caracallę nupsit, quo idem Seuerus exacto anno decimo imperij, Decennalia celebrauit. Pręterea anno quo Seuerus sextum imperij iniuit, Caracalla die VIII. Aprilis inchoauerat annum ætatis vndecimum; cum enim occisus fuerit anno Vrbis Capitolino *969.* à parilibus inchoando, die Natali, anno ætatis XXIX. eodem die exacto, anno Vrbis Capitolino *950.* die 8. Aprilis annum XI. ætatis iniuit, adhuc impubes adolescens, ac vxori ducendæ ineptus. Non sum nescius apud Spartianum cap. *9.* legi Caracallam *vixisse annis* XLIII. Sed librariorum errorem idem Spartianus emendat cap. 16. in vita Seueri, vbi cum dixisset Antoninum Caracallam post captã Ctesiphontem *annum decimum tertium agentem*, à militibus participem imperij acclamatum, ait eundem in reditu ad hiberna Syrię virili toga sumpta, consulem cum patre designatum; *& statim*, inquit, *in Syria consulatum inierunt*, nempè, vt superiùs notabam, A. V. 955. Christi 202. Quare anno superiori V. C. 954. Christi 201. die octauo Aprilis Caracalla annum ætatis decimum tertium expleuerat. Adde annos exactos XVI. eris die octauo Aprilis ad annum V. C. à parilibus *970.* siuè Capitolinum *969.* Christi 217. ætatis verò Antonini Caracallę XXIX. ea ipsa die exactum. Itaque Spartianus

Dioni

Dioni similiter loquitur. Ex his patet Caracallam A. V. Capitolino 950. seu Varroniano 951. die 8. Aprilis annum ætatis XI. inchoasse, ac proinde non potuisse eo anno defectu ætatis, vxorem ducere Plautillam. Porrò nullus dubito, quin regius Plautillæ nummus, in quo laudati scriptores legebant AZE, vel AΞC, sit idemmet nummus, quem produxi; cum nummi id temporis ab eruditissimo Patino possessi, & edito præclaro volumine expositi, in regiam postea Gazam translati, eandem locupleti auctario nobilitauerint. Quare literæ numerales nummi sunt ΔZC, nempè anno 264. quemadmodum, qui nummum ad me transmisit, doctissimus Morellius obseruauit. Si verò caput Æræ Gazensium, vti putat Spanhemius, figatur in A. V. 692. annus 264. exisset die 27. Octobris A. V. 956. Plautilla eodem anno Caracallę iuncta. Hanc tamen opinionem redarguunt ea, quę superiùs de anno ordinationis S. Porphyrij Episcopi ex Diacono Gazensi produxi. Hinc fit, vt cum Auctore Chronici Alexandrini Epocha Gazensium deducenda sit ab ante diem V. Kal. Nouembris A. V. Romę 693. inde enim annus eiusdem 264. cœpit die 28. Octobris A. V. 956. quo anno teste Dione, Caracalla Plautillam vxorem duxit. Ex eodem etiam nummo refellitur Bollandus, qui initium laudatę Epochę refert ad A. V. 696. Nam annus in nummo signatus 264. cœpisset memorata die Octobris A. V. 959. Plautiano ante illum annum occiso, ac filia Augusta Plautilla in exilium deportata. Et sanè cum illa vix biennio cum marito vixerit, priùsquam ab eodem ex aula pulsa, relegaretur, initium Epochę Gazensium nequit protrudi post A. V. 694. Ex hactenùs disputatis intelligimus initium & exitum Episcopatus S. Porphyrij. Gelasio Archiepiscopo Cæsareę in Palæstina exeunte anno Christi 394. vel sub initium anni insequentis, vita defuncto, Ioannes eidem subrogatus fuit, qui anno Christi 395. V. C. 1148. à parilibus, Epochę verò Gazensium 455. mense circiter Martio, S. Porphyrium Gazæ Episcopum consecrauit, qui cum obierit *secundo mensis Dystri, anno, vt est Gazensium computatio, quadringentesimo octogesimo; Episcopatus ab eo gesti XXIV. mense vndecimo*, vti scribit Diaconus Gazensis, contigit eiusdem sancti Episcopi obitus die 26. Februarij, anno Christi 420. V. C. 1173. à parilibus, Impp. Theodosio IX. & Constantio III. Consulibus.

Viri eruditi superiùs mihi laudati, putant Epocham Gazensium eo anno initam, quo Pompeius Iudæis cum regia vrbe Hierosolymorum subactis, Palæstinam ordinauit. Etenim hæc Iosephus scribit lib. 14. cap. 8. *Maritimas verò Gazam Ioppen, Dora,*

Stra-

Stratonis turrim &c. has omnes Pompeius liberas esse iussas prouinciæ contribuit; nempè Syriç, vt ait lib. 1. de bello cap. 6. Itaque Gazenses ab anno acceptç libertatis siuè autonomiç, nouam Epocham suæ vrbis induxerunt. Cum verò, inquit Harduinus, Pompeius eo anno quo Cicero Consul fuit, nempè V. C. Varroniano 691. qui huic Scriptori est Capitolinus 690. autonomiam Gazensibus concesserit, victis eodem anno Iudæis, à quibus Gaza iugo seruitutis premebatur, ab eodem quoque anno Epocha laudata colligenda eidem dicitur. Hæc illi, quibus vt faciam satis, res mihi altiùs repetenda est. Gaza, quòd erat Iudæis finitima, eosdem semper infestos habuit; numquam tamen eorum vim passa est, donec Syriç regno intestinis Regum discordijs debilitato, Simon Iudæorum princeps ac pontifex Seleucidarum iugo excusso, vicinos populos armis aggressus, Gazam quoque obsidens, eandem ad deditionem compulit, ea condicione, vt omnes ciues vrbe excederent. Hæc in lib. 1. Maccab. cap. XIII. 47. leguntur: *Et flexus Simon*, videlicèt Gazensium precibus, *non debellauit eos: eiecit tamen eos è ciuitate*; *& emundauit ædes, in quibus fuerant simulacra, & collocauit in ea viros qui legem facerent &c.* Hanc verò victoriam tanti fecerunt Iudæi, vt illam in sacros fastos relatam, annua solemnitate recolerent; siquidem in ipsorum Kalendario die 23. mensis Iiar, qui partim Aprili ac partim Maio correspondet, legitur: *Solemnitas. Simon capta Gaza, mundat arcem.* Verùm Simone anno Seleucidarum CLXXVII. vrbis Romæ 619. à parilibus, Ptolemæi generi insidijs sublato, Antiochus Sidetes Syriæ rex cum validis copijs Iudæam ingressus, Hierosolyma obsedit, diuque oppugnatam vrbem, ad deditionem compulit, iussis ciuibus mœnia deijcere, ac vectigalia vrbium extra Iudæam regio fisco cedere, vti narrat Iosephus lib. 13. capite decimo sexto. Iudæorum viribus attritis, Gazenses suam in patriam rediere, vetera semper odia contra eosdem Iudæos exercentes. At Alexander Iannæus memorati Simonis nepos, cum Antiochum Cyzicenum non vna clade affecisset, ac regium titulum vsurpasset, indignatus Gazensibus, quod Ptolemæi Lathuri filij Cleopatræ quæ in Ægypto regnabat, exercitum acciuissent, vrbemque eidem tradidissent, Gazam annua obsidione oppugnatam, Lysimachi cuiusdam proditione cepit, ac ciuibus omnibus interfectis, *& diruta insuper vrbe, reuersus est Hierosolyma,* vti scribit Iosephus ibidem cap. 21. Ceterùm anno postea tricesimo quarto, qui fuit V. C. 691. Cicerone Consule, Pompeius expugnatis Hierosolymis, ac Iudæorum gente intra veteres terminos coercita, Gazam, Raphiam, aliaque Palæstinç oppida Iudæis abstulit,

ſtulit, eaque libertate donata, ſiuè ſuis legibus viuere permiſſa, Syriç abs ſe in prouinciam P. R. redactç, contribuit. Verùm Gaza ob clades à Iudæis acceptas, raro habitatore incolebatur; at ob autonomiam vrbi conceſſam., qui inde erant oriundi, auitos penates repetere cœperunt. Itaque cum Gaza poſt biennium nouis incolis eò confluentibus, ædibus reſtauratis, templiſque reſtitutis, ac curia ordinata, ſpeciem vrbis reſumpſiſſet, ciues tum primùm eo anno vrbis Romç 693. nouam à reparata patria, Epocham inſtituerunt. Ioſephus lib. 14. cap. 10. de Aulo Gabinio A. V. 698. Syriç proconſule ſcribit: *Quot inueniebat vrbes dirutas, ædificari iubebat; atque hoc pacto inſtaurata ſunt Samaria, Azotus, &c. Gaza & aliæ non paucæ; idque mandante Gabinio, quarum habitatio poſtbàc tuta permanſit; cum antè longo tempore deſertæ fuiſſent*. Ita Gazenſes Epocham deductam voluere non ab anno acceptç à Pompeio autonomiç, quòd tunc vrbs erat deſerta; ſed cum magna ædium parte reſtaurata, curiam primùm ordinauerant; quamuis acceptarum cladium imagines, ac non tantùm veſtigia Gabinio poſt ſexennium proconſule Syriç, adhuc in vrbe paſſim apparerent. Hçc probabilis cauſa redditur dilatç ad A. V. 693. Gazenſium Epochç, quç in alijs etiam nummis Cimeliarchij Regis Chriſtianiſſimi ſubnotatur. Eccum illos.







Nummus medius maximi moduli eſt Hadriani cum epigraphe in antica: ΤΡΑΙΑΝ. ΑΔΡΙΑΝΟC... *Traianus Hadrianus*; alterius partis inſcriptio Latinè redditur ſuppleta, quç initio deficit, priori litera Γ, *Gaza Marna*. Huic geminum nummum poſſidet Bononiç amicus noſter officioſiſſimus Ioſeph Magnauacca, in quo legitur cum iiſdem figuris ΓΑΖΑ .. ΑΡΝΑ. Et hic vna litera deficien-

te, quę tamen ambę ex vtroque nummo restituuntur. In hoc nummo vti in superiùs delineato Plautillę, in templo distylo visuntur simulacra Dianę cum arcu ac breuiori veste, & Marnę siuè vt alij putant, Apollinis. Marcus Diaconus in libro de vita S. Porphyrij Episcopi Gazę, ait: *Erant autem in ciuitate simulacrorum publica templa octo: nempè Solis, & Veneris, & Apollinis, & Proserpinæ, & Hecates, & quod dicebatur Hieron, seu sacerdotum, & Fortunæ ciuitatis, quod vocabant Tycheon, & MARNION, quod dicebatur Critæ* (hæc mox corrigam) *generis Iouis, quod existimabant esse gloriosius omnibus templis, quæ sunt vbique*. Ita etiam Arcadio imperante, Apollo in templo à Gazensibus colebatur, cuius etiam antiquior memoria extat apud Iosephum lib. 13. cap. 21. vbi narrat capta Gaza ab Alexandro Iannęo rege Iudæorum, quingentos Senatores, *qui in Apollinis ædem confugerant*, iussu eiusdem trucidatos fuisse. De Diana ibidem culta, quædam notabo in explicatione alterius nummi Faustinæ & Lucillę imaginibus signati. Marnę Gazensium non semel meminit S. Hieronymus, vt post magnum Baronium, obseruauit cum ceteris Illustrissimus Spanhemius pag. 870. quę nuper etiam exscripsit Harduinus pag. 178. & quidem tanta religione, vt cum apud Spanhemium errore Typographi notetur in margine alterum testimonium de Marna legi apud Hieronymum *in vita Hilarii*, eadem omninò verba Harduinus reposuerit; cum *in vita Hilarionis*, quam S. Doctor in literas misit, scribere debuisset. Hęc ibi ait Hieronymus: *Sed & Italicus eiusdem oppidi municeps Christianus aduersùm Gazensem Duumuirum MARNAE idolo deditum &c.* Sanctus Epiphanius in Anchorato scribit: *Marnas seruus Asterii Cretensis apud Gazæos colitur*. Diodorus verò Siculus lib. 4. narrat Asterio in Creta regnante, Iouem raptam ex Phœnicię litore Europam, in Cretam detulisse. At Gazenses nomine *Marnæ* ipsummet Iouem se adorare profitebantur. Hæc Marcus Diaconus Gazensis scribit: *Congregati autem Idolatræ in MARNEO, multa sacrificia & preces faciebant ea de causa; dicebant enim Marnam esse dominum imbrium. MARNAM verò dicunt esse Iouem*. Stephanus vbi de Gaza vrbe, scribit: *Vnde & Cretensis Iouis templum apud ipsos est, qui à nobis vocatur* Marnas, *quod interpretatur à Creta natus*. Ridiculam Stephani interpretationem dudùm exploserunt Seldenus Syntag. 2. de Dijs Syris cap. 1. & Bochartus lib. 1. Geogr. sacrę Chanaan cap. 15. & lib. 2. cap. 12. Nam *Marnasb*, siuè *Marnasba* apud Syros idem sonat ac apud Latinos *Dominus hominum*. Philo in libro contra Flaccum narrat adolescentes Alexandrinos Agrippam regem Iudæorum, qui illuc appulerat, irrisuros, quemdam hominem

nem

nem mente captum, papyraceo diademate coronatum, ac storeo ornatu amictum, & arundineum sceptrum stringentem, Μάριν *Marim* magnis clamoribus subinde editis, nuncupasse, *quod nomen*, inquit, *Syris significat* Dominum; *norant enim Agrippam Syrum genere*. Vocem *Mar* Syriacè *Dominum* significantem, Græco modo inflectens, *Marim* reddidit. Diuus Augustinus quæst. 16. in lib. Iudicum scribit: *Baal Punici videntur dicere* Dominum; *vnde* Baalsamen *quasi* Dominum cœli *intelliguntur dicere*; Samen *quippè apud eos* cœli *appellantur*. Ea vox Baal à Phœnicibus à quibus Carthaginenses ortum duxerunt, desumpta; illi enim summum Deorum *Baal*, hoc est, *Dominum* nuncupabant, vt patet ex 3. Regum cap. XVI. 31. Syri verò eundem *Mar* appellabant, ita vt *Mar-nash* Dominum hominum indicaret. Ceterùm ex laudato Stephano intelligitur error interpretis libri de vita S. Porphyrij. Quòd enim apud Gazenses erat templum *Iouis Cretensis*, qui in nummo Titi apud Tristanum tom. 2. pag. 250. dicitur ΖΕΥΣ ΚΡΙΤΑΓΕΝΗΣ, *Iuppiter in Creta natus*, idem interpres scribit fuisse apud ipsam Gazam templum *Marnion*, *quod dicebatur Critæ generis Iouis*. Quam erroneam Græci codicis, qui interijt, interpretationem emendans Tristanus, ait ibidem scriptum fuisse ΚΡΙΤΑΓΕΝΗΣ ΔΙΟΣ. *Critagenis Iouis*. At hæc quoque correctio à Grammaticis castigabitur. Nam cum ΔΙΟΣ, *Iouis* sit vox genitiui casus, ΚΡΙΤΑΓΕΝΕΟΣ vel contractè ΚΡΙΤΑΓΕΝΟΥΣ, scribendum erat, qui est genitiuus à recto Κριταγενής. Itaque reponendum est: *Marnion*, *quod dicebatur Iouis in Creta nati*. Cicero in lib. 3. de Nat. Deorum narrat tres fuisse Ioues; *primum ac secundum in Arcadia natos*; & insuper *tertium Cretensem Saturni filium*, *cuius in illa insula sepulchrum ostenditur*. Hinc Vergilius Æneid. III.

Creta Iouis magni medio iacet insula ponto.

Gazenses Iouem in Creta natum colebant, quem Syria voce Græcè tamen inflexa per antonomasiam *Marnam*, id est, *Dominum hominum* nuncupabant, eiusque nomine nummos obsignabant. Auctor est Marcus S. Porphyrium Constantinopolim profectum, legem ab Arcadio impetrasse de claudendis apud Gazam Deorum templis, quod Hilario à Principe misso, factum est, Hieronymo ad Lætam scribente: *Marnas Gazæ luget inclusus*. Narrat deinde Prophyrium post triennium iterùm ad Arcadium reuersum, legem de Marnæ templo euertendo, obtinuisse, cuius incendium ibidem describit, Basilica de nomine Augustę vxoris Arcadij *Eudoxiana* in area destructi templi Marnę ab eodem S. Episcopo extructa. Hinc item Hieronymus in comm. ad cap. 17. Isaię postea scribebat: *Serapion*

Alexandriæ, *& Marnæ templum Gazæ*, *in Ecclesias Domini surrexerunt*. Quæ summus Historicus in magnos Ecclesię Annales retulit.

In inferiori parte nummi, quem hactenùs exposui, legitur: ΕΠΙ ΔϟΡ, quas Græcas literas Harduinus in *Addendis* pag. 572. ex indice priori regij Cimeliarchij ita exhibet: ΕΠΙ ΑΓΡ, id est, inquit, *sub Agrippa*. At nullus ibi Agrippa exprimitur. Sunt notæ numerales Epochę Gazensium. Nam media litera non est Γ, sed ϟ nota numeri XC. Enimuerò superiùs pag. 366. ostendi antiquitùs regnantibus Seleucidis, in eorumdem nummis nota ϙ, quam Koppam dixere, numerum nonagesimum designatum fuisse. At posteriori ætate eandem notam superiùs apertam hòc planè modo ϟ scalpserunt. Beda in libello de Indigitatione tom. 1. pag. 179. notat Græcos sui alphabeti literis, quod & Romani fecerunt, numeros designasse; at tres insuper notas numerales adhibuisse, quæ in ipsorum alphabeto non erant; harum, inquit, *secunda est* ϟ, *quæ vocatur cophe*, *& valet in numero nonaginta*. Hæc nota numeri nonagesimi eo planè modo formata, visitur in delineato nummo Gazensium, in quo duæ figuræ muliebres scalptę sunt; itemque in duobus alijs, vnò quidem Domitiani scalpto apud Ascalonem, quem cap. 4. §. 1. proferam, ac altero Faustinæ iunioris Neapoli in Palæstina percusso, cuius typum exhibebo inferiùs cap. 5. §. 2. Verùm eadem nota aliter etiam formata, in nummis occurrit, nempè vt lineola inferiùs descendens, non sinistrę, sed dexterę eius notæ parti iungatur, ita vt hanc figuram ϟ præferat. Hoc planè modo scalpta est in nummo Laodicensium, quem pag. 249. ære expressum produxi, vti etiam in hoc maiori Hadriani apud Gazam percusso. Itaquæ notæ illæ ΔϟΡ, *annum* CXCIV. Epochæ Gazensium designant. Ceterùm in eo regio nummo ante præpositionem ΕΠΙ vna litera detrita est; siquidem in simili nummo apud Iosephum Magnauaccam Bononiensem legitur: Δ ΕΠΙ ΓϟΡ. Et sanè prioris literę defectus colligitur ex alio delineato nummo inscripto: ΑΥ. ΚΑΙ. ΤΡ.. ΑΔΡΙΑΝΟϹ, *Imperator Cæsar Traianus Hadrianus*; posteriùs verò: ΓΑΖΑ ΕΙΩ, cum duabus figuris muliebribus, & subtùs: Δ ΕΠΙ ΓϟΡ. Præterea in eodem Regis Christianissimi Cimeliarchio seruatur paruus nummus cum antica epigraphe: ΑΥ.ΤΡ.. ΑΔΡΙΑΝ.. & retrorsùs cum Hercule innixo clauæ: ΓΑΖΑ. Γ ΕΠΙ ΒϟΡ. Ex quibus in nummo regio maximi moduli, quem hìc expono, litera Ε reponenda colligitur. Itaque hoc annorum ordine tres illi nummi apud Gazam scalpti, recensendi sunt; in priori quidem paruo, Γ ΕΠΙ ΒϟΡ; in altero, Δ ΕΠΙ ΓϟΡ; in tertio denique maximo, Ε ΕΠΙ ΔϟΡ. In primo signatur

annus,

annus Epochæ Gazensium *centesimus nonagesimus secundus*, qui vnà cum mense Dio cœpit die 28. Octob. A. V. Romæ DCCCLXXXIV. decimo quinto imperij Hadriani; vnde & duo alij descripti nummi cum annis eiusdem Epochæ 193. & 194. optimè intelliguntur.

Nemo id genus nummos hactenùs aut protulit, aut exposuit. Et sanè haud ita facilè assequi possumus, quid literę illę præpositioni ΕΠΙ præpositę significent. Ipsa quidem præpositio ΕΠΙ tempus ibidem indicat. Dionysius Halicarnassensis lib. 2. scribit Romam conditam *ἐπὶ τῆς ἑβδόμης ὀλυμπιάδος*, *septima Olympiade*. Vnde ΕΠΙ ΔΡΡ, idem est, ac Epochę Gazensium *anno centesimo nonagesimo quarto*. At priores literæ negotium facessunt. Equidem facilior earumdem explicatio est, si dicantur esse notæ monetarij, qui singulis easdem annis ordinatim variabat, ex quo cudendæ apud Gazam monetę, munus susceperat. Huiusmodi literas in nummis Laodicensium vidimus Differt. 3. cap. 8. §. 2. Vir eruditus putabat prioribus illis literis signari annos, ex quo Hadrianus Palæstinam ac Phœnicem à diœcesi Syriaca ac iurisdictione Legati apud Antiochiam residentis auulsas, speciali Præsidi regendas commisit. Ipse quidem pedibus in hanc amici nostri sententiam irem, nisi allatis superiùs cap. 1. testimonijs, ante imperium Hadriani Palæstina à peculiari Præside administrata monstraretur. Rursùs posset quis tertiò reponere Gazenses Hadriano Syriacas prouincias perlustranti adulantes, nouam quandam annorum Epocham instituendam decreuisse eo anno, quo idem Imperator Gazam primùm adueniens, eandem vrbem nouis exemptionibus ac beneficijs ornauit. Hic verò obseruandum est, eos annos prioribus literis indicatos, cœpisse numerari anno Epochę Gazensium CXC. vrbis Romę 882. Hoc ex recitato nummo regio demonstratur, in quo legitur Γ ΕΠΙ ΒϞΡ, vbi cum annus Gazensium Æræ 192. cum litera Γ copuletur; si hæc nota sit numeralis anni tertij, annus primus litera numerali A expressus, iungendus est cum anno Epochę eius vrbis 190. qui cœpit die 28. Octobris A. V. Romę 882. Hoc verò anno mense Martio Hadrianum fuisse Romę colligo ex lib. V. Digest. tit. 3, L. 20. *de heredit. petit.* vbi numero 6. hæc recitantur: *Pridie Idus Martias, Q. Iulius Balbus, & P. Iuuentius Celsus, T. Aufidius, Arrius Seuerianus Consules verba fecerunt de his, quæ Imperator Cæsar Traiani Parthici F. Diui Neruæ N. Hadrianus Augustus Imperator maximusque Princeps proposuit quinto Nonas Martias, quæ proxima fuerunt, libello complexus, quæ fieri placent &c.* Q. Iulius Balbus & P. Iuuentius Celsus II. Coss. signant in Fastis A. V. à Parilibus 882. Æræ Christi 129. & ambo memorantur in veteri Inscriptione

ptione A. D. XII. K. MART. Gruteri pag. 573. vbi & Hadrianus dicitur TRIB. POTEST. XII. quam primùm injit A. V. 870. die XI. Augusti. Ita ambo fuere Consules ordinarij. Idacius in Fastis eo anno scribit: *Marcello & Celso*; Prosper verò, & ex eodem Victorius Aquitanus ac Cassiodorus: *Celso & Marcellino*. Imò & in veteri lateritia Inscriptione mihi à V. C. Fabretto indicata, in vinea Rondenina, via Tiburtina, legitur:

MARCELL. ET CELS II. COS

EX PR. VLP. VLPIANIS. AL

Quæ allatę Inscriptiones ac Fasti rectè conciliantur, si alterum cognomen, quod passim id temporis in vsu erat, priori Consuli additum fuisse dicatur, vt nempè vocatus fuerit *Q. Iulius Balbus Marcellus*. Itaque A. V. à parilibus 882. die 3. Martij Hadrianus in Senatu de quibusdam ad rem hereditariam pertinentibus, P. C. sententiam rogauit. Imperator paulò post in Asiam profectus est; siquidem Eusebius qui libros Chronologicos Phlegontis liberti Hadriani legit, scribit Antinoum in Nilo semet submersisse, morante iu Ægypto Hadriano, anno primo Olympiadis CCXXVII. imperij autem Hadriani XIII. qui fuit vrbis Romæ 883. Dio verò scribit eundem Imperatorem *ex Iudæa in Aegyptum venisse*. Gaza in itinere ex Iudæa in Ægyptum, distabat Rhinocoruris prima Ægypti vrbe M. P. XXXXIV. Quare cum Hadrianus labente anno Gazensium CXC. qui exijt cum Octobri A. V. Romæ 883. Gazam aduenerit, ob collata ab eodem ciuibus beneficia, ijdem Principi assentantes, nouam ab aduentu illius Epocham instituerunt. Suetonius in Augusto cap. 19. ait: *Quædam Italiæ ciuitates diem, quo primùm ad se venisset, initium anni fecerunt*. At Gazenses non quidem anni, sed nouæ Æræ initium ab aduentu Hadriani Gazam cepisse videntur. Hanc tamen mortuo Hadriano, à Gazensibus omissam fuisse eorundem nummi demonstrant; siquidem in nummis Antonini Pij ibidem scalptis, non legitur, vt mox apparebit. Hæc mihi de prioribus illis literis in Gazensium nummis rudi Minerua excogitata, eruditorum censuræ propono.

In altero Hadriani nummo sinistrorsùs delineato, legitur: ΓΑΖΑ ΕΙΩ. Vir amicus ΓΑΖΑΕΙΩΝ legebat, id est, *Gazæorum* siuè *Gazensium*. Verùm litera N in fine deest, & E est superflua; iuxta enim gentile eius vrbis scalpendum fuerat: ΓΑΖΑΙΩΝ, vti cum capite Titi, verè an fictè, legit in nummo Goltzius pag. 215. At

in

in nummis qui in Cimelijs maioribus seruantur, passim in recto tantùm casu ΓΑΖΑ legitur. Neque aliter in laudato numismate legendum esse censebat Antonius Maria Saluinus publicus in Florentina Academia Græcarum literarum professor, cum eidem illam epigraphem ostendissem. Ille sanè ΓΑΖΑ in sinistra parte circuli cum figura muliebri turrita ac sinistra cornu copiæ tenente, legit; ibique ipsam vrbem Gazam designatam interpretabatur. Dextrorsùs Io eidem scalpta videbatur, quæ cum propè Gazam è naui descendisset, *Ionis* nomen oppido dedit, vti tradit Stephanus, qui de vrbe Gaza scribit: ἐκλήθη δὲ καὶ ΙΩΝΗ, ἐκ τῆς Ἰοῦς προσπλευσάσης, καὶ μεινάσης ἐκεῖ: *Appellata verò est & Ione, propterea quòd illuc Io adnauigauerit, ibique morata fuerit*. Vti verò Marna Gazensium tutelare Numen in ipsorum nummis scalpebatur, ita Io eisdem adorata, in nummis exprimebatur. Quamuis verò Græcè ΙΩ scribatur, Gazenses priorem literam cum diphthongo ΕΙ efferebant, ac proinde in nummo retrò figuram eiusdem legitur ΕΙΩ. In nummis promiscuè legimus: ΑΝΤΩΝΙΝΟϹ & ΑΝΤΩΝΕΙΝΟϹ, ΦΑΥϹΤΙΝΑ & ΦΑΥϹΤΕΙΝΑ, cuiusmodi alia exempla videsis apud Spanhemium pagina 907. In Græco epigrammate Gruteri pag. 75. 1. ΕΙϹΙΔΙ pro ΙϹΙΔΙ legitur, quę Ægyptiorum Dea. Plurima id genus habes in cap. 19. indicis Operis eiusdem Gruteri. Hæc laudati Saluini interpretationem illustrant, quam me hic semet nesciente, inseruisse, haud ægrè feret vir, quem doctrinæ excellentia, morum nitor, ac quod rarum est, in multa eruditione modestia ac humanitas domi forisque etiam atque etiam commendant. Porrò in inferiori parte huiusce Gazensium nummi legitur: Δ ΕΠΙ ΓϞΡ, *anno quarto*, Epochę Gazensium *centesimo nonagesimo tertio*, qui initium cepit die 28. Octobris A. V. Romę 885. ac decimo sexto imperij Hadriani, qui in anteriori parte obsignatur.

Denique tertius nummus dextrorsùs scalptus, est Antonini Pij cum epigraphe: ΑΙΛ. ΑΔΡΙΑΝΟϹ ΑΝΤΩΝ.. *Aelius Hadrianus Antoninus*, & in auersa parte cum capite velato ac turrito vrbis: ΓΑΖΑ. ΖϹ. Gaza. *Anno ducentesimo septimo*; qui inijt eadem die Octobris, A. V. Romę 899. imperij autem Antonini Pij anno IX. Alius in Cimelijs Mediceis visitur eiusdem Principis nummus, in cuius antica parte tantùm legitur: ΑΝΤΩΝΕΙΝ.. in posteriori verò cum eodem capite velato, ac turrito: ΓΑΖΑ. Γ Ϲ, Gaza. *Anno ducentesimo tertio*, qui cœpit per autumnum A. V. Romæ 895. eodemque quinto imperij Antonini Pij. Rursùs in alio nummo regiæ Gazæ cum capite eiusdem Pij, retrorsùs cum figura muliebri turrita ac stante legitur. ΓΑΖΑ. ΑΙϹ. *Gaza*. *Anno* CCXI. qui

initium

initium duxit ab autumno A. V. Romæ 903. Denique aliud Antonini Pij numisma in indice Thesauri Mauroceni pagina 123. recitat Patinus cum epigraphe . ΓΑΖΑ Θ C. *Gaza*. *Anno* CCIX. qui cœpit A. V. Romę 901. vndecimo principatus Antonini Pij . Cum verò in tot huius Augusti nummis nusquàm scalptæ appareant notę numerales , quæ in nummis decessoris Hadriani annis Epochæ Gazensium præponebantur, patet illas cum eiusdem vitæ exitu desijsse , ac proinde in gratiam tantùm Hadriani ob collata Gazę beneficia , scalptas fuisse .

Extat in eodem regio Galliç Museo M. Antonini Caracallæ nummus hinc inscriptus : ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΥΡΗ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟϹ , *Imperator Cæsar M. Aurelius Antoninus*, cum iuuenili capite eiusdem laureato ; illinc verò cum Diana & Marna , vt in delineatis nummis , in templo distylo : ΓΑΖΑ ΘΝC. *Gaza. Anno* CCLIX. Nummi typum ichthyocolla expressum ab erudito regij Cimeliarchij custode Petro Rainssantio accepi , in quo videtur scalptum ΑΡΗ , pro ΑΥΡΗ ; sed prioris literæ A linea sinistrorsùs obliquè cadens cum proxima litera P inferiùs ferè iungitur , vt vtrimque Y compendiariè resultet . Est insigne huiusce nummi testimonium , ad ostendendam Epocham Gazensium anno vrbis Romę 691. vsque ad exitum Decembris , posteriorem . Nam Antoninus Caracalla titulos *Imperatoris* & *Augusti* à Seuero patre accepit ante mensem Aprilem A. V. à parilibus 951. vt ostendi in Dissert. de votis Decennalibus cap. 4. Ioseph Suarez Episcopus Vasionensis in comment. de Arcu Septimij Seueri , & ex eodem Sponius sect. V. Miscell. pag. 158. hanc Anagnię dicatam Inscriptionem laudant .

IMP. CAES. L. SEPTIMI. PII. PERTINACIS

AVG. ARAB. ADIABENICI. PARTHICI. MAXIMI

FORTISSIMI. FELICISSIMI. P. P. FILIO. M. AVRELIO

ANTONINO. PIO. FELICI. AVG. TRIBVNIC. POTEST

IIII. COS. PRO. COS. S. P. Q. ANAGNINVS

Præterea apud Comitem Mediobarbum in Occoniano auctario pag. 286. nummus Caracallę producitur cum epigraphe : M. AVREL. ANTONINVS PIVS AVG. PONTIF. & in auersa parte: TR. P. IIII. COS. DES. Cum in hoc nummo Antoninus inscribatur

batur *Consul designatus*, idem scalptus fuit A. V. Romę 954. Christi 201. cum anno insequenti consulatum cum patre gesserit, quo anno in laudato epigrammate dicitur CONSVL. Rursùs cum idem anno Christi 201. ac 202. vocetur TRIB. POT. IIII. consequens fit, vt anno Christi 198. vrbis Romę à parilibus 951. idem Antoninus Tribuniciam potestatem cum Augusteo imperio à Septimio patre receperit. Iam vero si Epocha Gazensium initium duxisset ab autumno A. V. Romæ 691. quo Cicero Consul fuit, vt Scaliger ac Harduinus opinati sunt, annus eiusdem Æræ CCLIX. in Antonini nummo apud Gazam scalpto signatus, exijsset die 27. Octobris A. V. Romę 950. Christi 197. quum id temporis Antoninus nondùm titulos *Imperatoris* & *Augusti* à patre tulisset; siquidem eosdem anno tantùm proximè insequenti accepit, vt laudatæ Inscriptiones lapidis ac nummi luculenter ostendunt.

Quæ hactenùs de initio Epochę Gazensium demonstrata sunt, in dubium reuocare videtur *Faustina matris nummus*, vt ait Spanhemius pag. 870. laudatissimi voluminis de præst. & vsu Numismatum. Nam idem nummus in Cimelijs Reginæ Christinæ in auersa parte signatur: ΓΑΖΑ ΘΚC. *Gaza. Anno* CCXXIX. Faustina senior, Antonini Pij vxor, obijt ex Capitolino cap. 6. de vita Antonini Pij, anno tertio imperij eiusdem, qui exijt mense Iulio A. V. 894. à quo anno retrò numerantes annos 229. in Faustinæ nummo scalptos, deueniemus ad A. V. Romę 665. ac proinde Epocha Gazensium viginti & octo annis antiquior statuenda esset. Hinc vir doctissimus dubitat, num illę literę ΘΚC aliò referendæ sint quàm ad aliquam Epocham indicandam; an verò reapse ita in regio nummo signatæ sint. Cum non possem hac de re iudicium ferre, nisi clariori eius nummi notitia comparata, eiusdem typum ab augusta Regina petiui, quem Ioannis Petri Bellorij, viri editis voluminibus Orbi Literario notissimi, industria tum accuratè delineatum, tum etiam sulphure expressum accepi, eumque in ære incisum, exhibeo.



In antica parte non vna Faustina, sed duę Augustę scalptę apparent, quarum altera sinistrorsùs expressa ex proxima Inscriptione ΦΑΥΣΤΙΝΑ, *Faustina* esse intelligitur. Huic aduersa imago Lucillam repræsentat eiusdem Faustinę ac M. Aurelij Augusti filiam, eandemque Imperatoris L. Veri vxorem. Nomen quidem illius ferè detritum est, sed priores eiusdem literæ ΛΟΥ, & postea altera Λ haud obscurè visuntur. Quod in summitate capitis Faustinæ siuè scalpturę defectu, siuè cuiuspiam ærusçatoris ignaua arte quædam cauitas in gyrum ducta apparet, exuberans ille crinium circulus qui in vertice Faustinæ matris visitur, primo aspectu ab Antiquarijs putatus est; vnde & seniori Faustinæ nummum perperàm deputarunt. Rem extra dubium ponit alter vtriusque pariter Augustæ nummus, qui in regio Galliæ Cimeliarchio seruatur, cuius descriptionem ab eruditissimo Toinardo mihi transmissam, adpono: ΦΑΥΣΤΕΙΝΑ ΛΟΥΚΙΛΛΑ ΣΕΒ. *Faustina*, *Lucilla Augusta*, cum vtriusque capitibus; & in auersa parte: ΓΑΖΑ. ΗΚΣ. *Gaza. Anno* CCXXVIII. qui cœpit ab autumno A. V. Romę 920. Christi 167. Et quidem Epocha Gazensium in delineato ex Reginę Cimelijs numismate, cum clarè exprimatur ΘΚΣ, annum proximum Gazæ CCXXIX. notat, qui inijt ab autumno A. V. Romę 921. Christi 168. In area nummi visitur Diana venatrix eo planè habitu, quo à Claudiano lib. 2. de raptu Proserpinæ hisce describitur.

Brachia nuda nitent, leuibus proiecerat auris
Indociles errare comas; arcuque remisso
Ocia neruus agit: pendent post terga sagittæ.
Crispatur gemino vestis Cortynia cinctu
Poplite fusa tenùs.

Ceruus qvi ponè pedes Dianæ cernitur, eidem Deæ sacratus erat: Idem Claudianus in panegyri III. de Stilichone, fingens Dianam per aera vectam, ait:

——— *cerui currum subiere iugales,*
Quos decus esse Deæ primi sub lumine cœli
Roscida fecundis concepit Luna cauernis.

Cum Sertorius ceruam in castris aleret, barbaris Lusitanis dicebat eandem *sibi oblatam diuinitùs*, & *instructam Dianæ numine, colloqui secum, monereque & docere quæ vtilia factu essent*. Gellij verba sunt lib. 15. cap. 22. quæ pariter prodit Plutarchus in Sertorio. Hæc obuia ac trita sunt, nec erudito Lectori cum temporis iactura ingerenda.

CA-

CAPVT IV.

EPOCHÆ ASCALONIS AC RAPHIÆ EXPONVNTVR.

EPocham Gazensium præmisi, quòd illorum anni ac mensium cum Romanis mensibus comparatio ex Marco Gazensi Diacono certis characteribus colligebatur. In præsentia Ascalonis ac Raphiæ quas inter Gaza sita, Æras exponam. Antoninus in Itinerario Cæsarea Palæstinę Iamniam vsque numerat M. P. LII. Iamnia verò

Ascalonem	M. P. XX.
Gazam	M. P. XVI.
Raphiam	M. P. XXII.
Rhinocorura	M. P. XXII.

Itaque ad proximam vtramque Gazæ vrbem stylum conuertam, vt diuersas earundem Epochas explicem. Quamuis autem incompertum sit qualem anni formam Ascalonitę ac Raphiotę seruarent; sit tamen satis probabile, eosdem cum finitimis Gazensibus in mensibus disponendis conuenisse, ac proinde habuisse omnes menses tricenarios cum diebus Epagomenarum in exitu anni, quem & ipsi ritu Syromacedonum ab autumno inchoabant. Galenus in comment. ad lib. 1. Epidemior. Hippocratis cum dixisset Macedonas ac Asiaticos proconsulares annum Solarem seruare, ait: *Vt verò Palæstini computant, duodecim menses efficiunt dies trecentos quinquagenos quaternos*; vbi tradit Palæstinos annos Lunares adhibere. Verùm eo nomine Iudæos intelligit, quorum regio ceterarum in Palęstina celeberrima, ipsaque gens toto passim Orbe sparsa erat. At Syromacedones Palæstinos anno Solari vsos quæ de anno Gazensium proximè scripsi, manifestè demonstrant.

§. I.

EPOCHA ASCALONIS.

Ascalonis vetustas ex sacris literis. Reges ibidem. Epocha eiusdem cœpit A. V. Romæ 650. Hoc ex vetustis Scriptoribus ac nummis Ascalonitarum demonstratur. Derceto ibidem culta monstrosi corporis. Annus ab autumno ibi inchoatus. Origo noua Epochæ ostenditur. Herodes Rex Iudæorum Ascalonita *vulgò dictus. Eiusdem erga Ascalonem munificentia.*

VRbium vetustissimarum initia ad Heroas fictis fabulis, vulgò Græci scriptores retulerunt. Xanthus qui Lydorum res in literas misit, ac Nicolaus Damascenus, qui totius Orbis historias in plures librorum decadas digestas, Herodi Iudæorum regi nuncupauit, scribunt apud Stephanum de Vrbibus, Ascalum alterum Hymenæi filium ab Aciamo Lydorum rege cum exercitu in Syriam missum, virginis amore captum, vrbem ibidem condidisse, quam de sui ipsius nomine Ascalonem nuncupauit. Verùm fabulosis, aut fabulis proximis Ascalonis primordijs omissis, ex Sacris literis eiusdem vrbis antiquitas demonstratur. Nam Iosue cap. XIII. 3. legitur: *Terra Chanaam quæ in quinque regulos Philisthiim diuiditur, Gazæos, & Azotios, Ascalonitas, Getbæos, & Accaronitas.* Quare Ascalo annis ante Epocham Christi 1500. & quod excurrit, suo Principi parebat, eratque vna ex quinque satrapijs Philistinorum, vti disertè legitur 1. Regum VI. 17. Post obitum Iosue, eius successor Iudas Ascalonem cepit ex cap. 1. lib. Iudicum, sed paulò post Iudæi eandem amiserunt; id ita volente Deo, cuius rei ratio redditur ibidem initio cap. 2. S. Hieronymo in lib. de locis Hebr. dicitur *Ascalon vrbs nobilis Palæstinæ, quæ & ipsa antiquitùs vna fuit de quinque Satrapiis Philistinorum.* In cap. 1. Amos 8. legitur: *Et disperdam habitatorem de Azoto, & tenentem sceptrum de Ascalone.* Quæ Dei comminationes recitantur etiam in cap. 9. Zachariæ Vers. 5. Iustinus lib. 18. Sidonios ante Troiam incensam, *à rege Ascaloniorum* expugnatos memorat. Verùm Ascalo cum in Assyriorum ac dein Persarum ditionem venisset, vnà cum vniuersa Syria ab Alexandro capta, post eiusdem obitum, à Ptolemæo Lagi Ægyptiorum

ptiorum regno adiecta fuit. Ascalonem Ptolemæo Euergeti subditam fuisse tradit Iosephus lib. 12. cap. 4. quam tandem Antiochus Magnus cum reliqua Palæstina Ptolemæis ablatam, ad regum Syriæ imperium transtulit. Cum verò inter Alexandrum qui Antiochum Epiphanem patrem iactabat, cuius filius appellatur initio cap. 10. lib. 1. Maccabæorum, ac Demetrium Demetrij Soteris filium, de regno Syriç bellum exarsisset circa A. V. Romç 607. Ascalonitç res suas citrà partium studia curarunt. Nam cum Ionathas aduersùs Apollonium præfectum Demetrij regis in Cœle Syria proximisque oppidis, expeditionem suscepisset, Ioppen occupauit ac Azotum, quam etiam cum templo Dogon incendit; inde verò motis castris, vt legitur 1. Maccab. cap. X. 86. *applicuit ea Ascalonem, & exierunt de ciuitate obuiam illi in magna gloria. Et reuersus est Ionathas in Hierusalem cum suis &c.* Rursùs idem Ionathas honorificè ab Ascalonitis exceptus dicitur ibidem cap. XI. 90. Hinc cum Iudæi Ioppen ac Gazam proximas Ascaloni vrbes tenerent ex lib. 1. Maccab. cap. XV. 28. nunquam tamen, ruçnte licèt regno Seleucidarum, Ascalonem armis inuadere tentarunt. Iosepho loco modò laudato dicitur Ascalo *Iudæis semper inuisa*, eademque *validissimo muro præcincta*. Alexander Iannæus Iudæorum rex Gazam, Anthedonem, Raphiam, & Azotum subegit, nusquam tamen memoratur Ascalonem mediam inter easdem vrbem expugnasse. Erat teste Strabone lib. 16. vrbs non magna, ac situ adeo depresso condita, vt veluti in fouea iacere videretur, vti scribit Vuillelmus Tyrius lib. 17. de bello sacro cap. 22. vbi eandem ciuitatem describit, *quæ per annos*, inquit, *quinquaginta & ampliùs post captam Hierusalem, nostris resistebat*, quousque à Balduino rege anno Christi 1154. die 12. Augusti post semestre obsidium à Saracenis eandem incolentibus, dedita fuit.

Epocha Ascalonitarum in Chronicis Eusebij & Alexandrino recitatur, eademque in pluribus illorum nummis obsignata est; quamuis eiusdem caput à diuersis annis viri eruditi deduxerunt. Scaliger enim in notis Eusebianis num. 2293. tradit Æram Ascalonis cœpisse anno secundo Olympiadis CLXIX. qui fuit vrbis Romæ 651. C. Mario Nepote III. L. Aurelio Oreste Coss. vbi errore vulgari Mario *Nepotis* cognomen attribuit, vti pluribus ostendi à pag. 20. Epistolç Consularis ad amicum meum V. C. Antonium Pagy. Spanhemius Dissert. IX. pag. 868. scribit Epocham Ascalonis initam Mario II. & Fimbria Coss. vel anno sequenti Mario III. & L. Aurelio Oreste Coss. *seu annis*, inquit, *ante Æram Christi* CI. Denique Ioannes Harduinus pag. 78. sçpiùs mihi appellati voluminis

luminis ſcribit de eadem Æra: *cœpiſſe neceſſe eſt A. V. DCLII. C. Mario IV. Q. Lutatio Catulo Coſſ.* Hi tamen Scriptores tardiùs laudatam Epocham inchoarunt. Nam Euſebius in Chronico ad annum primum Olympiadis CCLXIV. comparat alterum annum Probi cum diuerſis annis variarum gentium; ibi autem ſecundus annus eius Principis dicitur *iuxtà Aſcalonitas trecenteſimus octogeſimus*. Iam verò ſuperiùs Differt. 2. cap. 3. §. 1. inuictis argumentis demonſtratum mihi eſt, annum alterum imperij Probi componi cum anno primo Olympiadis 264. V. C. 1030. Chriſti Domini 277. Probo Auguſto ac M. Aurelio Paulino Coſſ. Quare cum hic annus dicatur ab Euſebio Aſcalonitarum 380. ſi per totidem hoſce annos ab A. V. 1030. retrò numeremus, ueniemus ad A. V. Romæ 650. quo per autumnum cœpit annus primus Epochę Aſcalonitarum, C. Mario II. C. Flauio Fimbria Coſſ. Periodi Iulianę 4610. Cyclo Solis XVIII. Lunæ XII. Quod autem V. C. Harduinus appellata proximè pagina ſcribit annum ſecundum Probi fuiſſe ab vrbe Roma condita 1031. pluribus in Differt. 2. confutatum eſt; nec vacat ſeram per eandem lineam reciprocare. Auctor verò vetuſtus Chronici Alexandrini ad annum primum Olympiadis CLXIX. ſcribit: *Aſcalonitæ hinc ſua tempora numerant*, Hoc ipſum ex nummis euincitur, vt mox apparebit. Extant in Muſeo Mediceo ex collectione Cardinalis Leopoldi, bina hæc Aſcalonitarum numiſmata.



In neutro nummo nomina Imperatorum ſcalpta ſunt, & quamuis ijdem ſint optimè conſeruati, Aſcalonitę monetarij tam rudi arte vtriuſque Principis vultus ſcalpſerunt, vt eorundem imagines neutrum planè exprimant. Symbola retrorsùs obſignata, inferiùs expono. In priori nummo, qui eſt Cæſaris Auguſti, legitur CEB. *Auguſtus*; & in auerſa parte: ACKAΛΩ. ΓΙΡ. *Aſcalo. Anno* CXIII. qui cœpit ab autumno A. V. Romę 762. C. Poppæo Sabino, Q. Sulpicio Camerino Conſulibus. Alter nummus eſt Imperatoris Domi-

Domitiani cum eodem *Augusti* titulo. In postica parte legitur: ACKA .. ϥ P. *Ascalo. Anno* CXC. qui iniit ab autumno A. V. Romę 839. ac cum sexto imperij Domitiani concurrit. His addo binos nummos è regia Galliarum Gaza, cuius icones ichthyocolla expressas accepi ab humanissimo æquè ac erudito viro Petro Rainsantio regij Cimeliarchij nummarij Custode.



Vtrumque nummum insignes Antiquarij dudùm vulgarunt; sed Epochas omiserunt. Prior est Neronis cum epigraphe CEBACTOC, *Augustus*. Retrorsùs verò legitur: ACKAΛΩ, *Ascalo*; cui addenda Epocha alijs aut neglecta, aut non visa, AOP, *Anno* CLXXI. Alter nummus est Titi, vt ex inscriptione TITOC CEBAC. *Titus Augustus*, apparet. In postica parte cum eodem symbolo ac nomine vrbis legitur Epocha BΠP, *Anno* CLXXXII. quam æram omisere Tristanus pag. 304. Patinus pag. 151. Eo autem symbolo mulieris turritæ quæ in Ascalonitarum nummis passim visitur, ipsamet vrbs Ascalo designatur cum rostris nauium. Diodorus Siculus lib. 2. narrat Dercetum partus pudore suffusam, puellam quam inuidia Veneris, Deę sibi iratę, conceperat, in deserto quopiam loco exposuisse; columbas verò lacte primùm dein caseo ex pastorum attegijs rostro deportatis ac in os puellę instillatis, eandem pauisse, quousque pastores, re ex corrosis caseis obseruata, infantem formæ decore insignem repertam, cuidam Simmæ pecudum ductori tradiderunt, *qui abs se adoptatæ Semiramidis nomen imposuit, Syrorum lingua à columbis deriuatum, quas Syrorum exinde natio vt Deas perpetuò veneratur*. De etymologia nominis Semiramidis videsis Bochartum lib. 2. par. 2. Geogr. sacræ cap. 11. pagina 281. Dercetum verò in lacum Ascaloni proximum semet mersisse, ac insigne templum ab Ascalonitis eidem dicatum tradit ibidem Diodorus, cuius verba mox dabimus. Philo Hebræorum Plato, apud Eusebium lib. 8. de præpar. Euang. cap. 5. narrat se, cum Hierosolyma sacrificandi causa pergeret, Ascalonem venisse, vbi scribit *magnam columbarum multi-*

multitudinem videns, *admirabar*; *interrogantique mihi*, *quamobrem ea aues omnia penè loca illa occupassent*, *responsum fuit lege apud eos columbarum esum esse probibitum*; ne videlicèt Deos suos deuorare viderentur. Hinc patet cur in Ascalonitarum nummis columba obsignata fuerit. Sed his omissis, vtriusque nummi regij Epochę considerandę sunt. In nummo Neronis, cuius imaginem vti & aliorum Cæsarum, rudiori Monetariorum arte scalptam videmus, signatur annus Ascalonitarum CLXXI. Cum verò hæc Æra inchoata fuerit per autumnum A. V. Romę 650. annus abhinc 171. cœpit ab autumno A. V. 820. Christi 67. ac decimo quarto eodemque postremo imperij Neronis, qui initium habuit die 13. Octobris eiusdem anni. Ex hoc autem numismate refelluntur memorati superiùs Scriptores, qui Epocham Ascalonis post A. V. 650. deducebant; siquidem iuxtà illorum opiniones annus ibi scalptus 171. cum imperio Galbę, aut Vespasiani concurreret; Nero enim semet interfecit A. V. 821. die decima Iunij. In altero nummo Titi legitur annus Ascalonis BΠP, CLXXXII. Quem annorum numerum si deducas ab A. V. 650. annus 182. desinit per autumnum A. V. 632. quo Titus die 24. Iunij demortuo Vespasiano patri successit. Ex hoc etiam nummo colligimus annum apud Ascalonitas non cœpisse à verna tempestate; siquidem annus eorundem CLXXXII. exijsset, priusquàm Titus, mortuo patre, Augusti titulum accepisset. Exstat hic idem nummus Bononiæ in Museo Pollacio, vt vir harumce rerum peritissimus Iosephus Magnauacca mihi per literas significauit, misso etiam ectypo eiusdem nummi, in cuius antica legitur CEBACTOC, Titi cognomine ibidem detrito; Epocha sanè BΠP ibidem apparet; cuius tamen prior nota B non tam rectè in altero regio nummo conspicitur. Quare Titus id temporis erat Augustus, ac idem nummus intra primum quadrimestre imperij illius percussus fuit. Illustrissimus Spanhemius pag. 868. nummum laudat è Cimelijs Principis Durlacensis, in anteriori parte inscriptum: CEBACTOC, *Augustus*; in posteriori legitur: ACKAΛΩNIT .. & in area ΔΠ .. *Ascalonitarum*. *Anno* .. LXXXIV. Rectè obseruat postremam literam P eidem Epochę deesse, qua annus centesimus designatur, ita vt ibi legendum sit: *Anno* CLXXXIV. Hinc tamen infert eum nummum non esse Titi, sed potiùs Domitiani, cui etiam Harduinus pag. 78. eundem nummum attribuit, *qui*, inquit, *Tito vulgo adscribitur*. Ex semel perperàm statuto capite Æræ Ascalonis, coguntur vnius Principis nummos alteri pro arbitrio affingere. Cum illa Epocha inierit ab autumno A. V. 650. annus abhinc 184. cœpit ab autumno A. V. 833. Tito vsque ad

Septem-

Septembrem anni Vrbis insequentis 834. superstite. Interim binis hisce nummis Titi tanquam clauis trabalibus caput Æræ Ascalonis figitur in totiès memorato A. V. Romę 650. His autem alios nummos adijcio.



Prior nummus, cuius posticam tantùm partem à V. C. Andrea Morellio delineatam accepi, in Gaza Regis Christianissimi custoditur, estque Antonini Pij cum anteriori epigraphe : ANTΩNINOC KAI.. *Antoninus Cæsar*, reliquis literis detritis. In posteriori verò parte legitur : ACKAΛΩ, & in area BΞC, id est, *Ascalo. Anno* CCLXII. qui cœpit ab autumno A. V. Romę 911. vicesimo primo imperij Antonini Pij. Neptunus cum Delphino ac tridente, Ascalonem maritimam vrbem designat; de qua tamen Vuillelmus Tyrius lib. 17. de bello sacro cap. 22. scribit: *Hæc autem ciuitas situ maris nullam præbente aptitudinem, portum vel aliquam tutam nauibus non habet, nec habuit stationem*. Verùm vti Gazenses, qui viginti à mari stadijs distabant, nauale in proximo litore habebant; ita suum quoque nauale Ascalonitas habuisse ex Ecclesiasticis monumentis mihi videor colligere. Sozomenus lib. 2. cap. 4. laudat *nauale vrbis Gazæ, quod* Maiumam *appellant &c.* Maiumam verò Syriacè aquam significare tradit Gothofredus in notis ad L. 2. *de Maiuma* lib. 15. Cod. Theodosiani. At Ascalonitas suam quoque in vicino litore *Maiumam* habuisse non obscurè deduco ex Synodo Hierosolymitana sub Ioanne Patriarcha, inserta Actioni V. Synodi C-P. sub Menna, vbi inter Palæstinę Episcopos recensentur Cyrillus Gazensium, & Procopius *Maiumæ Gazæ*; itemque Antonius *Ascalonis*, & Stephanus *Episcopus Maiumæ Ascalonis*. Quare Ascalo in proxima ora maritima suum habuit nauale. Sed cum Neptunum etiam maritimæ ciuitates importuoso in litore sitæ, coluerint, haud vacat portum Ascalonitarum curiosiùs inquirere.

Harduinus ex indice viri celeberrimi profert nummum Faustinæ iunioris in auersa parte inscriptum : ACKAA . BΣC ; vbi notat literas numerales in mendo cubare, ac reponendam Epocham EΞC, nempè: *Ascalonitarum. Anno CCLXV. Marci Aurelii, cuius Faustina coniux, tertio; Vrbis Romæ DCCCCXVI.* Hic nummus eodem anno scalptus est, quo proximè expositus Antonini Pij. Nam vri media litera numeralis Σ erroneè ibidem posita fuir pro litera Ξ; ita perperàm Harduinus priorem quoque B in E mutandam contendit; siquidem Faustina iunior superstite patre Antonino Pio, Augusta dicebatur, cum eiusdem maritus M. Aurelius esset tantùm Cæsar, quod ex lapidum ac nummorum inscriptionibus capite proximo demonstrabo, cum de Epocha Neapoleos in Samaria disputationem instituam. Quare eo in nummo Faustinę legendum est BΞC, *anno* CCLXII. qui cœpit per autumnum A. V. 911. Christi Domini 158. eodemque XXI. imperij Antonini Pij.

Alterum numisma seruatur in ditissimo Cimeliarchio Illustrissimi Comitis Ioannis de Lazara, Patricij Patauini, qui vti est officiosissimus, eiusdem ad me typum transmisit. In antica parte inscriptio Latinè redditur : *Imperator Cæsar M. Aurelius Antoninus.* In auersa legitur : ACKAAΩ. AKT. *Ascalo. Anno* CCCXXI. Est nummus M. Antonini Elagabali. In eadem verò parte postica Semiramis regina Assyriorum cum matre ipsius Derceto scalpta est. Fabulam narrat Diodorus Siculus lib. 2. *Est*, inquit, *in Syria vrbs Ascalon, à qua non procul ingens & profundus lacus piscium copia abundans, & in vicinia illustris Deæ templum, quæ Derceto Syris vocatur: facie mulierem, & toto aliàs corpore piscem referens*; addirque ex Derceto ac Syro iuuene natam Semiramidem Assyriorum reginam. Ouidius lib. 4. Met. V. 43. ait:

—— De te Babylonia narret
Derceti; quam versa squamis velantibus artus
Stagna Palæstini credunt coluisse figura.

Plura de Derceto congerit Seldenus in Syntagm. II. de Dijs Syriæ cap. 3. Lucianus vbi de Dea Syria, describens insigne quoddam templum in Syria, ait plerosque arbitrari Semiramidem illud dicasse *matri suæ, cui Dercete nomen. Dercetus autem imaginem in Phœnicia vidi, spectaculum planè peregrinum, altera quidem parte mulierem; altera verò quantum à femoribus ad imos pedes protenditur, in piscis caudam desinentem.* Hocce monstrum vti Deum Ascalonitæ in templis adorantes, illius etiam imagine nummos suos obsignabant. Figura quæ super Dercetum stat, Semiramidem illius filiam præfert, Nini regis Assyriorum vxorem; vnde & sinistra coronam tenet; vel

ipsa

ipsa fortaſsè Venus exprimitur, quæ Cœleſtis cognomine vocabatur, de qua Pauſanias in Atticis ſcribit, vti obſeruat V. C. Harduinus pag. 77. *Veneris Cœleſtis delubrum: hanc primi hominum Aſſyrii coluerunt; à quibus Paphii in Cypro acceptum ſacrorum ritum cum Phœnicibus qui in Palæſtina Aſcalonem vrbem incolunt: Phœnices cum Cytheriis communicarunt.*

In eodem autem nummo ſignatur annus Epochæ Aſcalonis AKT, CCCXXI. qui exijt A.V. Romæ nongenteſimo ſeptuageſimo primo, quo Elagabalus ſuperato, deinde occiſo Macrino, imperium obtinuit. Hinc iterùm patet annos apud Aſcalonitas non verno, ſed cum ceteris Syris, autumnali tempore inchoatos fuiſſe. Nam ſi annus primus laudatæ Epochæ cœpiſſet verna tempeſtate A. V. 650. à parilibus, annus inde CCCXXI. exijſſet vere anni vrbis Romę 971. Chriſti 218. Macrino adhuc imperante. Nam hoc anno Antoninus Elagabalus, vti narrat Dio, ab Eutychiano Cæſariano liberto in caſtra *die decima ſexta Maii* clam introductus, à militibus Imperator primùm deſignatus fuit. Itaque nummus laudatus ab Aſcalonitis percuſſus fuit intra quatuor priores menſes imperij ab Antonino Elagabalo recèns in Syria occupati; ac proinde annus eorumdem ab autumno initium ſumebat. Ex eodem præclaro nummo colligimus Epocham Aſcalonis non poſſe inchoari ante A. V. 650. aliàs annus ibidem ſignatus 321. ante initum ab Elagabalo principatum, exijſſet. Cum verò ex nummis Titi apud Aſcalonem ſcalptis, pateat eiusdem Epochæ initium non poſſe protrahi poſt A. V. 650. euidenter ex ijſdem nummis demonſtratur, caput eius Æræ deducendum eſſe ab autumno A. V. 650. vti ex Euſebij Chronico & altero Alexandrino antea collegimus.

Iam verò remanet inquirendum, cur Aſcalonitæ eo anno Vrbis Romæ 650. qui erat Æræ Seleucidarum 208. hac antiquata, nouam Epocham inſtituerint. Id temporis in Syria partito imperio, duo vterini fratres Antiochi Grypus & Cyzicenus regnabant. Cum verò Cyzicenus qui Cœleſyriam, Phœniciam, ac Palæſtinam maritimam tenebat, victus ab Hyrcano Iudæorum principe ac Pontifice, Samariam, Scythopolim, aliaſque vrbes amiſiſſet, in contemptum non modò apud hoſtes, verùm etiam apud ſubditos venit. Hinc Zoilus in Phœnicia rebellans, Sidonem ac Dora occupauerat, Ariſtobulus laudati Hyrcani filius Iudæorum primus amiſſum ante plura ſæcula diadema, cum regio titulo vſurpauit, ac magnam Ituræę partem anno, quo tantum regnauit, Cyziceno ablatam, nouo Iudæorum regno adiecit. Huic verò ſuccedens Alexander frater, motis in Phœniciam caſtris, Ptolemaidem obſedit.

 ſedit.

sedit. Cum verò obsessi nihil subsidij ab ipsorum rege Antiocho Cyziceno sperarent, Ptolemæi Lathuri, qui à Cleopatra matre Ægypti regno pulsus, Cyprum tenebat, opem implorarunt; qui cum instructissima classe in Phœniciam appellens, triginta armatorum millia ad Sycaminum exposuit, ac Ptolemenses ipsum intra vrbem cum copijs admittere recusantes, ex amico repentinus hostis obsedit, ibique parte exercitus relicta, cum ceteris copijs aduersùs Alexandrum Iudæorum regem mouit, initoque prœlio, eundem ingenti clade affectum, in fugam compulit. Lathurus hac insigni parta victoria, Iudæorum ditione longè latèque vastata, Gazam vltronea ciuium deditione occupauit. Hæc fusiùs narrat Iosephus lib. 13. à cap. 17. ad vsque 21. quo postremo loco de regina matre Ptolemæi Lathuri scribit: *Porrò Cleopatra videns augeri filii potentiam, subdita Gazæorum vrbe, & Iudæorum regione impunè peruastata, non permittendum duxit, vt ille magis cresceret.* Vsserius tom. 2. Ann. victoriam Ptolemæi Lathuri recitat anno Per. Iulianę 4610. qui fuit V. C. 650. quo Ascalonitæ nouam Æram instituere. Itaque Ascalonitę Antiochi Cyziceni imperio in Palæstina deficiente, ac vniuersa prouincia infestis Iudæorum ac Ptolemæi Lathuri exercitibus infessa, patriam in libertatem vindicantes, eandem contra quamcumque exterorum vim muniuerunt, ne vt proximi Gazenses, in Lathuri potestatem redigerentur. Quare ab anno partæ libertatis, ac regij iuris excussi, Epocham inchoarunt, vti Iudæi quoque fecisse dicuntur in lib. 1. Maccabæorum cap. XIII. 42. Et quidem cum Alexander Iannæus Ptolemæo Lathuro in Cyprum recedente, prospero bellorum successu Cyziceni Antiochi vires attriuisset, ac maritimam Palæstinę oram à Ioppe ad Rihinocorura subiugasset, captis etiam Gaza, & Azoto vrbibus, Ascalonem tamen quæ medio inter vtramque situ erat, neutiquam occupauit, cum Iosephus qui adiectas ab Alexandro rege Iudæorum regno ciuitates lib. 13. cap. 23. recenset, Ascalonem inter easdem non recitet; quòd vna Ascalo, vniuersa Palæstina in Iudæorum potestatem redacta, suorum ciuium prudentia ac virtute, peculiaris reipublicę formam induxisset. Hinc factum est, vt Antipas Antipatri pater, ac regis Herodis auus, cum ab Alexandro Iannæo dux Idumæę impositus fuisset, amicitiam Ascalonitarum coluerit, ex Iosepho lib. 14. cap. 2. vt si fortè æmulorum inuidia, regis Alexandri gratia excidisset, Ascalonem vti ad amicam vrbem secedere posset. Iulius Africanus auctor vetustus in epistola ad Aristidem apud Eusebium lib. 1. Hist. Eccles. cap. 6. tradit regem Herodem fuisse filium Antipatri; huic verò Herodem quemdam

Asca-

Ascolonitam, vnum ex numero seruorum templi Apollinis, quod Ascalone est, patrem fuisse. Quæ pariter refert S. Epiphanius ad Hæresim XX. quæ est Herodianorum. Vt vt de his sit, quòd maiores Herodis regis Ascalonem quandoque inhabitarunt, idem vulgò *Ascalonita* dictus est. Et sanè cum ille Romanorum beneficio, Iudæorum regnum obtinuisset, *apud Ascalonem Nymphea siuè lacus ornatissimos, & balneas, item peristylia tam opere quàm magnitudine miranda*, extruxit, auctore Iosepho lib. 1. belli cap. 16. Et Augustus cum demortui Herodis ditionem ac regium etiam patrimonium filijs eiusdem tripartitò possidendum committeret, Salomi Herodis sorori *ædes regias apud Ascalonem*, vti idem Iosephus scribit lib. 2. belli cap. 4. tradidit possidendas; quod sanè regium palatium rex Herodes apud Ascalonem vti maiorum suorum vrbem patriam, aut saltem sibi amicam regijs impensis ædificauerat. Augustus delatum antea ab se in Triumuiratu Herodi regnum, noua vrbium adiectione aucturus, maritima eidem oppida donauit, Stratonis turrim, quæ postea Cæsarea Palæstinæ dicta fuit, Ioppem, Gazam, & Anthedonem, vti narrat Iosephus lib. 15. capite 11. Ascalonem tamen quæ in eodem tractu maritimo inter Ioppem & Gazam iacebat, ab hac tantùm M. P. XVI. distans, memorato regi non tradidit, ne vetustæ eius vrbis libertati iniuriam faceret. Gazam quidem Herodi concessit; quamuis hæc ciuitas à Pompeio autonomiam obtinuisset; sed quòd hoc priuilegium recentius erat, & ab hoste Iulij Cæsaris collatum, non tanti ab Augusto factum fuit, quanti libertas vrbis Ascalonis, quam ciues obtinuerant ante annos quadraginta priùs quàm Romanorum exercitus in Syriam penetrarent. Itaque maluit Augustus regnum Herodis Ascalone vrbe libera interposita, diuidere, quàm veterem Ascalonitarum autonomiam lædere; quam tamen vrbem à regno suo separatam, Herodes plurium beneficiorum collatione, vt modò obseruaui, sibi deuinxit. Hinc Plinio nostro inter Palæstinæ oppida lib. 5. cap. 13. *Ascalo liberum* nominatur.

§. II.

§. II.

EPOCHA VRBIS RAPHIÆ.

Raphiæ situs. Epocha eiusdem Vrbis anno à Roma condita 693. probabilius deducta ex nummo Commodi. Deorum superstitio diutius ibidem retenta.

RAphia, S. Hieronymo in com. ad cap. 9. Danielis dicitur *oppidum in foribus Aegypti*. Strabo lib. 16. ait: *Gazam sequitur Raphia, vbi Ptolemaus IV. cum Antiocho Magno conflixit*. Antoninus in Itinerario à Gaza Raphiam M. P. XXII. numerat. Illud verò prœlium Antiochi cum Ptolemæo Philopatore describit Polybius lib. 5. à pag. 422. edit. Casauboni, vbi de Raphia scribit: *Hae Syria Cœles vrbium prima occurrit post Rhinocorura, ex Aegypto venientibus*. Narrat Antiochum prœlio victum, Raphiam ingressum, prima statim luce inde Gazam fugisse; *ac Ptolemaus*, inquit, *Raphiam & ceteras vrbes, vt ad quamque accesserat, recepit*. Verùm hoc tandem bellum nuptijs Cleopatræ filiæ Antiochi cum Ptolemæo Epiphane Philopatoris filio compositum est, promissa dotis nomine, ab Antiocho *omni Cœle Syria & Iudaa*, vt ait laudato loco Hieronymus. Idem verò Antiochus filiam sponsam Raphiam vsque deduxit, ex Liuio lib. 35. vbi, *Antiochus*, inquit, *rex ea byeme Raphia in Phœnice Ptolemao regi Aegypti filia in matrimonium data, cum Antiochiam se recepisset &c.* Hæc nuptiarum solemnia peracta sunt A. V. Romæ 560. Liuius Raphiam in Phœnice locat, quam Polybius in Cœle Syria sitam dicit, quòd à quibusdam Geographis Palæstina maritima pars Phœnices, ab alijs extrema pars Cœles Syriæ dicebatur. Herodotus lib. 7. scribit: *Hi Phœnices, vt ipsi memorant, quondam mare rubrum accolebant; illinc transgressi, maritima Syria habitant; & quicquid Aegypto tenùs est, Palastina vocatur*. Plinio lib. 5. cap. 13. in Palæstina recitantur *oppida Rhinocolura, & intus Raphea*, quæ etiam in Palæstina à Ptolemæo lib. 5. nominatur. Iosephus in fine lib. 5. de bello, describens iter Vespasiani recèns ad imperium euecti, ex Ægypto in Palæstinam, ait: *Hinc apud Rhinocorura requieuit, & exinde progressus in quartam mansionem, Raphiam venit, qua prima occurrit Syria ciuitas*. Ita Rhinocorura iuxtà Iosephum ad Ægyptum pertinebant, ac Raphia erat vrbs parùm à mari distans, in confinijs Syriæ Palæstinæ

versùs

versùs Ægyptum. In vetustis etiam Notitijs vrbium Imperij & Ecclesiarum Rhinocorura Ægypto attribuuntur.

Epocha Raphiç in perraro numismate Gazæ Regis Christianissimi scalpta visitur, cuius hic typum exhibeo, quem Tristanus errata inscriptione, dudùm protulit tom. 1. pag. 733.



Est nummus Commodi, in quo eiusdem caput iuuenile cernitur, epigraphe magna parte detrita; in ea tamen, quod est præcipuum, legitur ΚΟΜΟΔΟC, *Comodus*, sine duplici litera M. In altera parte scalptum est: ΡΑΦΙΑ ΖΛC. *Raphia. Anno* CCXXXVII. Dianæ venatricis effigies eo in nummo scalpta, Raphiotas eiusdem Deæ cultores ostendit. Quanta autem obstinatione ac peruicacia Raphiotæ Idolorum superstitioni, Christiana iam religione ob Theodosij Augusti pietatem toto passim Romano Orbe florente, addicti fuerint, prodit Sozomenus lib. 7. cap. 15. *Adhuc autem*, inquit, *in quibusdam ciuitatibus pro templis suis alacriter pagani dimicabant; velut in Arabia Petræi, & Areopolitæ, in Palæstina Raphiotæ & Gazæi &c.* Ex eodem nummo Raphia in penultima syllaba sine dyphthongo scribenda est, vti etiam legitur in laudatis locis Polybij, Strabonis ac Iosephi; quamuis Stephano scribatur **Ραφίας**. In Concilio etiam Ephesino Act. 1. pag. 469. postremæ edit. Romanus Episcopus **Ραφείας**; & in Synodica Petri Patriarchæ tom. 5. Concil. pag. 283. Epiphanius Antistes **Ραφείας** leguntur. In altero tamen Concilio sub Ioanne Hierosolymitano ante annos vndeuiginti idem Epiphanius Episcopus **Ραφίας** legitur. Sed de eiusmodi varia orthographia plura superiùs pag. 423. notata sunt.

Ioannes Harduinus pag. 418. scribit Epocham Raphiæ à concessa eidem vrbi autonomia colligendam esse, nempè ab A. V. Romæ DCC. *quo à Crasso*, inquit, *id beneficium consecutos Raphiotas credimus*; vnde ait: *Raphiotarum Aera decennio integro posteriùs statuenda*

tuenda est, quàm Gazensium. Hinc laudatum nummum cusum putat A. V. Romæ 937. qui quintus Commodi Principis fuit. Hæc tamen V. C. opinio ex Iosepho, ac ipsomet nummo refellitur. Etenim Iosephus lib. 13. cap. 23. inter vrbes finitimis ereptas, ac nouo Iudæorum regno ab Alexandro Iannæo adiectas, recitat *Gazam, Anthedona, Raphiam, Rhinocorura*. Quamuis verò lib. 14. cap. 8. non recenseat Raphiam inter vrbes à Pompeio è Iudæorum seruitute vindicatas, ac libertate donatas; Raphia tamen hoc quoque beneficium cum ceteris oppidis accepit; siquidem cum dixisset Hierosolyma facta fuisse stipendiaria P. R. addit: *Vrbes verò quas eius ciues subiugauerant in Cœle Syria, illis ademptas, iussit proprio parere præsidi, & totam gentem prius elatam rebus prosperis, contraxit intra veteres terminos*. Quare cum Raphia & Anthedon extra veteres terminos Iudææ fuerint, vtramque pariter vrbem Pompeius Iudæis eripuit, cum Gazam & Azotum abstulerit, quæ oppida propiora erant Iudææ confinijs; Raphia verò M. P. XXII. supra Gazam esset, ac Ægypto proxima. Præterea idem Iosephus eo libro 14. cap. 10. scribit Gabinium, qui ante Crassum Syriæ Proconsul fuit, cum prouinciam lustraret, plerasque à Iudæis deuastatas vrbes Græcanicas, restaurandas iussisse: *Atque hoc pacto*, inquit, *instaurata sunt Samaria, Azotus, Scythopolis, Anthedon, Raphia, Dora, &c.* At Gabinius A. V. 697. Syriæ cum imperio præerat. Quare cum Raphia Gabinij iussu restaurata fuerit, ab illo potiùs tempore eiusdem vrbis Epocha colligenda est, quam à Syriaco proconsulatu M. Crassi, cuius erga Raphiam beneficentia sine teste ac tabulis fingitur. Præterea in laudato Raphiæ nummo Commodus iuuenili vultu ac imberbis scalptus visitur; cum tamen A. V. 937. ac quinto imperij post obitum patris, in nummis benè barbatus appareat, quòd patrem imitatus, intonsa barba grauioris ætatis Principem simulabat. Itaque Epocha Raphiæ inijt antequàm Crassus in Syriam veniret. Illam verò à donata primùm Raphiotis à Pompeio libertate deducendam censeo. Iosephus libro 14. cap. 8. describens gesta Pompeij in Syria, ait: *Nam tum primùm libertatem amisimus, subiecti Romanorum imperio, & regionem de Syris bello captam, reddere ipsis coacti sumus*. Raphiam ergo ciusdem ciuibus reddere iussi sunt à Pompeio, vti Gazam aliasque Iudææ proximiores vrbes Syris, iussu Pompei, restituerunt. Ceterùm vti Gazenses suam Epocham A. V. 693. biennio postquàm à Pompeio à iugo seruitutis Iudæorum liberati fuerant, instituerunt, vti superius ostensum est, Raphia etiam proxima Gazæ vrbs, ab eodem pariter anno, finitimorum exemplo, nouam Æram auspicata videtur. Hinc

annus

annus in nummo regio Commodi 237. exijt per autumnum A. V. 928. quo M. Aurelius cum L. Commodo Cæsare filio in Syriam transmisit. Si tamen in nummo integriori Raphiotarum Commodus legatur cum titulis ΑΥΤ. & CEB. nempè *Imperatoris & Augusti*, Epocha Raphiæ colligenda est ab A. V. 697. quo Gabinius Syriæ Proconsul eam vrbem restaurandam iussit. Quare annus 237. cœpisset ab Autumno A. V. 933. ac primo imperij Commodi post obitum M. Aurelij patris, qui eodem anno Iuliano die 16. Martij fatis concesserat, cum nondum Commodus cum barba in nummis formaretur. Ex eadem regia Gaza Harduinus nummum Caracallæ producit in postica cum icone Apollinis inscriptum: ΡΑΦΙΑ. ϛΞC. *Raphia, Anno* CCLXVI. Qui annus Æra Raphię deducta ab A. V. 693. cœpit per autumnum A. V. 958. vel eadem numerata ab A. V. 697. inijt ab autumno A. V. 962. cum ijsdem annis M. Antoninus Caracalla Augustus cum Septimio Seuero patre imperaret. Quòd verò ait Harduinus dubitare se, *ne in hisce nummis legi satiùs sit* ΠΑΦΙΑ, *ac de Venere Paphia Cypriorum accipi*, hoc, inquam, dubium huic Scriptori suboriri potuit, quòd ipsos nummos neutiquam vidit; cum tamen Andreas Morellius vir in veterum nummorum peritia nulli hac ætate secundus, in regio numismate Commodi ΡΑΦΙΑ legerit, ac ipsum etiam nummum suamet manu delineatum, ad me transmittendum curauerit per V. C. Nicolaum Toinardum. Et sanè qui fieri possit, vt ad Venerem Paphiam nummus referatur, in quo Diana adeo Veneri aduersa, obsignata est?

CAPVT V.

EPOCHÆ SEBASTES AC NEAPOLEOS.

VTraque vrbs fuit in Samaria, ac vtraque veteri antiquato, nouo nomine ornata fuit. Erat Samaria regio Iudææ iuncta, in qua vetustiori ætate Reges Israel regiam habuere; cum reges Iuda apud Hierosolyma regni sedem tenerent, vt sacræ nobis literę prodiderunt. Vtraque tamen natio vetusta secum inuicem odia semper exercuit, quorum origo ex diuerso in colendo Numine ritu ac ceremonijs defluxit. Plinius lib. 5. cap. 13. describens Palæstinam, ait: *Intus Samariæ oppida Neapolis, quod antea Mamortha dicebatur, Sebaste, & in monte altiore Gamala*, cuius postremę vrbis à Tito Vespasiano expugnatę, excidium recitat Iosephus lib. 4. de bello Iudaico capite tertio.

§. I.

EPOCHA SEBASTES.

Samaria vrbs regia sedes Regum Israel. Cur Hierosolymorum soror maior nuncupata. Templum ibidem Deo extructum ad exemplum Hierosolymitani. Samaria à Iudæis diruta, ab Herode Rege postea iterum extructa, Sebaste *nuncupatur. Id contigit A. V. Romæ 729. Hinc Epocha Sebastenorum initium sumpsit. Metrachronismus in Eusebij Chronico notatur.*

SEbaste cum primùm condita fuit, Samariç nomen tulit ab Amri, siuè vti legunt LXX. Interpretes, Omri Israelitarum rege, vti legimus 3. Regum XVI. vbi V. 24. hæc de eodem narrantur: *Emitque montem Samariæ à Somer duobus talentis argenti: & ædificauit eum, & vocauit nomen ciuitatis, quam extruxerat, nomine Semer domini montis, Samariam.* Ille sedem regni, quam sex annis apud Thersam tenuerat, in nouam vrbem abs se conditam, transtulit anno ante Christi Epocham 924. vbi & successores reges Israel regnantes thronum, vita verò defuncti, sepulchrum habuere. Hinc S. Hieronymo in lib. de locis Hebr. laudatur *Samaria ciuitas regalis in Israel, quæ nunc Sebaste dicitur. Sed & omnis regio quæ fuit circa eam, à ciuitate quondam nomen acceperat.* Deo apud Ezechielem cap. 23. duæ sorores eadem matre genitç recensentur: *Nomina autem earum, Oolla maior, & Ooliba soror eius minor.* Dein: *Porrò earum nomina, Samaria Oolla, & Ierusalem Ooliba.* At Hierosolyma regum sedes erat vltra annos septingentos priusquàm Samaria conderetur; siquidem Iosue cap. X. Adonisedeck *rex Ierusalem* cum quatuor fœderatis regibus ab Hebræis victus, ac peremptus dicitur. Rectè ibidem Hieronymus Samariam maiorem appellatam dicit, quòd erat regia decem Tribuum Israel, cum apud Hierosolyma reges in Tribu Iuda ac magna Leui parte tantùm regnarent. Qui autem reges Israel dicebantur, postquam Samariam regiam incoluere, reges Samariç in sacris passim literis nuncupati sunt; in quibus etiam IV. Regum cap. 17. legimus Samaria post triennij obsidionem ab Assyriorum rege capta, ac incolis simulque decem Tribubus Israel in longinquam captiuitatem abductis, nouos ex Per-

Perside colonos Samariam deductos, qui vnà cum Dijs patrijs, Deum quoque Israel adorabant. Quamuis verò euersa Assyriorum Monarchia, ac pluribus Iudæorum transfugis in Samariam se recipientibus, Samaritæ Idolorum cultum abiecerint, ac vnum cum Hebræis Numen adorarent, rituum tamen diuersitas ac variæ de religione opiniones perpetua inter vtrumque populum odia excitarunt, quæ perniciosiùs postea auxit templum, quod in monte, qui Samariæ imminet, Sanabelletes Darij postremi Persarum regis in Samaria præfectus extruxit; nam antea Samaritæ vnà cum Iudæis in vno tantùm Hierosolymitano templo sacra peragebant. Horum auctor venit Iosephus lib. 11. cap. vltimo. Cum extincto Alexandro Magno, regnum superioris Syriæ Seleuco contigisset, Cœle Syria cum Samaria ac Iudæa in Ptolemæorum Ægypti regum potestate fuit, quousque Antiochus Magnus easdem prouincias bello aggressus, Seleucidarum regno adiecit; cuius filius Antiochus Epiphanes lata lege, Iudæis iussit, vt Græcorum religionem susciperent, quam cum illi impietatem detestarentur, Antiochus captis Hierosolymis, vniuersam gentem innumeris calamitatibus affecit, quæ in vtroque Maccabæorum libro narrantur. At Samaritæ, ne in communi cum Iudæis causa parem apud regem indignationem subirent, supplicem ad eundem epistolam transmiserunt, inscriptam: *Regi Antiocho Deo Epiphani suggestio à Sidoniis in Sicimis habitantibus*, apud Iosephum lib. 12. cap. 7. Sicima enim id temporis vrbs Samariæ proxima totius prouinciç caput euaserat. Verùm cum Hebræi Hyrcano postea Pontifice ac principe, plures Seleucidarum regno ereptas armis ciuitates, sibi subdidissent, vrbi quoque Samariæ castris admotis, duplici fossa ac muro per octoginta stadia ducto, eandem post annuam obsidionem ceperunt, hæc Iosepho scribente lib. 13. cap. 18. *Atque ita Hyrcanus integro anno in oppugnatione exacto, non contentus vrbem capere, etiam solo eam æquauit, inductis illò torrentibus, quorum eluuie ita cuncta fœdata sunt, vt ne vestigium quidem superesset eius oppidi*; donec in nouam vrbem Sebasten surrexit.

Cum Augustus post Actiacam victoriam non modò Herodi, qui Antonij partes hactenùs secutus fuerat, regnum ratum habuisset, verùm etiam aliquot vrbium Syriæ Cœles ac Phœnices additione insigniter auxisset, Herodes nouam vrbem in ruinis veteris Samariæ condens, eandem de Augusti, à quo tot beneficijs ornatus fuerat, nomine *Sebasten* nuncupauit. Iosephus lib. 15. Antiq. cap. 11. & lib. 1. de bello cap. 16. eam vrbem describens, ait mœnia ad viginti stadia circumdata, ac in medio ornatissimum tem-

plum cum quouis alio tum magnitudine tum pulcritudine conferendum, extructum, quod rex Herodes ipsi Augusto dicauit. Sex etiam millia colonorum tam ex auxiliari milite, quàm è finitimis gentibus in nouam vrbem deduxit, vt si qui forte à Iudæis tumultus excitarentur, sibi essent præsidio, quibus & proximos agros distribuit. Hæc cum ille narrasset, sequens caput duodecimum hisce exorditur: *Eodem anno qui fuit decimus tertius regni Herodis, maxima calamitates in eam regionem ingruerunt*. Narrat famem qua regnum Herodis oppressum fuit, Petronio præfecto Ægyptum id temporis administrante, ac Ælio Gallo in felicem Arabiam expeditionem suscipiente. Ex his annus Natalis Sebastes ab Herode rege conditę, intelligitur. Nam cum anno V. 726. Cæsar Octavianus *Augusti* titulum acceperit, ex Dione lib. 53. ac Censorino cap. 8. de die Natali, certum est Sebastem ante eundem annum non fuisse extructam. Rursùs Petronius successor Cornelij Galli in Ægyptum missus fuit ex eodem Dione ibidem, A. V. Romæ 728. Cum vero Iosephus ait Sebastem conditam anno XIII. regni Herodis, annos regni non quidem à Triumuiris primùm A. V. 714. acceptі, sed post necem Antigoni legitimi Iudæorum regis A. V. 717. ab Herode initi intelligit; si enim eos ab A. V. 714. numeraret, annus XIII. concurret cum præfectura Ægyptiaca Ælij Galli, non autem Petronij. Præterea Iosephus cum vrbem Sebasten ab Herode conditam recitasset, ait: *Eodem tempore & auxilia misit Cæsari quingentos selectos è suo satellitio, quos Aelius Gallus duxit in expeditionem Arabicam*. Hæc autem expeditio ex Dione cit. A. V. 730. suscepta fuit. Hinc Sebaste condita est A. V. Romæ 729. vti tradit Vsserius tom. 2. Anno periodi Iul. 4689. ac XXV. ante vulgarem Christi Epocham. Extant in regia Galliarum Gaza nummi Commodi Sebaste scalpti, in quibus Æra eiusdem vrbis legitur. Domitiani etiam nunmum ibidem percussum, ac humanitate V. C. Ioannis Vaillantij mihi delineatum, vnà cum regijs in ære incisum subijcio.



In

In antica parte nummi dextrorsùs scalpti, legitur: IMP. DOMIT. CAESAR. & in postica cum Ioue dextra sceptrum, sinistra autem victoriolam tenente, CEBACTHNΩN. L. ΘΡ. *Sebastenorum. Anno* CIX. qui annus, summa deducta ab A. V. Romę 729. cœpit ab autumno A. V. 837. ac totus ferè cum quarto imperij Domitiani concurrit. In anteriori parte nummi sinistrorsùs delineati, Latina pariter Inscriptio est: IMP. C. M. AVR. COMM... *Imperator Cæsar M. Aurelius Commodus*. In auersa parte cum figura Cereris legitur: CEBACTHNΩN CYP. CIE. *Sebastenorum Syriæ. Anno* CCXV. Denique in tertio medio minori nummo anterior epigraphe partim detrita est, eiusque hæ tantùm syllabę notantur: COM. ANT. nempè: COMMODVS ANTONINVS. Posterior Inscriptio proximè recitatę similis est, addito tamen anno Ærę diuerso: L. CIς. *Anno* CCXVI. Cum plures ciuitates à regibus in honorem imperantium Augustorum *Sebastes* nomen acceperint, vnum tantùm in Syria oppidum ab Herode rege extructum, id nomen tulit; cum alteram postea vrbem maritimam, quæ Stratonis turris dicebatur, vastis ædificiorum molibus adornans, ac insigni etiam portu muniens, *Cæsaream* de altero vetustiori Augusti cognomine nuncupauerit. Quidam insignis Scriptor putat Sebastenos eosdem esse, *qui Græco in Latinum mutato sermone, Augustopolitani dicti sunt*. Errat; etenim Augustopolitani erant in tertia Palæstina ex vetustis Notitijs apud Carolum à S. Paulo pag. 5. & 62. In Actione V. Synodi C. P. sub Menna Patriarcha, subscribit epistolam ceteros inter Elias pro omnibus Monachis ἐν Αὐγουστοπόλει τῆς τρίτης Παλαιστίνης, *apud Augustopolim tertia Palæstinæ*. At Sebaste erat in prima Palæstina aliquot dierum itinere procul ab Augustopoli.

Annus CCXV. in nummo delineato Sebastenorum signatus, cœpit ab autumno A. V. Romæ 943. qui erat vndecimus imperij Commodi post mortem M. Aurelij patris, cuius collega antea per triennium imperauerat. Annus verò CCXVI. in paruo nummo scalptus, exijt per autumnum anno Vrbis 945. Commodo post tres menses occiso. Quare ex hoc nummo colligimus Epocham Sebastes non posse protrahi infra autumnum A. V. Romæ 730. etenim si ab hoc anno deduceretur, annus eiusdem CCXVI. cum tribus tantùm postremis mensibus imperij Commodi copularetur. Harduinus pag. 443. in regio nummo legit: CEBACTHNΩN CYP. L. IE. nempè, inquit, *anno XV. Commodi cum Gradiui Martis effigie*. Vtrumque falsò. Nam cum Gradiuo Marte eo in nummo legitur: L. CIS. *anno* CCXVI. Epochæ Sebastenorum. In indi-

ce Thesauri Mauroceni pag. 129. ab Equite Patino recitatur nummus Iuliæ Domnæ, cum postica inscripta: ΣΕΒΑΣΤΗΝΩΝ ΣΥΡ. L. CK. *Sebastenorum Syriæ: Anno* CCXX. qui cœpit ab autumno A. V. 948. ac tertio imperij Septimij Seueri, cuius Iulia Domna coniux fuit. Cum verò in regio nummo Commodi legatur annus Sebastes CCXVI. etiamsi nihil lucis ad assequendum initium Epochæ laudatæ ex Iosephi libris coruscaret, ex vtriusque nummi Iuliæ & Commodi collatione vix triennio in figendo capite Æræ Sebastenorum aberrare possemus.

In Chronico Eusebij anno III. Olympiadis CXC. qui cœpit A. V. 736. legimus: *Herodes Samariam olim iam in cineribus sedentem, a fundamentis suscitans, in honorem Augusti*, Augustam, *id est* Sebastem *appellauit &c.* Iam verò si ab eo anno Vrbis Romæ 736. numeremus annos 216. in nummo Commodi à Sebastenis obsignatos, exissent hi per autumnum A. V. 952. Commodo Imperatore ante septennium occiso. Itaque eo in Chronico Natalis Sebastes septennio tardiùs statuitur, & non tantùm quadriennio, vti scribit in notis Scaliger. Ita nummorum ope insignium Scriptorum anachronismi emendantur. Iosephus lib. 15. cap. 12. narrat regem Herodem *Ascalonitam* vulgò appellatum, ob studium Cæsarem, ac Agrippam aliosque Romanorum sibi demerendi, in condendis vrbibus Cæsarea ac Sebaste & Agrippiade, patrias leges violasse, *dum in honorem*, inquit, *eorum, vrbes condit, & templa extruit; licèt non in solo Iudaico; hoc enim illi*, nempè Iudæi, *nequaquàm laturi erant, quod nefas sit nostris legibus statuas ac effigies more Græcorum colere*. Sebaste in Samaria extra Iudæam sita erat, ac ibidem tum etiam Cæsareę longè maior erat numerus Syro-Græcorum, qui Idola colebant, quàm Iudæorum; licèt vtramque Rex Iudæorum Herodes condidisset. Hinc ob diuersitatem religionis ciuiles vtrobique tumultus contra Iudæos sæpè excitabantur teste Iosepho, qui lib. 20. cap. 6. ait Cæsarienses eo vehementiùs contra Iudæos insurrexisse, *quòd plurimi Romanis per ea loca militantium Cæsarienses essent aut Sebasteni patria*. Alæ equitum Sebastenorum & Cæsariensium nominantur eidem in fine lib. 19. & rursùs Ala Sebastenorum lib. 2. belli cap. 11. Et in Notitia Imperij Orientalis Theodosio iuniore imperante, sub Duce Palæstinę recensetur *Ala prima milliaria Sebastena Asuada*, quod est nomen oppidi limitanei, vbi stationem habebat. Pancirolo in comm. ea Ala dicitur *ex Cæsarea Iudææ delecta*, vbi Cæsaream cum Sebaste confundit; siquidem Equites eius alę erant domo Sebaste in Samaria. Vlpianus lib. 50. Digest. tit. XV. *de censibus*, *L.* 1. num. 7. scribit: *Diuus quoque*

Seuerus

Seuerus in Sebastenam ciuitatem coloniam deduxit. Eiusdem coloniç nummos exhibendos dimitto amico nostro doctissimo Ioanni Vaillantio in libro de Colonijs Romanorum; nolo enim falcem mittere in messem, quam totam ille sibi colligendam assumpsit, vt præ eximia sui eruditione, nullius cuiquam spicilegij locum reliquum facturus esse videatur.

§. II.

EPOCHA NEAPOLEOS.

Neapolis vrbs Samariæ. Varia eiusdem nomina. Flauia *appellata. Iure ciuitatis à Septimio Seuero mulctatur. Idem tamen opera M. Aurelij Antonini Caracallæ recuperat. Hinc alterum* Aureliæ *cognomen adsumpsit. Viri eruditi eandem* Phaneam *perperàm nuncuparunt. Mons Garizin cum templo Iouis ac gradibus CCC. propè Neapolim in eiusdem Vrbis nummis scalptus. Epocha Neapoleos. Insignis Tristani error, alterque recentis Scriptoris emendantur. Cultus Dianæ Ephesiæ apud Neapolim. Faustina vxor M. Aurelij diu ante maritum Augustæ titulum tulit. Neapolis non fuit colonia à Vespasiano aut à M. Aurelio deducta. Eiusdem Epocha cæpit A. V. Romæ DCCCXXIII.*

QVidam Neapolim Palæstinę eandem cum veteri Samaria vrbem putarunt, quos inter Stephanus in lib. de Vrbibus, ait: Σαμάρεια πόλις Ἰουδαίας ἡ μετονομασθεῖσα Νεάπολις: *Samaria vrbs Iudææ, quæ Neapolis cognominata est.* Baronius etiam ad A. Christi 530. scribit: *circa Neapolim nempè Samariam.* Quem errorem errat pariter Baubrandus in auctario Lexici Geographici. Proximè enim ostendi Samariam nomen Sebastes ab Herode accepisse, quæ vrbs erat diuersa à proxima Neapoli. Sanctus Hieronymus in Epitaphio S. Paulę, eiusdem hodœporicon describens, ait: *Transiuit Sichen (non vt plerique errantes legunt,* Sichar) *quæ nunc Neapolis appellatur, & ex latere montis Garizim, extructam circa puteum Iacob intrauit Ecclesiam &c. Atque inde diuertens, vidit duodecim Patriarcharum sepulcra, & Sebastem, id est, Samariam, quæ in honorem Augusti ab Herode Græco sermone* Augusta *est nominata.* Ita Hieronymus

ronymus qui diutiùs in Palæstina vixit, ibique vitam clausit, Neapolim veterem Sichem, Sebastem verò antiquam Samariam fuisse testatur. Idem in comm. ad cap. 6. Oseæ, ait: *per Sichen, quæ hodie Neapolis appellatur, eundum erat Hierosolymam*. Ceterùm notat S. Doctor in lib. de locis Hebraicis, Neapolim propè ruinas Sichen extructam fuisse: *Sichen*, inquit, *& Salem, quæ Latinè & Græcè Sicima vocata est, ciuitas Iacob nunc deserta est; ostenditur autem locus in suburbanis Neapoleos*. Sancto Epiphanio ad Hæresim LXXX. Messalianorum, nominatur *locus in Sicimis, qua nunc appellatur Neapolis*. Aliud vetustum huiusce vrbis nomen prodit Plinius lib. 5. cap. 13. *Intus*, inquit, *Samariæ oppida, Neapolis, quod antea Mamortha dicebatur, Sebaste, & in monte altiore Gamala*. Iosephus verò lib. 5. belli cap. 4. de Vespasiano ait: *per Neapolim, quæ dicebatur ab indigenis Mabartha, altera die Dasii mensis in Carneam descendit*. Erat Carneas viculus nono ab Hierosolymis lapide, ex D. Hieronymo in lib. de locis Hebraicis. Harduinus pag. 341. *Morthia* ex nummo legendum contendit. Ammianus lib. 14. laudat ciuitates Palæstinæ, *nullam nulli cedentem, sed sibi vicissim velut ad perpendiculum æmulas, Cæsaream, Eleutheropolim, & Neapolim*. Neapolitani deletis à Tito Hierosolymis, vrbem suam de nomine imperantis familię *Flauiam Neapolim* appellarunt. Cum exorto bello ciuili inter Septimium Seuerum ac Pescennium Nigrum, vrbes Syrię in partes descendissent, ac Tyrij & Laodicenses Seuero; Antiochenses verò ac Berytenses Nigro studerent; eadem æmulatio in Samaria Sebastem in partes Seueri: Neapolim autem in Nigri partes distraxit. Seuerus parta victoria, Laodiceam, Tyrum, ac Sebastem colonias fecit; at Antiochensibus, inquit Spartianus in Seuero cap. 9. *multa ademit; Neapolitanis etiam Palæstinensibus ius ciuitatis tulit, quòd pro Nigro diu in armis fuerant*. Itaque Neapolis iure ciuitatis priuata, sine curia, sine magistratu, sine publico consilio, à prę̨fecto ab Imperatore, siuè à Præside Syrię misso, regi iussa est. Idem tamen Spartianus cap. 1. de M. Aurelio Antonino Seueri filio, vulgò Caracalla, ait: *Antiochensibus & Byzantiis interuentu suo iura vetusta restituit, quibus iratus fuit Seuerus, quòd Nigrum iuuerant*. Idem cap. 14. de vita Seueri scribit: *Palæstinis pœnam remisit, quam ob causam Nigri meruerant*; nempè Neapolitanis in Palæstina. Et sanè M. Aurelij Antonini deprecatione, Neapolitanos amissum ius ciuitatis, à Seuero patre recuperasse, demonstrat rarissimus hic Nummus Mediceus, idemque primæ, vti vocant, magnitudinis.



Inſcriptio anticę partis Latinè redditur: *Imperator Cæſar Marcus Aurelius Antoninus*; poſticę verò: AVRELIAE FLAVIAE NEAPOLEOS SYRIAE PALÆSTINAE. Neapolitani, qui interuentu M. Aurelij Antonini ius ciuitatis recuperauerant, nouum de nomine eiusdem Augusti cognomen *Aureliæ* ſuæ ipſorum patrię additum voluere. Triſtanus tom. 1. pag. 593. nummum Antonini Pij recenſet, in cuius aüerſa parte cum templo in vertice montis, epigraphe illi recitatur: ΦΑΝΕΑC ΠΟΛΕΩC CΥΡΙΑC ΠΑΛΑΙCΤΙΝΗC, nempè ait: *Phanees ciuitatis Syriæ Palaſtinæ*. Ibi verò tradit hanc *Phaneam* eamdem eſſe vrbem, quę Paneas ab alijs dicitur iuxtà montem Panium, in cuius ſummitate rex Herodes Auguſto templum dicauit, quod in laudato nummo expreſſum putat. Spanhemius etiam Diſſert. 9. pag. 899. & Patinus pag. 241. & rurſus pag. 16. indicis, in alijs nummis legunt: ΦΑΝΕΑC ΠΟΛΕΩC &c. *Phaneæ vrbis &c.* Pyrrhus Ligorius ac Æneas Vicus apud Holſtenium pag. 340. alijque vulgò Antiquarij eodem modo nomen eius vrbis ſcripſerunt. Verùm idem Holſtenius pag. 220. notarum in Stephanum de Vrbibus V. Νεαπόλις, in nummo Caracallę quem proximè exhibeo, omnium primus optimè legit: ΑΥΡ. ΦΛ. ΝΕΑC ΠΟΛΕΩC CΑΜ. *Aureliæ Flauiæ Neapoleos Samariæ*. Quòd in nummis duæ priores literę ΦΛ cum ſequenti voce ſine interpunctione ac vllo ſine ſpatio iunctę apparent: ΦΛΝΕΑC, ſecundam literam Λ pro Α accipientes, *Phaneam* vrbem Geographis ignotam, obtruſerunt, & quod mirum, idem Holſtenius pagina poſtea 340. oblitus eorum quę antea ſcripſerat, in vulgarem Antiquariorum errorem delapſus, plures nummos laudans, in omnibus ΦΑΝΕΑC, *Phanea* legit; imò nummum Caracallę Mediceum profert cum epigraphe: ΑΥΡ. ΦΑΝΕΑC &c. Verùm illis literis ΦΛΝΕΑC duę diſtinctę voces exprimuntur, nempè Φλαουίας ΝΕΑC ΠΟΛΕΩC: *Flauiæ Neapoleos*. In

Muſeo Mediceo in nummo L. Veri legitur : ΦΑΧΑΛΚΙΔΕΩΝ , & in alijs ΦΛCAMOC. in quibus duę priores literæ ΦΛ , quamuis cum, ſequentibus iunctę appareant, diſtinctam tamen vocem exprimunt nempè : *Flauiorum Chalcidenſium* , & *Flauiorum Samoſatenſium* . Ita & in nummis Neapoleos eædem duæ literę ΦΛ ad diuerſam vocem pertinent , idemque *Flauium* cognomen Neapoleos vrbis in Samaria deſignant . Enimverò Triſtanus hanc ciuitatem perperàm cum Paneade confundit . Nam Paneas apud Græcos nomen eſt pertinens ad quintam declinationem , cuius proinde genitiuus in άδος exit . Euſebius Cæſarienſis lib. 7. cap. 17. ad radices Panij montis vrbem Πανάδα, *Paneadem* ſitam ſcribit . In Synodo Calchedonenſi ſubſcriptus legitur Olympius Epiſcopus Πανάδος, *Paneadis* . Et in nummo exhibito Diſſert. 4. cap. 5. §. 4. ΠΑΝΙΑΔΟC , *Paniados* ſcalptum legitur . At in nummis Neapoleos habetur : ΦΛΝΕΑC ΠΟΛΕΩC , nempè *Flauia noua Vrbis* ; vbi vox altera ΝΕΑC in genitiuo caſu à recto νέα , pertinet ad ſecundam nominum Græcorum declinationem . Præterea Paneas erat vrbs Phœniciæ viginti circiter milliarijs ſupra Tyrum ad montem Panium ; Flauia verò Neapolis erat in Samaria , vt ex hoc inſigni nummo intelligitur .



Nummus hic eſt Antonini Caracallę vti alter recitatus è Gaza Medicea , idemque ſeruatur in ditiſſimo Cimeliarchio Chriſtinę Suecorum Reginę bellicis trophæis ac literarum gloria perenni apud poſteros nomine conſecrandę . In antica eiuſdem regij nummi legitur : ΑΥΤΟ. ΚΑΙ. Μ. ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟC : *Imperator Caſar M. Aurelius Antoninus* . Poſticę partis epigraphe Latinè vertitur : *Aurelia Flauia Neapoleos Samaria* . Spanhemius pag. 769. nummum Titi abs se viſum laudat cum inſcriptione : ΦΛΑΟΥΙ. ΝΕΑΠΟΛΙ. ΣΑΜΑΡΕΙΑΙ : *Flauiorum Neapolitarum Samaria* . Similem ferè recitat Eques Patinus pag. 151. Ex his eruditi iſti Scriptores optimè

pote-

poterant nummos intelligere inſcriptos : ΦΑΝΕΑC ΠΟΛΕΩC &c. in quibus eadem Flauia Neapolis deſignatur, non verò *Phanea* ignota Geographis vrbs, quam nuſquam memoratam fatentur. Mons in Regio ac Mediceo nummo ſcalptus, eſt Garizin, qui Neapoli imminet, ac vetuſta prouincialium religione *ſanctiſſimus* dicitur Ioſepho lib. 3. belli cap. 12. Damaſcius in vita Iſidori apud Photium Cod. 242. ſcribit : *Marinus Procli ſucceſſor genus ducebat ἀπὸ τῆς ἐν Παλαιςίνῃ νέας πόλεως πρὸς ὄρει κατῳκισμένης τῷ Ἀργαρίζῳ, Neapoli in Palaſtina, ſita propè montem, cui nomen Hargarizus*. Vox *Har* apud Hebræos *montem* ſignificat ; vnde *Hargarizus* idem eſt ac *mons Garizin*. In Itinerario Hieroſolymitano dicitur *Agazeren*, vt mox referam ; ſiuè quòd incolę ætate Conſtantini Auguſti ita eiuſdem montis nomen efferebant : ſiuè potius quòd error in codicem irrepſit. In ſacris literis Deuter. XI. 29. Iudicum IX. 7. *Garizin* nuncupatur. In 2. Maccab. V. dicitur Antiochus Epiphanes rex Syrię templum Hieroſolymitanum cognominaſſe *Iouis Olympii* ; & *in Garizin prout erant hi, qui locum inhabitabant, Iouis Hoſpitalis*. Sanaballetes Darij poſtremi Perſarum regis in Samaria præfectus, in vertice Garizin templum extruxerat, paulò ante quàm Alexander Magnus exercitum in Syriam duceret, vt narrat Ioſephus lib. XI. Antiq. cap. vltimò, cui idem templum dicitur *Hieroſolymitano ſimile in monte Garizin, qui imminet Samariæ, reliquis montibus excelſior*. Procopius lib. 5. de ædificijs Iuſtiniani ſcribit : *Eſt in Palaſtina vrbs Neapolis nomine, propè quam mons altus exurgit, quem Garizin vocant*. Scio D. Hieronymum in lib. de locis Hebraicis aliter ſentire, cum inquit : *Errant igitur Samaritani, qui iuxtà Neapolim Garizin & Gelbal montes oſtendere volunt ; cum ipſos iuxtà Galgal eſſe Scriptura teſtetur*. Verùm & ipſe Hieronymus communem ſententiam ſequitur in epitaphio S. Paulæ, vt initio prænotabam. Vti verò Iudæi vnum tantum templum apud Hieroſolyma habebant, ita Samaritani in vnico montis Garizin templo ſacra peragebant, quod poſtea anno ab eiusdem conditu ducenteſimo Hyrcanus Iudæorum Pontifex ac Princeps ſolo æquauit, ex Ioſepho lib. 13. Antiq. cap. 17. Hunc planè montem intellexit mulier Samaritana, cum Ioannis IV. 20. Chriſto Domino dixit : *Patres noſtri in monte hoc adorauerunt, & vos dicitis, quia Hieroſolymis eſt locus, vbi adorare oportet*. Id enim temporis nullum ſupra Garizin templum extabat.

In nummo inclytæ Reginę plures visuntur gradus per quos ad ſummitatem montis aſcendebatur, qui pariter gradus ſcalpti ſunt in nummo altero Neapoleos apud Triſtanum pag. 393. qui tamen perperàm putat Panium montem eo in nummo exprimi. Vnus

anonymus Scriptor Itinerarij Hierosolymitani, qui imperante Constantino magno, illud hodœporicon concinnauit, nempè vt ibidem scribit *Delmatio & Xenophilo Coss.* anno Christi 333. montem Garizin ac longo ordine scalptos ibidem gradus, ita describit.

Ciuitas	*Sciopoli*	M. P. XII.
	Aser, vbi fuit villa Iob.	M. P. VI.
Ciuitas	*Neapoli*	M. P. XV.

Ibi est mons Agazaren. Ibi dicunt Samaritani Abraham sacrificium obtulisse, & ascenduntur vsque ad summum montem GRADVS numero CCC. Inde ad pedem montis ipsius locus est, cui nomen Sechim &c. Inde passus mille locus est, cui nomen Sechar, vnde descendit mulier Samaritana ad eundem locum &c. Hoc egregio testimonio Anonymi Auctoris laudati nummi mirificè illustrantur; siquidem numerus graduum in eisdem scalptorum designatur, qui nusquàm aliàs innotescit. Porrò quæ ibi ciuitas *Sciopoli* dicitur, est Scythopolis vrbs vetusta in Cœle Syria Polybio, Plinio, Iosepho, aliisque memorata, quę in posteriori trium Palæstinarum diuisione constituta fuit Metropolis Palæstinę secundæ. Hieronymo in lib. de locis Hebraicis *Aser* dicitur *villa descendentibus à Neapoli Scythopolim in decimoquinto lapide iuxtà viam publicam.* Rursùs ad pedes montis Garizin xystus seu ampla porticus visitur, sub qua ad templum conuenientes, à procellis tuti subsistebant. Damascius apud Photium laudatum, de Garizin scribit: *in quo monte Iouis summi sacratissimum est templum, vbi & Abraham primus antiquorum Iudæorum sacratus fuit.* Cum enim excisis Hierosolymis, Deorum cultus per Iudæam ac proximam Samariam inualesceret, in vertice Garizin templum Ioui extructum fuit, quod in exhibitis nummis apparet. Auctor est Procopius in laudato libro primo de ædificijs Iustiniani, Zenonem Augustum in vertice Garizin templum Virgini Deiparæ dedicasse; vnde Samaritani non semel postea contra Christianos tumultuati sunt, vti eruditè in magnis Annalibus narrat Cardinalis Baronius ad A. Christi 530.

Epocha Neapoleos in pluribus eiusdem vrbis nummis occurrit, quorum duos vidi in Cimelijs Mediceis. Rarioris typum præpono.

Hic



Hic nummus in antica parte dextrorsùs obtusus, nomen Augustæ non exprimit ; sed ex altero simili apud Tristanum tom. 1. pagina 593. supplendus est, vt integra sit epigraphe : ΦΑΥϹΤΕΙΝΑ ϹΕΒΑϹΤΗ ΕΥϹΕΒ. ΘΥΓΑΤΗΡ : Nempè ait Tristanus : FAVSTINA AVGVSTA PII AVGVSTI CONIVX ; notatque exprimi ibidem imaginem Faustinę *Antonini Pii vxoris*. Est insignis viri aliàs eruditi error ; siquidem vox Θυγάτηρ apud Græcos non *coniugem*, sed *filiam* significat. Itaque Latinè legendum est : *Faustina Augusta Pii Augusti FILIA*. Auersæ partis inscriptio eidem Tristano recitatur : ΦΛΝΕΑϹ ΠΟΛΕΩϹ ϹΥΡΙΑϹ ΠΑΛΑΙϹΤΙΝΗϹ . ΗΠ . ΤΕ. Vbi nec nomen vrbis, nec illius Epocham intellexit. Sanctus Iustinus Martyr in apologia pro Christianis ad Imperatorem Antoninum Pium, genus nec non patriam suam designans, ait : *Iustinus Prisci filius, Bacchii nepos*, τ͂ ἀπο ΦΛΑΟΥΙΑΣ ΝΕΑΣ ΠΟΛΕΩΣ τ͂ ΣΥΡΙΑΣ ΠΑΛΑΙΣΤΙΝΗΣ, quæ ipsissima verba in laudato nummo alijsque mihi proximè producendis, leguntur, videlicèt : domo *Flauia Neapoli Syriæ Palæstinæ*. In area nummi cum insigne Fortunæ temonem ac cornu copiæ tenentis, literę perperàm inuersæ ΗΠ. ΤΕ Tristano scribuntur, eidem planè nec expositæ, nec intellectę. Earum certa dispositio ex nummo Mediceo est : ΕΤ. ΠΗ, id est, *Anno* LXXXVIII. Epocha Neapoleos vt postea dico, cœpit anno Vrbis Romę 823. Quare annus abhinc 88. in eo nummo notatus, inijt ab autumno A. V. 910. vicesimo imperij Antonini Pij, Barbaro & Regulo Coss. vti cognomen prioris Consulis ex veteri Inscriptione ac Galeno restitui pag. 98. Epistolę Consularis ; quibus addo Philostratum in lib. de vitis Sophistarum in Polemone. Nummo Faustinę iunioris alterum iungo M. Aurelij Cæsaris eiusdem mariti eodem anno apud Neapolim scalptum.

Hanc



Hunc æreum nummum Illuſtriſſimus Comes Franciſcus Mediobarbus Mediolano è ſuo Muſeo ad me Florentiam tranſmiſit; eundemque ichthyocolla expreſſum è regia Galliarum Gaza accepi. In antica parte viſitur caput M. Aurelij Cæſaris ſine laurea. Inſcriptio verò Latinè redditur ab Harduino pag. 341. *Aurelius Cæſar Pius Auguſtus, Conſul*, quòd Græcè eandem legit: Αὐρήλιος Καῖσαρ Εὐσεβὴς, Σεβαςὸς, Ὕπατος. Errat; nuſquàm enim M. Aurelius in nummis aut lapidibus *Pius* inſcriptus legitur; fuit enim illud cognomen proprium Imperatoris T. Ælij Antonini. Præterea eo in nummo Marcus Aurelius putus putus Cæſar exhibetur ſine laurea, ac genibus leui tantùm lanugine obductis. Itaque nondum erat Auguſtus, quocum titulo poſt obitum Antonini Pij primùm obtento, in omnibus nummis benè barbatus apparet. Vera ergo nummi lectio eſt: Αὐρήλιος Καῖσαρ ΕΥΣΕΒοῦς ΣΕΒαςῦ Υἱός: *Aurelius Cæſar Pii Auguſti Filius*, vti paſſim in nummis Latinis ſuperſtite Imperatore Antonino Pio nuncupatur. In poſteriori parte nummi delineati, viſitur Diana Epheſia ſpicas manu præferens. Epheſij illam Deam multimammiam ea figura expreſſam colebant. Diuus Hieronymus in præfat. com. in Epiſt. D. Pauli ad Epheſios ad Paulam ac huius filiam Euſtochium, ait: *Scribebat ad Epheſios Dianam colentes, non hanc venatricem, quæ arcum tenet, & ſuccincta eſt, ſed illam* multimammiam *quam Græci* πολύμαςθον *vocant, vt ſcilicèt ex ipſa quoque effigie mentirentur omnium eam beſtiarum & viuentium eſſe nutricem*. Hocce erat Dianę apud Epheſum ſimulacrum, quæ tanta ſuperſtitione ab Epheſijs colebatur, vt tumultu à plebe contra D. Paulum eiuſque diſcipulos ibidem excitato, *vox facta omnium* dicatur in Act. Apoſtol. cap. XIX. 35. *quaſi per horas duas clamantium: Magna Diana Epheſiorum*. Hanc quoque Dianam multimammiam apud Neapolim in Palæſtina cultam propoſitus nummus oſtendit. Inſcriptio verò nummi eadem, vt in superiori Fauſtinę, Latinè vertitur: *Flauia Neapoleos Syriæ Palæſtinæ*. Eadem Epocha ET. ΠΗ, *Annum* LXXXVIII. ſignificat. Alter num-

nummus eiusdem Cæsaris M. Aurelij seruatur in locupletissimo Cimeliarchio inclytæ Suecorum Reginę Christinę, cuius partem auersam exhibeo.



In anteriore parte nummi M. Aurelius sine laurea, ac facie breuiori tantùm lanugine asperata visitur, vt in proximè delineato numismate, cum epigraphe : ΑΥΡΗΛΙΟC ΚΑΙCΑΡ ΕΥCΕΒ. CEB. *Aurelius Cæsar Pii Augusti filius*. In posteriori visitur imago Serapidis cum calatho in capite, quem cum Macrobius Solem ea sub imagine esse testetur lib. 1. Satur. cap. 20. ait: *Cuius vertex insignitus calatho, & altitudinem syderis monstrat, & potentiam capacitatis ostendit: quia in eum omnia terrena redeunt, dum immisso calore rapiuntur*. Inscriptio nummi Latinè redditur : *Flauia Neapoleos Syriæ Palæstinæ*. In area verò Epocha ET. ΠΗ. *annum* LXXXVIII. designat, qui cœpit ab autumno A. V. Romę 910. ac vicesimo imperij Antonini Pij; vndecimo verò Tribunicię Potestatis M. Aurelij Cæsaris. Extat Inscriptio Gruteri pag. CCLX. 6.

FAVSTINAE

AVG

IMP. CAES. T. AELI

HADRIANI ANTONINI

AVG. PII P. P. TR. POT. X

IMP. II. COS. IIII

FILIAE


M. AVRELI. CAESARIS

VXORI

Anto-

Antoninus Pius Augustus A. V. 909. à palilibus, Christi 147. die V. Kal. Martij annum Tribuniciæ potestatis X. eo in epigrammate signatum, iniuit, quo anno Faustina eiusdem filia ac M. Aurelij Antonini vxor AVGVSTA nuncupatur. At M. Aurelius CAESARIS tantùm titulo id temporis decoratus dicitur; cum post annum XIII. qui fuit V. C. 914. à palilibus, Christi 161. demortuo socero Antonino Pio, titulum Augusti acceperit. Quod ex laudato nummo Neapoleos cum Epocha annorum 88. colligitur; hoc enim anno Faustina ibidem dicitur CEBACTH, nempè *Augusta*; Marcus verò Aurelius eiusdem maritus eodem anno 88. Neapoleos in nummis Cæsar tantùm, non autem *Augustus* appellatur. Bononiæ in Museo Pollacio visitur nummus cum epigraphe: FAVSTINA AVGVSTA; & in auersa parte: AVRELIVS CAESAR AVG. PII. F. Itaque Faustina iunior ante tria lustra & quod excurrit, *Augusta* vocabatur, priusquàm M. Aurelius eiusdem maritus eandem dignitatem obtineret. In scrinijs Illustrissimi Domini Theodorici Bignonij Comitis Consistorialis & in magno Christianissimi Regis Consilio Præsidis ac libellorum supplicum Magistri, visitur nummus in antica inscriptus: ΑΥΡΗΛΙΟϹ ΚΑΙϹΑΡ ΕΥϹΕΒ.. *Aurelius Cæsar Pii*, videlicèt, *Augusti Filius*, quæ duæ voces ibidem detritæ, ex productis nummis supplendæ sunt. Visitur caput eiusdem sine laurea, & in postica legitur: ΦΛΝΕΑϹ ΠΟΛΕΩϹ ϹΤΡΙΑϹ, *Flauia Neapoleos Syriæ*, & in area cum Diana Ephesia, ΕΤ. ΠΖ. *Anno* LXXXVII. qui cœpit per autumnum A. V. Romæ 909. imperij Antonini Pij vndeuicesimo. In Gaza Regis Christianissimi seruatur nummus Faustinæ iunioris cum epigraphe: ΦΑΥϹΤΕΙΝΑ CEB. *Faustina Augusta*; & retrorsùs cum Astarte succincta, ac calatho in capite, pede proram triremis premente, dexteraque caput Osiridis, sinistra sceptrum oblongum tenente: ΦΛΝΕΑϹ ΠΟΛΕΩϹ CΥΡ. ΠΑΛΕ.. & in medio ΕΤ. ΠΖ. *Flauia Neapoleos Syriæ Palæstinæ. Anno* LXXXVII. Eques Patinus pag. 16. indicis tomi de Nummis ex ære med. &c. aliud Faustinæ numisma apud Neapolim scalptum recitat cum epocha: ΕΤ. ΠΘ. Anno LXXXIX qui inijt ab autumno A. V. Romæ 911. vicesimo primo imperij Antonini Pij. Denique vt cum Museo Mediceo, vnde cœpi, finem etiam imponam, hic ibidem duplicatus Nummus seruatur.

In-



Inſcriptio prioris partis Latinis eſt : *Fauſtinam Auguſtam* ; poſterioris verò : *Flauia Neapoleos Syria Palæſtina*. In Græca voce ΠΑΛΕCΤΙΝΗC in hoc nummo, atque in quibuſdam alijs syllaba ſecunda ſine diphthongo AI ſcalpta eſt. In area nummi vtriuſque cum Diana Epheſia legitur Epocha ΕΤ. ϥ. *Anno* XC. qui cœpit ab autumno A. V. 912. imperij Antonini Pij XXII. De nota ϥ numerum nonageſimum apud Syromacedones ſignificante, plura pag. 420. prænotaui. Itaque habemus nummos apud Neapolim in Palæſtina ſcalptos annis Æræ eiuſdem vrbis 87. 88. 89. & 90. quorum initium ab imperio Veſpaſiani deducendum oſtendo.

Eques Patinus pag. 123. indicis Nummorum Muſei Mauroceni, Antonini Pij nummum recitat in poſtica inſcriptum : ΦΛΝΕΑC ΠΟΛΕΩC CΥΡΙΑC ΠΑΛΑΙCΤΙΝΗC. ΠΘ. Nicolaus Bon Latinis Græciſque literis egregiè excultus, qui illius Muſæi nummos diu antea in indicem retulerat, mihi teſtatus eſt eundem nummum eſſe Antonini Pij, & in poſtica poſt recitatam epigraphem in area nummi legi : ΕΤ. ΠΘ. nempè : *Flauia Neapoleos Syria Palæſtina*. *Anno* LXXXIX. Ipſe enim, vt verum fatear, ſuſpicabar eum nummum eſſe M. Aurelij. Cum verò ea ſcrinia Venetæ Reipublicę legata, ſeueriori cuſtodia ſeruentur, quàm hic Florentiæ duo prægrandia Pandectarum volumina, quæ Angelus Politianus cap. 41. Miſcell. teſtatur etiam ſua ætate oſtenſa fuiſſe *magna veneratione, quamquàm rarò id, etiamque ad funalia*, haud tentaui maiorem laudati nummi mihi notitiam importuna & audaci curioſitate comparare ; cum iam conſtet ex nummo M. Aurelij anno ſuperiori Neapoleos 88. adhuc tantùm Cæſaris Antoninum Pium fuiſſe ſuperſtitem, qui cum obierit A. V à parilibus 913. ſi per annos LXXXIX. in eiuſdem, vt laudati viri teſtantur, nummo ſcalptos regrediamur, erimus ad A. V. 824. quo Veſpaſianus Kal. Iulijs tertium imperij annum iniuit ; ac proinde initium Epochæ Neapoleos nequit protrudi infra A. V. 824. Valeſius in notis ad cap. 12.

lib. 4. Hist. Eusebij, ait: *Flauia dicta est Neapolis ciuitas Palæstinæ, eo quòd colonia esset à Vespasiano deducta.* Verùm etiam Samosata in Commagene, Chalcis atque Philadelphia in Cœle Syria *Flauiæ* dictæ sunt; nec tamen Vespasianus colonias easdem constituit. Holstenius etiam ex nummo Mediceo in quo Neapolis *Aurelia* nuncupatur, pag. 340. not. in Stephanum, putat eam vrbem fuisse *coloniam M. Aurelii*. At *Aurelia* dicta est de nomine Antonini Caracallæ, quòd eiusdem interuentu, amissum ius ciuitatis recuperauit, vt superiùs exposui. Vlpianus ciuis Tyrius in libro 50. Digest. tit. 15. *de Censibus* tres tantùm sua ætate colonias Palæstinæ nominat, Cæsaream, Æliam Capitolinam, & tertiam Sebastem à Septimio Seuero deductam. Quare Neapolis ante imperium Antonini Elagabali non fuit colonia, quacum appellatione nusquàm in tot nummis recitatis, inscribitur. Hinc censeo nouam Epocham induxisse, cum vetusto Mabortha nomine antiquato, Flauia Neapolis dicta est. Et quidem Plinius ac Iosephus, qui imperante Vespasiano, libros scripsere, eam vrbem *Neapolim* appellant. At constat eandem illud cognomen ab Herode magno non accepisse, cum nulla huius mentio fiat à Iosepho, qui accuratè oppida ab Herode condita, aut restaurata recenset. Regis Archelai qui Samariam Ethnarcha nouennio possedit, itemque Agrippæ senioris, qui eandem prouinciam rex per triennium administrauit, in obscuro latent. Hinc si quispiam contenderet eandem ciuitatem ab alterutro rege *Neapolim* appellatam, nullo certo teste confutari posset. Ipse tamen censeo A. V. Romæ 823. Christi 70. Periodi Iulianę 4783. Imp. Vespasiano Aug. II. & Tito Cæsare Coss. eandem vrbem *Flauiam Neapolim* primitùs appellatam. Etenim cum eo anno Titus expugnatis, ac deletis Hierosolymis, summis honoribus à proximis Syriacis gentibus decoraretur, Mabortha in Samaria oppidi ciues de imperantis familię nomine, suam patriam *Flauiam Neapolim* nuncuparunt. Vel ipse victor Titus eandem vrbem nouis priuilegijs auctam, ac maiori ciuium numero frequentatam, *Flauiæ Neapoleos* nomine donauit. Auctor est Iosephus lib. 3. de bello cap. 12. vndecim mille ac sexcentos Samaritanos initio ferè belli Iudaici montem Garizin occupasse, quos Vespasianus misso illuc Cereale quintæ legionis tribuno, interfecit. Quare post euersa Hierosolyma, ne Samaritani ob cultum montis Garizin nouos tumultus cierent, Titus Syros aliosque Græcanicæ religionis homines in vrbe ad radices eiusdem montis collocasse videtur; vnde & *Flauiæ Neapoleos* nomen eidem oppido impositum fuit, ac cum eodem noua etiam Epocha inducta.

Hacte-

Hactenùs tot inuictis nummorum testimonijs demonstrata, in dubium reuocat insignis scriptor Ioannes Harduinus, qui pag. 341. nummum Faustinæ iunioris è Museo Collegij Claromontani Parisiensis profert in postica inscriptum: ΦΛΝΕΑC ΠΟΛΕΩΣ CΥΡΙΑC ΠΑΛΕCΤΙ. Additque: *Adiecta in medio vocula* ET. ΠΡ. *id est, Anno* CLXXX. *ab instaurata, vt quidem videtur, ciuitate, cum ei primùm inditum Neapoleos nomen est, id quod accidisse Augusto principe necesse est, cum is in Asiam & Syriam venit anno* DCCXXXIV. Tum notat ab hoc anno *ad annum M. Aurelii secundum, cuius Faustina coniux fuit*, annos 180. numerari. Et postea ait: *Sunt qui in nummo simili legant*: ET. ΠΖ. *errore magno; id enim si verum esset, quod esset aliud eius Aera caput, quàm annus Vespasiani septimus, à quo vastata Iudæa omnis est, nedum instaurata. Sed in nummo nostro, qui rem planè dirimit*, ET. ΠΡ. *perspicuè legitur*. Penè me terruisset vocula illa emphatica *perspicuè*; nisi quatuor æreos nummos aliter annos Æræ Neapoleos designantes, ipse etiam *perspicuè* meis hisce oculis obseruassem. Hinc rogaui per literas Nicolaum Toinardum, vt laudatum ab Harduino nummum, diligentiùs inspiceret. Et ille quidem non veluti emissarius cum oculis emissitijs, vt initio Aulularìæ Plautus loquitur, sed φιλαίτατος καὶ φιλαλήθης oculis optimo conspicillo adiutis, perspicuè eo in nummo scalptum vidit ET. ΠΗ. ita tamen vt hæc postrema litera H sinistram lineolam superiùs contusam, inferiùs verò decussatam habens, primo aspectu literam P repræsentare videatur; quæ tamen conspicillo adhibito, reapse H litera sinistrorsùs detrita apparet. Hæc vir summę eruditionis ac fidei candidissimę ad me rescripsit, simul tamen obtestans, ne V. C. Harduino doctrina æquè ac amicitia sibi plurimùm commendato, errorem leniter aut leuiter exprobrarem. Verùm non ita sum natura comparatus, vt viris de re literaria optimè meritis, quandoque tamen casu aberrantibus, insultem. At ille, Amice, scribit ab alijs in nummo Faustinæ legi ET. ΠΖ. *errore magno*, qui nullus planè est. Verumtamen, quòd ita iubes, suas illi voces non reddam. In omnibus nummis Neapoleos in Epocha designanda, maior numerus minorem præcedit, vt in nummis Paneados, Chalcidis, ac pluribus etiam Sebastes obseruauimus, secùs ac in alijs Syriæ vrbium nummis factum apparet. Itaque falsò obtruditur Epocha Neapoleos ΠΡ, minori numero maiorem præcedente. Præterea Harduinus contendit Epocham ΠΖ, si reapse ibidem notata esset, à septimo Vespasiani imperantis anno colligendam esse, vt ille nummus iuniorem Faustinam *Augustam* designare possit. At iam demonstratum mihi est Fausti-

nam quindecim annis & quod excurrit, ante maritum M. Aurelium *Augustæ* titulum tulisse. Denique minùs rectè negat Epocham Neapoleos initium ab imperio Vespasiani cepisse, quòd ab illo *vastata Iudæa omnis est, nedum instaurata*. Nam Neapolis non erat in Iudæa, sed in Samaria, quę prouincia iam inde ab extructo templo in monte Garizin, odia & contentiones cum Iudæis exercebat, vt sæpè Iosephus narrat lib. 11. cap. 4. & vlt. lib. 20. cap. 5. & alibi. Hinc mulier Samaritana Ioannis IV. 9. Christo Domino dicebat: *Quomodo tu Iudæus cum sis, bibere à me poscis, quæ sum mulier Samaritana? Non enim coutuntur Iudæi Samaritanis*. Mortuo Herode, cum Iudæi vbique tumultus darent, Samaritani in officio erga Romanos quieti permanserunt; vnde ab Augusto quarta eisdem tributorum pars remissa fuit, ex Iosepho lib. 17. cap. 13. Initio autem belli sub Nerone, Iudæi in Sebastem Samarię metropolim impetum fecerunt, ex eodem lib. 2. de bello cap. 19. Etenim Sebasteni in exercitu Romano militabant, vt superiori paragrapho ostendi. Idem verò Iosephus lib. 5. cap. 4. narrat Vespasianum anno primo belli Iudaici cum legionibus per Samaritidem, *& per Neapolim, quæ Mabartha dicebatur*, Hierosolyma mouisse. Neque vllum Samariæ oppidum à Vespasiano expugnatum Iosephus memorat. Quamuis verò sub initium belli, vti prænotaui, Cerealis Samaritanorum vndecim millia in monte Garizin interfecit, paucorum ea conspiratio fuit, quos proximè rebellantium Iudæorum furor ad arma conciuerat; eorumque nece pacata postea prouincia fuit. Hoc ipsum *Flauium* cognomen à Neapolitanis assumptum ostendit; ex illo enim eius vrbis ciues à victore Tito beneficijs ornati intelliguntur, vel saltem eo cognomine adulationis gratia vrbis indito, suum erga imperantem familiam obsequium testatum voluere, cum vniuersa Iudæa captis, aut excisis oppidis, in seruitutem redacta fuisset. Verùm haud necesse est verborum iacturam facere, cum ex tot expositis nummis, constet Epocham Neapoleos sub initium ferè imperij Vespasiani institutam fuisse, cùm primùm ciuitas *Flauium* cognomen accepit. Eadem postea in honorem M. Aurelij Antonini Caracallæ alterum AVRELIAE cognomen priori *Flauio* addidit, vt ex reginæ Christinæ ac ferè simili Mediceo numismate demonstraui. Antoninus Elagabalus eandem coloniam fecit, cuius nummos V. C. amicus noster Ioannes Vaillantius in volumine de Colonijs publicabit. Eiusdem ciuitatis Episcopi in vetustis monumentis occurrunt; erat enim intra diœcesim Metropolitę primę Palæstinæ. In Concilio Hierosolymitano sub Ioanne Patriarcha A. Christi 518. inserto Act.

V. Sy-

V. Synodi C.P. ſub Menna, nominatur Procopius Epiſcopus *Νεαπολιτῶν Neapolitarum*; & in altero ſub Petro Patriarcha Hieroſolymorum anno Chriſti 536. Ioannes Epiſcopus *Νέας πόλεως Neapolis*. Procopius lib. 5. de ædif. Iuſtiniani laudat Therebinthium Epiſcopum Neapoleos in Palæſtina à Samaritis Zenone imperante, non vno vulnere debilitatum. Cyrillus Scythopolitanus cap. 92. de vita S. Sabbæ, narrat Samaritanos Iuliano ipſorum populari rege creato, in Chriſtianos circa Neapolim deſæuiſſe, eius vrbis Epiſcopo occiſo. Scriptores quoque belli ſacri Hieroſolymitani plura apud eandem vrbem geſta recenſent. Villelmus Tyrius Archiepiſcopus lib. 12. cap. 13. recitat Synodum *apud Neapolim vrbem Samariæ* celebratam à Gueremundo Patriarcha A. Chriſti 1120. præſente rege Balduino. Hac ætate vulgò *Naploſa* nuncupatur; cum vniuerſa Syria Turcarum tyrannide oppreſſa, quæ olim fuerit, ex vetuſtis nummis intelligitur.

CAPVT VI.

EPOCHA TIBERIADOS.

Tiberias ab Herode Antipa rege condita. Eiuſdem ſitus. Metropolis Galilææ. Eadem Claudia *ab Agrippa rege appellata. Aquæ calidæ apud Tiberiada in eiuſdem nummis obſignatæ. Euſebij de anno conditæ eius vrbis teſtimonium expenditur. Nummi Traiani & Hadriani ibidem ſcalpti, quorum Epocha exponitur. Quo menſe Traianus ab Imperatore Nerua ſit adoptatus. Literam L in nummis* Annum *deſignare ex Tiberiados nummis euidenter contra Scaligerum demonſtratur. Templum* ΑΔΡΙΑΝΕΙΟΝ *Tiberiade. Diocæſarea Palæſtinæ antea Sepphoris appellata, Tiberiados æmula, quæ &* Hadrianæ *cognomen adſumpſit. Iudæorum ſtrages & excidium.*

PTolemæus Tiberiadem in Palæſtina collocat, vbi Gadara nec integris octo milliarijs inde diſtantem vrbem, in Cœle Syria recenſet; quòd ad hanc pertinebat regio vltra lacum Geneſareticum. Ioſephus in libro de ſui ipſius vita, Iuſtum Tiberienſem confutans ait: *Tua verò, Iuſte, patria ſita ad lacum Geneſareticum, & di-*

& distans ab Hippo triginta stadiis, sexaginta à Gadaris, à Scythopoli centum viginti, oppidis ditionis regiæ &c. nempè Agrippæ iunioris. Hieronymus in lib. de locis Hebraicis scribit: *Sunt itaque in ipso Aulone, id est, valle campestri, vrbes nobiles Scythopolis, Tiberias stagnumque propter eam &c.* Idem verò Iosephus lib. 3. belli cap. 17. ait Tiberiadem sub monte sitam ad oram lacus Genesaretici, qui in Euangelio Ioannis cap. VI. & XXI. *mare Tiberiadis* nuncupatur. Hæc vrbs teste D. Hieronymo in cap. 48. Ezechielis *Chenereth* antiquitùs dicebatur; noui verò nominis auctorem prodit laudatus Scriptor Hebræus lib. 18. Antiq. cap. 3. de Herode Antipa scribens: *Herodes porrò tetrarcha receptus in amicitiam Tiberii, de eiusdem nomine vrbem abs se conditam, vocauit Tiberiada, electo ad hoc optimo agro Galilææ, in ora lacus Genesaretici, vnde non longè apud Emauntem vicum sunt aquæ calidæ.* Equidem Herodes exteris ac prouincialibus multis immunitatibus ad nouam vrbem frequentandam allectis, eandem totius Galilææ metropolim fecit. Herode postea Lugdunum in exilium à Caio Cæsare misso, paulò post Agrippa senior Herodis Magni nepos, Tiberiadem cum Galilæa ab eodem Caio accepit, vti idemmet Agrippa testatur in epistola ad Caium Augustum, quam recitat Philo in libro de legatione ad eundem Imperatorem. Idem tradit Iosephus in libro de vita sua ac libro 19. Antiq. cap. vlt. qui ibidem etiam cap.7. narrat ab eodem rege Agrippa, imperante Claudio, apud Tiberiadem eximia pompa quinque reges vnà simul hospitio exceptos; nempè Antiochum Commagenes, Sampsiceramum Emesenorum, Cotym minoris Armeniæ, Polemonem Ponti, ac fratrem Herodem Chalcidis, quibus postea superuenit Vibius Marsus Præses Syriæ; erat enim etiam tum Tiberias totius Galilææ metropolis. Verùm mortuo Agrippa, cum eiusdem filius Agrippa partem Galilææ, in qua erant Tiberias, Tarichæa, & Iulias, à Nerone accepisset, ex Iosepho lib. 20. capite 5. Romani ius ac dignitatem metropoleos Galilææ Sepphorim transtulerunt; vnde diuturniores postea inter vtramque vrbem rixæ & odia exarsere, quæ fusiùs describit Iosephus in libro de vita sua; qui etiam lib. 2. belli cap. 27. narrat se, cum bello Iudaico Galilææ cum imperio præesset, capta dolosa arte Tiberiade, inde omnem curiam, *quæ sexcentos haberet viros*, aliò deportasse.

Eusebius in Chronico ad annum III. Olympiadis CCI. qui cœpit per æstatem A. V. Romæ 780. Æræ Christi 27. ait: *Herodes Tiberiadem condidit & Liuiadem.* Epocha Tiberiadis in quibusdam Traiani nummis in Cimelijs Regis Christianissimi scalpta est, quorum bina ectypa ab insigni viro Petro Rainssantio eorumdem Custode

ftode accepi . Comes etiam Mediobarbus, quæ ſingularis eiuſdem erga me humanitas ac beneficentia eſt, è ſuo Muſeo ipſummet æreum nummum miſit, alteri regio ſimillimum.



Anticæ partis Inſcriptio Latinè vertitur : *Imperator Cæſar Nerua Traianus Auguſtus Germanicus* ; poſticę verò : ΚΛΑΥΔΙΟΤΙΒΕΡΙέων. *Claudio-Tiberienſium*. *Anno* LXXXI. Harduinus ex alienis ſcriptis erroneam epigraphem obtrudit pag. 498. ΤΙΒΕΡΙΕΩΝ. ΕΠΙ ΚΛΑΥΔΙΟΥ : *Tiberienſium . Sub Claudio Prætore* ; ciuitatis cognomine in prætoris nomen perperàm commutato . Cum Claudius occiſo Caligula , à militibus ad imperium raptus, de eodem acceptando , Senatu repugnante , dubitaret, Agrippa tunc Romæ degens, eundem ad Auguſteam ſedem occupandam , animauit, vti fuſiùs narrat Ioſephus lib. 19. cap. 3. Hinc Claudius Agrippam amplioris regni additione ditauit , traditis eidem Iudæa , Galilæa , ac Samaria .. Quare Agrippa in regnum reuerſus, quò benefici Principis nomen quopiam apud ſubditos monumento celebraret, Tiberiadi Galilææ metropoli *Claudiæ* cognomen impoſuit . In primo nummo Fortuna cum ſolitis ſymbolis copiæ cornu , ac temonis, pedeque proram nauis premens, viſitur. In altero ſcalpta eſt Hygia ſiuè Dea Salus cum ſerpente, ſedens ſuper montem, ex cuius infimis radicibus largi fontes erumpunt, quibus ſalubria Tiberienſium balnea indicantur . Plinius lib. 5. cap. 15. ſcribit lacum Geneſaram cingi *ab Occidente Tiberiade aquis calidis ſalubri* . Ioſephus in libro de vita ſua narrat ſe, cum Galilææ præſſet, rogatum fuiſſe à Ioanne Giſchalenſi , homine ſibi ſemper infeſto ac fraudolento , vt ſibi permitteret *valetudinis cauſa* , *apud Tiberiada foueri aquis calidis* . Et lib. 4. belli cap. 1. ſcribit Veſpaſianum Ammaunte profectum, ante Tiberiadem caſtra poſuiſſe , additque: *Ammaus autem ſi quis nomen interpretetur*, *aquæ calidæ vocantur* ; *ibi enim fons eſt ſanandis*

nandis vitiis corporis idoneus. Hic salubrium aquarum fons in agro Tiberiensi cum Hygia in laudato nummo designatur.

Annus Epochæ Tiberiensium LXXXI. in vtroque nummo expressus, si à condita Tiberiade iuxtà Eusebium anno tertio Olympiadis 201. vrbis Romæ 780. ea annorum summa colligatur, concurrit cum A. V. Romæ 861. ac vndecimo imperij Traiani. Scaliger tamen in notis Eusebianis num. 2041. putat Eusebium diuinasse annum, quo Paneas, itemque Tiberias ac Liuias à Tetrarchis Iudæorum conditæ fuerint; vnde Tiberiadem initio imperij Tiberij Cæsaris extructam existimat. Et sanè cum Eusebius falsus fuerit in designando anno extructæ à Philippo Tetrarcha Paneados, vt ostendi Differt. IV. cap. 5. §. 4. suspicari iure possumus eundem in statuendo quoque initio Tiberiadis aberrasse. Nec planè desunt quæ locum faciant suspicioni. Nam Traianus in neutro nummo *Dacici* titulo decoratur, sed tantùm Germanicus inscribitur. Quare ijdem nummi scalpti videntur ante A. V. Romæ 856. quo à Senatu *Dacici* cognomen accepit, quocum postea in lapidum ac nummorum Inscriptionibus legitur; ac proinde initium Epochæ Tiberiadis ante A. V. Romæ 775. statuendum esse videtur. Hoc ipsum non obscurè colligitur ex ijs quæ Iosephus narrat de laudato superiùs rege Agrippa. Nam lib. 18. Antiq. cap. 8. scribit eundem adhuc priuatum, cum Romæ familiariùs cum Druso Cæsare Tiberij Augusti filio versaretur, profusa in eiusdem Cæsaris libertos liberalitate ad inopiam redactum fuisse; ac Druso postea Seiani insidijs, veneno sublato, à Tiberij conspectu exclusum, ne eo viso, amissi filij desiderium in Principe, qui Agrippæ cum Druso amicitiam norat, recrudesceret. Hinc Agrippa inopia etiam cogente, in Iudæam reuersus, ac in Malatha Idumææ castrum se recipiens, de vita abrumpenda, desperato consilio agitabat. Verùm, inquit Iosephus, *accersitus à sorore eiusque coniuge, iussus est habitare Tiberiade, assignata pecunia, vnde viueret, & magistratu eius ciuitatis in eum collato, quò esset honoratior*. Ita rex Herodes Antipas Agrippam nepotem delato vrbis abs se recens amplioribus ædificijs & incolarum numero auctæ, ac de nomine imperantis Tiberij appellatæ, magistratu honorauit. At Drusus perijt A. V. Romæ 776. ex lib. 4. Ann. Taciti; vnde si dicatur Agrippa anno proximo in Iudæam reuersus, ac post haud diuturniorem apud Malatha moram, ab Herode rege patruo cum honore Tiberiadem missus, hæc certè ciuitas ante annum vrbis Romæ 776. condita fuisse videtur. Cum verò annus Epochę Tiberiadis 81. in Traiani nummis, & rursùs annus eiusdem Æræ 101. in pluribus Hadriani signentur, haud impro-

proba-

improbabili coniectura colligimus eos nummos initio principatus vtriusque Augusti percussos fuisse; cum præsertim Traianus absque titulo *Dacici* in ijsdem legatur. Hoc ex alijs etiam nummis, quorum ectypa ab eruditissimo Equite Patino accepi, palam ostenditur.



Prior nummus, teste eodem Patino, Traiani effigie obsignatur, cuius tamen anterioris partis epigraphem, quam maximè optabam, non adiecit; quòd plerique Antiquarij auersæ tantùm partis nummorum symbola ac inscriptiones varijs in Cimelijs sibi obseruatas, exscribunt; qua planè methodo idem Patinus Cæsarum numismata euulgauerat; cum tamen ex titulis Augustorum in priori parte obsignatis, pleraque ad exactam nummorum notitiam habendam, sæpissimè colligantur. Epigraphe in nummis delineatis eadem legitur: ΚΛΑΥΔΙΟΤΙΒΕΡΙΕΩΝ, *Claudio-Tiberiensium*, vti in alijs legimus: ΑΔΡΙΑΝΟΘΗΡΕΙΤΩΝ, *Hadrianotheritarum*. In priori nummo scalpta est Astarte Syrorum Dea, veste succincta, dextera caput Osiridis præferens, vti pag. *393*. prænotaui; sinistra sceptrum oblongum tenet, ac pede proram nauis premit. Alter nummus vti & tertius sunt Hadriani. In horum priori visitur figura Hygiæ, vti in exposito superiùs Traiani numismate. In altero verò scalpta est anchora, qua frequentata à Tiberiensibus ars nautica indicatur. Iosephus in libro de vita sua, narrat se à Senatu Hierosolymitano in Galilæam cum imperio missum, Tiberiadem perrexisse, ad diruendum Herodis regis palatium, quod ornatum erat pictis diuersorum animalium figuris, quæ Hebræorum lege vetabantur. Cum verò plerique regiarum ædium demolitioni obsisterent, *Iesus*, inquit, *Saphiæ filius, nautarum & inopum factionis dux, assumpta non modica Galilæorum manu, palatium incendit*. Ita maior incolarum pars nauticam ibidem artem exercebat. In Euangelio Ioannis VI. 23. legitur: *Aliæ verò superuenerunt naues à Tiberiade*.

Erant paruę cymbę, quibus in lacu Genesaretico vtebantur. Idem Iosephus lib. 2. belli cap. 27. scribit se cum ducentis ac triginta scaphis, in quarum singulis sine vllo milite quaterni tantùm nautę erant, Tiberiadem nauigasse, ac ciues armatę classis specie perterrefactos, vrbem dedidisse. Hinc nauis etiam in Tiberiensium nummis obsignatur.



Extat hic nummus in scrinijs amici nostri Iosephi Magnauaccę Bononiensis. Anterior epigraphe Latinè vertitur: *Imperatori Traiano Hadriano Cæsari Augusto*. In auersa parte legitur: TIBE. ΚΛΑΥ. *Tiberiensium Claudiorum*. Insignit nummum Epocha L. ΑΡ, *Anno centesimo primo*. Enimverò si in Traiani nummo proximè recitato, reapse signata sit Epocha Tiberiadis ΕΤ. ΑΡ. cum idem annus scalptus etiam sit in tribus Hadriani nummis, quos exhibui, eiusdem Epochę exordium deducendum videtur à verna tempestate A. V. Romę à parilibus 770. tertio principatus Tiberij, C. Cœlio Ruso, L. Pomponio Flacco Consulibus. Nam annus abhinc centesimus exijt A. V. Romę 870. quo circa ver inijt centesimus primus, quo labente sub initium Augusti Traiano defuncto, Hadrianus die 11. Augusti imperium capessiuit. Dies Natales vrbium erant ciuibus solemnes; ita Romani diem XI. Kal. Maij, Antiochenses diem 22. Artemisij, quibus Roma & Antiochia conditę fuerant, annua pompa celebrabant. Cicero in priori epistola libri 4. ad Atticum scribit se Nonis Sextilibus Brundusium appulisse die Natali suę Tulliolę, *qui casu idem natalis erat & Brundusinæ coloniæ*. Annos verò à conditu coloniarum & municipiorum in publicis vrbium Fastis numerari solitos prodit vetus epigramma Gruteri pagina 113.

GE-

GENIO . MVNICIPI . ANNO . POST

INTERAMNAM CONDITAM

DCCIIII. AD. CN. DOMITIVM COS.

AHENOBARBVM . . .

Domitius Ahenobarbus fuit Conſul A. V. 785. collega M. Furio Camillo Scriboniano, ob rebellionem poſtea è Faſtis eraſo. Ita Tiberienſes in nummis annos non quidem ciuiles, quos cum ceteris Syris ab autumno auſpicabantur, ſed à Tiberiade condita, ante æſtatem initos, obſignabant. Nam anni LXXXI. & CI. in Traiani nummis ibidem ſcalptis, initium Epochæ ante æſtatem indicant. Si enim Æra laudata iniſſet ab Autumno A. V. Romæ 769. annus eiuſdem abhinc octogeſimus primus exiſſet circa Octobrem A. V. Romæ 850. Traiano nondum à Nerua in imperij conſortium adſcito; quod tamen contigit eodem anno ſub initium Nouembris. Aurelius Victor ſcribit Neruam *tribus menſibus* poſt Traianum adoptatum, fuiſſe ſuperſtitem, qui obijt die 28. Ianuarij. Plinius verò in panegyrico versùs finem, ad Traianum ait: *Nam quòd eum potiſſimum menſem attribuiſti*, videlicèt ſuffecti conſulatus, *quem tuus Natalis exornat*, *quàm pulchrum nobis*, *quibus ſpectaculo celebrare continget diem illum triplici gaudio lætum*, *qui principem abſtulit peſſimum*, nempè Domitianum, qui ex Suetonio cap. 17. occiſus fuit XIV. Kal. Octobris: *dedit optimum*, Neruam, *meliorem optimo genuit*, ipſum ſcilicèt Traianum, qui natus erat eadem die 18. Septembris, ex Plinij epiſtolis ac veteri Kalendario. Cum verò Plinius fuerit Conſul bimeſtis à Kalend. Septembris ad pridie Kal. Nouembris, quo ineunte menſe, ſucceſſere bimeſtres Conſules L. Roſcius Ælianus, & Tib. Claudius Sacerdos, ex veteri Inſcriptione apud Fabrettum pag. 273. eruditi Syntagmatis de Columna Traiani, patet Traiani adoptionem poſt Octobrem contigiſſe; aliàs Plinius diem quoque Natalem imperij eiuſdem Principis ſibi Conſuli celebrandum eſſe dixiſſet, geminoſque Traiani Natales laudaſſet; cum ille vnà cum adoptione Cæſaris ac Imperatoris titulos, ſimulque Tribuniciam poteſtatem acceperit. Spartianus cap. 4. de Hadriano ait: *Quinto Iduum Auguſti die legatus Syriæ literas adoptionis accepit*, *quando & Natalem adoptionis celebrari iuſſit*.

iussit. Quare eiusdem etiam decessor diem adoptionis annua solemnitate peragebat, quæ ex collatis Plinij ac Aurelij Victoris testimonijs sub initium Nouembris contigit. Rursùs Epocha Tiberiadis nequit dici cœpta ab autumno anni proximi vrbis Romæ 770. quia eiusdem annus 101. in nummo Traiani signatus, initium duxisset ab autumno A. V. 870. Traiano iam sub initium Augusti vita defuncto, ac Hadriano ab A. D. III. Iduum eius mensis rem Romanam administrante. Hæc quidem fateor me suspenso calamo scribere; valdè enim suspicor eum nummum, in quo legitur Epocha L. AP. non Traiani esse, sed Hadriani; vel si reapse Traiani sit, Epocham altera nota non P sed Π designari, vt in ijs, quos vidi, nummis scalpta est. Ne verò omnem eidem nummo fidem abrogem, facit tum viri nummaria eruditione celeberrimi testimonium; tum etiam quòd vrbes Syriç noui Principis Hadriani, qui in eadem prouincia Legatum agens, Imperator creatus fuerat, gratiam certatim sibi conciliaturç, nummos statim in illius honorem percusserunt, quod Tripolitas, Dorienses, aliosque fecisse monstrauimus. Hinc si nummi Tiberiadis, qui & plures & varijs symbolis obsignati, Epocham præferunt AP, *anno centesimo primo*, percussi ibidem sunt A. V. Romæ 870. quo Hadrianus in Syria imperium accepit, nummi Traiani cum Epocha A Π, anno LXXXI. cusi sunt anno vrbis Romç 851. eodemque primo imperij Traiani, ita vt laudata Æra initium duxerit à verna tempestate A. V. 770.

Cum in nummis Tiberiadis anni eiusdem Epochæ ita scalpti legantur: ET. AP. & rursùs L. AP. inuictum ex ijsdem testimonium elicimus ad Scaligeri opinionem iterùm validissimè confutandam, imò & penitùs profligandam; qua scilicet idem imagitur literam L in nummis Græcorum ante notas numerales obsignatam, aliud quid præter annos, nempè lustra significare. Nam in nummis Tiberiadis cum effigie Hadriani legitur: ET. AP, vbi syllaba prior ET, id est *ἔτει*, *anni* nota est, vt omnes norunt. At in altero delineato Hadriani nummo Tiberiade pariter scalpto, eidem omnino Epochæ A P præponitur litera L, quam vicem ET gerere, annumque itidem significare nemo planè negare potest. Scaliger literam L pro *Lustro* accipiendam contendit. At imperante Hadriano, numerabatur à conditu Tiberiadis ET. AP, *annus centesimus primus*; qui igitur fieri potest, vt notis L. AP, lustrum centesimum primum indicetur, quod inisset post annos quingentos, quorum quadringenti Natalem Tiberiadis præcessissent? Harduinus pag. 608. scribit literam L *λυκάβαντα*, id est, *annum* significare; additque: *Sed Romanam potiùs literam adsciuere quàm Græcam*, *tum*

tum fortè vt iis adularentur, quorum induere mores ex parte aliqua videri vellent. Verùm iam superiùs pag. 306. ex vetustissima Inscriptione Atheniensi, alijsque Gruteri pag. 27. (non 20. vti ibidem Typographus excudit) ostendi literam L loco Α à Græcis adhibitam fuisse. Rursùs pag. 62. nummum protuli Demetrij Soteris imagine à Tyrijs obsignatum cum Epocha L. HNP, *anno* 158. qui cœpit ab autumno A.V. Romę 599. Nę Tyrij in regno Seleucidarum mores Romanorum induere simulabant? Idem tamen Vir clarissimus alteram & quidem probabiliorem, loco Α positę literę L rationem adducit, ne scilicèt annorum numerus confunderetur. Nam si annum centesimum ita obsignassent ΑΡ. hisce notis annus CXXX. indicatus putari potuisset, magno rei Chronologicę dispendio. Scio media inter vtramque notam inserta interpunctione veros numeros designari. At monetarij non semel in nummis singulas numerales notas interpunctione distinguebant, vt patet in nummo Domitiani pag. 368. huius Operis delineato, ac in Inscriptione Gruteri pag. 86. num. 8.

In Museo Mauroceno ex pag. 119. indicis Patiniani seruatur nummus Hadriani retrorsùs inscriptus: ΤΙΒΕΡ. ΚΛΑΥΔ. ΕΤ. ΑΡ. *Tiberiensium Claudiorum*. *Anno* CI. cum Idolo in templo. Nicolaus Bon aliàs mihi laudatus in indice MS. eiusdem Cimeliarchij scribit obsignatum in eo nummo Templum, *in quo sedet Imperator*. Hanc autem interpretationem probabilem reddunt quæ scribit S. Epiphanius ad Hæresim XXX. quę est Ebionitarum, vbi plura, quę Tiberiade contigerant, enarrans, tradit fuisse ibidem *Templum maximum*, quod Tiberienses nuncupabant ΑΔΡΙΑΝΕΙΟΝ, *Hadrianion* Imperatori Hadriano dicatum, quod in laudato fortassis nummo repræsentatur. Nullus autem dubito, quin eo in templo eiusdem Hadriani statuam collocauerint. Si verò Epocha anni Triberiadis centesimi primi cum initio principatus Hadriani concurrit, decretum tantummodò Hadriano templum, non autem iam extructum ibidem exprimitur. Interim ex Hadrianio apud Tiberiadem in huic proximæ vrbis nummi cognitionem venio. Nam Harduinus pag. 139. recitat Septimij Seueri nummum retrorsùs inscriptum: ΔΙΟΚΑΙϹΑΡΕΩΝ ΑΔΡΙΑΝΩΝ, *Diocæsariensium Hadrianorum*. Ibi verò notat duas à Scriptoribus Diocæsareas memorari, quarum vna à Plinio ponitur in Cappadocia, quam in eiusdem Cappadocię præfectura Gausaria collocat lib. 5. Ptolemæus, qui alteram Diocæsaream recenset in Phrygia ibidem cap. 11. quam, inquit Harduinus, *signari hoc nummo verius crediderim*. Verùm tertia Diocæsarea huic Geographo notanda erat apud eundem Ptolemæum

lemaum in Selentide Cilicię, quę in monumentis Ecclesiasticis in Isauria collocatur. Extant inter Epistolas Patrum editas à summo viro Christiano Lupo, cap. 214. literę Acacij Melitinensis, & alię cap. 215. S. Cyrilli *ad Successum Episcopum Diocæsareæ Isauriæ prouinciæ*. Huic successit Ioannes, qui Act. III. Synodi Calchedonensis dicitur Episcopus Διοκαισαρείας τῆς Ισαυρίας, *Diocæsareæ Isauriæ*; cui vita defuncto substitutus fuit Hermophilus, qui *Diocæsareæ* Episcopus vocatur in Synodica Antistitum Isaurię ad Leonem Imperatorem 3. par laudatę Synodi cap. 39. Præterea quartam habemus Diocæsaream in Palæstina à Christianis Scriptoribus memoratam. Nam Socrates lib. 2. cap. 27. narrat Iudæos, *qui Diocæsaream in Palæstina incolebant*, arma contra Romanos sumpsisse, quos cum Gallus Cæsar profligasset, *vrbem Diocæsaream solo æquari mandauit*. Eandem postea restauratam, sæpè nominat D. Hieronymus in libro de locis Hebraicis, qui tomo tertio insertus est. Idem in prologo ad Ionam prophetam ait: *Porrò Geth in secundo Sepphorim milliario, quæ hodie appellatur Diocæsarea, euntibus Tiberiadem, haud grandis est viculus*. Adrichomius pag. 22. de Geth scribit: *ætate D. Hieronymi vocabatur Diocæsarea. Aliàs Anthedon & Agrippias dicitur*. Quæ repetit alter insignis Geographus amicus meus, & antea idem scripserat Scaliger in notis Eusebianis num. 2368. Sed planè errant, dum verba Hieronymi: *quæ hodie appellatur Diocæsarea*, ad vrbem Geth referunt; quæ dubio procul ad proximè eidem appellatam Sepphorim spectant. Idem S. Doctor in libro de locis Hebraicis lit. C, ait: *Appellatur autem & quidam vicus Casalus iuxtà montem Thabor in campestribus, in octauo milliario Diocæsareæ*. Et in voce *Dabira*, ait: *Est autem & alia villula Iudæorum in monte Thabor, regionis ad Diocæsaream pertinentis*. At mons Thabor erat in Galilæa longiùs ab vrbe Geth olim vna ex quinque satrapijs Philistinorum, quę postea Anthedon, ac deinde ab Herode de cognomine Marci Agrippę, Agrippias dicta fuit. Itaque duo priores memorati Geographi vrbem Geth in maritima Palæstina; quę postea Anthedon dicta fuit inter Raphiam & Gazam, cum Geth *haud grandi viculo Galilææ in secundo Sepphorim milliario*, vti scribit Hieronymus, confundunt. In fragmento veteris Notitię pag. 5. apud Carolum à S. Paulo, nominantur in secunda Palæstina iunctim vrbes *Diocæsarea*, *Tiberias*; in tertia verò Palæstina *Anthedon* recensetur. Et in Synodo Hierosolymitana anno Christi 536. sub Petro Patriarcha Hierosolymorum, leguntur subscripti Cyriacus Episcopus *Diocæsareæ*, & Dorotheus Episcopus *Anthedonis*. Quę non obseruantes idem Carolus à S. Paulo pag. 316. & Hol-

Holstenius in notis ad eundem pag. 203. sedem Episcopalem Diocæsareę in Palæstina Secunda omiserunt. Sanctus Epiphanius loco memorato ad Hæresim XXX. Ebionitarum, scribit sub initium imperij Constantini in quibusdam Galilęæ vrbibus neque Christianos neque Paganos degisse, sed solummodò Iudæos; *& hoc*, inquit, *maximè in Tiberiade, & in Diocæsarea, quæ & Sepphoris appellatur*. Græcè legitur, ἐν Διοκαισαρείᾳ τῇ καὶ Σεπφόρει. Vbi postremam hanc vocem Hebræorum more extulit. Ita etiam Hieronymus lib. cit. V. *Araba*, ait: *Porrò est & alia villa Araba nomine in finibus Diocæsareæ, quæ olim* Sephorine *dicebatur*. Egesippus lib. 1. cap. 30. exscribens de more Latio sermone verba Iosephi lib. 14. cap. 27. laudat *Sepphorim prisco vocatam nomine, quam Diocæsaream postea nuncuparunt*. Ad hanc Diocæsaream in Palæstina laudatum nummum referendum censeo. Nam Iosepho in libro de vita sua *vrbium Galilæarum maxima Sepphoris & Tiberias* appellantur; vbi fusiùs contentiones inter vtramque vrbem ob dignitatem metropoleos Galilęæ post donatam Agrippę iuniori à Nerone Tiberiadem, à Felice Procuratore prouincię Sepphorim translatam, recenset. Quare vti Tibérienses sua in vrbe in honorem Hadriani maximum templum *Hadrianion* extruxerunt, ita & Sepphoreni Tiberienses æmulati, suam patriam veteri nomine antiquato, *Diocæsaream Hadrianam* appellarunt. Harduinus pag. 449. laudat è regijs Cimelijs Traiani nummum retrorsùs inscriptum: ΣΕΠΦΟΡΗΝΩΝ *Sepphorenorum*. Quare Sepphoris sub Traiani successore Hadriano dicta primùm fuit *Diocæsarea Hadriana*. Vtraque verò vrbs eos Hadriano honores detulit, quòd cum à rebellantibus Iudæis, qui Syris permixti, Galilęæ vrbes incolebant, clades ac grauia incommoda & pericula suscepissent, ijsdem Iudęis non vno prœlio à legatis Hadriani profligatis, quietem tandem acceperant, vti testantur Eusebius in Chronico, ac lib. 4. Hist. Eccl. cap. 6. & D. Hieronymus in cap. 9. Danielis. Dio in Hadriano scribit cęsæ fuisse quingenta octoginta millia Iudęorum, vicis eorundem nobilioribus nongentis octoginta quinque funditùs euersis, *ita vt omnis penè Iudæa deserta relicta fuerit*. Sed gens patrij soli amantissima auitas regiones repetijt, ita vt expulsis successu temporum Syris, Tiberiadem ac Diocæsaream soli postea Iudęi inhabitarent, vt ex S. Epiphanio dicebam. Tiberias Saracenis postea Palæstinam occupantibus, *Tabaria* dicta est, quam rex Gothofredus barbaris è Hierosolymorum regno expulsis, Tancredo cuius in sacra illa expeditione supra ceteros virtus enituit, cum vniuerso Galilææ principatu donauit.

Hoc

Hoc Opus de Anno & Epochis Syromacedonum absolui Florentię, Anno Ærę Christi Domini MDCLXXXVII. die XXIX. Augusti, Natali meo LVII. iuxtà Antiochenos in Syria die 29. Loi; iuxtà Tyrios in Phœnice Loi decima; iuxtà Gazenses in Palęstina Gorpiæi sexta; Feria VI. Luna XXII. Cyclo Solis ac Lunæ pariter XVI. litera Iuliana B. Gregoriana E, sub exitum Indictionis X. Constantinianæ.

Anno Periodi Iulianæ	6400.
Anno Vrbis Romæ Varroniano,	2440.
Anno à regno Macedonum in Syria.	2019.
Anno Seleucidarum qui etiam Emesenorum, Tripolitarum, Damascenorum, Apamensium, Edessenorum, & Palmyrenorum	1998.
Anno Aradiorum	1945.
Anno Tyriorum	1812.
Anno Sidoniorum	1797.
Anno Seleucensium	1795.
Anno Ascalonitarum	1790.
Anno Gadarensium	1750.
Anno Philadelphensium	1749.
Anno Gazensium	1747.
Anno Antiochenorum	1735.
Anno Laodicensium	1734.
Anno ab imperio Augusti in Syria	1717.
Anno Sebastenorum) in Samaria	1711.
Anno Neapolitarum) in Samaria	1617.
Anno Chalcidensium	1595.

Sub auspicijs Serenissimi Magni Ducis COSMI III. Pij, Felicis, Optimi Principis, cuius in Etruria imperij hic Annus ex A. D. IX. Kal. Iunij, decimus octauus feliciter agitur.

Auctoris ad Librum Tetrastichon.

Prisca Seleuciadum quòd prodere Tempora NORIS,
Nil prodest; Tempus proditor omne rapit.
Illustras Tempus, nec fit tibi Tempus amicum.
Edis qui Tempus, te quoque Tempus edet.

EPOCHÆ
VRBIVM SYRIÆ
ADDENDÆ.



Harites, quas Latini Gratias dixerunt, manibus inuicem implexas erudita vetustas induxit, vt beneficia iteratis beneficijs cumulanda esse monstraret. Cum editum de Epochis Syriæ volumen, Parisios ad amicos misissem, qui suam in idem operam plurium typorum transmissione contulerant, ijdemque obseruassent, insignium quarumdam Syriæ vrbium Epochas ibidem omissas, quæ in regij Cimelij nummis obsignatæ visebantur, eorumdem numismatum ectypa ad me transmiserunt, ac noua iterùm collatis mihi antea fauoribus, beneficia addidere. Antonius Oudinetus, cuius cum eruditioni, tum fidei ac diligentiæ Regum Maximus amplissimum Antiquitatis thesaurum, nempè omnium penè vrbium ac gentium ducta ære monumenta nuper commiserat, Regiæ nummorum Gazæ scrinia benefica mihi manu reclusit, vt plurium numismatum formas viri eruditissimi Abbas Claudius Nicasius ac Nicolaus Toinardus mei voluminis augendi gratia, figurarent. Plures etiam typos accepi à Ioanne Vaillantio viro satis suomet nomine illustri, qui vti nobiliora quæque Europæ Cimelia perlustrauit, ita meo operi non mediocre auctarium benignissimè suppeditauit. Ita propitio fato tot celebratissimi viri in regia Galliarum Vrbe suas veluti manus certatim iunxerunt, vt meum de Syrorum Epochis volumen insigni incremento promouerent. Ceterùm non modò omissas mihi quorumdam oppidorum Syriæ Æras hìc inseram, verùm etiam quasdam iam prænarratas nouis iterùm obseruationibus instructus, partim illustrabo, partim etiam reformabo.

Pag. 77. *ver.* 16. *in fine eius paragraphi addatur*. Nummum Augusti mihi V. C. Vaillantius indicavit, in cuius antica parte legitur: ΣΕΒΑΣΤΟΣ, *Augustus*; altera parte ita obsignata.



Nempè: ΔΑΜΑΣΚΗΝΩΝ.L.ΕΚΤ. *Damascenorum. Anno* CCCXXV. qui cœpit ab autumno A. V. Romæ DCCLXVI. eodemque postremo imperij Augusti. Ex hoc pariter nummo constat Epocham Seleucidarum inchoatam fuisse A. V. Romæ 442. Nam si cœpisset ab autumno anni insequentis 443. annus 325. inisset Augusto iam vita defuncto.

Pag. 87. *ante Caput III. inseratur*

§. V.

EPOCHA ORTHOSIENSIVM.

Orthosia vrbs Phœnicum in sacris literis memorata. Eiusdem situs. Vetustam Seleucidarum Epocham retinuit. Nummi illius expositi. Gentile Orthosiensium nomen in ijsdem diuersimodè expressum.

ORthosia vrbs Phœnicum maritima lib. I. Maccabæorum cap. XV. memoratur. Nam cum Tryphon, qui regnum Syriæ inuaserat, intra Dororum mœnia ab Antiocho Euergete, quem regem Syri à venandi studio Sidetem vulgò appellarunt, obsideretur A. V. Romæ 617. *fugit naui in Orthosiada.* Plinio lib. 5. cap. 20. iunctim nominantur in Phœnicia *Orthosia*, *Eleutheros flumen*, quo Phœnicia à superiori Syria diuidebatur. Strabo lib. 16. pag. 523. ait, Arthemidorum ab ostijs Orontis ad Orthosiam vsque maritima nauigatione numerare stadia 1130. & ab Orthosia Pelusium stadia 3650. Epocha Orthosiensium ex duobus Antonini Pij nummis, quos hic subijcio, intelligitur.



Prior nummus seruatur in Cimelijs Regis Christianissimi cum antica Inscriptione: ΑΥΤ. ΚΑΙ. ΤΙ. ΑΙΛ. ΑΔΡ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟC CEB. *Imperator Cæsar Titus AElius Hadrianus Antoninus Augustus.* In auersa parte

te quænam ſint bina illa animalia non ſatis indicatur; quamuis enim cornua boues denotant, caudæ tamen alia animalia videntur deſignare. Inferiùs legitur epigraphe: ΟΡΘΩΣΙΕΩΝ, *Orthoſienſium*. Alterius poſtica pars, quam mihi V. C. Vaillantius deſcriptam tranſmiſit, cum eadem Inſcriptione Deam Aſtartem præfert. In vtroque autem nummo ſignatur Epocha Ε. Β Ξ Υ, *Anno* CDLXII. Orthoſienſes, vti proximi Tripolitæ, Epocham Seleucidarum ſeruabant, quæ cum inierit ab autumno A. V. Romæ 442. annus eiuſdem 462. cœpit ab autumno A. V. Romæ 903. eodemque decimotertio imperij Antonini Pij. Cum autem Epocha Seleucidarum à Syris adhibetetur, laudati nummi ſpectant ad Orthoſiam in Phœnice, non ad aliam eiuſdem nominis vrbem in Caria. Harduinus pag. 371. & iterum in *Curis ſecundis* pag. 607. ſcribit Antonini Pij nummum, *quem*, inquit, *vidimus*, ſpectare ad Orthoſiam in Caria. At vir eruditus nummum notauit in regio indice deſcriptum; ſi enim ipſummet nummum in Regijs ſcrinijs obſeruaſſet, non modò Epocham non omiſiſſet, verùm etiam ex eadem dubio procul illum ad Orthoſiam Phœniciæ ſpectare intellexiſſet. Idem Harduinus in *Addendis* pag. 585. ſcribit: ΟΡΘΩΣΙΕΩΝ. *Caracallæ nummus è Gaza Regia, in templo quatuor columnarum Aſtarten exhibet*. Hunc quoque nummum ex indice tantùm cognovit; in illo enim Regio numiſmate nomen gentile ſecùs ſcalptum eſt; ſiquidem in anteriori parte ceteris titulis detritis, legitur: ΑΝΤΩΝΙΝΟϹ, *Antoninus*. In poſteriori verò media viſitur Aſtarte inter Cybelem ac Fortunam cum epigrapha: ΟΡΘΩΣΙΩΝ, *Orthoſiorum*. Gentilia nomina plurali genitiuo in ΙΩΝ deſinentia, exempli gratia, Τυρίων, Σιδωνίων, Σαμίων, Latinè redduntur, *Tyriorum*, *Sidoniorum*, *Samiorum*. Ex genitiuo verò exeunte in ΕΩΝ, Ἀντιοχέων, Σελευκέων &c. Latinis fit: *Antiochenſium*, *Seleucenſium* &c. Orthoſiæ vrbis gentile vtroque modo in nummis ſcalptum legitur, quod alijs etiam vrbibus in vſu fuit, vti pluribus oſtendit Illuſtriſſimus Spanhemius Diſſert. IX. de præſtant. & vſu Numiſm. à pag. 910. Imò in Synodica Epiſcoporum Phœniciæ inſerta Act. V. Concilij C.P. ſub Menna Patriarcha, Stephanus Epiſcopus Ὀρθωσιαίων *Orthoſienſium* accuſatur vti aſſecla ac miniſter Seueri Antiocheni Patriarchæ hæretici; vbi penultima ſyllaba cum diphthongo ſcribitur, ſecùs ac in nummis apparet. Phoſphorus Antiſtes Ὀρθωσιάδος *Orthoſiadis* recitatur in Synodo Antiochena ſub Domno, & in Calchedonenſi, in cuius Actione IV. à Photio Tyri Metropolita accuſatur Euſtathius Berytenſis, qui ſex Tyriæ diœceſeos vrbes inuaſiſſet, quas inter numerat Ὀρθωσιάδα *Orthoſiadem*. Phoſphoro ſucceſſit Nonnus, qui in Synodica Phœniciæ maritimæ ad Leonem Auguſtum legitur.

Pag. 121. Nummum Imperatoris M. Aurelij apud Germaniciam ſcalptum protuli cum indicata mihi Epocha: E. KΘ. *Anno* XXIX. quam vt obſcuram, in medio reliqui. At doctiſſimus Toinardus mihi poſtea ſcripſit, obſeruaſſe ſe in Gaza Regia M. Aurelij nummum capite laureato, detrita tamen anteriori epigrapha, ſed retrorsùs obſignatum intra lauream: KAICAPE. ΓΕΡΜΑΝΙΚ. KOM. & inferiùs litera A, id eſt, *Cæſarea Germanica Commagenes. Anno primo*. Præterea Cl. Vaillantius mihi ſignificauit, habere apud ſe nummum mediocre M. Aurelij in poſtica intra lauream ita ſignatum: KAICAPE. ΓΕΡΜΑΝΙΚ. ΕΚΡ. *Cæſarea Germanicæ. Anno* CXXV. Mortuo Antiocho rege Commagenorum, Tiberius Cæſar miſſo in Orientem Germanico, illud regnum A. V. 770. in prouinciam redegit, Q. Seruæo eidem præpoſito. Verùm Caius Cæſar inito ſtatim imperio, *Antiocho Antiochi filio Commagenem paternum regnum, adiectis Ciliciæ maritimis, dedit*, vti ſcribit Dio lib. 59. ad A. V. 790. Addit Suetonius cap. 16. in Caio, hunc tradidiſſe *Antiocho Commageno HS. millies confiſcatum*. Hinc nouus rex Antiochus, quò ſuum erga beneficum Cæſarem obſequium inſigni quopiam monumento teſtaretur, vrbi intra Commagenem de agnominibus Caij Cæſaris Germanici *Cæſarea Germanicæ* nomen impoſuit, quæ poſtea Germanicia dicta eſt. Iam verò ſi ab A. V. Romæ 791. numeremus annos 125. in laudato nummo ſignatos, horum poſtremus cœpit A. V. Romæ 915. eodemque altero imperij M. Aurelij, qui cum capite laureato in vtroque nummo ſcalpatur, idem non purus Cæſar, ſed planè Auguſtus proditur.

Qua die hæc ipſa Typographus prælo committebat, nempè III. Idus Septembris A. C. 1691 commodùm accepi à viro eruditiſſimo Nicolao Toinardo typum nummi, qui nuperrimè inſignibus Franciſci Dronij Cimelijs Pariſijs acceſſerat.



In antica illius parte legitur: ATT. KAI. M... KOMOΔON C. *Imperatorem Cæſarem Marcum Aurelium Comodum Auguſtum*. Vbi Commodus prolixiorem barbam præfert. In altera parte vulgaris typi figuræ

guræ apparent, videlicèt mulier turrita monticulos insidens, dextera extensa florem proferens, medio subtùs homine ex aquis emergente, cum epigrapha: ΚΑΙΣ. ΓΕΡΜΑΝΙΚΑΙΩΝ. Θ..Ρ. *Cæsariensium Germanicensium. Anno* C..IX. Mediæ numeralis notæ ne quidem vestigium certum superest, cum penitùs corrosa interierit. At planè constat non aliam ibi sculptam fuisse, quam literam Μ, ita vt restituenda sit Epocha ΘΜΡ, *anno* CXLIX. Nam cum Caius Cæsar Antiocho Commagenes regnum dederit, ac postea ademerit, vt ex Dione superiori Differt. I. pag. 113. prænotaui; intra primum biennium imperij Caij, de eiusdem cognominibus Antiochus laudatæ vrbi *Cæsarea Germanica* nomen imposuit, à quo illa suam Epocham inchoauit. Iam verò si hæc iniisset altero anno principatus Caij, V. C. 791. vel insequenti 792. annus eiusdem ΘΑΡ, CXXXIX. exisset A. V. Romæ 930. vel 931. quo vtroque Commodus nouus Augustus cum M. Aurelio patre imperabat, adhuc iuuenis nondum ætatis annum XVIII. emensus; vnde in nummis tunc percussis, imberbis visitur. Rursùs si eius numismatis Epocha reponeretur ΘΝΡ, *anno* CLIX, cum A. V. Romæ 950. ac imperio Septimij Seueri concurreret. Ex his palam fit in Droniano Commodi nummo sculptum fuisse ΘΜΡ, *anno* CXLIX. qui cum A. V. 940. vel proximo 941. copulatur, cum Commodus prolixam barbam nutriens, seniorem penès illam tantum principem simularet. Ita Epocham Germaniciæ imperante Caio Cæsare vno aut altero anno possumus pro libito promouere.

Pag. 271. veritus sum duas vrbes Chalcides in Syria ponere; quod tamen laudata ibidem Strabonis, Plinij, Iosephi, ac S. Epiphanij testimonia affirmare videbantur. At re postea diligentiùs considerata, duas in Syria Chalcides deprehendi. Priorem Plinius *cognominatam ad Belum* scribit; Posteriorem Chalcidem *propè Libanum* Iosephus appellat. Et sanè cum Strabo pag. 271. à me laudatus, scribat: *Post Macram est Marsyas habens montana quadam, in quibus est Chalcis, tamquam Marsyæ arx*; ac Marsyas Polybio ibidem appellato, describatur vallis Libanum inter & Antilibanum, Chalcis, quæ eiusdem vallis arx appellatur, diuersa planè fuit à Chalcide, quæ in superiori Syria procul à Libano, in Antonini Itinerario M. P. XVIII. Berœça distans describitur. Hoc ipsum locupletissimo Iosephi testimonio comprobatur. Nam lib. 14. Antiq. cap. 5. describens iter Pompeij ex superiori Syria Damascum, ait: *Transiens deinde per Heliopolim, & Chalcidem, superatoque medio monte, in cœlem Syriam veniens, à Pella Damascum se contulit*. Antonino, vti dixi, Berœæa Chalcidem numerantur M. P. XVIII. Chalcide verò Emesam M. P. XCI. Rursùs paulò inferiùs Emesa Heliopolim computantur M. P. LXXXII.

LXXXII. ita vt Chalcis, quæ erat propè Berœæam, distarit ab Heliopoli M. P. CLXXIII. Quare cum teste Iosepho, Pompeius per vrbes Heliopolim, proximamque Chalcidem, Damascum aduenerit, palàm est hanc alteram Chalcidem longiùs distasse ab alia, quæ in superiori Syria erat propè Berœæam. Equidem Strabo, quem eadem pag. 271. laudaui, scribit: *Propè erat Heliopolis & Chalcis sub Ptolemao Mennai filio posita, qui Marsyam & Ituraeorum montes obtinebat*; vbi neutiquam Chalcidem indicat, quæ Heliopoli M. P. CLXXIII. distabat, quo medio regionis spacio erant insignes ciuitates Syriæ Larissa, Epiphania, Emesa, aliæque, quæ planè erant extra fines dynastiæ Ptolemæi angustioris ditionis Phylarchi.

Pag. 280. *versu* 28. *post verba*: eodemque secundo imperij Seueri, *hac adde*. Cum hanc meam de inducta apud Capitoliadem Epocha, coniecturam edidissem, Nicolaus Toinardus datis ad me literis, monuit, extare Parisijs in Museo Droniano nummum Antonini Caracallæ anteriùs inscriptum ..Τ.ΑΥΡ.ΑΝΤΩΝ.... *Imperator Aurelius Antoninus*, cum iuuenili capite eiusdem laureato. Retrorsùs verò intra templum tetrastylum visitur Astarte, dextera hastam oblongam stringens, cum cornu copiæ in sinistra, vti passim scalpta apparet in nummis coloniarum Syriæ apud Cl. Vaillantium. Epigraphe eadem omninò legitur vt in proximè producto pag. 277. Seueri nummo: ΚΑΠΙΤΩ. ΙΕΡ.ΑΣ.ΑΥ. cum ijsdem etiam supra templum notis numeralibus ΗΡ, *Capitaliensium* vrbis *sacra*, *Asyli*, *suis legibus vtentis*. *Anno CVIII.* Cum in hoc nummo Antoninus Caracalla laureato capite appareat; constat eumdem nummum non fuisse scalptum ante A. V. Romæ 951. Christi 198. Nam hoc primum anno Antoninus à patre Seuero Tribuniciam potestatem cum Augusti titulo accepit, vt ex varijs Inscriptionibus ostendo inferiùs pag. 425. Iam verò si à memorato anno vrbis Romæ 951. per annos retrò 108. retrocedamus, erimus ad annum V. C. 843. Christi 90. Imp. Domitiano XV. & Nerua Consulibus, ante quem Epocha Capitoliados nequit retrahi. Hinc fit, vt indicata de nuncupata Capitoliade ab institutis à Domitiano A. V. 839. Capitolinis ludis, coniectura, non modò lubrica sit, vti dixi, verùm etiam falsa. Aliam institutæ apud Capitoliadem Epochæ rationem, eamquè altiùs deductam, propono. Rex Agrippa iunior ob egregiam bello Iudaico nauatam Romanis operam, insignes in Decapoli Syriæ vrbes à Vespasiano Augusto obtinuit. Nam Iosephus lib. 3. belli cap. 2. scribit Galilæam ab Oriente claudi Hippo, Gadaris, & Gaulanitide, *qui*, inquit, *etiam regni Agrippa fines sunt*. Idem in libro de vita sua ait Tiberiadem distare *ab Hippo triginta stadijs*, *sexaginta à Gadaris*, *à Scythopoli stadijs centum*

tum ac viginti, *oppidis ditionis regiæ*; non quidem cum hæc scribebat; tunc enim in prouincia Syriæ censebantur. Hinc puto eundem regem à Romanis Capitoliadem quoque M. P. XVI. Gadaris distantem, dono accepisse. Extat in Cimelijs Regis Christianissimi rarissimus Agrippæ regis nummus, hinc signatus: IM. CA. D. VES. F. DOM. AV. GER. COS. XII. *Imperator Cæsar Diui Vespasiani filius Domitianus Augustus*, *Germanicus*, *Consul XII.* illinc verò inscriptus: ΕΠΙ ΒΑ. ΑΓΡΙ. ΕΤ. ΚS. S. C. *Sub rege Agrippa. Anno XXVI. Senatus Consulto*, cum duplici cornu copiæ. Hic nummus scalptus est A. V. Romæ 839. Christi 86. quo Domitianus Consul. XII. agonem Capitolinum quinto ineunte anno instaurandum, instituit. Hæc certamina in veteri Inscriptione Gruteri pag. 314. ΚΑΠΕΤΩΛΙΑ ΕΝ ΡΩΜΗ appellantur. Erat tunc Agrippa sexagenarius; paucis tamen annis superuixit. Nam Iosephus in opere de Antiq. Iudaicis, quod in fine testatur, se absoluisse anno XIII. imperij Domitiani, qui cœpit Idibus Septembris A. V. Romæ 846. lib. 17. cap. 2. narrat sexcentos viros Babylone in Syriam profectos, ab Herode rege colonos in Batanæam deductos, omnium tributorum immunitate concessa, additque: *Post magnus Agrippa*, *& eodem nomine filius*, *licèt multis grauatos exactionibus*, *libertate tamen frui permiserunt*, *quibus succedentes Romani & ipsi grauibus eos tributis opprimunt*, *sed salua libertate*. Agrippa iunior anno duodecimo imperij Claudij, Vrbis Romæ 805. ab eodem Imperatore, vti scribit Iosephus lib. 20. cap. 5. Batanæam cum proxima Trachonitide acceperat, quam cum anno XIII. imperij Domitiani Romani magistratus administrarent, palàm colligimus, eundem Agrippam iam antea regnandi ac viuendi finem fecisse. Præterea idem Iosephus in libro de vita sua, quem vnà cum laudato opere de Antiquitatibus edidit, Vespasianum, Titum, ac iuniorem Agrippam vti iam fato sublatos, laudat. Ibi enim Iusti Tiberiensis historici mendacia coarguens, ait: *Cur viuo Vespasiano ac Tito*, *quorum auspicijs id bellum gestum est*, *& Agrippa superstite &c. non edidisti tuam historiam? Ante viginti enim annos eam scripseras*, *& poteras à conscijs habere testimonium*. *Nunc postquàm illi non sunt inter nos ampliùs &c.* Itaque Agrippa iam vita defuncto, ea Iosephus in literas misit, vt planè vacillet fides Photij Cod. XXIII. ex Iusti Tiberiensis historia vitam iunioris Agrippæ ad annum principatus Traiani tertium producentis. Hæc tamen summæ eruditionis viro Nicolao Toinardo in historia Herodiadum, quam vltra nonum annum premit, diligentiùs discutienda, dimitto. Ipse interim ex prænarratis, ad Capitoliensium Epochæ initium propiùs accedo. Cum ex laudato Caracallæ nummo constet eam Epocham non cœpisse ante A. V. Romæ 843. ac præterea ex Iosepho ostensum sit, regem Agrippam ante A. V. 846. decessisse, Capitolienses

lienſes alterutro medio anno poſt mortem memorati regis, vnà cum Hippo, Gadaris, alijsque vrbibus Syriæ prouinciæ contributi, ac autonomia, quam ſuis in nummis iactant, tum primùm donati, nouam cum eadem Epocham inſtituiſſe videntur; Capitoliados nomine à Romano Capitolio ſiue ludis Capitolinis vrbi tunc indito, vel eodem ab Agrippa rege iam antea impoſito. Hac ratione eadem Epocha deducta, annus eiusdem CVIII. in Caracallæ nummo ſignatus, cum annis Vrbis Romæ 952. vel 953. concurret, cum iam idem Cæſar Auguſteam à Seuero patre dignitatem accepiſſet.

Pag. 285. Nummum Gordiani exhibui, cuius typum ex Anglia acceptum, Ioannes Vaillantius mecum communicauit. In auerſa eius parte legitur: ΕΠΙΦΑΝΕΩΝ. ΕΤ. SC. *Epiphanenſium. Anno* CCVI. Verùm Illuſtriſſimus Comes Mediobarbus mihi poſtea indicauit, ſe eiusdem omninò nummi Gordiani typum à Iacobo Sponio celebri Antiquario accepiſſe, in quo aliter Epocha eius vrbis notabatur, nempè: ET. ST. *Anno* CCCVI. Prioris quidem Epochæ originem in medio ibidem reliqui, quòd nullum tum primùm inſtitutæ veſtigium niſi diuinando, conſequi poteram. At hæc altera Epocha Sponio prænotata, eſt planè Pompeiana, quam Epiphanienſes Syriæ ob acceptam ab eodem autonomiam A.V. Romæ *690.* induxerunt. Vnde annus eiusdem CCCVI. exijt ſub autumnum A. V. Romæ *996.* quo Gordianus bellum in Syria contra Perſas feliciter inchoauit. Quæ quidem Epocha indicat etiam laudatum nummum ſpectare ad Epiphaniam in Syria, non verò ad alteram Epiphaniam in Cilicia.

Pag. 286. ante Caput X. inſeratur

§. VIII.

EPOCHA ARETHVSÆ.

Arethuſa à Seleuco Nicatore condita. Eiuſdem ſitus. Nummus Arethuſiorum Epocha obſignatus, cuius initium ab A.V. Romæ 685. cum noua ibidem Sampſicerami Arabis Dynaſtia deducitur. Huius ſucceſſores regio titulo decorati.

INter vrbes à Seleuco Nicatore Seleucidarum in Syria regni auctore conditas, ac de nominibus oppidorum Græciæ ac Macedoniæ nuncupatas, Arethuſa ab Appiano in Syriacis recenſetur. Nam antiquior altera Arethuſa erat in Macedonia, cuius mentionem faciunt

Plinius

Plinius lib. 4. cap. 10. ac Ptolemæus lib. 3. eratque non procul ab ostijs Strymonis, à qua postea Macedones alteram in Syria vrbem appellarunt. Huius vrbis numismata sunt rarissima, ita vt singularis præstantiæ censendum sit, quod in regia Galliarum Gaza seruatur, cuius hic typum propono.



In antica parte nummi visitur caput Diadumeniani Cæsaris, Macrini Augusti filij, cum epigrapha: Μ.Ο.ΔΙΑΔΟΥΜΕΝΙΑΝ. *Marcus Opelius Diadumenianus*. In auersa parte cum Cancro legitur: ΑΡΕΘΟΥCΑΤΩΝ. *Arethusatorum*; & subtus: ΕΤΟ. ΕΠC. *Anno* CCLXXXV. Prior quidem numeralis nota Ε est parumper obtusa, sed certa sui vestigia retinet, vti eruditissimi viri, qui nummum contrectarunt, vnanimi consensu testati sunt. Hic nummus scalptus est Arethusæ A. V. Romæ 970. C. Bruttio Præsente & T. Messio Extricato Consulibus, cum Diadumenianus sine laurea appareat, quacum anno sequenti, addito Augusti titulo, in nummis visitur. Hinc si annos 285. in nummo obsignatos, retrò computemus, deueniemus ad A. V. Romæ 685. quo Arethusij nouam Epocham induxerunt. Syri fraterna Antiochi Grypi, & Antiochi Cyziceni bella perpessi, cum illorum filij eadem longè etiam sæuiori rabie instaurantes, vetustum Seleucidarum regnum euerterent, diuersorum Principum tutelæ sese commiserunt. Antiochenses Tigranem Armeniæ regem in superiorem Syriam acciuerunt; Damasceni verò ex Arabia Aretam regem in Syriam Cœlem vocarunt. Alij etiam Arabum Phylarchi diuersas ad Euphratem ditiones tenebant, qui ruente Seleucidarum regno, proximas eiusdem partes occuparunt. Horum vnus Sampsiceramus Emesam, atque hinc distantem M. P. XVI. Arethusam, ac proxima alia loca inuasit, nouique apud Emesam regni conditor fuit. Strabo lib. 16. pag. 518. scribit Arabes, quò Syris propinquiores sunt, eò esse mitiores, *ac meliùs*, inquit, *constitutas habent dominationes, vt est Sampsicerami Arethusa*. Auctor est Dio lib. 36. P. Clodium rei nauali à Q. Marcio proconsule præfectum, ad Antiochenses Syrię A. V. Romę 687. profectum fuisse, *vt eos cum Arabibus contendentes, auxilio iuuaret*. Phylarchi enim Arabum vrbium Syrię ditiones passim infestabant. Cum verò Pom-

peius A. V. *690*. regnum Syrię in prouinciam redegiſſet , Sampſiceramo occupatam circa Emeſam, ac Arethuſam regionem certa tributi impoſitione , reliquit , ac poſtea in triumpho Romę peracto , inter reges Populo Romano tributarios factos , Sampſicerami nomen in titulo inſcripſit ; vnde poſtea Cicero Pompeio ſubiratus , eundem non alio quam *Sampſicerami* nomine , irriſionis gratia, appellavit in lib. 2. ad Atticum epiſt. 13. 15. 16. & 22. vt aliàs pręnotaui . Porrò nouę ab Arethusijs Epochę A. V. Romę 685. inſtitutę, ex initio principatus ibidem à Sampſiceramo initi , origo defluxit , quò noui Domini gratiam ſibi maximè conciliarent . Plures Emeſę ac Arethuſę reges Sampſicerami ſucceſſores pag. 80. recenſui, quibus alterum addo imperante Claudio , Sampſiceramum , cuius meminit Ioſephus lib. 19. Antiq. cap. 5. qui antea lib. 18. cap. 3. ſcripſerat: *Tertio fratri Agrippæ Ariſtobulo nupſit Iotape Sampſicerami Emeſenorum regis filia* . Nolo hic tamen diſſimulare quę non vno loco de Arethuſa idem Ioſephus ſcribit . Nam tum lib. 14. Antiq. cap. 8. tum lib. 1. de bello cap. 5. narrat Pompeium plures Syriæ vrbes Iudæorum dominio ſubtractas , eidem Syriæ prouinciæ adieciſſe ; & vtrobique eas inter nominat *Azotum* , *Iamniam* , *& Arethuſam* ; ex quo colligi videtur, Arethuſam ad annum vſquè vrbis Romæ *691*. Iudæis paruiſſe , cum eo primùm anno ijsdem erepta , autonomiam vti cæteræ ibidem memoratæ , à Pompeio acceperit . Verumtamen mihi plane certum eſt , neutro loco à Ioſepho deſignari Arethuſam , quæ proxima erat Emeſæ . Nam licèt Iudæi Alexandro Iannęo regnante , regionem Decapoleos in Syria Cœle , in qua erant Gadara , Hippus , Dion, Pella , aliæque vrbes , occupauerint , Damaſcenorum tamen ditionem neutiquam ſubegerunt ; & cum Pompeius in Syriam aduenit , Damaſcus regi Arabum Aretæ parebat . Iam verò Arethuſa recto itinere ab Antonino deſcripto , erat vltra Damaſcum versùs ſuperiorem Syriam M. P. CLXIII. quò numquam Iudęorum arma penetrarunt . Hinc Arethuſa à Ioſepho inter vrbes , quas Pompeius à Iudęorum ſeruitute liberauit, recenſita , diuerſa fuit ab Arethuſa , quę Sampſiceramo parebat ; illius tamen nuſquàm alia apud Scriptores memoria eſt reliqua . Imò idemmet Ioſephus lib. 13. cap. 23. recitans vrbes , quas Iudęi ſub Alexandro rege in Syria Cœle ſubegerunt , eas omnes enumerat , quas poſtea à Pompeio Iudęis ereptas ſcribit , vna excepta Arethuſa .

Gentile vrbis in nummo ſignatur Αρεθουσιάτων ; apud Scriptores paſſim legitur Αρεθουσίων , *Arethuſiorum* . In literis Conſtantini Magni apud Euſebium lib. 3. de vita eiuſdem cap. 62. laudatur Georgius Epiſcopus Αρεθουσίων ; Theodoretus lib. 3. cap. 7. ac Socrates lib. 2. cap. 30. Marcum itidem Epiſcopum Αρεθουσίων nominant . Ita etiam Stephanus , alijquè ſcribunt .

§. VIII.

§. VIII.

EPOCHA LEVCAVDIORVM.

Leucadij in Syria à Plinio recensiti. Eorumdem nummi Epochâ Augustana à victoria Actiaca deducta, obsignati. Leucas nouum Claudiæ *cognomen assumpsit.*

PLinius lib. 5. cap. 23. describens vrbes ac populos in Cœle Syria, post Arethusios nominat *ad Orientem Laodicenos, qui ad Libanum cognominantur, Leucadios, Larisseos, prȩter Tetrarchias in regna distributas barbaris nominibus, XVII.* Ioannes Vaillantius binos mihi nummos à Leucadijs scalptos, delineandos curauit, quorum hic ectypa exhibeo.



Nummus minor dextrorsùs positus, est Gordiani iunioris cum anteriori epigrapha: ΑΥΤΟΚ. Κ. Μ. ΑΝΤ. ΓΟΡΔΙΑΝΟϹ ϹΕΒ. *Imperator Cȩsar Marcus Antonius Gordianus Augustus.* In postica cum busto Deȩ intra Templum tetrastylum legitur: ΛΕΥΚΑΔΙΩΝ. ΔΟϹ. *Leucadiorum. Anno* CCLXXIV. Est Epocha Augustana in Syria ab Antiochensibus ac Seleuciensibus inducta, vt Dissertat. III. prȩnotaui, cuius initium ducitur ab autumno A. V. Romȩ 723. quo M. Antonio nauali prœlio apud Actium deuicto, Syria in victoris Augusti potestatem venit. Hinc annus 274. eius Epochæ cœpit ab autumno A. V. Romæ 996. quo Gordianus bello contra Persas feliciter gesto, in Syria degebat. Alter nummus est Traiani, cuius anterior epigraphe legitur: ΑΥΤ. ΚΑΙ. ΝΕΡ. ΤΡΑΙΑΝΟϹ ΓΕΡ. ΔΑΚ. *Imperator Cȩsar Nerua Traianus Germanicus, Dacicus.* Auersa verò: ΚΛΑΥΔΙΕΩΝ ΤΩΝ ΚΑΙ ΛΕΥΚΑΔΙΩΝ, *Claudiorum qui & Leucadij*, cum Imperatore in quadrigis. Literȩ E N in superiori area nummi lineola superstante, annum LV. nouȩ alterius Epochæ designant, quam Leucadij tum induxerunt, cum vrbem suam *Claudiam* appellarunt. Cum Traianus in nummo *Dacicus* appelletur, idemque hunc titulum A. V. 856.

 acce-

acceperit , vt ex varijs nummis Mediceis pag. 240. mihi demonstratur , si abhinc per annos LV. in nummo signatos , regrediamur , erimus ad A. V. 801. eundemque octauum imperij Claudij , citra quem recentior illa Leucadiorum Epocha retrahi nequit ; cuius tamen primus annus ex vnico illo nummo mihi nequit indicari . Vtrumque Leucadiorum numisma Syriacam scalpturam præferre testatur V. C. Vaillantius , cum quo hac in re mihi aut sapere , aut errare decretum est . Hic enim summus nummorum Interpres , in ijsdem vltra triginta annos vixit ; imò & semel nummi in eodem vixerunt , cum à piratis Algeriensibus captus, aliquot nummos aureos veluti aurum potabile sorbuit , ac penè se perdidit , quò aureos seruaret .

Pag. 314. post versum 12. hæc addantur . Hactenùs mihi disputata , ex altero Anazarbi nummo nouam lucem accipiunt . Extat ille in ditissimis Regis Christianissimi Cimelijs , cuius typum ichthyocolla formatum , accepi .



In antica parte visitur caput Imperatoris Maximini cum epigrapha : ΑΥ. Κ. Γ. ΙΟΥ. ΟΥΗ. ΜΑΞΙΜΕΙΝΟC CΕΒ. *Imperator Cæsar Gaius Iulius Verus Maximinus Augustus* . In altera nummi parte Imperatori in equo decurrenti , Victoria coronam offert cum Inscriptione : ΑΝΑΖΑΡΒΟΥ . . ΔΟΞ. ΜΗΤΡΟΠ. cum literis in area superiori Β Γ , & inferiùs ΕΤ. ΕΝC. In indice regio epitheton ΕΝΔΟΞου omissum est . In typo verò transmisso ante vocem ΜΗΤΡΟΠ , visuntur clarè literæ ΟΞ , cum addito puncto , quarum posterior Ξ eodem planè modo formata est , quo altera in antica parte secundam Μαξιμεῖνος syllabam inchoat , & in descripto superiùs Anazarbi nummo Mediceo pulcherrimo ac nitidissimo apparet . Et quidem cum post syllabam ΟΞ , punctum sequatur , patet eidem voci aliquas literas compendij gratia , esse subtractas , ac integram vocem ΕΝΔΟΞΟΥ exprimere , nempè : *Anazarbi inclytæ Metropoleos* ; quod epitheton suis in nummis Anazarbenses scalpsisse , idem Mediceus nummus ostendit . In subscriptio-

nibus

nibus Concilij à S. Flauiano Constantinopoli contra Eutychem celebrati, quod recitatur Act. I. Synodi Chalcedonensis, idem Flauianus dicitur Antistes *ταύτης τῆς ἐνδόξου πόλεως*, *huius inclyta ciuitatis*, quę rursus ibidem repetuntur ab Aetio Diacono Synodi Notario. Binę illę literę in area superiori nummi Β Γ, Βυλῆς Γράμματι, exposui pag. 310. *Senatus* siuè *Decurionum decreto*. Verum alteram literam Γ aptiùs eadem tamen significatione, Γνώμη exponendam monuit doctissimus Toinardus. Nam in oratione Demosthenis de Corona recitatur psephisma, quod dicitur conditum Heropytho Archonte, die 6. Elaphebolionis desinentis, nempè 25. eius mensis, *βυλῆς καὶ ϛρατηγῶν γνώμη*, *Senatus ac Pratorum decreto*. Vti ergo in Latinarum Coloniarum nummis binę literę D D occurrunt, id est, *Decurionum decreto*, ita in pluribus Tarsi ac Anazarbi nummis obsignantur literę Γ Β, vel Γ Γ, quę exponuntur: *Γνώμη βυλῆς*, vel *Γνώμη Γερυσίας*, *decreto decurionum*, vel *decreto Senatus*. Denique in inferiori parte laudati numismatis legitur: ET. ENC. *Anno* CCLV. Prior quidem nota numeralis E licèt obtusa sit, sui tamen vestigia prodit, vt qui nummum regium inspexere, testantur. Epocha Anazarbi erat Augustana, inita A. V. Romę 734. ac proinde annus eiusdem 255. desijt sub autumnum A. V. Romę 989. Christi 236. ipsomet Imperatore Maximino & Africano Consulibus, quo anno idem Maximinus Germaniam vltra CCCC. M. P. legionibus penetrans, eandem longè latequè vastauit. Hinc captiuus ille sub equo in nummo signatus, Germanos victos indicat, ac victoria Germanica ibidem exprimitur.

Pag. 368. Nummum M. Aurelij & L. Veri ab Aradijs percussum è Regia Galliarum gaza appellaui cum Epocha Ε. ΑΚΤ; cum tamen in eo nummo cum boue currente, sine litera Ε *annum* indicante, tres tantùm literę Epocham notantes, ibidem videantur. Alter etiam in ijsdem Cimelijs nummus seruatur anteriùs simili epigrapha obsignatus: ΑΝΤΩΝΙΝΟϹ ΚΑΙ ΟΥΗΡΟϹ ϹΕΒ, *Antoninus & Verus Augusti*, cum capitibus eorumdem aduersis. Retrorsùs verò: ΑΡΑΔΙΩΝ. ΞΚΤ, *Aradiorum*. *Anno* CCCCXXI. cum typo Fortunę, vt superiùs pag. 364. in nummo Mediceo; nisi quòd in illo supra caput Fortunę visitur calathus. In eadem pagina 368. versu 16. Α in Π demutata; lege: Κ in Π demutata &c.

Pag. 432. *in fine versus* 25. *scripta ibidem ita reformanda sunt*: in cuius parte anteriori cum laureato capite Imperatoris legitur ϹΕΒΑϹ, & retrò caput sola litera Τ apparet, alijs prorsus detritis. At non ΤΙΤΟϹ, sed tantùm ΤΟϹ vltima scilicèt syllaba vocis ϹΕΒΑϹ ex aduerso scalptę, legendum esse, cetera eiusdem Ascalonis numismata

ta perſuadent, in quibus proprijs Imperatorum nominibus paſſim omiſſis, quilibet Cęſar communi tantùm titulo CEBACTOC, *Auguſtus* nuncupatur, quorum tamen imagines ob ſcalptorum Aſcalonitarum imperitiam, alios quoſue potiùs quàm ipſos Auguſtos repręſentant. Hinc illi ex annis notatę in ijsdem nummis Epochę deſignandi ſunt. Quare cum in eo numiſmate Muſei Pollacij, teſte laudato Magnauacca, ſignetur Epocha BΠP, *Annus* CLXXXII. hic deſijt ſub autumnum A. V. Romę 832. quo Titus Veſpaſiano patri die 23. Iunij defunćto, Auguſtus ſucceſſerat. Bina hic adijciam numiſmata ex ditiſſimis Regis Chriſtianiſſimi Cimelijs.



Priorem nummum cum epigrapha CEBACTOC *Imperator*, Claudio adſcribendum prodit Epocha ϛNP, nempè: *Aſcalo. Anno* CLVI. qui cœpit per autumnum A. V. Romæ 805. ac duodecimo principatus Claudij Auguſti. Harduinus pag. 78. notat Epocham ϛMP, decennio minorem, quàm ſit in eodem nummo. Prior litera nota numeri ſenarij formatur vt alia in Inſcriptione Athletica Romana, quam figuraui pag. 88. Epiſtolæ Conſularis; eſt enim litera Γ inferiùs ſinuata. Hinc factum eſt, vt Latini poſteriori ætate numerum. VI. litera G exprimerent, & ea pariter inferiùs ſinuata, vti patet in Cylo Rauennate, quem huic operi poſtea adijcio; itemque in nummis Iuſtini II. & ſucceſſorum apud doćtiſſimum Comitem Mediobarbum in inſigni Auctario Occoniano pag. 571. 574. & ſequentibus. Alteri nummo pretium addit nomen præter morem, Imperatoris Seueri ibidem ſcalptum, nempè: A·K·Λ·C. CEOTH. *Imperator Cæſar Lucius Septimius Seuerus*; & retrorsùs; ACKAΛΩ. AT. *Aſcalo. Anno* CCCI. qui cœpit ab autumno A. V. 950. ac quinto imperij Seueri. In hoc nummo Derceto diuerſo ſitu exprimitur, ac in altero Elagabali, quem pag. 433. exhibui, ac præterea Venus cœleſtis dextera tenet columbam, cum in altero typo coronam præferat. Harduinus in Addendis pag. 568. de illo regio Seueri nummo ſcribit: *Palladem is præfert cum noćtua*; cum reapſe Venerem prodat cum columba, quæ Aſcalonitis ſacra erat. In eadem Regia Galliarum Gaza bini ſeruantur nummi Aſcalonitarum eadem Epocha notati ΘΠP, *Anno* CLXXXIX.

qui

qui in Regio indice Cimeliarchij Tito Augusto adscribuntur, quamuis anteriùs CEBACTOC *Augustus* tantùm legatur. Verùm vtrumque nummum non ad Titum, sed ad Domitianum pertinere, clarè demonstrat laudatum proximè numisma Imperatoris Seueri. Nam cum Titus biennij imperium cum vita finiuerit A. V. Romæ 834. Christi 81. die 13. Septembris, si annus ille fuisset Ascalonitarum ΘΠΡ, 189. additis annis insuper 112. fit annus AT, 301. in Seueri nummo signatus, qui exister sub autumnum A. V. Romæ 946. Christi 193. Sosio Falcone II. & Erucio Claro Coss. mense sexto occupati à Seuero in Occidente imperij. At id temporis in Oriente Pescennius Niger imperabat, & anno etiam sequenti ibidem rerum potitus est; vnde Ascalonitæ neutiquam ausi fuissent æmuli Principis Seueri imagine nummos obsignare. Cum ergo nummum Mediceum Ascalone percussum cum Epocha ϘΡ, 190. Domitiano adscribendum esse monstrauerim, ad eundem quoque referendi sunt Regij nummi annum proximè superiorem preferentes ΘΠΡ, 189. id enim euincit initium eius Epochæ ab Eusebio in eadem Palæstina Episcopo ac historico insigni indicatum.

Pag. 441. ante Caput V. addatur

§. III.

EPOCHA DIOSPOLEOS.

Hæc Vrbs erat in Palæstina, antea Lydda appellata. Ex Samaria Iudææ accesserat. A Romanis euersa, ac à Syris postea restaurata, Diospoleos nomen accepit. Eiusdem Epocha cœpit Domitiano imperante.

IOannes Vaillantius, qui eruditam rem nummariam tot præclarissimis voluminibus illustrauit, alijsque breui edendis, in maiori etiam lumine collocabit, inter insignes vrbium Syriæ nummos, quos ad me transmisit, hunc etiam reposuit.



Idem

Idem autem teſtatur, huiuſce nummi ſcalpturam non eſſe Ægyptianam, ſed planè Syriacam; præterquàm quòd, ſi Alexandrini excipiantur, rariſſimi in Cimelijs nummi Septimij Seueri nomine in Ægypti vrbibus ſignati, occurrunt. Hinc ait, nummum illum non ſpectare ad Dioſpolim in Ægypto, ſed ad aliam Dioſpolim in Syria. Ego quidem, qui diuerſæ nummorum ſcalpturæ omnium ſum imperitiſſimus, non poſſum non integram fidem præſtare Vaillantio, qui totum vitæ ſuæ ſpatium in nummis perluſtrandis, ſimulque eruditiſſimè interpretandis, exegit. Ioſepho lib. 15. Antiq. cap. 6. dicitur Herodes tempore belli Actiaci inuaſiſſe Arabiam, *Dioſpolim petens, quò occurſuri erant Arabes*: quam rursùs vrbem nominat lib. 1. belli cap. 5. Altera Dioſpolis erat in Palæſtina, quæ antea Lydda dicebatur. Hieronymus in epitaphio Paulæ, ſcribit eam in Palæſtinam aduenientem, vidiſſe *Lyddam verſam in Dioſpolim*. Theodoretus lib. 1. cap. 5. ait: *Eſt autem Lydda ciuitas, quæ iam vocatur Dioſpolis*. In lib. 1. Maccab. cap. XI. 14. Lydda ex Samaria Iudææ acceſſiſſe dicitur dono Demetrij II. Syriæ regis, quò Ionatham Iudæorum ducem ſuas in partes traheret. Hinc Lydda à Plinio lib. 5. cap. 14. ac Ioſepho lib. 3. de bello Iud. cap. 2. inter Iudææ Toparchias recenſetur. Caſſius bellum contra Triumuiros initurus, ciues Lyddæ ſub haſta vendidit, ex Ioſepho lib. 14. Antiq. cap. 18. At illi poſtea decreto M. Antonij libertati reſtituti, patriam repetiere. Ceterùm cum Ceſtius Syriæ præſes initio belli Iudaici, Lyddam incendiſſet, ac dein Titus euerſis Hieroſolymis, cuncta Iudæorum oppida deuaſtaſſet, Syri quaſdam Iudææ vrbes agri fertilitate allecti, habitare cœperunt, ac noua etiam ijsdem nomina impoſuere, vti pag. 276. prænotaui. Ita Lydda à nouis inquilinis Dioſpolis, ideſt, *Iouis ciuitas* dicta fuit, vnaquè ipſi nouam illius Epocham inchoarunt. In deſcripto nummo Seueri legitur: Λ·CΕΠ·CΕΟΥ·ΔΙΟCΠΟΛΙC, *L. Septimius Seuerus. Dioſpolis*; cum capite Serapidis, addita Epocha ΘΡ, *Anno* CIX. In anteriori huius nummi parte Iuliæ Domnæ effigies ſcalpta eſt: eumque Harduinus pag. 141. ad Dioſpolim in Ægypto refert. Vaillantius alterum ab ſe Iuliæ Domnæ nummum Dioſpolitanum in priuato quodam ſcrinio ſibi obſeruatum, mihi indicauit cum Epocha Ε Ρ, *Anno centeſimo quinto*. At ex his tantùm nummis initium Epochæ Dioſpoleos neutiquam aſſequi poſſumus; quamuis ex ijsdem intelligamus, eamdem Domitiano imperante cœpiſſe.

§. III.

§. III.

EPOCHA PROVINCIÆ SAMARIÆ.

In nummis Antiochensium annos eorumdem Epochæ cum annis imperij Neronis copulatos, doctissimus Nicolaus Toinardus, omnium primus obseruauit. Eiusdem Cæsaris anni cum altera Epocha iuncti in nummo Syriæ, qui Samariæ prouinciæ adscribitur. Augusti inter Deos ibidem culti. Epocha laudati nummi exponitur. Nummus Sebastenorum in Samaria cum Epocha è Mediceis Cimelijs exhibetur.

HOc opere quadraginta circiter vrbium Syriæ Epochas in nummis obsignatas, recitaui, in quorum tamen nullo earumdem anni cum annis imperij Cæsarum iuncti leguntur; qui sanè additi, initium cuiusque Epochæ certissimè indicarent. Extant tamen argentei nummi Neronis, in quibus anni imperij eiusdem cum annis Epochæ copulati, exhibentur. In horum auersa parte visitur Aquila fulmen vnguibus stringens, cum ramo palmæ, & epigraphe: ΕΤΟΥΣ ΑΙΡ. Θ; in alijs ΕΤΟΥΣ ΒΙΡ. Ι. Rursùs in quibusdam hæ tantùm notæ signantur: ΗΡ. Ε; & in alijs: ΗΡ. ς. Horum typos euulgabit doctissimus Toinardus, qui vti est acutissimi ingenij, omnium primus obseruauit, Epocham in ijsdem scalptam, esse Antiochenam, cuius varij anni cum diuersis annis imperij Neronis iunguntur. Etenim annus ΑΙΡ, *centesimus vndecimus* Epochæ Antiochenorum cœpit sub autumnum A. V. Romæ 815. cum Nero eodem anno, die 13. Octobris annum imperij Θ, *nonum* inchoauerit. Præterea annus eiusdem Epochæ ΒΙΡ, *centesimus duodecimus*, initium cepit ab autumno A. V. Romæ 816. quo pariter tempore Nero auspicatus est imperij annum Ι, *decimum*. Itaque cum in illis nummis legitur ΕΤΟΥΣ ΑΙΡ. Θ, ita interpretanda venit epigraphe: *Anno centesimo vndecimo* Antiochensium, *nono* imperij Neronis. Duo verò nummi, in quorum altero sine voce ΕΤΟΥΣ, numerales tantùm notæ ΗΡ. Ε, & in altero ΗΡ. ς obsignantur, indicatur annus Antiochensium *centesimus octauus*, quocum iunguntur annus *quintus* ac *sextus* imperij Neronis. Enimuerò Dissert. III. cap. 6. ostendi quosdam annum ciuilem Antiochenorum à Kalendis Septembris: alios verò à proximis Kalendis Octobris exordiri. Cum autem Epocha Antiochenorum initium duxerit ab autumno A. V. Romæ 705. annus abhinc CVIII. in vtroque Neronis nummo signatus cœpit Kal. Septembris, siuè Kal. Octobris A. V. Romæ

Romæ 812. cum adhuc laberetur annus quintus imperij Neronis, qui die 12. Octobris complebatur, ac proxima die 13. annus sextus principatus eiusdem inchoabatur. Hæc in nummo notæ HP. E, exponendæ sunt, *Anno* CVIII. Antiochenorum: *quinto* imperij Neronis; qui nummus scalptus est intra primos eius anni dies, qui Natalem imperij eius Cæsaris præcedebant. In altero idem *annus* CVIII. ac *sextus* principatus Neronis exprimitur; qui nummus eodem Anno Vrbis Romæ 812. post IV. Idus Octobris obsignatus est. Porrò ex laudatis nummis apertissimè demonstratur initium Epochæ Antiochenæ colligendum esse ab A. V. Romæ DCCV. vt aliàs pluribus argumentis euicimus.

Extat In Cimelijs Regis Christianissimi mediocris nummus, in quo pariter anni Epochæ cum annis imperij eiusdem Neronis copulantur. At quinque circiter literæ, quæ in auersa epigrapha vnà cum nummi parte detonsæ sunt, dubium relinquunt locum, in quo numisma scalptum est. En illius typum.



In anteriori parte cum capite Neronis legitur ... ΚΑΙ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ, *Cæsar Augustus*. Retrorsùs verò cum Dea Astarte, dextera caput Osiridis, sinistra hastam puram tenente, est in Inscriptio: Θ. ΣΕΒΑΣΤΩΝ Μ...ΑΡΙΑ. ΗΠΡ. & in area Nummi: L. ΙΔ. Vbi annus Epochæ *centesimus octogesimus octauus* coniungitur cum *anno decimoquarto* imperij Neronis. At remanet inuestigandus locus, vbi nummus ille planè insignis percussus sit; quod quidem ex residuis literis, quæ supersunt, colligere vtcumque tentandum est, suppleta qua parte deficit, inscriptione, quam ita restituo: Θ. ΣΕΒΑΣΤΩΝ ΜΕΓ*άλων* ΣΑΜΑΡΙΑ. ΗΠΡ. L. ΙΔ. *Deorum Augustorum Magnorum. Samaria. Anno* CLXXXVIII. imperij verò Neronis *anno decimo quarto*. Litera solitaria Θ vocem ΘΕΩΝ designari, patet ex nummo Mediceo Sidonis pag. 349. mihi exposito; & in plerisque epitaphijs binæ literæ initio solitariè scalptæ Θ Κ, explicantur: ΘΕΟΙΣ ΚΑΤΑΧΘΟΝΙΟΙΣ, nempè *Dijs Manibus*, vti pluribus ostendi in Cenotaphijs Pisanis Differt. III. cap. 4. Anno XIII. imperij Neronis Vespasianus Galilæam vniuersam subegerat, vti scribit Iosephus lib. 4. de bello cap. 4. qui cap. 5. ait

eundem

eundem Vespasianum Iamniam postea ac Azotum cepisse. Vtraque erat vrbs Iudeæ, inter quam & Galilæam media erat Samaria, cuius incolæ bello illo Iudaico in officio erga Romanos manserant, vt pag. 460. demonstro. Herodes cum Samariam dirutam olim vrbem restaurasset, eamdem de nomine Augusti Sebastem appellauit, ac ibidem templum sesquistadij magnitudine ac pulchritudine cum quouis alio conferendum, eidem Augusto dicauit, ex Iosepho lib. 15. Antiq. cap. 11. In eodem postea suam quoque statuam Caius Cæsar consecrandam iussit, & ibidem dicata etiam videtur statua Claudij Augusti à Nerone inter Deos relati. Hinc prouinciales Samariæ in eodem templo Augustos vti Deos adorabant. Cum verò bellum Iudaicum deseuiret, ac eodem circumquaquè Samaritæ clauderentur, quò suum erga Romanos obsequium testarentur, eorumque gratiam captarent, nummos publico totius prouinciæ decreto scalpserunt cum epigraphe, *Deorum Augustorum Magnorum. Samaria*. Dij alij dicebantur Magni: alij autem minorum gentium; vnde & Virgilius lib. 3. Æneid. V. 12. ait: *penatibus, & Magnis Dijs*; quæ repetit lib. 8. V. 679. In vetustis etiam Inscriptionibus Gruteri pag. 27. 28. & alibi legimus DIS MAGNIS; & his quoque Augustos Samaritæ inserebant. Vox Σαμάρεια in penultima syllaba cum diphthongo scribitur, quæ tamen sæpè in nummis omittitur, vt ostendi pag. 423. Hæc mihi laudati nummi interpretatio in mentem venit, qua tamen longè meliorem viri doctiores inuenient, quousque integer nummus quandoquè repertus, veram epigraphen prodat. Interim scalpta ibidem Astarte cum capite Osiridis nummum Syriacum designat, quod ipsum addita Epocha ostendit. Auctor est Porphyrius in excerptis apud Scaligerum pag. 227. Antiochum Grypum cum Alexandro II. rege Syriæ acie congressum, eumdem obtenta victoria, vsurpato regno priuasse *anno tertio Olympiadis* CLXIV. qui desijt A. V. Romæ 633. Hinc victor Antiochus Samariam prouinciam recuperatam, multis immunitatibus ornauit. Samaritæ verò siuè victori adulantes, siuè benefactori gratias referentes, nouam prouinciæ Epocham eodem anno vrbis Romæ 633. instituerunt. Hinc autem numeratis annis ΗΠΡ, CLXXXVIII. in regio nummo obsignatis, horum postremus inijt ab autumno A. V. Romæ 820. quo pariter tempore L. ΙΔ, *annus decimus quartus* imperij Neronis in eodem nummo scalptus, incohoabatur. Extant sanè nummi ab ipsismet prouincijs scalpti cum Inscriptionibus ΚΟΙΝΟΝ ΚΥΠΡΙΩΝ; ΚΡΗΤΩΝ; ΒΕΙΘΥΝΙΑC, &c. *Commune Cypriorum; Cretæ: Bithyniæ &c.* Insigniores Samariæ vrbes erant Neapolis, ac Sebaste, quarum Epochæ ea, quæ in regio illo nummo legitur, longè recentiores sunt, vt Dissertatione V. cap. 5. demonstraui, pluribus vtriusque nummis productis. Addam hic nummum parui moduli, qui nuper

Mediceis Cimelijs accessit. In anteriori parte visitur caput Imperatoris Commodi cum epigrapha: IMP. C. M. AVR. COM. ANT. *Imperator Cæsar Marcus Aurelius Commodus Antoninus*. Alterius partis typum ostendo.



Inscriptio est: CEBACTHNΩN CΥP. L. CIϚ. *Sebastenorum Syriæ. Anno* CCXVI. Horum Epocha cum colligatur ab A. V. Romæ 729. vti pag. 444. prænotaui, annus eiusdem 216. cœpit A. V. Romæ 944. Visitur ibidem cista Bacchi cum binis serpentibus. In orgijs enim Bacchi cista ferebatur, quæ arcana ipsius mysteria continebat, ac Bacchantes sese serpentibus incingebant. Hinc Catullus, vt aduertit Seguinus pag. 76. ait:

Pars sese tortis serpentibus incingebant;
Pars obscura cauis celebrabant orgia cistis.

Ex laudata autem Epocha Sebastes patet prouinciam Samariam, si reapse in eo nummo Neronis designetur, diuersam eamque antiquiorem Epocham in nummis scalpsisse.

NVMMVS PALTI.

Nummus Palti in Syria cum Epocha detrita, exhibetur. Eius vrbis situs ex epistola apud Ciceronem, cuius Græcum ibidem vocabulum exponitur. Hieronymus Surita Platanum mansionem cum vrbe Palto confundit. Cymatius Palti Episcopus à S. Athanasio laudatus. Alij eiusdem vrbis Episcopi recensentur.

NVmmum Syriacum proximè exposui, in quo anni Epochæ leguntur: nomen verò loci, in quo idem scalptus fuit, cum detonsa ibidem parte numismatis desideratur. Hic è contra nummum certi in eadem Syria oppidi profero, cuius tamen Epocha adeo detrita est, vt ex notarum numeralium vestigijs nullum certum tempus assequi possimus.



Hic nummus nuper adiectus est Cimelijs humanissimi ac præstantissimi viri Francisci Dronij Parisijs S. Thomæ ad Luparam Canonici. In anteriori parte legitur tantùm ΑΝΤΩΝΕΙΝΟC *Antoninus*, qui nonnullis Commodus putatur. Ipse verò arbitror Elagabalum ibidem designari. In posteriori parte legitur: ΠΑΛΤΗΝΩΝ, *Paltenorum*; cum Castore ac Polluce, suum vtroque equum fræno tenentibus; vti simili typo visuntur in nummo Orthosiensium Hadriani, quem è Gaza Medicea pag. 85. recitaui, vbi de Dioscurorum in Syria cultu quædam recensui. In superiori dextera parte circuli trium literarum vestigia visuntur, quæ dubio procul Epocham vrbis Palti exprimebant, quam eamdem auguror fuisse cum ea, quam proximæ vrbes Laodicea ac Gabala ab accepta à Iulio Cæsare autonomia, deducebant. Situm Palri designat Cassius in epistola ad Ciceronem decimatertia lib. 12. famil. vbi narrat Dolabellam propè Laodiceam castra muniuisse; de Cassio verò Bruti collega scribit: *à millibus passibus viginti castra habet posita* Παλτοῖ. Georgius Græuius doctrina æquè ac eloquentia celeberrimus, in nitidissimis ac amplissimis notis ad epistolas Ciceronianas pag. 225. laudat interpretes, qui vrbem Paltum ea Græca voce significari consentiunt; quamuis eamdem diuersimodè refingunt. Nam quidam scribunt Παλτοῖ; nonnulli Πάλτῳ; alij è vetustioribus codicibus reponunt ΠΑΛΤΩΙ. Id tamen facilè explicatur. Etenim cum vetusti Scriptores postremæ literæ ω nominum tertiæ declinationis datiuo casu, iota vel punctum hoc modo ῳ supponerent, Amanuenses siuè exscriptores iota recto tractu omegæ addebant ωι; qui scribendi modus in pluribus Græcis manu exaratis codicibus obseruatur. Itaque laudato loco legendum est Πάλτῳ. In epistola S. Athanasij ad Solitarios, laudatur strenuus Arianorum hostis Cymatius Episcopus, vti rectè ibidem scribitur, ἐν Πάλτῳ *Palti*, qui decreto Constantij Augusti in exilium deportatus fuit. In Itinerario Antonini pag. 22. numerantur ab Antiochia *Platanos M. P. XXV. Catbela M. P. XXIV. Laodiciam M. P. XVI. Gabala M. P. XVIII. Balaneam M. P. XXVII.* Hieronymus Surita in notis pag. 308. putat loco *Platanos* legendum esse *Palton*, quæ vrbs M. P. XL. Laodicea distabat;

bat ; quamuis , inquit , alio per compendium itinere , viginti tantùm milliarijs Laodicea diſtaſſe dicatur in laudata apud Ciceronem epiſtola . At planè errat ; ſiquidem etiam in Itinerario Hieroſolymitano anno Chriſti 333. deſcripto, ab Antiochia numerantur *ad palatium Dafne M. V. Mutatio Hysdata M. XI. Manſio Platanus M. VIII.* hinc Laodiceam colliguntur ibi milliaria XXXX. Quare Platanus erat manſio Antiochia M. P. XXIV. diſſita , in itinere Laodiceam versùs. At Paltus erat vrbs vltrà Laodiceam versùs Phœniciam M. P. XX. ac ab Antiochia M. P. 84. aberat . Strabo lib. 16. pag. 518. cum Poſidium , Heracleam, ac Gabala *Laodiceæ propinqua loca* appellaſſet, *inde* , inquit , *antiqua Aradiorum olim regio* , *Paltus* , *Balanea* , *& Ceramus Aradiorum nauale* . Ita etiam Ptolemæus Paltum inter Gabala ac Balaneam recitat , ac ex gradibus Latitudinis ab eodem illis oppidis aſſignatis , idipſum manifeſtè intelligitur. In Eccleſiaſticis monumentis Palti mentio non ſemel occurrit . Nam S. Athanaſius cùm laudato proximè loco , tum in Apologia de ſua fuga commendat Cymatium Epiſcopum Palti ; & hoc altero volumine dicuntur eidem in mœrore eſſe Πάλτος μὲν καὶ Ἀντάραδος διὰ Κυμάτιον , καὶ Καρτέριον, *Paltus & Antaradus ob Cymatium*, *& Carterium*, ob Catholicam fidem aduersùs Arianos defenſam , exulantes . In inſcriptione Synodicæ eiusdem Athanasij ad Antiochenſes , quæ recitatur tom. 1. pag. 447. idem Cymatius nominatur , qui poſt finem epiſtolæ dicitur Epiſcopus Πάλτου Κοίλης Συρίας , *Palti Cœles Syriæ* . Baronius ac Collectores Conciliorum ſcribunt hanc Synodicam miſſam fuiſſe Antiochiam anno Chriſti 362. qui proinde fuit etiam poſtremus vitæ Cymatij ; anno enim proximo 363. habita fuit à Meletio Synodus Antiochiæ , cuius literas ad Iouianum Imperatorem ceteros inter ſubſcripſit Patricius Epiſcopus Palti , apud Socratem lib. 3. cap. 21. In ſubſcriptionibus Concilij Conſtantinopolitani I. inter Epiſcopos Cœles Syriæ legitur *Seuerus Patrenſis* ; vbi Labbeus in nouiſſima edit . Pariſienſi , in margine reponit : *Patti aut Parti* , quo vtro nomine nulla in Syria vrbs appellata fuit . Itaque *Paltenſis* , ſiuè *Palti* Epiſcopus fuit Seuerus . Denique Sabbas Palti Antiſtes interfuit Synodo Antiochenæ ſub Domno anno circiter Chriſti 444. dein alteri C.P. à S. Flauiano contra Eutychetem celebratæ , in qua dicitur Epiſcopus τῆς ΠΑΛΤΗΝΩΝ πόλεως , *ciuitatis Paltenorum*, vt planè in Droniano nummo scalptum eſt . Idem ſedit in magna Synodo Calchedonenſi ; ac denique vnà cum collegis Syriæ Primæ Epiſcopis , ſubſcripſit literas Synodicas ad Leonem Auguſtum .

F I N I S.

ER-

ERRATA CORRECTA.

PRæter errata, quæ post Indicem iam antea emendata sunt, hæc insuper corrigantur.

Pagina 112. versu 2. cum vxore: *lege*, cum sorore. Pag. 139. in titulo v. 8. *praeponebant*: lege, *postponebant*. Pag. 263. v. 22. *Gadara*: lege, *Gadra*. Pag. 263. v. 8. tilo: *lege*, titulo. Pag. 306. v. 22. Hermophili: *lege*, Herophili. Pag. 328. v. 23. Cæsaream maritimam Phœniciæ vrbem: *lege*, Cæsaream Philippi. Ibidem, v. 38. lege: *vncia drachmas octo*. Pag. 392. v. 8. Beryit: *lege*, Beryti. Pag. 429. v. 27. à Balduino rege: *lege*, Balduino regi. Pag. 338. v. 26. iter Vespasiani; *lege*, iter Titi filij Vespasiani. Pag. 465. v. 18. Hygiæ: *lege*, Fortunæ.

. REGESTVM.

In ſubſignatis literis Alphabeti tertij poſt literas N n n, ſequuntur literæ O o o ✠ 1. O o o ✠ 2. O o o ✠ 3. quia hæc tria folia ſunt appendix inſerta poſt impreſſionem totius Voluminis . Poſtea ſequitur Index ſignatus literis O o o , deinde P p p cum cæteris ſuo ordine ſequentibus.



INDEX

RERVM NOTABILIVM.

 Ana.

picorum

B

Ca-

Epi-

Ga-

Iam-

Numeri Græci in Nummis hoc in Opere descriptis.

Α. 1.	Θ. 9.	Π. 80.
Β. 2.	Ι. 10.	ϙ.ϥ.ϟ.90.
Γ. 3.	Κ. 20.	Ρ. 100.
Δ. 4.	Λ. 30.	Σ.C.200.
Ε. 5.	Μ. 40.	Τ. 300.
S. 6.	Ν. 50.	Υ. 400.
Ζ ⌶ .7.	Ξ. 60.	Φ. 500.
Η. 8.	Ο. 70.	

Nummi MEDICEAE Gazæ partim delineati, partim descripti.

O

P

Li-

R

S

ERRORES EMENDATI

Pag. 13. v. 35. Syntaxeos. pag. 14. v. 21. abhorrebat. v. 30. Epidemiorum. pag. 78. v. 25. *Damascenorum*. pag. 255. v. 38. ANTΩNIOC. pag. 288. v. 20. Antistes. pag. 292. v. 22. Itaque Hadrianus ex tribus &c. pag. 309. v. 27. ΑΤΚΑΒΑΝ ΓΑΣ pag. 312. v. vlt. Anazarbenses. pagina 435. v. 36. rebellans Stratonis turrim ac Dora. pag. 454. v. 11. & 455. v. 5. pro lanugine barba reponatur.

FINIS.

FASTI
CONSVLARES
CVM FERIIS AC ÆTATE LVNÆ
Kalendis Ianuarijs,

(Annis etiam BISSEXTILIBVS designatis,

IVXTA METHODVM

OGDOECONTATESSARAETERIDOS

Siuè Cycli Annorum LXXXIV.

AVCTORE ANONYMO.

E Codice MS. Bibliothecæ Cæsareæ.

Anni Vrbis	Anni Cycli			
246	36	Bruto & Collatino.	Lun.	XXIIX.
247	37	Publicola II. & Tricipitino.	Mar.	X.
248	38	Publicola III. & Pulbilio.	Mer.	XXI.
249	39	B RVFFO ET AQVILINO.	Iou.	II.
250	40	Volesо & Tuberto.	Sat.	XIII.
251	41	Publicola IIII. & Tricipitino.	Sol.	XXIIII.
252	42	Tuberto II. & Lanato.	Lun.	V.
253	43	B TRICOSTO ET BIGELLINO.	Mar.	XVI.
254	44	Arunco & Ruffo.	Iou.	XXVII.
255	45	Cornuto & Longo.	Ven.	VIII.
356	46	Helua & Cicurino.	Sat.	XIX.
257	47	B RVFFO II. ET VOLCVLA.	Sol.	XXX.
258	48	Atratino & Augurino.	Mar.	XI.
259	49	Regelese & Tricosto.	Mer.	XXII.

Anni Vrbis	Anni Cycli			
260	50	Irreligiense, & Structo.	Iou.	IIII.
261	51	B *Celimontano & Cicurino.*	Ven.	XV.
262	52	Aurunco & Vigellino.	Sol.	XXVI.
263	53	Macerino & Augurino.	Lun.	VII.
264	54	Augurino II. & Atratino II.	Mar.	XIIX.
265	55	B *Cornuto & Camerino.*	Mer.	XXIX.
266	56	Iulo & Mamercino.	Ven.	X.
267	57	Rutilo & Vigellino II.	Sat.	XXI.
268	58	Tusco & Sabino.	Sol.	II.
269	59	B *Rutilo & Vigellino III.*	Lun.	XIII.
270	60	Vimilano & Maluginense.	Mer.	XXIIII.
271	61	Mamerco & Vimilano.	Iou.	VI.
272	62	Vimilano II. & Potito.	Ven.	XVII.
273	63	B *Pelos & Vimilano II.*	Sat.	XXVIII.
274	64	Vimilano III. & Pelos.	Lun.	IX.
275	65	Cincinnato & Vimilano.	Mar.	XX.
276	66	Vimilano IIII. & Trutillo III.	Mer.	I.
277	67	B *Mamerco II. & Structo.*	Iou.	XII.
278	68	Puluillo & Lanato.	Sat.	XXIII.
279	69	Rutilo & Structo.	Sol.	IIII.
280	70	Publicola & Rutilo.	Lun.	XV.
281	71	B *Volso & Medullino.*	Mar.	XXVI.
282	72	Mamerco III. & Volsco.	Iou.	VII.
283	73	Ruffo III. & Volco.	Ven.	XIX.
284	74	Irreligiense & Barbato.	Sat.	XXX.
285	75	B *Potito & Mamerco.*	Sol.	XI.
286	76	Celimontano & Prisco.	Mar.	XXII.
287	77	Barbato II. & Volsco.	Mer.	III.
288	78	Mamerco II. & Vimilano.	Iou.	XIIII.
289	79	B *Regilliense & Prisco II.*	Ven.	XXV.
290	80	Vimilano II. & Capitolino.	Sol.	VI.
291	81	Regillense & Medullino III.	Lun.	XVII.
292	82	Prisco & Helua.	Mar.	XXVIII.
293	83	B *Tricipitino & Cicurino.*	Mer.	IX.
294	84	Amentino & Cornuto.	Ven.	XX.
295	1	Publicola II. & Irreligiense.	Sat.	I. *Cyclus* I.
296	2	Vimilano & Maluginense.	Sol.	XII.
297	3	B *Rutilo & Carbeto.*	Lun.	XXIII. Emb.
298	4	Puluillo & Augurino.	Mer.	IIII.
299	5	Maximo & Celimontano.	Iou.	XV.
300	6	Vaticano & Cicurino.	Ven.	XXVI. Emb.

Anni Vrbis	Anni Cycli				
301	7	B *Capitolino & Fontinale.*	Sat.	VII.	
302	8	Varo & Trigemino.	Lun.	XIIX.	
303	9	Vaticano & Lanato.	Mar.	XXIX.	Emb.
304	10	Sabino II. & Augurino.	Mer.	X.	
305	11	B *Sabino III. & Vimilano.*	Iou.	XXI.	Emb.
306	12	Barbato & Potito.	Sat.	II.	*falsus Luna*
307	13	Continisano & Tricosto.	Sol.	XIIII.	
308	14	Macerino & Iulio.	Lun.	XXV.	Emb.
309	15	B *Fuso & Barbato IIII.*	Mar.	VI.	
310	16	Augurino & Philo.	Iou.	XVII.	
311	17	Siculo & Lusinio.	Ven.	XXVIII.	Emb.
312	18	Macerino II. & Barbato.	Sat.	IX.	
313	19	B *Vimilano & Helua.*	Sol.	XX.	Emb.
314	20	Fuso & Grasso.	Mar.	I.	
315	21	Macerino & Lanato II.	Mer.	XII.	
316	22	Lanato & Capitolino VI.	Iou.	XXIII.	Emb.
317	23	B *Fidenate & Cincinnato.*	Ven.	IIII.	
318	24	Fidenate & Maximo.	Sol.	XV.	*falsus Luna*
319	25	Maluginense & Grasso.	Lun.	XXVII.	Emb.
320	26	Iulo II. & Tricosto.	Mar.	VIII.	
321	27	B *Capitolino & Cosso.*	Mer.	XIX.	
322	28	Vimilano & Flaccinatore.	Ven.	XXX.	Emb.
323	29	Mamercino & Medullino.	Sat.	XI.	
324	30	Cincinnato & Mento.	Sol.	XXII.	Emb.
325	31	B *Grasso & Iulo.*	Lun.	III.	
326	32	Tricipitino. & Fidenas.	Mer.	XIIII.	
327	33	Cosso & Cincinnato II.	Iou.	XXV.	Emb.
328	34	Structo & Mugillano.	Ven.	VI.	
329	35	B *Cosso & Fiso.*	Sat.	XVII.	
330	36	Atratino & Mimillano.	Lun.	28.	Emb. s. L.
331	37	Crasso & Fidenas.	Mar.	X.	
332	38	Atratino & Vimillano.	Mer.	XXI.	Emb.
333	39	B *Capitolino & Mugillano.*	Iou.	II.	
334	40	Capitolino & Vimillano.	Sat.	XIII.	
335	41	Cincinnato III. & Vulso.	Sol.	XXIIII.	Emb.
336	42	Lanato & Rutillo.	Lun.	V.	
337	43	B *Structo II. & Fidenas III.*	Mar.	XVI.	
338	44	Tricipitino & Structo III.	Iou.	XXVII.	Emb.
339	45	Atratino III. & Mugillano II.	Ven.	VIII.	
340	46	Cosso & Cincinnato.	Sat.	XIX.	
341	47	B *Vimillano II. & Potito.*	Sol.	XXX.	Emb.

Anni Vrbis	Anni Cycli					
342	48		Medullino & Coſſo.	Mar.	XI.	*falsus Luna*
343	49		Vimillano & Filippo.	Mer.	XXIII.	Emb.
344	50		Mugillano & Rutilo.	Iou.	IIII.	
345	51	B	*Mamertino & Voluſo.*	Ven.	XV.	
346	52		Coſſo & Medullino.	Sol.	XXVI.	Emb.
347	53		Iulo & Coſſo.	Lun.	VII.	
348	54		Voluſo II. & Structo.	Mar.	XVIII.	
349	55	B	*Coſſo & Potito.*	Mer.	XXIX.	Emb.
350	56		Iulo II. & Mamertino.	Ven.	X.	
351	57		Maluginenſe & Cicurino.	Sat.	XXI.	Emb.
352	58		Mamertino & Fuſo.	Sol.	II.	
353	59	B	*Structo* III. *& Cornuto.*	Lun.	XIII.	
354	60		Camillo & Iulo.	Mer.	24. Emb. *s. L.*	
355	61		Volso & Capitolino.	Iou.	VI.	
356	62		Augurino & Longo.	Ven.	XVII.	
357	63	B	*Petito & Medulliano.*	Sat.	XXVIII.	Emb.
358	64		Iulo II. & Fidenas.	Lun.	IX.	
359	65		Panſa II. & Volſo.	Mar.	XX.	Emb.
360	66		Coſſo & Medulliano.	Mer.	I.	
361	67	B	*Camillo III. & Publicola.*	Iou.	XII.	
362	68		Potito & Maluginenſe.	Sat.	XXIII.	Emb.
363	69		Potito & Capitolino.	Sol.	IIII.	
364	70		Tricipitino & Mamertino.	Lun.	XV.	
365	71	B	*Longo & Ambuſto.*	Mar.	XXVI.	Emb.
366	72		Tricoſto & Albino.	Iou.	VII.	*falsus Luna*
367	73		Capitolino & Corbo.	Ven.	XIX.	
368	74		Curiore & Lanato.	Sat.	XXX.	Emb.
369	75	B	*Maluginenſe & Cincinnato.*	Sol.	XI.	
370	76		Capitolino & Cincinnato.	Mar.	XXII.	Emb.
371	77		Ruſo & Camillo.	Mer.	III.	
372	78		Publicola III. & Flacco III.	Iou.	XIIII.	
373	79	B	*Fidenas & Graſſo.*	Ven.	XXV.	Emb.
374	80		Publicola IIII. & Tricipitino.	Sol.	VI.	
475	81		Publicola V. & Mamertino VI.	Lun.	XVII.	
376	82		Capitolino & Albino.	Mar.	XXIIX.	Emb.
377	83	B	*Fidenas II. & Siculo.*	Mer.	IX.	
278	84		Mamertino & Cincinnato.	Ven.	XX.	Emb.
379	1		Lanato III. & Prætextato.	Sat.	I.	*Cyclus* II.
380	2		Bacho ſolo.	Sol.	XII.	
381	3	B	*Papirio & Ninio.*	Lun.	XXIII.	
382	4		Scarabienſe & Celimontano.	Mer.	IIII.	

Anni Vrbis	Anni Cycli				
383	5		Prisco & Cominio.	Iou.	XV.
384	6		Mamertino & solo.	Ven.	XXVI.
385	7	B	*Medullino & Potito.*	Sat.	VII.
386	8		Fidenas III. & Maluginense.	Lun.	XIIX.
387	9		Capitolino & Structo.	Mar.	XXIX.
388	10		Cosso II. & Grasso.	Mer.	X.
389	11	B	*Mamercino & Laterano.*	Iou.	XXI.
390	12		Abentinense & Haala.	Sat.	III.
391	13		Petico & Calbo.	Sol.	XIIII.
392	14		Mamertino & Abentinense.	Lun.	XXV.
393	15	B	*Haala II. & Abentinense.*	Mar.	VI.
394	16		Stolo & Petico.	Iou.	XVII.
395	17		Ambusto & Proculo.	Ven.	XXIIX.
396	18		Rutilo & Capitolino.	Sat.	IX.
397	19	B	*Ambusto & Lenas II.*	Sol.	XX.
398	20		Rutilo & Capitolino.	Mar.	I.
399	21		Ambusto II. & Lænas II.	Mer.	XII.
400	22		Petico & Publicola.	Iou.	XXIII.
401	23	B	*Ambusto III. & Capitolino.*	Ven.	IIII.
402	24		Petico IIII. & Publicola II.	Sol.	XV.
403	25		Publicola & Rutilo II.	Lun.	XXVII.
404	26		Petico V. & Penno II.	Mar.	VIII.
405	27	B	*Lænas III. & Scipione.*	Mer.	XIX.
406	28		Camillo & Crasso.	Ven.	XXX.
407	29		Lænas IIII. & Coruino.	Sat.	XI.
408	30		Venno & Torquato.	Sol.	XXII.
409	31	B	*Coruo II. & Visulo.*	Lun.	III.
410	32		Dorsuo & Rufo.	Mer.	XIIII.
411	33		Rutilo III. & Torquato.	Iou.	XXV.
412	34		Coruo III. & Cosso III.	Ven.	VI.
413	35	B	*Haala III. & Rutilo IIII.*	Sat.	XVII.
414	36		Venno II. & Mamerco.	Lun.	XXVIII.
415	37		Torquato III. & Mure.	Mar.	X.
416	38		Mamercino & Philo.	Mer.	XXI.
417	39	B	*Camillo & Nepote.*	Iou.	II.
418	40		Pæto & Longo.	Sat.	XIII.
419	41		Crasso & Hella.	Sol.	XXIIII.
420	42		Caleno & Coruo IIII.	Lun.	V.
421	43	B	*Caudino & Caluino.*	Mar.	XVI.
422	44		Hoc anno Dictatores non fuerunt.	Iou.	XXVII.
423	45		Caluino & Aruinas II.	Ven.	VIII.

Anni Vrbis	Anni Cycli			
424	46	Petito & Marcello.	Sat.	XIX.
425	47	B *Crasso II. & Venno.*	Sol.	XXX.
426	48	Priuennas II. & Deciano.	Mar.	XI.
427	49	Deciano II. & Barbato.	Mer.	XXIII.
428	50	Lentulo & Philo.	Iou.	IIII.
429	51	B *Libone III. & Cursore II.*	Ven.	XV.
430	52	Camillo II. & Bruto.	Sol.	XXVI.
431	53	Hoc anno Dictatores non fuerunt.	Lun.	VII.
432	54	Longo II. & Ceretano.	Mar.	XVIII.
433	55	B *Coruo & Rulliano.*	Mer.	XXIX.
434	56	Caluino II. & Albino.	Ven.	X.
435	57	Cursore II. & Philo III.	Sat.	XXI.
436	58	Murillano & Ceretano.	Sol.	II.
437	59	B *Venno & Flaccinatore.*	Lun.	XIII.
438	60	Barbula & Bruto.	Mer.	XXIIII.
439	61	Lucillo & Lænas.	Iou.	VI.
440	62	Cursore IIII. & Philo IIII.	Ven.	XVII.
441	63	B *Libone & Longo III.*	Sat.	XXIX.
442	64	Cursore V. & Bruto II.	Lun.	IX.
443	65	Maximo & Mure.	Mar.	XX.
444	66	Bruto III. & Barbula II.	Mer.	I.
445	67	B *Rulliano II. & Rutilo II.*	Iou.	XII.
446	68	Hoc anno Dictatores non fuerunt.	Sat.	XXIII.
447	69	Mure II. & Rulliano III.	Sol.	IIII.
448	70	Cæco & Violense.	Lun.	XV.
449	71	B *Tremulo & Aruina.*	Mar.	XXVI.
450	72	Megello & Augurino.	Iou.	VII.
451	73	Sofo & Saberio.	Ven.	XIX.
452	74	Rufo & Aduentinense.	Sat.	XXX.
453	75	B *Dextro & Paulo.*	Sol.	XI.
454	76	Coruo II. & Rulliano II.	Mar.	XXII.
455	77	Coruo V. & Pansa.	Mer.	III.
456	78	Petino & Torquato.	Iou.	XIIII.
457	76	B *Scipione & Centumalo.*	Ven.	XXV.
458	80	Rulliano IIII. & Mure III.	Sol.	VI.
459	81	Cæco & Violense.	Lun.	XVII.
460	82	Rulliano V. & Mure IIII.	Mar.	XXIIX.
461	83	B *Megello II. & Regulo.*	Mer.	IX.
462	84	Gurgis & Scæuola.	Ven.	XX.

Omissi L. Papirius Cursor & Sp. Caruilius Maximus. *Quare recitata superius Collegia Consulum in annum antecedentem retrahenda sunt.*

Anni

Anni Vrbis	Anni Cycli			
463	1	Megello III. & Bruto .	Sat.	I. *Cyclus* III.
464	2	Dentato & Rufino.	Sol.	XII.
465	3	B *Coruino II. & Noctua* .	Lun.	XXIII.
466	4	Tremulo II. & Aruina .	Mer.	IIII.
467	5	Marcellino & Rutilo .	Iou.	XV.
468	6	Maximo & Pæto .	Ven.	XXVI.
469	7	B *Canina & Lepido* .	Sat.	VII.
470	8	Tucca & Metello .	Lun.	XVIII.
471	9	Caluo & Maximo .	Mar.	XXIX.
472	10	Luſcinio & Labo .	Mer.	X.
473	11	B *Barbula & Filippo* .	Iou.	XXI.
474	12	Leuino & Coruncanio .	Sat.	II.
475	13	Saberio & Prorico .	Sol.	XIIII.
476	14	Luscino II. & Pæto .	Lun.	XXV.
477	15	B *Rufino II. & Bruto II.*	Mar.	VI.
478	16	Gurgis II. & Clepſina .	Iou.	XVII.
479	17	Dentato II. & Lentulo .	Ven.	XXIIX.
480	18	Dentato III. & Merenda .	Sat.	IX.
481	19	B *Lucino & Cinna* .	Sol.	XX.
482	20	Curſore II. & Maximo .	Mar.	I.
483	21	Claudo & Clepſina .	Mer.	XII.
484	22	Clepſina II. & Læſio .	Iou.	XXIII.
485	23	B *Gallo & Pictore* .	Ven.	IIII.
486	24	Sofo & Ruffo .	Sol.	XV.
487	25	Regulo & Libone .	Lun.	XXVII.
488	26	Pera & Pictore .	Mar.	VIII.
489	27	B *Maximo & Vitulo* .	Mer.	XIX.
490	28	Caudex & Flacco .	Ven.	XXX.
491	29	Maximo & Graſſo .	Sat.	XI.
492	30	Megello & Vitulo .	Sol.	XXII.
493	31	B *Flacco & Graſſo* .	Lun.	III.
494	32	Aſina & Duillio .	Mer.	XIIII.
495	33	Scipione & Floro .	Iou.	XXV.
496	34	Calatino & Paterculo .	Ven.	VI.
497	35	B *Regulo & Bleſio* .	Sat.	XVII.
498	36	Longo & Regulo .	Lun.	XXVIII.
499	37	Nobiliore & Paulo .	Mar.	X.
500	38	Aſina II. & Calatino II.	Mer.	XXI.
501	39	B *Cepio & Bleſio* .	Iou.	II.
502	40	Cotta & Gemino .	Sat.	XIII.
503	41	Metello & Pacilo .	Sol.	XXIIII.

504

Anni Vrbis	Anni Cycli			
586	40	Paulo II. & Graſſo.	Sat.	XIII.
587	41	Peto & Penno.	Sol.	XXIIII.
588	42	Gallo & Marcello.	Lun.	V.
589	43	B *Torquato & Octauio.*	Mar.	XVI.
590	44	Torquato & Longo.	Iou.	XXVII.
591	45	Graccho & Haina.	Ven.	VIII.
592	46	Naſica & Figulo.	Sat.	XIX.
593	47	B *Meſſala & Strabo.*	Sol.	XXX.
594	48	Gallo & Cethego.	Mar.	XI.
595	49	Dolabella & Nobiliore.	Mer.	XXIII.
596	50	Lepido & Lenas II.	Iou.	IIII.
597	51	B *Caſare & Horeſte.*	Ven.	XV.
598	52	Lentulo & Figulo II.	Sol.	XXVI.
599	53	Naſica & Marcello II.	Lun.	VII.
600	54	Opimio & Albino.	Mar.	XVIII.
601	55	B *Nobiliore & Fuſo.*	Mer.	XXIX.
602	56	Marcello II. & Flacco.	Ven.	X.
603	57	Lucullo & Albino.	Sat.	XXI.
604	58	Flaminino & Balbo.	Sol.	II.
605	59	B *Cenſorino & Manilio.*	Lun.	XIII.
606	60	Magno & Cæſoniano.	Mer.	XXIIII.
607	61	Emiliano & Bruto.	Iou.	VI.
608	62	Lentulo & Mummio.	Ven.	XVII.
609	63	B *Emiliano & Mancino.*	Sat.	XXVIII.
610	64	Galba & Cotta.	Lun.	IX.
611	65	Pulchrino & Macedonico.	Mar.	XX.
612	66	Caluo & Seruiliano.	Mer.	I.
613	67	B *Cepio & Nepote.*	Iou.	XII.
614	68	Lelio & Cepio.	Sat.	XXIII.
615	69	Piſone & Lenas.	Sol.	IIII.
616	70	Naſica & Bruto.	Lun.	XV.
617	71	B *Porcina & Mancino.*	Mar.	XXVI.
618	72	Pilo & Serrano.	Iou.	VII.
619	73	Flacco & Piſone.	Ven.	XIX.
620	74	Æmiliano II. & Flacco.	Sat.	XXX.
621	75	B *Sceuola & Piſone.*	Sol.	XI.
622	76	Lenas & Calibo.	Mar.	XXII.
623	77	Muciano & Flacco.	Mer.	III.
624	78	Lentulo & Nepote.	Iou.	XIIII.
625	79	B *Tuditano & Aquilino.*	Ven.	XXV.
626	80	Octauio & Rufo.	Sol.	VI.

Anni Vrbis	Anni Cycli			
627	81	Rauilla & Cinna .	Lun.	XVII.
628	82	Lepido & Oreste .	Mar.	XXIIX.
629	83	B *Hypseo & Flacco* .	Mer.	IX.
630	84	Longino & Caluino.	Ven.	XX.
631	1	Metello & Appellato .	Sat.	I. *Cyclus* V.
632	2	Enobarbo & Fanio .	Sol.	XII.
633	3	B *Opimio & Maximo* .	Lun.	XXIII.
634	4	Manilio & Balbo .	Mer.	IIII.
635	5	Marcello & Cotta .	Iou.	XV.
636	6	Caudino & Rege.	Ven.	XXVI.
637	7	B *Diademo & Scæuola* .	Sat.	VII.
638	8	Geta & Eburno .	Lun.	XIIX.
639	9	Scauro & Megello .	Mar.	XXIX.
640	10	Balbo & Cato .	Mer.	X.
641	11	B *Caprario & Carbo* .	Iou.	XXI.
642	12	Druso & Cæsoniano .	Sat.	II.
643	13	Nasica & Bestia .	Sol.	XIIII.
644	14	Rufo & Albino.	Lun.	XXV.
645	15	B *Megello & Silano* .	Mar.	VI.
646	16	Caluo & Hortensio .	Iou.	XVII.
647	17	Longino & Nepote .	Ven.	XXIIX.
648	18	Serrano & Cæpio.	Sat.	IX.
649	19	B *Rufo & Maximo* .	Sol.	XX.
650	20	Mario II. & Fimbria .	Mar.	I.
651	21	Mario III. & Oreste .	Mer.	XII.
652	22	Mario IIII. & Catulo .	Iou.	XXIII.
653	23	B *Mario V. & Aquilio* ,	Ven.	IIII.
654	24	Mario VI. & Flacco .	Sol.	XV.
655	25	Antonino & Albino .	Lun.	XXVII.
656	26	Metello & Iunio .	Mar.	VIII.
657	27	B *Lentulo & Grasso* .	Mer.	XIX.
658	28	Enobarbo & Longino .	Ven.	XXX.
659	29	Crasso & Scæuola .	Sat.	XI.
660	30	Caldo & Enobarbo .	Sol.	XXII.
661	31	B *Flacco & Herennio* .	Lun.	III.
662	32	Pulcro & Perpenna .	Mer.	XIIII.
663	33	Philippo & Cæsare .	Iou.	XXV.
664	34	Cæsare & Lupo .	Ven.	VI.
665	35	B *Pompeio & Strabo* .	Sat.	XVII.
666	36	Sulla & Rufo .	Lun.	XXVIII.
667	37	Octauio & Cinna .	Mar.	X.

Anni Vrbis	Anni Cycli				
668	38		Cinna II. & Mario .	Mer.	XXI.
669	39	B	*Cinna III. & Caruo .*	Iou.	II.
670	40		Caruo II. & Cinna IIII.	Sat.	XIII.
671	41		Asiatico II. & Pulbo .	Sol.	XXIIII.
672	42		Gratilliano & Carbo III.	Lun.	V.
673	43	B	*Decola & Dolabella .*	Mar.	XVI.
674	44		Sulla & Pio .	Iou.	XXVII.
675	45		Vacia & Pulcro .	Ven.	VIII.
676	46		Lepido & Catulo .	Sat.	XIX
677	47	B	*Mamerco & Iuliano .*	Sol.	XXX.
678	48		Octauio & Curio .	Mar.	XI.
679	49		Octauio & Cotta .	Mer.	XXIII.
680	50		Lucullo & Cotta .	Iou.	IIII.
681	51	B	*Varo & Licino .*	Ven.	XV.
682	52		Publicola & Lentulo .	Sol.	XXVI.
683	53		Lentulo & Oreste .	Lun.	VII.
684	54		Magno & Crasso .	Mar.	XVIII.
685	55	B	*Nepote & Metello .*	Mer.	XXIX.
686	56		Metello & Vacia .	Ven.	X.
687	57		Pisone & Glabrio .	Sat.	XXI.
688	58		Lepido & Tullo .	Sol.	II.
689	59	B	*Sulla & Pato .*	Lun.	XIII.
690	60		Cæsare & Furnio .	Mer.	XXIIII.
691	61		Cicerone & Antonino .	Iou.	VI.
692	62		Silano & Murena .	Ven.	XVII.
693	63	B	*Calpurniano & Messala .*	Sat.	XXIIX.
694	64		Afranio & Metello .	Lun.	IX.
695	65		Cæsare & Viuulo .	Mar.	XX.
696	66		Cæsoniano & Camonio .	Mer.	I.
697	67	B	*Lentulo & Nepote .*	Iou.	XII.
698	68		Marcellino & Philippo .	Sat.	XXIII.
699	69		Magno II. & Crasso .	Sol.	IIII.
700	70		Enobarbo & Pulcro .	Lun.	XV.
701	71	B	*Caluino & Messala .*	Mar.	XXVI.
702	72		Magno III. solo .	Iou.	VII.
703	73		Rufo & Marcello .	Ven.	XIX.
704	74		Paulo & Marcello .	Sat.	XXX.
705	75		*Marcello II. & Crustello .*	Sol.	XI.

Hucusque Dictatores fuerunt.

Anni Vrbis	Anni Cycli				
706	76	Iulio Cæsare & Isaurico.	*Mar.*	22.	
707	77	Caleno & Vatinio.	*Mer.*	3.	
708	78	Cæsare III. & Lepido.	*Iou.*	14.	
709	79	B *Cæsare IIII. & Solo.*	*Ven.*	25.	
710	80	Cæsare V. & Antonino.	*Sol.*	6.	
711	81	Pansa & Hirtio.	*Lun.*	17.	
712	82	Lepido & Planco.	*Mar.*	28.	
713	83	B *Pietate & Isaurico.*	*Mer.*	9.	
714	84	Caluino & Pollione.	*Ven.*	20.	Horum nouem annorum Feriæ cum æra e Lunæ Kal. Ianuarij desunt in MS.
715	1	Censorino & Sabino.	Sat.	I.	*Cyclus* VI.
716	2	Pulcro & Flacco.	Sol.	XII.	
717	3	B *Agrippa & Gallo.*	Lun.	XXIII.	
718	4	Publicola & Nerua.	Mer.	IIII.	
719	5	Cornificio & Pompeio.	Iou.	XV.	
720	6	Libone & Atratino.	Ven.	XXVI.	
721	7	B *Augusto II. & Tullo.*	Sat.	VII.	
722	8	Henobarbo & Sossio.	Lun.	XVIII.	
723	9	Augusto III. & Messala.	Mar.	XXIX.	
724	10	Augusto IIII. & Grasso.	Mer.	X.	
725	11	B *Augusto V. & Apuleio.*	Iou.	XXI.	
726	12	Augusto VI. & Agrippa II.	Sat.	II.	
727	13	Augusto VII. & Agrippa III.	Sol.	XIIII.	
728	14	Augusto VIII. & Tauro.	Lun.	XXV.	
729	15	B *Augusto IX. & Silano.*	Mar.	VI.	
730	16	Augusto X. & Flacco.	Iou.	XVII.	
731	17	Augusto XI. & Pisone.	Ven.	XXIIX.	
732	18	Marcello & Arruntio.	Sat.	IX.	
733	19	B *Lollio & Lepido.*	Sol.	XX.	
734	20	Apuleio & Nerua.	Mar.	I.	
735	21	Saturnino & Lucretio.	Mer.	XII.	
736	22	Lentulo & Lentulo.	Iou.	XXIII.	
737	23	B *Furnio & Silano.*	Ven.	IIII.	
738	24	Ænobarbo & Scipione.	Sol.	XV.	
739	25	Libone & Pisone.	Lun.	XXVII.	
740	26	Grasso & Augure.	Mar.	VIII.	
741	27	B *Nerone & Varo.*	Mer.	XIX.	
742	28	Messala & Quirino.	Ven.	XXX.	
743	29	Tuberone & Maximo.	Sat.	XI.	
744	30	Africano & Maximo.	Sol.	XXII.	

745

Anni Vrbis	Anni Cycli				Anni Christi
745	31	B *Druso & Crispino*.	Lun.	III.	
746	32	Censorino & Gallo.	Mer.	XIIII.	
747	33	Nerone II. & Pisone.	Iou.	XXV.	
748	34	Balbo & Vetere.	Ven.	VI.	
749	35	B *Augusto XII. & Sulla*.	Sat.	XVII.	
750	36	Sabino & Rufo.	Lun.	XXVIII.	
751	37	Lentulo & Messalino.	Mar.	X.	
752	38	Augusto XIII. & Siluano.	Mer.	XXI.	
753	39	B *Lentulo & Pisone*.	Iou.	II.	
754	40	Cæsare & Paulo.	Sat.	XIII.	1
		HOC CONS. CHRISTVS NATVS EST VIII. KL. IAN. LVN. XV.			
755	41	Vinicio & Varo.	Sol.	XXIIII.	2
756	42	Lamia & Seruilio.	Lun.	V.	3
757	43	B *Catulo & Saturnino*.	Mar.	XVI.	4
758	44	Voluso & Magno.	Iou.	XXVII.	5
759	45	Lepido & Arruntio.	Ven.	VIII.	6
760	46	Cretico & Nerua.	Sat.	XIX.	7
761	47	B *Camillo & Quintiliano*.	Sol.	XXX.	8
762	48	Camerino & Sabino.	Mar.	XI.	9
763	49	Dolabella & Silano.	Mer.	XXIII.	10
764	50	Lepido & Tauro.	Iou.	IIII.	11
765	51	B *Cæsare & Capitone*.	Ven.	XV.	12
766	52	Planco & Silano.	Sol.	XXVI.	13
767	53	Duobus Sextis.	Lun.	VII.	14
768	54	Druso Cæsare & Flacco.	Mar.	XVIII.	15
769	55	B *Tauro & Libone*.	Mer.	XXIX.	16
770	56	Flacco & Rufo.	Ven.	X.	17
771	57	Tib. Cæsare III. & Germanico. II.	Sat.	XXI.	18
772	58	Silano & Balbo.	Sol.	II.	19
773	59	B *Messala & Cotta*.	Lun.	XIII.	20
774	60	Tib. Cæsare IV. & Druso Cæs. II.	Mer.	XXIIII.	21
775	61	Agrippa & Gallo.	Iou.	VI.	22
776	62	Pollione & Vetere.	Ven.	XVII.	23
777	63	B *Cethego & Varro*.	Sat.	XXIIX.	24
778	64	Agrippa & Lentulo.	Lun.	IX.	25
779	65	Getulico & Sabino.	Mar.	XX.	26
780	66	Grallo & Pisone.	Mer.	I.	27
781	67	B *Silano & Nerua*.	Iou.	XII.	28
782	68	Gemino & Gemino.	Sat.	XXIII.	29

Hoc

HOC CONSVLE CHRISTVS PASSVS EST DIE SOLIS, LVNA XIIII.

Anni Vrbis	Anni Cycli				A.C.
783	69	Vinicio & Longino.	Sol.	IIII.	30
784	70	Tiberio Cæsare V. solo.	Lun.	XV.	31
785	71	B *Aruntio & Enobarbo.*	Mar.	XXVI.	32
786	72	Galba & Sulla.	Iou.	VII.	33
787	73	Vitellio & Persico.	Ven.	XIX.	34
788	74	Camerino & Noniano.	Sat.	XXX.	35
789	75	B *Allieno & Plautio.*	Sol.	XI.	36
790	76	Proculo & Nigrino.	Mar.	XXII	37
791	77	Iuliano & Asprenate.	Mer.	III.	38
792	78	Caio Cæsare II. & Cæsiano.	Iou.	XIIII.	39
793	79	B *Caio Cæsare III. solo.*	Ven.	XXV.	40
794	80	C. Cæsare IIII. & Saturnino.	Sol.	VI.	41
795	81	T. Claudio II. & Longo.	Lun.	XVII.	42
796	82	T. Claudio & Vitellio.	Mar.	XXIIX.	43
797	83	B *Crispo II. & Tauro.*	Mer.	IX.	44
798	84	Vinicio & Coruino.	Ven.	XX.	45
799	1	Asiatico II. & Silano.	Sat.	I. *Cyclus 7.*	46
800	2	T. Claudio IIII. & Vitellio III.	Sol.	XII.	47
801	3	B *Vitellio & Poblicola.*	Lun.	XXIII.	48
802	4	Veranio & Gallo.	Mer.	IIII.	49
803	5	Vetere & Neruiliano.	Iou.	XV.	50
804	6	T. Claudio V. & Orfito.	Ven.	XXVI.	51
805	7	B *Sulla & Othone.*	Sat.	VII.	52
806	8	Silano & Antonino.	Lun.	XVIII.	53
807	9	Marcello & Auiola.	Mar.	XXIX.	54
808	10	Nerone Cæsare & Vetere.	Mer.	X.	55
809	11	B *Saturnino & Scipione.*	Iou.	XXI.	56
810	12	Nerone II. & Pisone.	Sat.	II.	57
811	13	Nerone III. & Messala.	Sol.	XIII.	58
812	14	Capitone & Aproniano.	Lun.	XXV.	59
813	15	B *Nerone IV. & Lentulo.*	Mar.	VI.	60
814	16	Turpilino & Pæto.	Iou.	XVII.	61
815	17	Mario & Gallo.	Ven.	XXIIX.	62
816	18	Regulo & Rufo.	Sat.	IX.	63
817	19	B *Grasso & Basso.*	Sol.	XX.	64
818	20	Nerua & Vestino.	Mar.	I.	65
819	21	Telesino & Paulino.	Mer.	XII.	66
820	22	Capitone & Rufo.	Iou.	XXIII.	67

Anni Vrbis	Anni Cycli				
821	23	B *Trachala & Italico .*	Ven.	IIII.	68
822	24	Galua II. & Vinio .	Sol.	XV.	69
823	25	Vespasiano II. & Tito .	Lun.	XXVII.	70
824	26	Vespasiano III. & Nerua .	Mar.	VIII.	71
825	27	B *Vespasiano IIII. & Tito II.*	Mer.	XIX.	72
826	28	Domitiano II. & Messalino .	Ven.	XXX.	73
827	29	Vespasiano V. & Tito III.	Sat.	XI.	74
828	30	Vespasiano VI. & Tito IIII.	Sol.	XXII.	75
829	31	B *Vespasiano VII. & Domitiano V.*	Lun.	III.	76
830	32	Vespasiano VIII. & Tito V.	Mer.	XIIII.	77
831	33	Commodo & Prisco .	Iou.	XXV.	78
832	34	Vespasiano IX. & Tito VI.	Ven.	VI.	79
833	35	B *Tito VII. & Domitiano VII.*	Sat.	XVII.	80
834	36	Silua & Pollione .	Lun.	XXVIII	81
835	37	Domitiano VIII. & Sabino .	Mar.	IX.	82
836	38	Domitiano IX. & Rufo .	Mer.	XXI.	83
837	39	B *Domitiano X. & Sabino .*	Iou.	II.	84
838	40	Domitiano XI. & Furuo .	Sat.	XIII.	85
839	41	Domitiano XII. & Dolabella .	Sol.	XXIIII.	86
840	42	Domitiano XIII. & Saturnino .	Lun.	V.	87
841	43	B *Domitiano XIIII. & Rufo .*	Mar.	XVI.	88
842	44	Fuluo & Atratino .	Iou.	XXVII.	89
843	45	Domitiano XV. & Nerua .	Ven.	VIII.	90
844	46	Glabrione & Traiano .	Sat.	XIX.	91
845	47	*Domitiano XVI. & Saturnino .*	Sol.	XXX.	92
846	48	Collega & Priscino .	Mar.	XI.	93
847	49	Asprenate & Laterano .	Mer.	XXIII.	94
848	50	Domitiano XVII. & Clemente .	Iou.	IIII.	95
849	51	B *Valeriano & Vetere .*	Ven.	XV.	96
850	52	Nerua II. & Rufo III.	Sol.	XXVI.	97
851	53	Nerua III. & Traiano II.	Lun.	VII.	98
852	54	Palma & Senecione .	Mar.	XVIII.	99
853	55	B *Traiano III. & Frontino .*	Mer.	XXIX.	100
854	56	Traiano IIII.& Pæto .	Ven.	X.	101
855	57	Seruillo II. & Sura II.	Sat.	XXI.	102
856	58	Traiano V. & Maximo II.	Sol.	II.	103
857	59	B *Surano II. & Marcello .*	Lun.	XIII.	104
858	60	Candido II. & Quadrato .	Mer.	XXIIII.	105
855	61	Commodo & Cereale .	Iou.	VI.	106
860	62	Sura & Senecione .	Ven.	XVII.	107
861	63	B *Gallo & Bradua .*	Sat.	XXIIX	108

862

Anni Vrbis	Anni Cycli				A.C.
862	64	Palma II. & Tullo .	Lun.	IX.	109
863	65	Priſcina & Orfito .	Mar.	XX.	110
864	66	Piſone & Bolano .	Mer.	I.	111
865	67	B *Traiano VI. & Africano.*	Iou.	XII.	112
866	68	Celso & Criſpino .	Sat.	XXIII.	113
867	69	Vopiſco & Haſta .	Sol.	IIII.	114
868	70	Meſſala & Pedone .	Lun.	XV.	115
869	71	B *Eliano & Vetere .*	Mar.	XXVI.	116
870	72	Nigro & Aproniano .	Iou.	VII.	117
871	73	Adriano II. & Salinatore .	Ven.	XIX.	118
872	74	Adriano III. & Ruſtico .	Sat.	XXX.	119
873	75	B *Seuero & Fuluo .*	Sol.	XI.	120
874	76	Vero II. & Augure .	Mar.	XXII.	121
875	77	Auiola & Panſa .	Mer.	III.	122
876	78	Pætino & Aproniano .	Iou.	XIIII.	123
877	79	B *Glabrione & Torquato .*	Ven.	XXV.	124
878	80	Aſiatico II. & Aquilino .	Sol.	VI.	125
879	81	Vero III. & Ambibulo .	Lun.	XVII.	126
880	82	Titiano & Gallicano .	Mar.	XXIIX.	127
881	83	B *Aſprenate & Libone .*	Mer.	IX.	128
882	84	Marcello II. & Marcello II.	Ven.	XX.	129
883	1	Catulino & Apro .	Sat.	I. Cycl.8.	130
884	2	Pontiano & Rufino ..	Sol.	XII.	131
885	3	B *Augurino & Sergiano .*	Lun.	XXIII.	132
886	4	Hibero & Siſenna .	Mer.	IIII.	133
887	5	Seruiano & Varo .	Iou.	XV.	134
888	6	Luperco & Attico .	Ven.	XXVI.	135
889	7	B *Commodo & Pompeiano .*	Sat.	VII.	136
890	8	Cæſare II. & Balbino .	Lun.	XIIX.	137
891	9	Nigro & Camerino .	Mar.	XXIX.	138
892	10	Antonino II. & Præſente .	Mer.	X.	139
893	11	B *Antonino III. & Aureliano Caſare .*	Iou.	XXI.	140
894	12	Siloga & Seuero . .	Sat.	II.	141
895	13	Rufino & Quadrato .	Sol.	XIIII.	142
896	14	Torquato & Attico .	Lun.	XXV.	143
897	15	B *Auito & Maximo . .*	Mar.	VI.	144
898	16	Antonino III. & Aureliano Cæs. II.	Iou.	XVII.	145
899	17	Claro & Seuero .	Ven.	XXIIX.	146
900	18	Largo & Meſſalino .	Sat.	IX.	147
901	19	B *Torquato & Iuliano .*	Sol.	XX.	148
902	20	Orfito & Priſco .	Mar.	I.	149

Anni Vrbis	Anni Cycli				A.C.
903	21	Gallicano & Vetere .	Mer.	XII.	150
904	22	Maximo & Condiano.	Iou.	XXIII.	151
905	23	B *Glabrione & Homullo* .	Ven.	IIII.	152
906	24	Præſente & Rufino .	Sol.	XV.	153
907	25	Commodo & Laterano .	Lun.	XXVII.	154
908	26	Seuero & Sabino .	Mar.	VIII.	155
909	27	B *Siluano & Augurino* .	Mer.	XIX.	156
910	28	Barbaro & Regulo .	Ven.	XXX.	157
911	29	Tertullo & Sacerdote .	Sat.	XI.	158
912	30	Quintillo & Priſco .	Sol.	XXII.	159
913	31	B *Bradua & Varo* .	Lun.	III.	160
914	32	Duobus Auguſtis .	Mer.	XIIII.	161
915	33	Ruſtico & Aquilino .	Iou.	XXV.	162
916	34	Lolliano & Paſtore .	Ven.	VI.	163
917	35	B *Macrino & Celſo* .	Sat.	XVII.	164
918	36	Orfito & Pudente .	Lun.	XXVIII.	165
919	37	Pudente & Pulione .	Mar.	X.	166
920	38	Vero III. & Quadrato .	Mer.	XXI.	167
921	39	B *Aproniano & Paulo* .	Iou.	II.	168
922	40	Priſco & Apollinare .	Sat.	XIII.	169
923	41	Claro & Cethego .	Sol.	XXIIII.	170
924	42	Seuero & Herenniano .	Lun.	V.	171
925	43	B *Orfito & Maximo* .	Mar.	XVI.	172
926	44	Seuero II. & Pompeiano .	Iou.	XXVII.	173
927	45	Gallo & Flacco .	Ven.	VIII.	174
928	46	Piſone & Iuliano .	Sat.	XIX	175
929	47	B *Pollione & Apro* .	Sol.	XXX.	176
930	48	Commodo & Quintillo .	Mar.	XI.	177
931	49	Orfito & Rufo .	Mer.	XXIII.	178
932	50	Commodo II. & Vero .	Iou.	IIII.	179
933	51	B *Præſente & Condiano* .	Ven.	XV.	180
934	52	Commodo III. & Byrro .	Sol.	XXVI.	181
935	53	Mamertino & Rufo . .	Lun.	VII.	182
936	54	Commodo IIII. & Victorino .	Mar.	XVIII.	183
937	55	B *Marullo & Eliano* .	Mer.	XXIX.	184
938	56	Materno & Bradua .	Ven.	X.	185
939	57	Commodo V. & Glabrione .	Sat.	XXI.	186
940	58	Criſpino & Eliano .	Sol.	II.	187
941	59	B *Fuſciano & Silano* .	Lun.	XIII.	188
942	60	Duobus Silanis .	Mer.	XXIIII.	189
943	61	Commodo VI. & Septimiano .	Iou.	VI.	190

944

Anni Vrbis	Anni Cycli				A.C.
944	62	Aproniano & Bradua.	Ven.	XVII.	191
945	63	B *Commodo VII. & Pertinace.*	Sat.	XXIIX.	192
946	64	Falcone & Claro.	Lun.	IX.	193
947	65	Seuero II. & Albino.	Mar.	XX	194
948	66	Tertullo & Clemente.	Mer.	I.	195
949	67	B *Dextro & Prisco.*	Iou.	XII.	196
950	68	Laterano & Rufino.	Sat.	XXIII.	197
951	69	Saturnino & Gallo.	Sol.	IIII.	198
952	70	Anulino & Frontone.	Lun.	XV.	199
953	71	B *Seuero III. & Victorino.*	Mar.	XXVI.	200
954	72	Fabiano & Muciano.	Iou.	VII.	201
955	73	Seuero III. & Antonino.	Ven.	XIX.	202
956	74	Plautiano & Geta.	Sat.	XXX.	203
957	75	B *Cilone & Libone.*	Sol.	XI.	204
958	76	Antonino II. & Geta.	Mar.	XXII.	205
959	77	Albino & Æmiliano.	Mer.	III.	206
960	78	Apro & Maximo.	Iou.	XIIII	207
961	79	B *Antonino III. & Geta II.*	Ven.	XXV.	208
962	80	Pompeiano & Auito.	Sol.	VI.	209
963	81	Faustino & Rufino.	Lun.	XVII.	210
964	82	Gentiano & Basso.	Mar.	XXVIII.	211
965	83	B *Duobus Aspris.*	Mer.	IX.	212
966	84	Antonino IIII. & Balbino.	Ven.	XX.	213
967	1	Messala & Sabino.	Sat.	I. Cycl. 9.	214
968	2	Læto & Cereale.	Sol.	XII.	215
969	3	B *Sabino & Anulino.*	Lun.	XXIII.	216
970	4	Præsente & Extricato.	Mer.	IIII.	217
971	5	Antonino & Aduento.	Iou.	XV.	218
972	6	Antonino II. & Sacerdote.	Ven.	XXVI.	219
973	7	B *Antonino III. & Comazonte.*	Sat.	VII.	220
974	8	Grato & Seleuco.	Lun.	XVIII.	221
975	9	Antonino IIII. & Alexandro.	Mar.	XXIX.	222
976	10	Maximo & Eliano.	Mer.	X.	223
977	11	B *Iuliano & Crispino.*	Iou.	XXI.	224
978	12	Fusco & Dextro.	Sat.	II.	225
979	13	Alexandro II. & Marcello.	Sol.	XIIII.	226
980	14	Albino & Maximo.	Lun.	XXV.	227
981	15	B *Modesto & Probo.*	Mar.	VI.	228
982	16	Alexandro III. & Dione.	Iou.	XVII.	229
983	17	Agricola & Clementino.	Ven.	XXIIX.	230
984	18	Pompeiano & Pelignano.	Sat.	IX.	231

Anni Vrbis	Anni Cycli				A.C.
985	19	B *Lupo & Maximo* .	Sol.	XX.	232
986	20	Maximo & Paterno .	Mar.	I.	233
987	21	Maximo II. & Vrbano .	Mer.	XII.	234
988	22	Seuero & Quintiano .	Iou.	XXIII.	235
989	23	B *Maximo & Africano* .	Ven.	IIII.	236
990	24	Perpetuo & Corneliano .	Sol.	XV.	237
991	25	Pio & Pontiano .	Lun.	XXVII.	238
992	26	Gordiano & Auiola .	Mar.	VIII.	239
993	27	B *Sabino & Venusto* .	Mer.	XIX.	240
994	28	Gordiano II. & Pompeiano .	Ven.	XXX.	241
995	29	Attico & Prætextato .	Sat.	XI.	242
996	30	Arriano & Papo .	Sol.	XXII.	243
997	31	B *Peregrino & Emiliano* .	Lun.	III.	244
998	32	Philippo & Titiano .	Mer.	XIIII.	245
999	33	Præſente & Albino .	Iou.	XXV.	246
1000	34	Philippo II. & Philippo .	Ven.	VI.	247
1001	35	B *Philippo III. & Philippo II.*	Sat.	XVII.	248
1002	36	Æmiliano & Aquilino .	Lun.	XXVIII.	249
1003	37	Decio II. & Grato .	Mar.	X.	250
1004	38	Decio III. & Decio Cæſare .	Mer.	XXI.	251
1005	39	B *Gallo II. & Voluſiano* .	Iou.	II.	252
1006	40	Voluſiano II. & Maximo .	Sat.	XIII.	253
1007	41	Valeriano II. & Gallieno .	Sol.	XXIIII.	254
1008	42	Valeriano III. & Gallieno II.	Lun.	V.	255
1009	43	B *Maximo & Glabrione* .	Mar.	XVI.	256
1010	44	Valeriano IIII. & Gallieno III.	Iou.	XXVII.	257
1011	45	Tuſco & Baſſo .	Ven.	VIII.	258
1012	46	Æmiliano & Baſſo .	Sat.	XIX.	259
1013	47	B *Seculare & Donato* .	Sol.	XXX.	260
1014	48	Gallieno IIII. & Voluſiano .	Mar.	XI.	261
1015	49	Gallieno V. & Fauſtiniano .	Mer.	XXIII.	262
1016	50	Albino & Dextro .	Iou.	IIII.	263
1017	51	B *Gallieno VI. & Saturnino* .	Ven.	XV.	264
1018	52	Valeriano II. & Lucillo .	Sol.	XXVI.	265
1019	53	Gallieno VII. & Sabinillo .	Lun.	VII.	266
1020	54	Paterno & Arceſilao .	Mar.	XVIII.	267
1021	55	B *Paterno II. & Mariniano* .	Mer.	XXIX.	268
1022	56	Claudio & Paterno .	Ven.	X.	269
1023	57	Antiociano & Orfito .	Sat.	XXI.	270
1024	58	Aureliano & Baſſo .	Sol.	II.	271
1025	59	B *Quieto & Voldumiano* .	Lun.	XIII.	272

1026

Anni Vrbis	Anni Cycli				A.C.
1026	60	Tacito & Placidiano .	Mer.	XXIIII.	273
1027	61	Aureliano II. & Capitolino .	Iou.	VI.	274
1028	62	Aureliano III. & Marcellino .	Ven.	XVII.	275
1029	63	B *Tacito II. & Aemiliano .*	Sat.	XXIIX.	276
1030	64	Probo & Paulino .	Lun.	IX.	277
1031	65	Probo II. & Lupo .	Mar.	XX.	278
1032	66	Probo III. & Paterno .	Mer.	I.	279
1033	67	B *Messala & Grato .*	Iou.	XII.	280
1034	68	Probo IIII. & Tiberiano .	Sat.	XXIII.	281
1035	69	Probo V. & Victorino .	Sol.	IIII.	282
1036	70	Caro II. & Carino .	Lun.	XV.	283
1037	71	B *Carino II & Numeriano .*	Mar.	XXVI.	284
1038	72	Diocletiano II. & Aristobulo .	Iou.	VII.	285
1039	73	Maximo II. & Aquilino .	Ven.	XIX.	286
1040	74	Diocletiano III. & Maximiano .	Sat.	XXX.	287
1041	75	B *Maximiano II. & Ianuarino .*	Sol.	XI.	288
1042	76	Basso II. & Quintiano .	Mar.	XXII	289
1043	77	Diocletiano IIII. & Maximiano III.	Mer.	III.	290
1044	78	Tiberiano & Dione .	Iou.	XIIII.	291
1045	79	B *Annibaliano & Asclepiodoto .*	Ven.	XXV.	292
1046	80	Diocletiano V. & Maximiano IIII.	Sol.	VI.	293
1047	81	Constantio & Maximiano .	Lun.	XVII.	294
1048	82	Tusco & Anulino .	Mar.	XXIIX.	295
1049	83	B *Diocletiano VI. & Constantio II.*	Mer.	IX.	296
1050	84	Maximiano V. & Maximiano II.	Ven.	XX.	297
1051	1	Fausto II. & Gallo .	Sat.	I. Cyclus X.	298
1052	2	Diocletiano VII. & Maximiano VI.	Sol.	XII.	299
1053	3	B *Constantio III. & Maximiano III.*	Lun.	XXIII.	300
1054	4	Titiano & Nepotiano .	Mer.	IIII.	301
1055	5	Constantio IIII. & Maximiano IIII.	Iou.	XV.	302
1056	6	Diocletiano VIII. & Maxim. VII.	Ven.	XXVI.	303
1057	7	B *Diocletiano IX. & Maximiano VIII.*	Sat.	VII.	304
1058	8	Constantio V. & Maximiano V.	Lun.	XVIII.	305
1059	9	Constantio VI. & Maximiano VI.	Mar.	XXIX.	306
1060	10	Nouies & Constantino .	Mer.	X.	307
1061	11	B *Decies & Maximiano VII.*	Iou.	XXI.	308
1062	12	Post Consulatum X. & VII.	Sat.	II.	309
1063	13	Anno II. post Consulatum X. & VII.	Sol.	XIIII.	310
1064	14	Maximiano VII. solo .	Lun.	XXV.	311
1065	15	B *Constantino II. & Licinio II.*	Mar.	VI.	312
1066	16	Constantino III. & Licinio III.	Iou.	XVII.	313

1067

Anni Vrbis	Anni Cycli				A.C.
1067	17	Voluſiano & Anniano .	Ven.	XXIIX.	314
1068	18	Conſtantino IIII. & Licinio IIII.	Sat.	IX.	315
1069	19	B *Sabino & Rufino* .	Sol.	XX.	316
1070	20	Gallicano & Baſſo ,	Mar.	I.	317
1071	21	Licinio V. & Criſpo .	Mer.	XII.	318
1072	22	Conſtantino V. & Licinio .	Iou.	XXIII.	319
1073	23	B *Conſtantino VI. & Licinio* .	Ven.	IIII.	320
1074	24	Criſpo II. & Conſtantino II.	Sol.	XV.	321
1075	25	Probiano & Iuliano .	Lun.	XXVII.	322
1076	26	Seuero & Rufino .	Mar.	VIII.	323
1077	27	B *Criſpo III. & Conſtantino III.*	Mer.	XIX.	324
1078	28	Paulino & Iuliano,	Ven.	XXX.	325
1079	29	Conſtantino VII. & Conſtantio,	Sat.	XI.	326
1080	30	Conſtantio & Maximo ,	Sol.	XXII.	327
1081	31	B *Ianuarino & Iuſto* .	Lun.	III.	328
1082	32	Conſtantino VIII. & Conſtãtino 4.	Mer.	XIIII.	329
1083	33	Gallicano & Symmacho .	Iou.	XXV.	330
1084	34	Baſſo & Ablauio .	Ven.	VI.	331
1085	35	B *Pacatiano & Hilariano* ,	Sat.	XVII.	332
1086	36	Dalmatio & Xenophilo .	Lun.	XXVIII	333
1087	37	Optato & Paulino .	Mar.	IX.	334
1088	38	Conſtantio & Albino .	Mer.	XXI.	335
1089	39	B *Nepotiano & Facundo* .	Iou.	II.	336
1090	40	Feliciano & Titiano ,	Sat.	XIII.	337
1091	41	Vrſo & Polemio .	Sol.	XXIIII.	338
1092	42	Conſtantio II. & Conſtante ,	Lun.	V.	339
1093	43	B *Aquilino & Proculo* .	Mar.	XVI.	340
1094	44	Marcellino & Probino .	Iou.	XXVII.	341
1095	45	Conſtantio III. & Conſtante II.	Ven.	VIII.	342
1096	46	Placido & Romulo .	Sat.	XIX.	343
1097	47	B *Leontio & Saluſtio* ,	Sol.	XXX.	344
1098	48	Amantio & Albino ,	Mar.	XI.	345
1099	49	Poſt Amantio & Albino ,	Mer.	XXII.	346
1100	50	Rufino & Euſebio .	Iou.	IIII.	347
1101	51	B *Philippo & Salia* .	Ven.	XV.	348
1102	52	Limenio & Catulino .	Sol.	XXVI.	349
1103	53	Sergio & Nigriniano .	Lun.	VII.	350
1104	54	Poſt Conſulatũ Sergij & Nigriniani.	Mar.	XVIII.	351
1105	55	B *Conſtantio V. & Conſtantio Iuniore* ,	Mer.	XXIX.	352
1106	56	Conſtantio VI. & Conſtantio II.	Ven.	X.	353
1107	57	Conſtantio VII. & Conſtantio II.	Sat.	XXI.	354

FINIS.



VM in proximo volumine varias Syromacedonum Epochas, quibus plures in Syria Vrbes rerum gestarum tempora indicabant, prolixiori opere exposuerim, non abs re fore duxi, addere etiam Fastos Consulares, quibus Romani annos quosque suos post eiectos Reges designabant, & eos quidem Fastos, qui ab anonymo Scriptore contexti, non modò ceteris Idacij, Prosperi, ac Cassiodori, aliorumque veterum Consularibus tabulis antiquiores sunt, verùm etiam longè ijsdem accuratiores & correctiores habentur. Ioannes Cuspinianus, qui proximo sæculo ante Sigonium ac Panuinium victoris gentium Populi Fastos editis in Chronicon Cassiodori commentarijs, eximiè illustrauit, laterculos Consulares ex laudato Anonymi codice excerptos, suo volumini passim inseruit, quos fanè viri eruditi integros a b eodem editos maluissent. Ægidius Bucherius in commentario ad canonem Paschalem Victorij Aquitani pag. 246. Cuspiniani heredes etiam atque etiam obtestatur, *vt si membranas illas adhuc habeant, publico non inuideant; & tantum antiquitatis thesaurum interire ne permittant*. At membranæ illæ vetustissimæ, bono fato, Imperatores Cæsares AVSTRIACOS dominos sortitæ, in Viennensi Cæsarea Bibliotheca numero inter Historicos codices 56. & 648. à pluribus lustris seruabantur. Horum Fastorum exemplar mihi obtinuit cura & industria eruditissimi viri Antonij Magliabechij. Cum enim ille in locupletissima sua Bibliotheca, quæ non modò ædium atrium, inferiora ac superiora quæque cubicula, verùm etiam gradus ipsos, sedilia, angulos omnes occupat, sacris Musarum diu noctuque operetur, idem bono genio ductus, literatos vbique gentium, & quæ viri facilitas ac comitas est, literatores etiam, quibuscum ipse scriptito, insignibus ac planè reconditis notitijs instruit, quibus editis postea ab ijsdem voluminibus, ingens pretium ac commendationem addit quàm maximam. Et quidem horum quoque Consularium Fastorum editionem literaria Respublica vnius Magliabechij beneficentiæ acceptam referet.

Auctor anonymus hosce Fastos descripsit anno Æræ Christi 354. tum quòd huiusce anni Consulibus ijdem clauduntur; tum quod ætatem Lunæ postremis illis annis accuratè recenset, vt ab eius ætatis Scriptore laudatos Consulum laterculos conditos, nullus planè negare possit. Scio Cuspinianum ad A. V. 248. scribere in eo codice recitari *sola nomina Consulum ab eiectis Regibus ad Gothorum*

thorum

thorum tempora; vnde Scaliger lib. 5. emend. Temp. pag. 381. putat imperante Iuſtiniano, illos laterculos Conſulares exaratos, eorumque Auctorem methodum Dionyſij Exigui ſecutum fuiſſe, qui anno Chriſti 525. Probo Conſule Cyclum Paſchalem annorum 532. euulgauit. At Cuſpinianus illum Anonymum centum ac duodeuiginti annis antiquiorem facit. Nam ad A. V. 1067. ſcribit: *Duos habeo ignotos, & ſine nomine Auctores: quorum alter Conſules ſolis nominibus à Bruto & Collatino primis Conſulibus vſque ad Theodoſium II. & Honorium VII. conſulatus ponit; alter verò Conſules cum Præfectis Vrbis à temporibus Gallieni ad Iulianum uſque enumerat.* Dicam quod res eſt. In eo Codice, qui è Bibliotheca Cuſpiniani in Cæſaream poſtea deportatus fuit, Faſti Conſulares primùm deſcribuntur; dein poſt vacuam paginam pertexitur Canon Paſchalis à Conſtantini ac Licinij iterùm Conſulibus, anno Chriſti 312. vſque ad Theodoſium II. & Honorium VII. poſt quos ſine Conſulibus indicantur charaćteres Paſchales annorum viginti. Incipit illud opuſculum: *B. Conſtantino II. & Licinio II. Idus Apr.* Deſignatur Paſcha anno Chriſti Biſſextili 312. die 13. Aprilis. In fine verò Conſulatuum legitur: *Theodoſio II. & Honorio VII. VIII. Idus Apr.* Fuere illi Conſules A. Chriſti 407. vbi tamen ob conſulatuum ordinem ſursùm turbatum, alterius anni Paſcha ibidem deſignatur, vti ſcitè monuit Bucherius pag. 255. qui eundem vetuſtum canonem Paſchalem in lucem emiſit. Cuſpinianus Faſtos ac illum Canonem vni eidemque Anonymo adſcripſit. Nam ad A. V. 1122. ait: *Auctor ignotus qui ſola Conſulum nomina ſcripſit cum diebus, ſcribit: Valentiniano nouili & Victore. XVI. Idus Aprilis.* Quæ omnia verba cum erroneo numero XVI. *Idus* in eo laterculo Paſchali leguntur. At illa Opuſcula à diuerſis Auctoribus concinnata euidenter demonſtrant Epactæ in Faſtis ſignatæ, quæ ſæpè à laterculis canonis Paſchalis longè diſſentiunt. Initio Canonis legitur:

B *Conſtantino II. & Licinio II. Idus Apr.*
Conſtantino III. & Licinio III. III. KL. Apr.

In Faſtis verò Anonymi ſcribitur:

B *Conſtantino II. & Licinio II. Mar. VI.*
Conſtantino III. & Licinio III. Iou. XVII.

Annus Chriſti 312. quo vterque Auguſtus alterum conſulatum geſſit, vtrobique Biſſextilis deſignatur. In canone anno proximo 313. Paſchalis Dominica dies notatur III. *Kalendas Aprilis*, nempè die 30. Martij. Sed legendum eſt IIII. *Kalendas Aprilis*; quia eo anno dies 30. Martij fuit Feria II. ſiuè dies Lunæ, Cyclo Solis XIV. lit. D. Et ſanè iuxtà Cyclum Alexandrinorum anno Chriſti

313.

313. contigit Paſcha die 29. Martij, Luna apud ipſos XVI. Verùm Auctor Faſtorum anno memorato 313. Kalendis Ianuarijs ſignat *Lunam XVII.* Quare Luna XXX. quæ primum menſem anni Lunaris claudebat, exijt die 14. Ianuarij, ac proxima die 15. fuit Luna prima. Dato modo duorum menſium Lunarium, tertia ab hac Neomenia contigit die 15. Martij; Nouilunia enim in Cyclis ijſdem omnino diebus in Martio ac Ianuario annis etiam biſſextilibus, affixa erant. Hinc die 29. Martij iuxtà laudatum Cyclum Auctoris Faſtorum, fuit Luna XV. qua in Latina Eccleſia ea ætate piaculum erat Paſcha celebrare, cuius citimus terminus Luna XVI. habebatur; quam ob rem Romana Eccleſia diutiùs contra Alexandrinorum Cyclum depugnauit. Cum enim Luna XV. in diem Dominicam incideret, Latini, vti ſcribebat anno Chriſti 457. in ſui Canonis præfatione Victorius Aquitanus, *eadem hebdomada transmiſſa, in alterum diem Dominicum, id eſt, Lunam XXII. transferri debere Paſcha dixerunt.* Hinc iuxtà Cyclum Auctoris Faſtorum, Paſcha anni Chriſti 313. protrahitur ad diem V. Aprilis, Luna XXII. Ita initio ſtatim canonis Paſchalis Auctor diuerſus à Faſtorum deſcriptore intelligitur, ſecùs ac Cuſpinianus arbitrabatur.

Anonymus in hiſce tabulis Conſularibus contexendis, ſola Conſulum cognomina recitat, & plurima quidem quæ ex marmoreis Capitolinis tantùm lapidibus intelleximus. Non pauca prioris ſæculi cognomina erratis characteribus exprimuntur, ac non ſemel idem cognomen variata orthographia exaratur, quæ errata librariorum negligentiæ nullus non ducat. Ipſe quidem eos Faſtos cum iiſdem mendis exhibui, quæ inerant eorumdem apographo, quod Conradus Ianninghius S. I. vir pereruditus & in veterum manu ſcriptorum codicum lectione verſatiſſimus, abs ſemet accuratè ac diligenter exſcriptum, & ſemel & iterùm ſedula attentione cum autographo collatum, ad ſui amiciſſimum Magliabechium tranſmiſit. Præterea annos quibus abdicatis Conſulibus, Decemuiri, vel Tribuni militares Conſulari poteſtate tres, aut quatuor, & poſtea etiam ſex Faſtis prænotantur, Anonymus duorum tantùm Tribunorum cognominibus deſignat. Immò cum A. V. 378. ac proximo quadriennio nulli curules magiſtratus creati fuiſſent, ſed L. Sextius Lateranus ac C. Licinius Stolo Tribuni plebis, rem Romanam ſuperbè & impotenter adminiſtrauerint, Anonymus iiſdem annis ficta quædam nomina præfigit, quæ inter A. V. 380. ſcribit: *Baccho ſolo*, quod nuſquàm in Romana gente cognomen auditum. Hoſce verò errores alio opere emendabo, in quo Faſtos Conſulares

plurium vetustarum Inscriptionum ope, quæ post Panuinium è terræ ruderibus effossæ sunt, illustrabo; siquidem in præsentia ipsos puros putos Consulum laterculos laudati Anonymi edere destinaui, quos iterata opera prolixioribus commentarijs exponam. Nullus autem dubito, quin nonnulla in eosdem Fastos aliena manu eaque ignaua potiùs quàm maligna, infarta fuerint; vti cum A. V. 754. Cæsare & Paulo Consulibus, dicitur natus Christus die 25. Decembris LVNA XV. Nam cum proximis Kalendis Ianuarijs signetur ab Anonymo *Luna* XXIV. iuxtà eundem die 25. Decembris erat Luna XVII. Rursùs A. V. 782. Geminis Consulibus dicitur Christus passus *die Solis Luna* XIV. At eo anno ab Anonymo hac bina nota chronologica Kalendæ Ianuariæ designantur: *Sat.* XXIII. Feria rectè proditur, Cyclo Solis X. lit. B. At si eo die fuit Luna XXIII. Neomenia proxima contigit die 9. Ianuarij, & tertia ab hac fuit die itidem 9. Martij; ac proinde Luna XIV. incidit iuxtà Cyclum Anonymi in diem 22. Martij, Feria III. quamuis dies Nouiluniorum apud hunc Scriptorem erronei indicantur; siquidem illo anno Christi 29. Nouilunium iuxtà medios Lunæ motus contigit die 3. Ianuarij, hora nona post meridiem; vnde Kalendis Ianuarij fuit Luna XXIX. Eius Cycli methodum ac defectum mox explicabo. Denique A. V. 786. Galba & Sulla Consulibus in ijsdem Fastis legitur: *Hoc consulatu Petrus & Paulus ad Vrbem venerunt; & acceperunt Episcopatum*; & A. V. 808. Nerone Cæsare & Vetere Coss. anno imperij eiusdem Neronis primo, scribitur: *Hoc consulatu passi sunt Petrus & Paulus, III. Kal. Iulias*; quod vtrumque refellit sacra historia Act. Apostol. cap. 12. & 18. & veluti ab aliena manu intrusum, omisi; quorum tamen hic Lectores monitos volui, ne in eius Operis editione, mala fide videar ab autographo recessisse. Ibidem etiam Annis Vrbis 421. 431. & 446. similiter legitur: *Hoc anno Dictatores non fuerunt*. Et A. V. 705. scribitur: *Huc vsque Dictatores fuerunt*. Quis autem crediderit Scriptorem in contexendis Fastis satis accuratum, Consules *Dictatorum* nomine appellasse? Hinc cum Auctor annos memoratos, quibus nulli Consules creati fuerunt, vacuo paginæ spatio designauerit, sciolus quispiam illis verbis eos laterculos impleuit.

Hi Fasti eo præcipuè commendantur, quòd annos quorumcumque Consulum triplici nota temporis designant: nempè Feria, & ætate Lunæ in Kalendis Ianuarij, quæ duo singulis Consulatibus, aut binis Tribunis militaribus adijciuntur, ac præterea charactere annorum omnium Bissextilium, quos Anonymus præposita litera B, ac Consulibus maiori Romano eoque rubro charactere descri-

descriptis, indicat; quamuis anni bissextiles apud Romanos ab A. V. 709. annum tunc luxatum emendante Cæsare, initium habuerint; quos tamen per annos Iulianos prolepticos Anonymus à primis vsque Consulibus longiori serie deduxit. Summus Fastorum reparator Panuinius lib. 3. comm. in Fastos ad A. V. 1116. cum adnotasset ab Ammiano Marcellino annum quo Valentinianus senior imperium ab exercitu accepit, vocari Bissextilem, in eodem suis Fastis penè triumphum cecinit, quòd ex vno illo certo Bissextili anno descriptorum sibi consulatuum ordo ac series certissimè constare videbatur; in qua tamen re vir in Chronologia eximius deceptus est ob expunctum, vt alias dixi, Probi Augusti ac Paulini ordinarium consulatum, à quo ad superiores annos ascendendo, Consulum collegia extra rectum Bissextilium ordinem recitantur. Victorius etiam Aquitanus annum primum Valentiniani signat Bissextilem; & licèt per singula quadriennia annos intercalares notet, Consules tamen alienis passim annis assignauit. At vnus Anonymus & collegia Consulum & annos quoque Bissextiles per annos sexcentos ac quadraginta quinque vllo sine errore Chronologico deducit, quod nullæ hactenùs Consulares veterum Scriptorum tabulæ præstitere. Verùm cum A. V. 461. scribat:

B *Megello II. & Regulo. Mer. IX.*
Gurgis & Scæuola. Ven. XX.

Lucij Papirij Cursoris ac Sp. Caruilij consulatum omittit, qui incidit in annum bissextilem prolepticum qui fuit ante Æram Christi 293. Cyclo Solis XXV. lit. E D, ac proinde superiora collegia Consulum alienis annis Bissextilibus prænotantur; Megellus enim iterùm ac Regulus fuere Consules anno communi ante Christum 294. Cyclo Solis XXIV. lit. F.

Tertius character quo Anonymus ætatem Lunæ in singulis quibusque Kalendis Ianuarijs per annos DCCCLXIII. designat, postremis tantùm annis, quibus Auctor viuebat, cum medijs Lunæ motibus concordat, à quibus tamen quò magis in anteriora sæcula ascendit, eò magis etiam atque etiam exorbitat, ob defectum Cycli, quo ea ætate Latini Patres & ipsa etiam Romana Ecclesia vtebatur, ad Neomenias Paschales perpetua methodo indicandas. Hoc, quod in hisce Fastis præcipuum ac singulare est, diligentiùs exponam, cum Anonymi methodum ad Lunationes illas tot sæculorum spatio designandas, viri eruditi neutiquàm assecuti fuerint. Nam Cuspinianus, qui Fastos illos suis in pluteis habuit, scribit ad A. V. 248. in ijsdem recitari *nomina Planetarum cum quibusdam numeris, quos neque intelligere potui, nec hactenùs qui*

intellexisset, *reperi*. Verùm quòd illi numeri singulis quibusque annis per vndecim succrescunt, idem Cuspinianus ad A. V. 786. ait: *Auctor ignotus, vbi sola nomina Consulum cum diebus & Epactis scribuntur, alium ordinem continet*. Ita eos numeros esse Epactas tandem intellexit. Scaliger lib. 5. de emend. Temp. pag. 370. vocat illos Fastos *Paschale magnum*, ac plura de eodem comminiscitur, vti etiam lib. 3. can. Isagog. pag. 276. scribens eas Epactas iuxtà regulas Cycli Dionysiani collectas; quæ tamen in priori pagina erratorum expungens, censet *numeros illos pertinere ad Cyclum Lunarem Iulii Cæsaris, & Epactas eius esse*. Petauius lib. 10. doctr. Temp. cum integro capite 20. Scaligeri commenta eruditè explosisset, scitè monuit ex paucis illis laterculis à Cuspiniano recitatis, nihil certi colligi posse, remque in medio reliquit. Et hi quidem Scriptores Cuspiniani editionem secuti, ita initium Fastorum recitant.

Bruto & Collatino. *Lun. XXIX.*
Publicola II. & Tricipitino. *Mar. X.*

Verùm siuè Cuspiniani siuè Typographi errore, prior Epactarum numerus in mendo cubat; siquidem in autographo legitur: *Lun. XXIIX.* & anno proximo: *Mar. X.* vbi Epactæ duodeno numero augentur, quòd annus ille erat Cycli XXXVI. in quo ob saltum Lunæ vnius diei exæresis fiebat; vnde cum Neomeniæ vno die anticiparentur, proximis Kalendis Ianuarijs Lunæ ætas vno die auctior euadebat, vt mox ostendo. Ægidius Bucherius cum à pag. 247. laudati operis prolixum eorumdem Fastorum fragmentum per annos centum ac quinquaginta digestum, recitasset, ingenuè fatetur, signatas ibidem Epactas sibi ignotas esse: *neque enim*, inquit, *earum mihi methodus ratione perspecta*. At illæ collectæ sunt iuxtà methodum Cycli annorum LXXXIV. quem idem Bucherius plurium veterum Patrum testimonijs illustrat, vt planè mirer viro erudito ex tot Lunationibus ibidem descriptis, id quod erat, neutiquàm suboluisse.

In præcipuo Christianæ religionis festo Paschali ritè celebrando, tria obseruanda esse notat S. Epiphanius ad Hæresim LXX. Audianorum, nempè vt perageretur die Dominica, quæ post vernum Æquinoctium primum Plenilunium siuè Lunam XIV. subsequebatur. Itaque duobus Cyclis opus erat, quorum vnus diem Dominicam, quæ Solis antea dicebatur, proderet; alter verò primam Lunam XIV. post vernum Æquinoctium indicaret. Alexandrinorum Ecclesia vel ante imperium Diocletiani, vti colligimus ex Eusebio lib. 7. cap. 32. Enneadecaeteride, id est, Cyclo anno-

rum XIX. vtebatur, quem à Metone insigni Astronomo anno IV. Olympiadis LXXVI. Vrbis Romæ 281. publicè propositum, Calippus postea, ac iterùm rectiùs Hipparchus reformauerant. Hoc Cyclo post vndeuiginti annos, putabant Solis Lunæque motus in concordiam redire, ac paria facere. Nam anni Solares XIX. sunt dies 6939. & horæ 18. Lunares verò itidem XIX. quos inter septem erant Embolimi, sunt dies 6939. horæ 16. 32'. 27''. 18'''. vt desit ad Solares periodos assequendas, hora cum minutis 27. 32''. 42'''. Quæ leuior in eo annorum spatio differentia aut neglecta, aut non obseruata, facit vt post annos 304. Lunationes horis 23. anticipent. Verùm quamuis in eo Cyclo post annos XIX. intra 300. annos Solis Lunæquæ motus secum inuicem politicè ac ciuiliter conuenirent, non tamen idem Feriarum ordo ab eodem capite in singulis quibusque Cyclis instaurabatur. Hinc Latini Patres Græcorum Enneadecaeteride omissa, aliud annorum systema induxerunt, quo non modò Solis Lunæque cursus ad idem caput, vnde deducti fuerant, rursùs redirent; verùm etiam Feriarum siuè dierum hebdomadis apocatastasis perpetua lege instauraretur. Enimuerò Cyclum annorum LXXXIV. adhibentes, Solis Lunæque epilogismos, ac Feriarum parem semper ordinem in orbem redire existimarunt. Et quidem quod ad Feriarum apocatastasim attinet, rem planè consecuti sunt; siquidem cum Periodus annorum 84. tres Solis cyclos contineat, ijsdem absolutis, idem dierum hebdomadis siuè Feriarum ordo inuiolata lege repetitur; vnde in Fastis Anonymi primus cuiusque noui Cycli annus à die *Saturni* exorditur, vt suspicari possimus eundem ab Hebræis primùm constructum; cum præsertim S. Epiphanius ad Hæresim LI. Alogorum Iudæos Cycli annorum 84. auctores faciat, idemque Latinis exprobet S. Cyrillus in suo prologo Paschali. Præterea eundem etiam Lunationum ordinem eius pariter Cycli methodo restitui, ex Anonymi Fastis intelligitur, in quibus *Luna prima* initio cuiuslibet noui Cycli prænotatur, parisque ætatis singulæ quæque Lunæ Kalendarum Ianuarij in omnibus Cyclis sese inuariato prorsùs ordine perpetuò consequuntur. Hinc, quæ maxima eiusdem Cycli vtilitas censebatur, Pascha ijsdem omninò diebus in omnibus illius Periodi repetitionibus recurrere credebatur. Prosper in integro Chronico à Labbeo publicato tom. I. Biblioth. MSS. pag. 26. scribit: *Tiberio II. & Vitellio. Initium Cycli primi.* Et quarto ab illis Consulibus anno, ait: *Vetere & Neruiliano. Paschalis Cycli ratio ab his Consulibus incipit, per annos XXCIV. & ad eandem legem reuertens.* Priores Consules fuere A. V. 800. Christi 47. posteriores A. V. 803.

Chri-

Christi 50. Quòd initium eiusdem Cycli ob luxata Consulum collegia, non ab omnibus ab eodem consulatu deducebatur, ideo bis illius exordium in eo Chronico recensetur, & quidem perperàm vtrobique. Rectè verò in Fastis nostri Anonymi A. V. 799. Christi 46. initium Cycli recensetur: *Asiatico II. & Silano. Sat. I.* Rursus pag. 30. Prosper ait: *Pontiano & Rufino. Finis Cycli primi & sequentis exordium*; videlicèt A. V. 884. Christi 131. Iam verò à Tiberio Claudio IV. ac Vitellio III. Coss. in Chronico Prosperi ad Pontiani ac Rufini consulatum exclusiuè anni 80. numerantur, qui à Vetere & Neruiliano collecti, sunt solummodò vnus & octoginta. Ita eius Chronici anachronismus apparet. At Anonymus in Fastis A. V. 883. scribit: *Catulino & Apro. Sat. I.* vbi optimè seruato Cycli numero, nouam Periodum exorditur. Praeterea Prosper pag. 31. ait: *Messala & Sabino. Finis Cycli secundi, & initium tertii.* Anonymus A. V. 967. Christi 214. scribit: *Messala & Sabino. Sat. I.* Vbi die Saturni à Luna prima nouum Cyclum inchoat. In Prosperi Chronico ab initio Cycli, quem *secundum* vocat, ad eiusdem exitum paria Consulum 86. numerantur. Nam ibidem pag. 32. hosce Consules recenset.

Vero II. & Bradua.
Antonino III. & Aurelio III.
P. C. Antonini III. & Aurelii III.
Duobus Augustis.

Vbi binos consulatus fictitios infarcit, cum ab Anonymo optimè A. V. 913. scribatur;

B	*Bradua & Varo.*	*Lun. III.*
	Duobus Augustis.	*Mer. XIIII.*

Eosdem erratos Consulum laterculos suo canoni Paschali Victorius Aquitanus inseruit, quippè qui Chronici Prosperiani Consules exscripsit; Victorij verò deprauata Consulum collegia Cassiodorus suum in Chronicon deportauit. Rursus Prosper pag. 39. scribit: *Fausto & Gallo. Finis Cycli tertii, quartique principium.* His etiam Consulibus Anonymus nouum Cyclum exorditur, cuius anno 57. Fastis finem imposuit. Idem verò ex celebri id temporis, vt ex Prospero ostendi, Paschali Latinorum Cyclo, quo Lunam XIV. Paschalem designabant, aetatem quoque Lunae Kalendis Ianuarijs, quibus noui Consules annum aperiebant, continuata serie suismet Fastis inseruit, & vnus laudati Cycli methodum posteris conseruauit, cum quantitas Lunae in Kalendis Ianuarijs ceteras totius anni syzygias Lunares certissimè indicet. Petauius in notis Epiphanianis ad Haeresim Alogorum pag. 166. typum proponit Iudaici Cycli anno-

annorum 84. Bucherius etiam pag. 427. alterius vt à Latina Ecclesia frequentati, formam in tabulis expansis exhibet, cuius annum primum Embolimum, tertium simplicem obtrudit, diesque abundantes pro arbitrio inserit, cum ex Fastis Anonymi primus annus Periodi sit communis, tertius Embolimus, quorum plane ordo alius fuit ab eo, quo Bucherius tabulas illas concinnauit.

In Cyclis Lunisolaribus dies annorum Bissextiles neutiquam numerabantur, quamuis eorundem ratio aliàs haberetur. Id factum, ne Aurei numeri in Cyclis adsignata semel ijsdem sede dimouerentur, & intercurrente Bissexto, in superiorem locum retrocederent. Hinc in veterum Cyclis ijdem Aurei numeri eodem die in mensibus Ianuario ac Martio Nouilunia, inuariato prorsus ordine, semper designant, vt planè pateat, dies Bissextiles in methodicis Cyclis in numerum non venisse, vt cum ceteris docet Clauius cap. 8. Calendarij Gregor. num. 8. quod postea ex Cyclo Anonymi ostendam, quem modò expono. Anni solares Iuliani LXXXIV. sunt dies 30681. quo temporis spatio dies Bissextiles vnus ac viginti intercurrunt, qui si dato numero detrahantur, remanent dies 30660. in annis Iulianis octoginta quatuor. Auctor est S. Cyrillus in prologo Paschali, quem Latinum tantùm habemus, conditores Ogdoecontatessaracteridos siuè Cycli annorum 84. eundem *per sex quatuordecennitates*, ita Interpres Tesseradecaeteridas Latinè vertit, collegisse, nempè per sex minores Cyclos, singulos annorum XIV. siquidem quatuordecim sexiès ducta, fiunt octoginta quatuor. Hinc integro Cyclo dierum Solarium 30666. in sex pares minores Cyclos partito, remanent in singulis hisce Cyclis dies 5110. Iam verò quatuordecim anni Lunares ita disponebantur, vt essent in ijsdem anni IX. simplices, quorum singuli continebant dies 354. ita vt iunctim darent dies 3186. Prætereà in eo minori Cyclo quinque menses erant Embolimi, singuli ex diebus 384. quorum collectim dies erant 1920. vt totius Lunaris Cycli annorum XIV. dies fierent 5106. Porrò singuli Cycli reliquas in exitu habebant Epactas quinque, quæ collectæ in fine sextę Tesseradecaeteridos, sextum in eadem Embolimum mensem constituebant. At dies, qui numerabantur in singulis sex Cyclis minoribus 5106. sexiès ducti, erant 30636. qui addito mense sexto Embolimo dierum 30. ex quinque Epactis, quas dixi, collecto, euadebant 30666. ita vt sex diebus Solarem periodum excederent. Huic excessui obuiam ierunt, statuta in singulis sex minoribus Cyclis vnius diei exæresi, vnde sex diebus expunctis, qualibet Tesseradecaeteris remanebat conflata ex diebus 5105. cum Epactis V. atque ea ratione totius

Lunaris

Lunaris Cycli dies erant 30660. parique numero cum diebus Cycli Solaris, demptis Bissextilibus, decurrebant. Cicero in Verrina IV. ait: *Est consuetudo Siculorum caeterorumque Graecorum, quòd suos dies mensesque congruere volunt cum Solis Lunaeque ratione, vt nonnunquam, si quod discrepent, eximant vnum aliquem diem aut summum biduum ex mense, quos illi ἐξαιρεσίμους dies nominant*. Alexandrina Ecclesia in celebri Enneadecaeteride siuè Cyclo annorum XIX. vnum quoque diem per exaeresim dissimulabat. Nam, anni Iuliani XIX. sine bissextilibus, sunt dies 6935. Anni totidem Lunares sine fragmentis horarum 8. ac minutorum, nempè politici ac ciuiles, quorum duodecim erant simplices, ac septem Embolimi, dabant dies 6936. Hinc in Cyclo decemnouennali vnius diei exaeresi facta, id est, vno mense aliàs pleno, in cauum demutato, Solis Lunaeque rationes in eo Cyclo pares euadebant. Hanc diei in anno Lunari dissimulationem *saltum Lunae* vulgò appellarunt. Quod Alexandrini semel in Cyclo decemnouennali faciebant, hoc Auctores Cycli annorum 84. sexiès in eodem, videlicèt in qualibet dodecaeteride siue duodecimo quoque anno, praestabant, vti indicaui in primo Cyclo integro in Fastis Anonymi à pag. III. illis vocibus *saltus Lunae*, vel compendiarijs notis S. L. Itaque in Cyclo Anonymi fit vnius diei exaeresis annis 12. 24. 36. 48. 60. ac 72. quod patet ex aetate Lunae in proximis primis insequentis anni Kalendis, quae epactas non vndeno, vti aliàs, sed duodeno numero auctas trahit. In Fastis Anonymi annus XII. Cycli prodit Kal. Ianuarijs Lunam II. vnde abiecto, vt Computistae veteres loquuntur, regulari Kalendarum, annus ille Lunaris coepit die 31. Decembris; exijt die 18. alterius Decembris; cum annus XIII. Cycli habeat Epactas 13. quae cum regulari dant Lunam XIV. in Kalendis Ianuarij. Cum verò à die 31. Decembris ad 18. alterius Decembris inclusiuè, colligantur dies 353. patet eum annum vnius diei exaeresim subire; seu in eodem saltum Lunae factum. Hac methodo ceteri anni siuè simplices siuè Embolimi vna die mutilati, facilè cognoscuntur. Beda in Ephemeridum libello ponè diem 25. Nouembris scribit: *Saltus Lunae secundùm aliquos*. Eo saltu Lunae seu diei dissimulatione, mensis qui iuxtà alternatum plenorum ac cauorum ordinem, plenus erat, cauus euadebat, ita vt iunctim tres Lunares menses caui decurrerent. Postremus anni mensis semper erat cauus; ac proinde in penultimo à quibusdam, teste Beda, fiebat saltus Lunae, *vt si verbo tenus*, vt ait S. Cyrillus in prologo laudato, *fuerit Luna quinta, alia die non dicatur sexta, sed septima*; quae ipsa exaeresis *legitimus saltus* eidem

dicitur,

dicitur, quòd Luna vnum diem transiliens, à quinta saltat ad septimam. Hinc neomenia mensis primi Lunaris in superiorem diem ascendens, in Kalendis Ianuarijs Epactas duodeno numero auctas refert; vti patet in Cyclo Anonymi in Kalendis, quæ annos XII. XXIV. XXXVI. &c. consequuntur. Huncce saltum Lunæ irrident Astronomi Stœfflerus proposit. 34. litt. RR. Paulus Episcopus Forosempronienfis lib. 9. Paulinæ, alijque, quem tamen à vetustissimis Græcorum adhibitum Cicero laudato loco testatur. Victorius Aquitanus in prologo sui canonis Paschalis, ait: *Tum deinde ii qui Cyclum annorum LXXXIV. ediderunt, duodecim peractis annis, Lunam vnam, quam per idem tempus certis annua reuolutione minutiis asserunt calculandi lege succrescere, adiiciendam legitimo cursui esse præcipiunt*. Bucherius in tract. de Iudæorum Cyclo cap. 2. ex illis Victorij verbis putat colligi diem abundantem in annis 12. ex minutijs horarum resultantem. At alius est illius Auctoris sensus. Nam eo loci statim addit alios ea incrementa lunaria ponere anno XV. alios denique *post X. & IX. annos Aegyptiorum more continuato ordine hoc augumentum Lunare subiicere*. Ad quæ verba idemmet Bucherius pag. 4. in margine scribit: *Videtur saltum Lunæ intelligere*. Ita planè; siquidem ibi narrat quo anno Luna per saltum incrementa apud varios susciperet, scribens apud Auctores Cycli annorum 84. *duodecim peractis annis, Lunam vnam adiici legitimo cursui*; quia anno Cycli XIII. Kalendis Ianuarijs signatur *Luna XIIII.* quę aliàs debebat numerari XIII. Anno Cycli XXV. notatur Luna XXVII. quæ XXVI. numeranda videbatur; quod ipsum patet in quolibet anno Cycli dodecaeteridem sequente; cum tamen Ægyptij post annos XIX. illum saltum in Cyclo seruarent, uti disertè Cyrillus in prologi laudati fine testatur.

Vti verò constat ex methodo huius Cycli annos Lunares 84. sexiès Lunæ saltu interposito, nempè semel in qualibet sex Tessaradecaeteridum, totidem annis Solaribus simplicibus, id est, subtractis diebus 21. Bissextilibus, æquari, ita etiam certum est dies Bissextiles in numerum dierum Cycli non venire. Nam annus III. Cycli est Bissextilis Cyclo Solis I. litt. GF, simulque Embolimus, cuius Luna Kal. Ianuarijs notatur XXIII. quare abiecto regulari, Epactæ XXII. indicant annum illum Lunarem inchoatum die 10. Decembris, qui desinit die 28. insequentis alterius Decembris, cum reliquas habeat Epactas III. quæ cum regulari Kalendarum Ianuarij produnt anno IV. Cycli Lunam IV. At à die 10. Decembris ad 28. alterius Decembris inclusiuè, numerantur dies 384. quot sunt in quolibet anno Embolimo. Rursus annus VIII.

Cycli est Bissextilis, Cyclo Solis V. litt. BA idemque inchoatur die 26. Decembris, & desinit die 14. alterius Decembris; ac proinde continet dies 354. Hinc inquirenda ratio videtur, qua Solaris Iuliana periodus annorum 84. id est, dierum 30681. cum Lunari totidem annorum systemate conciliaretur, cum huius dies tantùm 30660. in laudato Cyclo colligerentur. Anni Iuliani XIV. tres habent Bissextiles, ut Cycli huius dies sint 5113. & horæ 12. Proxima totidem annorum periodus continet quatuor Bissextiles, eiusque dies evadunt 5114. Vno Verbo. Tessaradecaeterides Iulianæ impares habent tres Bissextiles; qui quatuor in paribus colguntur; omnesque collectim in maiori Cyclo annorum 84. euadunt XXI. Auctores Cycli singulis annis præter dies solidos 354. vel 384. si erant Embolimi, horas sex addebant, quæ quater & octogies multiplicatæ, sunt 504. qui numerus per 24. diuisus, facit dies XXI. totidem Bissextilibus annorum Solarium 84. correspondentes. Tessaradecaeteris Lunaris impar præter dies solidos, habebat horas 84. quarum 72. dabant dies tres, tribus eiusdem Cycli annorum XIIII. Bissextilibus respondentes. Reliquæ horæ 12. cum horis 84. paris Tesseradecaeteridos dies 4. constituebant, qui totidem solaribus Bissextilibus æquabantur. Beda cap. 39. de Temporum ratione, scribit: *Palam namque apparet quadrantem, de quo sermo est, non ad Solis tantummodò, sed ad Lunæ cursum æquè pertinere, quia si Lunæ quoque quadrantem accomodare negaueris, sed bissextili anno eiusdem quantitatis mensem Lunarem Februario, cui & antea solebas, aptaueris, fit profectò, vt & quartadecima Luna Paschalis eiusdem anni pridie quàm debuerat, adueniat &c.* Quadrans Lunæ Solari quadranti similis, & ex quo multiplicato, dies intercalaris succrescit, ex sex tantùm horis componitur. Addit tamen Lunæ ætatem Kalendis Martijs eiusdem quantitatis statuendam esse, ac si vno die ob bissextilem non creuisset. Petauius in Cyclo Iudaico, horas octo & aliquot minuta, quæ iuxta Iudæos residua erant vltra dies 354. anni ipsorum Lunaris, variè per annos 84. partitur, quod & in pari Cyclo quem Prosperianum vocat, Bucherius facit. Et ille quidem rectè, quòd Iudæi nunquam saltus Lunæ adhibuerunt ad Solis Lunæque epilogismos secum inuicem conciliandos. At cum Latini Patres in suo illo totidem annorum Cyclo saltu Lunæ sex dierum exæresim facerent, illos dies abundantes, quos Græci ὑπερήμερος vocabant, in ea periodo non habebant. Quoties enim dies abundans anno Lunari inseritur, tres iunctim menses pleni fiunt; idemque annus euadit dierum 355. vel 385. si ponatur Embolimus. Et sanè cum iuxtà methodum

dum eius Cycli superiùs mihi expositam, anni Lunares LXXXIV. dent dies 30660. quos totidem continent anni 84. Solares Iuliani, demptis bissextilibus, vt ea Lunaris dierum collectio ad numerum etiam bissextilium vnius ac viginti succrescat, indiget tantùm horarum 504. incremento, quę si super hunc numerum augerentur, vltra Solaris periodi annorum 84. limites excurrerent. Hinc Auctores memorati Cycli mensi Lunari assignasse videntur dies 29. horas 12. ac minuta 30. nempè vltra dies integros, dimidium diei ac pariter semihoram. Quamuis autem anno simplici cœlestis Lunæ motus detrahebant horas duas, minuta 48. ac secunda 38. quæ in nouem annis vnius Tessaradecaeteridos sunt horę 25. 17'. 42". cum annos Embolimos putarent esse dies 384. qui reapse sunt 383. hor. 21. 32'. 41". in quinque Embolimis addebant horas 12. 21'. 35". vt in minori Cyclo annorum XIV. ea ratione deficerent à medijs Lunæ motibus horis 12. 56'. 7". Sed eius Cycli defectum mox ostendam. Epiphanius ad hæresim LI. Alogorum tradit Iudæos in Cyclo annorum pariter 84. construendo, anno simplici addidisse horas quatuor, nempè duplicatas, cum illæ ter multiplicatæ, diem facerent. At Latini Patres Iudaicum tantùm numerum in suo Cyclo retinuerunt, ac sexiès Lunæ saltibus iteratis, Lunæ, Solisque motus in concordiam redigebant; cum Iudæi nullis saltibus Lunaribus vterentur, sed dies abundantes varijs Cycli annis insererent. Horæ octo in minori Cyclo annorum XIV. sunt 112. nempè dies IV. & horæ 16. ita vt omnes Cycli dies sint 5109. cum horis 16. & additis Epactis reliquis V. cuiuslibet Cycli, fiunt dies 5114. horæ 16. Cum verò Cyclus Solaris annorum XIV. habeat dies 5113. & horas 12. vno die per saltum Lunæ dissimulato, ac horis 12. pro integrando quarto Bissextili, in proximam Tessaradecaeteridem dimissis, remanerent in quolibet minori Cyclo horæ IV. quæ in fine Cycli diem integrum conflarent. At hic dies in Cyclo iuxta methodum Anonymi non apparet. Sed de his alio in Opere diligentiùs disputabo.

Idem S. Epiphanius loco laudato scribit Iudæos suo Cyclo annos Embolimos XXXI. inseruisse, quod Latini Patres in pari annorum periodo fecerunt, qui in singulis Cyclis minoribus annorum XIV. annos V. Embolimos nouem annis simplicibus addiderunt. Embolimorum situm vnus nobis prodit Anonymus noster in Fastis, vt pag. II. & seq. ad oram adnotaui, eorumque dies ex Epactis quas trahunt, quasue reliquas in proximum annum dimittunt, facilè intelliguntur. Menses Embolimi in pleno Cyclo annorum 84. sunt triginta. Additur vnus insuper extra ordinem,

quo vniuersa periodus illa concluditur; ille verò ex quinque Epactis cuiuslibet Tesseradecaeteridos componitur; siquidem annus Cycli XIV. habet Epactas V. totidemque post se relinquit annus eiusdem Cycli XXVIII. cuius sunt Epactę X. quæ XV. post annum XLII. habentur. Annus LVI. residuas habet Epactas XX. quæ post annum LXX. colliguntur XXV. quæ cum diebus anni postremi totius periodi, eandem vno insuper sexto Embolimo anno augent. Etenim annus ille vltimus in Kalendis Ianuarijs habet Lunam XX. ac proinde cœpit die 13. Decembris, & cum desinat die 31. alterius insequentis Decembris, constat ex diebus 384. Bucherius pag. 430. annum postremum Cycli annorum 84. simplicem constituens, primum verò Embolimum, situm ceterorum quoque annorum Embolimorum sursum deorsum turbauit; quem tamen ex Anonymi Lunationibus optimè intelligimus. In Cyclis annorum XIV. sunt menses Lunares 173. quorum V. sunt Embolimi; vnde illi menses sexiès multiplicati, fiunt in integro Cyclo LXXXIV. annorum 1038. cui numero addendus est sextus mensis extra ordinem Embolimus ex illis post annos XIV. Epactis quinario semper numerò auctis, resultans, vt sint menses in vniuersum 1039. Simplices 1008. Embolimi verò 31. Anni simplices sunt dierum 354. præter annos XII. XXIV. XLVIII. & LXXII. qui ob saltum Lunæ remanent dierum 353. Anni Embolimi continent dies 384. exceptis annis Cycli XXXVI. & LX. qui vnius diei exæresim passi, habent dies 383. Inde fit, vt in toto Lunari Cyclo annorum 84. numerentur dies 30660. quot continent anni Solares Iuliani 84. demptis diebus Bissextilibus XXI. qui in Cyclis in numerum non veniunt.

Vetus opinio inualuit, qua vulgò credidere Romanam Ecclesiam ad solemnem Paschatis diem indicendum, ante receptam Alexandrinorum Enneadecaeteridem, Cyclo pariter decemnouennali vsam, cuius Aurei numeri ternario infra Alexandrinos essent: qui proinde Cyclus Latinorum passim vocaretur. Eius tabulas expansas dederunt vetustiores Computistæ, ac postea Paulus Episcopus Forosemproniensis libro 5. Paulinæ, Stœfflerus proposit. 34. litt. R r, à quibus exscriptas, libro 6. doctr. Temp. Petauius inseruit. Ipse tamen cum Bucherio censeo Romanam Ecclesiam tertio ac quarto etiam Christi sæculo ad Paschale festum prodendum, non alium quam octoginta quatuor annorum Cyclum adhibuisse. Etenim Anatolius Laodicensis in Syria Episcopus initio canonis Paschalis ait: ***Nonnulli LXXXIV. annorum Circulum computantes, nunquam ad veram Pascha computandi rationem peruenerunt***. At eum Cyclum non à Græcis, sed a Latinis adhibitum prodit noster Anonymus,

qui

qui suos Fastos cum Lunationibus iuxtà methodum eiusdem Cycli, Constantio imperante, pertexuit; & laudatus etiam Prosper qui altero sæculo vixit, dum Cyclum ab anno Christi 298. Fausto & Gallo Consulibus iterùm inchoatum testatur, quod ex auorum libris accepit; quamuis ipse minus rectè ab imperio Tiberij primitùs inductum affirmet. Sanctus Innocentius Papa in epist. 14. ad Aurelium Primatem Carthaginensem hæc scribit: *Nam cum ante undecimum Kalendarum Aprilium penè Luna XVI. colligatur (nam quippiam minus est) itemque cum ante diem quartum Kalendarum earundem veniat vigesima tertia, existimaui XI. Kalendarum memoratarum die festa Paschalia celebranda; quoniam in vigesima tertia Luna nullum Pascha ante hoc factum esse cognouimus*. Paulus Episcopus Forosempronienfis lib. 5. Paulinæ, Stoefflerus initio proposit. 35. Scaliger lib. 2. de emend. Temp. pag. 158. Petauius lib. 2. cap. 64. Petitus lib. 3. Eclog. Chronol. cap. 3. alijque putarunt designari eo loco Pascha anni Christi 403. Cyclo Solis XX. lit. D. At planè errant. Nam eo anno Nouilunium Paschale secundùm medium motum contigit iuxtà tabulas Astronomicas, die 9. Martij, hor. 10. 30.' post mediam noctem. Luna verò XIV. fuit XI. Kal. Aprilis, siuè die 22. Martij, Dominica. Vnde Innocentius Pascha in die termini celebrandum indixisset, ac bidui errore Lunam XVI. appellasset, quę reapse erat XIV. & quamuis Cycli sæpè biduo Neomenias morarentur, nunquàm biduo, modò rectè constructi essent, easdem prauertebant, in Paschalis mensis initio indicendo. Hinc dicendus est Innocentius designasse Pascha anni Christi 414. Cyclo Solis III. lit. D. quo anno Nouilunium Paschale fuit Martij die 7. hor. 2. 21'. post meridiem. Quare Luna XVI. cœpit labente die 22. Martij, Dominica. Cum verò Paschalis solemnitas in Romana Ecclesia inchoaretur à media nocte diem Sabbati Sancti subsequente, eo anno cœpit aliquot horis ante initium Lunæ XVI. quam sanè anticipationem Innocentius indicat illa inserta clausula: *nam quippiam minus est*: quæ verba laudati Scriptores dissimularunt: qubus tamen Pontifex notabat aliquot horas deesse, priusquàm Luna XVI. accenderetur, ita vt consultis ea de re qui Romæ erant, Astronomis, illa ad Africanos scripsisse videatur. Neque enim illis verbis: *quippiam minus est*, significabat diem accendendæ Lunæ XVI. deesse, alias Pascha Luna XV. celebrasset, quod in Alexandrino Cyclo Latini Patres tantoperè abhorrebant, eo quòd Christus Luna XV. mortuus fuerit, & sepultus; ac proindè perperàm ea Luna Festum Resurrectionis Dominicę celebraretur. Prosper Tyro, qui eodem quo In-

nocentius

nocentius Papa, sæculo vixit, apud Labbeum pag. 47. scribit : *Antonio & Syagrio. Finis Cycli quarti, & exordium quinti*. Erant Cycli annorum 84. vti superiùs ex integro Prosperi Chronico ostendi. Illi Consules signant in Fastis annum Christi 382. quo cœpit ille Cyclus, cuius annus XXXIII. decurrebat anno Christi 414. de cuius Paschate S. Innocentius scribit ad Africanos. In Fastis Anonymi anno 33. Cycli signatur Kalendis Ianuarijs: *Iou. XXV.* nempè easdem incidere in diem Iouis, ac Lunam XXV. Ita anno 414. dies Iouis siuè Feria V. fuit Kalendis Ianuarijs. Rursùs Luna eo die XXV. signat proximum Nouilunium die 7. Ianuarij, & pariter, vti diximus, Martij septimo, & hoc fuit Nouilunium Paschale. Hinc Luna XVI. cœpit die 22. Martij, Dominica; ac Luna XXIII. fuit die 29. pariter Dominica, vti Innocentius testatur, quæ erat extra terminum Paschalem, qui apud Latinos cum esset tardissimus, Luna XXII. claudebatur. Anno illo Christi 414. erat apud Alexandrinos Aureus numerus XVI. apud Latinos verò iuxtà vulgarem opinionem, ternario minor, Aureus numerus XIII. apud vtrosque diei VIII. Martij affixi. Luna XIV. Paschalis apud eosdem fuit die 21. Martij; vnde Alexandrini die sequenti 22. quæ fuit Dominica, Luna XV. Pascha celebrarunt: quod iuxtà Latinos eam solemnitatem ante Lunam XVI. numquam ea ætate instaurantes, in proximam Dominicam diei 29. Martij prorogandum fuisset, Luna XXII. At Innocentius die 22. Martij Lunam XVI. die verò 29. Lunam XXIII. numerauit, quales planè Cyclus annorum 84 prodit. In Cyclo Alexandrinorum vti & in altero Latinorum, quem laudati Scriptores describunt, dies VII. Martij vacua erat, nullo Aureo numero notata, quòd nunquàm eo die Neomenia iuxta methodum vtriusque Cycli contingebat. Hinc palàm fit Innocentium Papam in memorato Paschate indicando, annorum 84. Cyclum adhibuisse. Post triennium, anno Christi 417. in Romana Ecclesia Pascha peractum fuit die 25. Martij; ab Alexandrinis verò die 22. Aprilis, vti scribit Paschasinus Episcopus Lilybitanus in Sicilia, ad Sanctum Leonem Papam: *Tunc enim*, inquit, *cum declinatur, ne X. Kalendas Maii die Pascha teneretur, celebratum est VIII. die Kalendas Aprilis*, iubente Zosimo Papa; vt idem ibidem præmonet. Erat annus Cycli XXXVI. qui cum in Kalendis Ianuarijs prodat Lunam XXVIII. dat proximam Neomeniam die 4. Ianuarij, & ab hac tertiam die 4. Martij, qui dies tunc erat extra limites mensis Paschalis, cum à Latina Ecclesia citimus à die quinto Martij scisceretur. At si proximum mensem pro Paschali accepissent, cum eius initium esset die 2. Aprilis, qui

Lati-

Latinis erat extremus limes ineundi mensis Paschalis, Luna XIV. fuisset die 15. Aprilis, Dominica; vnde ne Pascha in die termini celebraretur, differendum erat in Dominicam diem 22. Aprilis, Cyclo Solis VI. lit. G. Verùm in Romana Ecclesia Paschalis festi, vt ait S. Leo epist. 64. *ab vndecimo Kalendarum Aprilium, in vndecimum Kalendarum Maiarum legitimum spatium erat præfinitum*, nempè à die 22. Martij, ad 21. Aprilis inclusiuè. Hinc Zosimus Papa, ne festum Paschale vltra terminum promoveret, satius duxit, vno die initium mensis Paschalis præuertere, eiusdem Neomenia à die quarta Martij ex ipsamet methodo Cycli annorum 84. deducta. Et sanè eo anno 417. Nouilunium contigit secundùm medium motum, die 4. Martij hora 6. post mediam noctem. Addit ibidem Paschasinus, quòd à Zosimo ac Romana Ecclesia *pro Embolismo communis est annotatus, & error grauissimus ortus*. Erat Cyclus Alexandrinorum XIX. cuius annus est Embolimus. Hinc cum scribat eum annum communem, non autem Embolimum in Romana Ecclesia fuisse, hæc videtur non vsa Cyclo annorum 84. cuius annus 36. cùm anno Christi 417. decurrens, erat Embolimus. Verùm diuersus erat situs mensis Embolimi in Cyclo Alexandrinorum ac Cyclo annorum 84. Nam illi mensem Embolimum numerabant in Cyclo Paschali decimum tertium, quo semper annus Lunaris Embolimus claudebatur; quod ab Hebræis didicerunt, qui mensem Veadar Embolimum ante Nisan primum anni mensem collocarunt. At Latini menses Embolimos inter varios anni menses disponebant, vti tradit Beda in lib. de Temp. ratione cap. 43. Alexandrini citimam Neomeniam Paschalem sciscebant à die 12. Phamenoth, quæ erat Martij octaua apud Latinos. Cum verò anno Christi 417. Neomenia in Cyclo Alexandrinorum Aureo numero XIX. contingeret die 5. Martij, non erat Paschalis, sed mensem Embolimum inchoabat; ac à proximo Nouilunio mensem Paschalem incuntes, Pascha vno post Romanos mense instaurarunt.

Extat etiam aliud præclarissimum vsurpati à Romana Ecclesia Cycli annorum 84. testimonium in laudatis literis Paschasini Episcopi & Apostolicæ Sedis in magna Synodo Chalcedonensi Legati. Hæc ibi ait: *Nam cum Romana supputatio, quæ CYCLO concluditur, cuius ipse, de quo agitur* (videlicèt annus Christi 444.) *erit annus LXIII. qui cœpit à consulatu Antonij & Syagrij, nobis dubietatem afferret &c.* Petauius lib. 6. cap. 20. scribit Paschasinum nomine *Romanæ supputationis* designare Lunarem Cyclum decemnouennalem Romanorum, cuius numeri erant ternario minores numeris Cycli Alexandrinorum. Est sinistra prorsùs interpretatio.

Pascha-

Paschasinus scribit de dubio Paschate anni Christi 444. quo decurrebat Aureus numerus Alexandrinorum VIII. qui erat Lunaris Cycli à Dionysio Exiguo in epistola ad Bonifacium, & Bonum postea descripti, quintus, quiue prolepticus cœperat anno Christi 440. vnà cum IV. anno Cycli Alexandrini. Qua ergo ratione Paschasinus Romanorum Cyclum altiùs repetijsset ab anno Christi 382. cum ab hoc anno ad annum 444. tres Lunares Romanorum, vt illi putant, Cycli euoluti essent? Scitè Bucherius in comm. ad Paschalem canonem Victorij cap. 6. docet Paschasinum nomine *Romanæ supputationis* significare Cyclum annorum 84. qui instauratus, vti superiùs à Prospero audiuimus, anno Christi 382. annum sexagesimum tertium cum anno Christi 444. concurrentem prodebat, quem Paschasinus disertè vocat *Romanæ supputationis, quæ CYCLO concluditur, annum sexagesimum tertium*. Porrò annus Cycli LXIII. apud Anonymum in Fastis signat Kalendis Ianuarijs Lunam XXVIII. vnde Nouilunia indicat die 4. Ianuarij, & 4. Martij. Ortum erat idem de Paschate dubium, quod ante annos 27. sub Zosimo Papa inciderat. Latini veteri ritu, vti scribit in prologo qui tum temporis viuebat, Victorius Aquitanus, initium mensis Paschalis *à tertio Nonas Martij vsque in tertium Nonas Aprilis, diebus scilicet 29. obseruandum* censebant; nempè à die V. Martij inclusiuè, ad diem 3. Aprilis exclusiuè. Zosimus, vti notabam, ne vltra diem 21. Aprilis, qui erat longissimus terminus Paschatis, festum Resurrectionis Dominicæ promoueret, initium mensis Paschalis uno die anticipauit. At Leo Magnus opposito modo dubium illud Pascha definiens, omisso Nouilunio diei quartæ Martij, proximum Nouilunium, quod iuxtà Cyclum annorum 84. contigebat die 2. Aprilis, pro Paschali habendum esse decreuit. In Fastis nostri Anonymi annus LXIII. semper est Bissextilis, concurrens cum Cyclo Solis V. litt. BA, qui characteres congruunt anno Christi 444. quo cum Neomenia Paschalis decreto Leonis à die 2. Aprilis, vt mox expono, colligeretur, Luna XV. cadebat in diem 16. eiusdem mensis, Dominicam; quæ quidem Luna cum apud Latinos esset citra limitem Paschalis festi, in proximam Dominicam diem 23. Aprilis Paschalia solemnia distulerunt; nec se statutum à maioribus terminum prætergressos putabant, quòd Pascha Dominicæ passionis die 21. Aprilis peragebant; licèt Pascha Resurrectionis biduo præter vetustum Latinorum morem, promouerent. Hanc celebrati Paschatis post XI. Kal. Maij rationem adsignat S. Leo epist. 64. ac qui tunc florebat, Prosper in Chronico apud Labbeum tom. 1. pag. 53. Ita mensis Embolimus in Latina etiam Ecclesia inseri

cœpit

cœpit proximè ante primum mensem anni sacri. Nam anno superiori 443. qui est in Cyclo Anonymi LXII. habens in Kalendis Ianuarijs Lunam XVII. indicantur Nouilunia die 15. Ianuarij, ac pariter 15. Martij, & Pascha die IV. Aprilis, Luna XXI. Iam verò à die 15. Martij anni Christi 443. ad Kalend. Aprilis anni insequentis Bissextilis 444. inclusis terminis, colliguntur dies 384. ac proinde ante mensem Paschalem insertus fuit mensis Embolimus, qui sub Zosimo Papa neutiquam eum situm in anno apud Romanam Ecclesiam habebat. Quòd verò mensis Embolimus erat tricenarius, exijt die 1. Aprilis, qui antea sub Zosimo cauus fuerat mensis Paschalis iuxtà Cyclum annorum 84. qui a Leone Magno cœptus fuit reformari.

Idem Leo Magnus plures de Paschate anni Christi 455. ritè instaurando, literas scripsit. Et quidem in epistola 64. ad Marcianum Augustum, queritur, à Theophilo Patriarcha Alexandrino in centenario laterculo, anno memorato diem Paschatis prodi *octauum Kalendarum Maiarum*, id est, diem 24. Aprilis, *qui*, inquit, *anni limitem antiquitùs constitutum, excedit; cum alii quintumdecimum Kalendarum Maiarum huic festiuitati deputauerint diem*. Prosper tunc superstes in fine Chronicorum apud Labbeum tom. 1. Bibl. cit. pag. 55. plenus stomachi ac querelarum, narrat illud Pascha celebratum fuisse die 24. Aprilis, *cum S. Papa Leo decimoquinto Kal. Maii potius obseruandum protestaretur*. Anno Christi 455. Cyclo Solis XVI. lit. B, decurrebat annus XIX. Cycli Alexandrinorum, cuius Aureus numerus adfixus diei quarto Aprilis, dabat initium mensi Paschali, cuius Luna XIV. cum accenderetur die 17. Aprilis, Dominica, in proximam Dominicam diem 24. Aprilis Pascha protrahendum erat, vti disertè S. Proterius tum Patriarcha Alexandrinus ac postea Martyr in epistola ad Leonem Magnum eius Lunationis Paschalis dies descripsit. In Cyclo, quem Latinis id temporis vulgò adscribunt, erat Aureus numerus XVI. ad diem 5. Martij, ac 3. Aprilis adpositus. Prior non dabat Neomeniam Paschalem, quia Luna XVI. fuisset die 20. Martij, Dominica, ante Æquinoctium; altera verò Dominica die 27. Martij fuisset Luna XXIII. vltra terminum. Hinc in eo Cyclo Neomenia Paschalis ineunda est à die 3. Aprilis, quæ tamen vetustis Latinis erat vltra limitem Neomenię Paschalis. Præterea Luna XV. fuisset die 17. Aprilis, Dominica; & cum in Latina Ecclesia id temporis à Luna tantùm XVI. citimum Pascha celebrarent, ac Lunam XV. Paschalem Alexandrinorum vnanimi sententia damnarent, Pascha in eo Cyclo differendum erat in diem 24. Aprilis, Luna

XXII. Hoc quidem inuicto S. Leonis testimonio patet Romanam Ecclesiam eo sæculo nondum adhibuisse Cyclum illum decemnouennalem Latinis passim adscriptum; siquidem Pontifex ille sanctissimus festum Paschatis die 17. Aprilis agendum esse protestabatur, Luna XVI. ita vt Neomenia Paschalis à die 2. Aprilis iuxtà Leonem necessariò colligenda, videatur. Annus Christi 455. erat Cycli annorum LXXXIV. septuagesimus quartus, qui in Fastis Anonymi Kalendis Ianuarijs notatur: *Sat. XXX.* Et reapse dies Saturni annum illum inchoauit. Luna XXX. dat Neomeniam die 2. Ianuarij, ac itidem 2. Martij. Idem annus apud Anonymum est Embolimus, qui tamen erroneè à Bucherio pag. 428. simplex seu communis describitur. At mensis Embolimus decreto S. Leonis, vti prænotaui, mensi Paschali præponebatur, idemque iuxtà Cyclum Anonymi initus die 2. Martij, vnà cum eodem mense exitum habuisset, ac Kalendis Aprilis Neomenia Paschalis cœpisset; festum verò Resurrectionis incidisset in diem 17. Aprilis, Luna XVII. Ceterùm euidenti supputatione ostendam Leonem Papam Neomeniam Paschalem à die secunda Aprilis collegisse. Annus superior Christi 454. est Cycli toties memorati LXXIII. ac signatur ab Anonymo: *Ven. XIX.* Rectè Feria VI. ineunte anno ponitur, Cyclo Solis XV. lit. C. Cum anno Cycli 72. ab Anonymo saltus Lunæ inseratur, Luna in proximis Kalendis Ianuarijs non vndeno, vt aliàs, sed duodeno numero aucta, signatur XIX. vnde indicat Neomenias die 13. Ianuarij, ac pariter 13. Martij, & huius alterius Luna XIV. incidit eo anno in diem 26. Martij, Feria VI. Pascha in diem 28. Luna XVI. Hæc necessariò consequuntur Lunam XIX. in Kalendis Ianuarijs. At S. Leo in epistola 65. ad Eudociam Augustam ait *Opilione Consule*, nempè anno Christi 453. Pascha celebratum fuisse *pridie Idus Aprilis*, additque: *Vnde sequenti anno pridie Nonas Aprilis, eadem festiuitas rationabiliter consequitur*. Eadem scribit epist. 64. ad Marcianum. Ex his colligo illum Cyclum annorum 84. quem Paschasinus per antonomasiam in literis ad eundem Leonem, *Romanam supputationem* appellat, aliqua ratione cœptum fuisse reformari, quòd tum sui vitio, tum ob nimios Lunæ saltus Lunationes iam manifestò præuertebat. Et sanè remoto saltu Lunari ab anno 72. Luna XVIII. Kalendas Ianuarij anno Christi 454. aperuit. Inde succedit Neomenia die 14. Ianuarij, vti postea etiam 14. Martij, die Dominica. Luna XIV. fuit die 27. Martij, Sabbato; ac cum Luna XV. à Latinis Pascha non ageretur, dilatum fuit in diem pridie Nonas Aprilis, Luna XXII. qui tardissimus erat terminus Paschalis Latinorum. Quo

die

die 4. Aprilis cum Leo Pontifex Pascha eiusanni indicat, consequens fit, vt Neomeniam Paschalem die 14. Martij inierit, ac saltus illos Lunæ sexiès in veteri illo Cyclo occurrentes, aliqua ratione represserit. Hæc cum certò constent, si à die 14. Martij, qua contigit iuxtà Leonem Neomenia Paschalis anni Christi 454. colligamus annum Embolimum, id est, dies 384. horum postremus exit Kalendis Aprilis, anno Christi 455. Itaque S. Leo die 2. Aprilis mensem Paschalem inchoans, solemnia Dominicæ Resurrectionis die 17. Aprilis, Luna XVI. celebranda protestabatur. Quare hoc altero egregio testimonio demonstratur, in Romana Ecclesia Leone Magno Pontifice, mensem Embolimum proximè antecessisse mensem Paschalem siuè initium anni Ecclesiastici. Extant plures Sermones eiusdem S. Leonis de *ieiunio Septimi mensis*, ac *mensis Decimi*; & Gelasius qui quartus ab eodem Leone pontificatum gessit, in epist. 9. cap. 11. ordinationes sacras *Quarti mensis ieiunio*, *Septimi*, *ac Decimi*, habendas decernit. Sunt quatuor Temporum ieiunia, quæ Catholica seruat Ecclesia. Illi verò menses numerum ducunt à primo mense Paschali; vnde & mensis Embolimus etiam sub Leone I. annum sacrum claudebat.

Et sanè hoc decretum S. Leonis Papæ ab eiusdem proximo successore Hilaro Pontifice comprobatum fuisse, demonstrat eruta Romæ Inscriptio, quæ vnica Paschalis festi characteribus insignitur, ac Ecclesiasticos Annales rudi licèt stylo exarata, mirificè illustrat.

NATV. SEVERI NOMINE PASCASIVS

DIES PASCALES PRID. NON. APRIL

DIE IOBIS CONSTANTINO

ET RVFO VV. CC. CONSS. QVI VIXIT

ANNORVM VI. PERCEPIT

XI. KAL. MAIAS. ET ALBAS SVAS

OCTABAS PASCAE AD SEPVLCRVM

DEPOSVIT D. IIII. KAL. MAI. FL. BASILIO

V. C. CO.

Hocce epitaphium in patrium Museum quod innumeris Inscriptionibus refertum, in auitis ædibus dedicauit, transmisit Illustrissimus ac Reuerendissimus D. Raphael Fabrettus Vrbinas, quem ALEXANDER VIII. nuper PONT. MAX. iam olim OPTIMVS, à frequentissimo Purpuratorum Patrum Senatu, totius Catholici Orbis applausu, bono publico, creatus, libellorum supplicum Magistrum, seu vt literaratorum lapidum, quam vir doctissimus libentiùs audit, phrase vtar, A LIBELLIS ADIVTOREM adsciuit. In eo epitaphio puer Pascasius dicitur natus *diebus Paschalibus, pridie Nonas Aprilis*, *die Iouis*, *Constantino & Rufo Coss.* qui in Fastis prænotantur anno vrbis Romæ 1210. Christi 457. quo Cyclo Solis XVIII. lit. F. Pascha contigit die 31. Martij; & dies Iouis Natalis Pascasij, fuit *pridie Nonas Aprilis*. Valentinianus II. Imperator *L. 2. de ferijs* Cod. Theo. iubet feriatos esse *sanctos quoque Pascha dies, qui septeno vel praecedunt numero, vel sequuntur*. Puer ille natus erat quarto die illorum, qui septeni Paschale festum subsequebantur, ijdemque in epitaphio laudantur. Hic annus Æræ Christi 457. erat LXXVI. Cycli nostri Anonymi, ac in Kalendis Ianuarijs signatur: *Mar. XXII.* nempè ait easdem Kalendas incidisse in diem Martis ac Lunam vicesimam secundam. Character Feriæ indicat diem Iouis pridie Nonas Aprilis, vti legitur in epitaphio. Luna verò XXII. prodit proximam Neomeniam die 10. Ianuarij, & ab hac tertiam Paschalem die pariter 10. Martij; Lunam XIV. die 23. eiusdem mensis, Sabbato; & cum apud Latinos, vti dixi, vetitum esset Luna XV. Pascha celebrare, festum in proximam diem Dominicam Martij 31. dilatum fuit. Hoc ipso anno Christi 457. Victorius Aquitanus Cyclum Paschalem annorum 532. ingeniosè pertexuit. Cum enim Latini Cyclum annorum 84. eo præcipuè Alexandrinorum Enneadecaeteridi præponerent, quòd ille ad caput rediens, non modò easdem Lunationes, verùm etiam eundem dierum hebdomadis ordinem in orbem perpetuò ducebat, quam dierum apocatastasim Cyclus decemnouennalis Alexandrinorum non præstabat, Victorius Cyclum Lunisolarem ita construxit, vt decemnouennalem Alexandrinorum per Solares Cyclos 28. ducens, idem annos 532. contineret; simulque cyclos Solares 28. per nouemdecim Enneadecaeteridas colligens, eundem annorum 532. numerum in nouo Cyclo expressit; atque ea ratione multiplicato Cyclo Alexandrinorum, Feriarum quoque apocatastasim, quam malebant, Latinis exhibuit. Hoc Victorij Cyclo à Dionysio Exiguo postea anno Christi 525. reformato, usa est Romana Ecclesia usque ad Gregorianam Kalendarij emendationem. Porrò Victorio

Aquitano

Aquitano in præfatione, anno memorato Christi 457. *Kalendis Ianuarijs tertia Feria, Luna XX. & VIII. Kal. Aprilis, Feria secunda, Luna XIV. Constantino & Rufo Coss. prouenisse*, dicuntur. Lunæ ætas in Kalendis eius anni ineuntis bidui differentia in Cyclo veteri nostri Anonymi ac nouo Victorij designatur; huic enim Luna XX. statuitur, quæ illi XXII. numeratur. Hinc Victorio in tabulis Pascha eo anno indicatur *pridie Kalendas Aprilis, Luna XX.* At Cyclus Anonymi vtpotè contractior, iam cœperat Nouilunia præuertere, vti in nouem antea Cyclis Fastorum eadem morabatur. Astronomicæ tabulæ anno Christi 457. dant Nouilunium Martij die 11. hora 9. post meridiem, Lunam verò XX. die 31. Martij, Dominica Paschali, vti rectè Victorius supputauit; neque enim potuit ignorare Lunationes eius anni, quo easdem in literas misit. In laudato epitaphio dicitur puer Paschasius annos natus sex *percepisse* baptismum, quæ vox ibidem subintelligitur, *vndecimo Kalendas Maias*; cum verò insequenti hebdomade de more Ecclesiæ albas vestes ferret, acerbo fato raptus, easdem *in octaua Pascha ad sepulcrum deposuit, die IV. Kal. Maij, Flauio Basilio V. C. Consule*, qui in Fastis signat annum Christi 463. Epistola IX. Hilari Papæ ad Leontium Arelatensem dicitur: *Data VI. Idus Octobris, Basilio V. C. Consule*. Annus Christi 463. erat Cycli, quo Anonymus vtitur, LXXXII. idemque Embolimus, ac notatur Kalendis Ianuarijs: *Mar. XXVIII.* & reapse annus ille inijt die Martis siuè Feria III. Cyclo Solis XXIV. lit. F. ac proinde in eo marmore dies 21. & 28. Aprilis Dominicæ designantur. Luna ineunte Ianuario, XXVIII. prodit Neomenias die 4. Ianuarij, & itidem 4. Martij. Hæc autem nupero decreto Leonis Magni, qui ante biennium ad superos transiuerat, desierat esse Paschalis; vnde 4. Martij cœpit mensis Embolimus eiusdem Pontificis iussu insertus ante mensem Paschalem. Quare Neomenia Paschalis fuit die 3. Aprilis. Luna XIV. contigit die eiusdem mensis decimosexto, Feria III. Paschale denique festum die 21. Aprilis, Luna XIX. quæ Alexandrinis erat XVII. ob Aureum numerum VIII. eo anno decurrentem, diei quinto Aprilis ab ipsis adpositum. Insignes Astronomi, qui de reformando Kalendario, ante Gregorianam emendationem scripserunt, Paulus de Middelburgo lib. 5. Paulinæ & Ioannes Stœfflerus proposit. 35. lit. F, tradunt Latinorum Ecclesiam *anno Diocletiani 179. Christi autem Domini 463.* ab Alexandrinis in celebrando Paschate integro ferè mense discordasse. Nam cum Græci eidem solemnitati peragendæ diem 21. Aprilis destinassent, *Latini* inquiunt, *pro anno Græcorum Embolismico communem facientes, die*

quarta

quarta & vigesima Martij peragendum dixerunt. Bucherius his similiter in tabulis expansis Cycli annorum 84. pag. 430. annum Christi 463. quem rectè 82. eius Cycli numerat, simplicem statuit, quo & Pascha designat iuxtà Latinos die 24. Martij, Luna XX. At horum scriptorum opinio tum ex Fastis Anonymi, tum etiam ex insigni illo epitaphio refellitur. Nam in Fastis annus Cycli 82. Kalendis Ianuarijs præfert Lunam XXVIII. ac proinde init die quinto Decembris; cumque reliquas habeat Epactas VIII. quæ addito regulari Ianuarij, dant anno 83. Cycli in Kalendis Ianuarijs Lunam IX. exitum habet die 23. alterius Decembris. Igitur continet dies 384. quot habet annus Embolimus. Sed memoratum epitaphium apertè prodit Romanam Ecclesiam cum Alexandrina anno Christi 463. in die Paschatis decernendo, conuenisse. Ibi enim legitur: PERCEPIT. XI. KAL. MAIAS, videlicèt *baptisma*, quæ vox in marmore non quidem detrita est, sed omissa; quòd cum illud esset primum Christiani dogmatis mysterium, religioni ducebant, illud vel nomine tenùs prodere. Sanctus Augustinus lib. de vn. baptismo cap. 1. ait: *Prima illic inuidia est, quòd ventilatur in publico res secreta*. Petilianus enim Donatista Augustinum arguebat, qui de baptismate libros scripsisset, atque ita secretum Christianæ religionis mysterium enuntiasset. Videsis S. Ambrosium cap. 1. de initiandis, aliosque Patres apud V. C. Lupum in notis ad cap. 41. Tertulliani de Præscriptionibus. Cum verò in veteri Ecclesia baptisma in solemni tantum festo Paschatis ac Pentecostes ab Episcopo conferri posset, *excepto dumtaxat grauissimi languoris incursu*, vti loquitur S. Gelasius Papa epist. 9. cap. 10. Pascasius anno 463. XI. Kal. Maias, Paschali festo, à S. Hilaro Papa baptizatus, atque albis vestibus indutus, easdem intra hebdomadem Paschalem extinctus, in octaua Paschatis ad sepulcrum deposuit die 28. Aprilis. Anno superiori 462. Pascha apud Romanos ac Græcos peractum fuit Kalendis Aprilis, Aureo numero Alexandrinorum VII. fixo in die 17. Martij, anno Cycli apud Anonymum LXXXII. qui in Kalendis Ianuarijs signatur: *Lun. XVII.* Quare Neomeniæ fuerunt die 15. Ianuarij, ac 15. Martij, Cyclo Solis XXIII. lit. G. Luna XIV. fuit die 28. Martij, Feria IV. Pascha Kal. Aprilis, Luna XIIX. in Alexandrinorum Cyclo XVI. Cum autem anno Christi 462. mensis Paschalis inierit die 15. Martij, & ab hac Neomenia ad alteram exclusiuè, quæ anno proximo 463. die 3. Aprilis mensem Paschalem inchoauit, colligantur dies 384. euidenter inde colligimus eo anno 463. mensem Embolimum initium mensis Paschalis in Latina uti & in Græca Ecclesia præcessisse, secùs ac memorati Scriptoresq; existimarunt. Ano-

Anonymus Cyclo illo Paschali annorum LXXXIV. in Latina Ecclesia frequentato, vsus est ad Consulares tabulas illustrandas. Nam quò annos quorumcunque Consulum indicaret, singulas quasque Ianuarias Kalendas in forma anni Iuliani partim vsurpata, & partim etiam proleptica, Feriæ siuè diei hebdomadis, ac pariter quotæ Lunæ ijsdem Kalendis incensæ notis, veluti certissimis temporum characteribus designauit. At vitio Cycli factum est, vt quò longiùs ad superiora tempora Lunationes deduxit, eò longiùs à cœlestibus Lunæ motibus aberrauerit. Nam, vt de totidem annorum Cyclo Iudaico à S. Epiphanio descripto, Keplerus ac Petauius prænotarunt, Lunares syzygiæ spatio annorum 84. Solarem totidem annorum periodum vno die ac horis ferè septem excedunt. Hoc vt demonstrem, statuo annum Lunarem simplicem dierum 354. hor. 8. 48′. 38″. 10‴. vti tradit Keplerus; ac quamuis de minutis Secundis ac Tertijs alij aliter sentiant, id parui interest, cum ad horam conflandam, Secunda 3600. ac Tertia 216000. requirantur. Annum Embolimum pono dierum 383. hor. 21. 32′ 41″. 20‴. Diuiso Cyclo annorum 84. in sex minores annorum XIV. in quolibet eorumdem sunt anni 9. simplices, qui sunt dies 3189. horæ 7. 17′. 43″. 30‴. ac quinque anni Embolimi, quorum dies numerantur 1919. hor. 11. 43′. 26″. 40‴. omnes simul continent dies 5108. hor. 19. 1′. 10″. 10‴. qui numerus sexiès ductus, dat in annis 84. Lunaribus dies 30652. hor. 18. 7′. 1″. 0‴. Quòd verò sexta Tessaradecaeteris siuè postremus Cyclus annorum XIV. sextum mensem Embolimum continet, addito collectę summę mense dierum 29. hor. 12. 44′. 3″. 10‴. Lunaris annorum 84. periodus continet dies 30682. hor. 6. 51′. 4″. 10″. Ita fiunt Lunares syzygiæ 1039. At anni Solares Iuliani 84. habent dies 30681. ac proinde Lunaris totidem annorum periodus Solarem excedit die solido, hor. 6. 51′. 4″. 10″. Hoc rursùs ex Calippica periodo annorum LXXVI. ac Octaeteride eidem addita apparet. Enneadecaeteris Alexandrinorum Cyclus celeberrimus, ex annis 19. conflatus, habet dies 6939. hor. 16. 32′. 27″. 18‴. In minutis Secundis ac Tertijs sequor calculos Petauij lib. 6. cap. 4. ac Ricciolij lib. 4. Almagesti cap. 19. num. 5. Periodus Calippi quatuor continet Cyclos annorum 19. ac proinde anni 76. habent dies 27758. hor. 18. 9′. 49″. 12‴. Octaeteris Lunaris, in qua quinque simplices, ac tres Embolimi anni numerantur, continet dies 2923. hor. 12. 41′. 14″. 50‴. ita vt ex hac & periodo Calippi fiant dies 30682. hor. 6. 51′. 4″. &c. idemque patet excessus diei solidi, hor. 6. 51′. 4″. &c. Hoc vitio laborabat Cyclus Anonymi annorum 84. quolibet enim abso-


absoluto, Lunares syzygię inferiùs prolabebantur vno die, hor. 6. 51'. 4". &c. cum tamen in Fastis Anonymi quolibet Cyclo reuoluto, Nouilunia ad Kalendas Ianuarias perpetua lege reuersa, describantur.

Hic autem defectus Lunationum ab Anonymo iuxtà methodum Cycli annorum 84. suis Fastis additarum, ex eclipsibus apertè intelligitur; & ex plurimis, quæ adduci possent, vnius tantùm, methodi gratia, exemplo vtar. Hæc ille A. V. Romæ 799. Christi Domini 46. nouum Cyclum instaurans, scribit: *Asiatico II. & Silano. Sat. I.* Rectè notat diem Kalendarum Ianuarij eo anno fuisse Saturni siuè vt Christiani loquimur, Sabbatum; fuit enim Cyclus Solis XXVII. lit. B. At perperàm primo illius anni die ponit Nouilunium seu Lunam I. Nam Dio lib. 60. M. Vinicio & Statilio Coruino Coss. A. V. 798. Christi 45. narrat Claudium Imperatorem, *quia Natali suo defectus Solis futurus erat*, ne aduersa inde Principi auguria vulgus captaret, edicto proposito, eclipsis causas ordinemque publicè exposuisse. Claudius natus erat *Kalendis Augusti*, ex Suetonio cap. 2. de vita eiusdem, ac veteri Kalendario Gruteri pag. 134. Itaquè Kalendis Augusti fuit Nouilunium, in quo tantùm Solares eclipses contingunt. Illud verò eclipticum Nouilunium ex calculis Petauij lib. 8. doct. Temp. pag. 823 iuxta medios motus, fuit Augusti die primo, hor. 3. 13'. 34". post meridiem. Enimuero ab hoc Nouilunio colligito menses Lunares quinque, qui dant dies 147. hor. 15. 40'. 16". habebis sextum Nouilunium die 27. Decembris hor. 6. 53'. 50". post mediam noctem. Quare cum Sol proximas Ianuarij Kalendas A. V. à parilibus 799. Christi 46. illustrauit, erat paulo antè accensa Luna VI. quæ tamen ab Anonymo *prima* erroneè appellatur. Cum inter primas quasque Lunationes nouos Cyclos inchoantes, ac syzygiam primam proximi Cycli euoluti, intersit differentia vnius diei, & horarum ferè septem, in superioribus nouem Cyclis integris, quorum prior init ab A. V. 295. ante Christum 459. Luna I. falso charactere notatur, ac proinde annis quibusque sequentibus, ætas Lunæ in Kalendis Ianuarijs erronea obtruditur, quousque in postremo Cyclo, qui cœpit A. V. 1051. Christi 298. legitimam Lunæ ætatem idemmet Scriptor propè assequitur, dum ait: *Fausto & Gallo. Sat. I.* Cum anno Christi 45. Nouilunium fuerit, vti dicebam, die 27. Decembris hor. 6. 53'. 50". à media nocte: ac tres Cycli dent annos 252. post quos Nouilunia descendunt diebus 3. hor. 20. 33'. 12". anno Christi 297. Nouilunium secundùm medium motum, fuit Decembris die 31. hor. 3. 27'. 2". post mediam noctem,

ctem, ac proinde Luna prima durauit ad horam 4. diei inchoati à media nocte Kalendarum Ianuarij, anno Christi 298. à quo anni huius Cycli vltimi quò magis inferiùs descendunt, eò magis etiam ad veram ætatem Lunæ in Kalendis ineuntium annorum accedunt, ac characteres Lunares in Fastis notati, cum medijs Lunæ motibus optimè congruunt, quod ex Astronomicis tabulis, & ex Stœfflero proposit. 34. in Calend. Rom. ac Petauio lib. 5. doctr. Tempor. cap. 1. plura Nouilunia ab anno Christi 323. describentibus, quiuis facilè intelliget. Hoc ipsum patet ex eclipsibus, quæ postremis vltimi Cycli annis contigerunt. Iulius Firmicus libro 1. cap. 2. narrat Solem defecisse Optato & Paulino Consulibus; quam eclipsim Petauius lib. 8. pag. 833. ac Ricciolius lib. 5. Almagesti scribunt fuisse die 17. Iulij, anno Christi 334. cui illi Consules prænotantur. Quare sextum ab ecliptico Nouilunium fuit die 12. Decembris, ac Kalendis Ianuarijs rectè ab Anonymo anno Christi 335. scribitur: *Constantio & Albino* · *Mer. XXI.* nempè Luna XXI. Cassiodorus in Chronico anno Christi 348. Philippo & Sallea Coss. ait: *His Consulibus facta Solis defectio*. Theophanes in Chronico ait contigisse *die 9. Octobris, Dominica*. Hinc dato modo duorum mensium Lunarium, tertium ab hoc ecliptico Nouilunium fuit die 7. Decembris, ac proximis Kalendis Ianuarij numerabatur Luna XXVI. Anonymus cœlestibus Lunæ motibus similiter scribit anno Christi 349. *Limenio & Catulino*. *Sol. XXVI.* Idacius in Fastis anno post consulatum Sergij & Nigriniani, nempè Christi 351. ait: *Et apparuit in Oriente signum Saluatoris, die III. Kalend. Februarias, Luna XXVIII.* Petauius lib. 11. cap. 4. Idacij prochronismum notat. Nam anno illo Christi 351. primum Nouilunium fuit die 14. Ianuarij, hor. 4. 15'. 18". à media nocte. Hinc Kalendis Ianuarijs erat præcedentis syzygiæ Luna XVIII. qualem tabulę Anonymi produnt. At anno proximo Christi 352. Nouilunium fuit die 3. Ianuarij hor. 13. 3'. 56". post medinoctium. Ita accuratis calculis scribit Anonymus: *Constantio V. & Constantio iuniore*. *Mer. XXIX.* Kalendis Ianuarijs; & die 30. eiusdem mensis apparuit prodigium Idacio notatum Luna XXVIII. Annus ille præferens prima sui die Lunam XXIX. cœpit die 4. Decembris, qui cum sit Cycli LV. est Embolimus, ac desijt die 22. alterius Decembris. Annus proxima die in Cyclo initus prodit Kal. Ianuarijs Lunam X. exitque die 11. Decembris, ita vt anno Christi 354. quo Fastos suos Anonymus clausit, rectè signetur ibidem in Kalendis Ianuarijs Luna XXI. Cum ergo Lunationes iuxtà methodum Cycli annorum LXXXIV. postrema illa laudatæ periodi repetitione, cœlesti-

bus Lunę motibus examussim conformentur, non obscurè colligimus horum Fastorum conditorem imperante Constantio Constantini Magni filio vixisse, cum Lunaribus illius ætatis syzygijs, quas ignorare non poterat, pares calculos posuerit iuxta normam Cycli, quo Latina Ecclesia ad Neomenias Paschales prodendas, vtebatur, quod est mihi proximè demonstratum. Interim eius Cycli cœlestes Lunæ motus proximo statim sæculo anticipantis defectum, vno tantùm exemplo ostendam, quo designatum in recitato superiùs Epitaphio, Pascha anni Christi 463. iterùm illustrabitur. Idacius in Chronico ait Lunam defecisse *anno Aera* 500. *sexto Nonas Martij*, *Feria VI.* Fuit annus Christi 462. quo dies VI. Non. Martij incidit in Feriam VI. Cyclo Solis XXIII. lit. G. Tabulæ Astronomicæ produnt eo anno Plenilunium, quo tantùm Lunares Eclipses contingunt, VI. Nonas, sivè die 2. Martij, hor. o. 6′. 56″. post mediam noctem. Hanc Eclipsim fusè describit Petauius lib. 8. pag. 347. Ita proximum Nouilunium Paschale iuxtà meridianum Vrbis, fuit secundùm medium motum, Martij die 16. hor. 6. 28′. 57″. post meridiem. Erat Cycli, quo vtitur Anonymus, annus LXXXI. prodens in Kalendis Ianuarijs Lunam XVII. ac proximam Neomeniam die 15. Ianuarij, & ab hac tertiam die pariter 15. Martij. Ita ille Cyclus iam uno die cœlestes Lunæ motus antevertebat. At annus Paschalis initus die 16. Martij &c. cum fuerit intercalaris, anno Christi 463. nonum annum Paschalem excepit die 4. Aprilis, hor. 4. 1′. 38″. post meridiem. Victorius Aquitanus in canone Paschali ante septennium abs se edito, statuit Pascha anno Christi 463. die 21. Aprilis, Luna XIX. ac proinde die 3. Aprilis inijt iuxtà eundem mensis Paschalis, qui Aureo numero VIII. ab Alexandrinis cœptus est die 5. Aprilis. Cum verò esset Aureus numerus V. Latinorum, vti vulgò putant, idemque adpositus diei 6. Martij, apud ipsos Paschalis fuerit, festum Resurrectionis incidisset die 24. Martij, Luna XIX. At ex memorato Epitaphio, Pascha à S. Hilaro Papa Romæ instauratum fuit die 21. Aprilis, veteri illa Latinorum sententia iam antiquata. Victorius anno Christi 462. recitat Pascha *Kalendis Aprilis*, *Luna XVII.* Quare annus Ecclesiasticus cum mense Paschali iuxtà eundem inijt die 16. Martij; & cum eidem exierit die 2. Aprilis anno Christi 463. fuit annus Embolimus dierum tantùm 383. quòd mensis decimus tertius est ibi apud Victorium dierum 29. vti contra eundem disputans Beda cap. 49. de ratione Tempor. observat. Victorius suum canonem Paschalem rogante Hilaro Romanæ Ecclesiæ tunc Archidiacono contexuit, quem eidem etiam Hilaro nuncupauit. Hinc probabiliter idem Hilarus S. Leoni Papæ subrogatus, iuxtà Victorij Canonem Pascha anni Christi 463. celebrauit.

FINIS.




AD ERVDITISSIMVM, AC CLARISSIMVM VIRVM

P. ANTONIVM PAGIVM

Sac. Theolog. Doctorem, Ord. Min. Convent.

DE NVMMO

HERODIS ANTIPÆ



CVm proximè libri de Epochis Syromacedonum ante biennium absoluti, editionem tardioribus typis ad exitum ferè perduxissem, epistolam abs te IV. Kal. Septembris Aquis Sextijs scriptam, accepi, qua me iterùm in Syriam mittis, vt rarissimi ibidem scalpti Numismatis Epocham diligenter atque accuratè perpendam; quòd eadem putas celeberrimæ de anno obitus Herodis Magni disputationi inter præclarissimos Scriptores acri sanè contentione ac multiplici opinionum varietate agitatæ, magnum diem tandem imponi. Narras Nummum seruari in Museo D. Rigordi patricij Massiliensis, qui cum eiusdem etiam typum Florentiam ad insignem Virum tui amantissimum, cuiusuè amicitiam literati quique & quidem cum fœnore, certatim aucupari contendunt, Antonium Magliabechium transmiserit, eumdem in præfatione editi de Epochis Syriæ voluminis, recitaui, & hic iterùm correctiùs lectum, explicare conabor. In priori parte nummi ærei ac minimi moduli legitur intra lauream: ΓΑΙΩ ΚΑΙCA.ΓΕΡΜ.CEB. *Caio Cæsari Germanico Augusto*; & retrorsùs cum ramo palmæ: ΗΡΩΔΗC ΤΕΤΡΑΡΧΗC. L. ΜΓ. *Herodes Tetrarcha. Anno quadragesimo tertio*. Est nummus Herodis Antipæ, qui in sacris etiam Euangeliorum libris non semel nominatur. Nam Lucæ III. legitur: *Tetrarcha autem Galilaa Herode*; & cap. 9. *Audiuit autem Herodes Tetrarcha &c.* quæ eadem recitat Matthæus cap. XIV. vbi paulò post *Rex* nuncupatur, quo pariter titulo appellatur Marci VI. 14. 20. quòd Tetrarchæ regia citra regis titulum potestate pollebant. Hunc Herodem pater Herodes Magnus condito priori testamento, regni heredem nuncupauerat; verùm morti proximus, vti scribit Iosephus lib. 17. Antiq. cap. 10. *mutata voluntate, mutauit etiam testamentum. Antipam enim, quem prioribus tabulis successorem destinauerat, Galilaa simul ac Peraa Tetrarcham*

constituit, Iudęæ regnum ac Samariam Archelao filiorum natu maiori destinans, ac alteri filio Philippo eodem Antipa ætate grandiori, teste Iosepho lib. 1. de bello cap. 20. Ituręæ, Gaulonitidis, ac Paneados Tetrarcha nuncupato. Annum obitus Herodis Magni Iosephus nullo chronologico charactere designat. Idem tamen lib. 17. cap. 10. scribit illum regnandi ac vivendi finem fecisse *anno à nece Antigoni quarto ac trigesimo; ex quo verò à Romanis Rex appellatus fuerat, trigesimo septimo*. At constat eumdem A.V. Romæ 714. Cn. Domitio Caluino II. & C. Asinio Pollione Consulibus, Antonij ac Cæsaris Octauiani opera, à Senatu regnum obtinuisse: & quidem inito Autumno, vt probaui in Cenotaphijs Pisanis à pag. 140. quod mox etiam repetam. Hinc annus regni eiusdem XXXVII. inijt per autumnum A.V. 750. C. Caluisio Sabino II. L. Passieno Rufo Coss. quo etiam decessit. Cum Antipa priores Herodis patris tabulas, quibus regni heres nuncupabatur, posterioribus præponendas contenderet, causam coram Augusto disceptaturus, Romam nauigauit, quò etiam fratres Archelaus ac Philippus trasmiserunt. Augustus fraternæ liti discutiendæ peculiares iudices destinavit, & *in his*, inquit Iosephus lib. 17. cap. 11. *Caium filium Agrippæ & Iulia ipsius filia, à se autem adoptatum, primum ei locum in consessu tribuens*. Erat Caius iam à Kalendis Ianuarijs A.V. 749. à Palilibus, Consul destinatus, ac proinde prior sententiam rogabatur, vti pluribus ostendi in memoratis Cenotaphijs, Dissert. 2. cap. 2. extremo. Hinc ibidem à pag. 161. probaui hoc iudicium peractum fuisse A. V. 751. L. Cornelio Lentulo, & M. Valerio Messallino Consulibus. Nam cum anno insequenti, Kalendis Ianuarijs Lucius quoque Cæsar, Caij frater, designatus fuerit Consul, eundem quoque pari cum fratre dignitate insignitum, iudicum numero Augustus adiecisset, ne qua fortè inter filios inuidiæ occasio oriretur. Cum verò Iosephus disertè testetur Herodis demortui filios post Pascha celebratum, in Italiam transmisisse, mors Regis Herodis contigit ante Pascha A. V. 751. Augustus discussa causa, posteriores Herodis tabulas ratas haberi iussit, excepto tamen regis titulo, quem Archelao, cui Iudæam ac Samariam sanxit, concedere recusauit.

Auctor est Iosephus lib. 2. de bello cap. 6. Archelaum postea à subditis apud Augustum accusatum, Romam *anno principatus nono* euocatum, causa cecidisse, ac Viennam in Gallijs ab Augusto relegatum fuisse, eiusdem ditione Romanorum prouinciæ Syriæ adiecta. Idem tamen lib. 17. Antiq. cap. 15. scribit Archelaum in exilium missum *anno decimo* Ethnarchiæ. Scriptores benè erga Iosephum animati, vtrumque numerum conciliant, ita vt illic annum nonum completum: hic verò decimum iam initum, intellexerit. Et sanè Archelaum annum principatus decimum inchoasse, iterùm prodit Iosephus initio libri de vita sua, scribens sui ipsius patrem Matthiam natum fuisse *anno decimo principatus Archelai*; appellatque testes publicas tabulas. Dio. lib. 55. ad A. V. 759. M. Æmilio Lepido & L. Arruntio Coss. ait: *Herodes Palæstinus à fratribus accusatus, trans alpes est relegatus, ac pars eius ditionis in publicum est redacta*. Vbi *Herodis* nomine certum est Archelaum designari, qui paternum fortasse nomen vsurpabat, vti & frater Antipa, qui eodemmet Herodis nomine appellabatur. In Actis etiam Apostolicis cap. 12. legitur: *Misit Herodes rex manus, vt affligeret quosdam de Ecclesia &c.* qui quidem rex fuit Agrippa senior, qui etiam *Iulius* vocari voluit, quod vnica prodit Inscriptio Atheniensis apud Sponium Sect. x. Miscel. pag. 319. vbi Senatus Atheniensis laudat *Iuliam Berenicem Reginam magnam, Iulij Agrippæ filiam, & Magnorum Regum benefactorum Vrbis*

sobo-

sobolem. Rex enim Herodes proauus Berenicis Athenas regijs donarijs affecerat, ex Iosepho lib. 1. belli cap. 16. Vides, vti *Magni* agnomen, quo nostri Scriptores Herodem postea appellarunt, tot ante sæcula eidem ab Atheniensium Senatu delatum fuerit. Iosephus lib. 18. cap. 1. scribit ab Augusto præsidem in Syriam missum Quirinum, qui exulis Archelai bona in fiscum redigeret, quod ait factum *anno ab Actiaca pugna trigesimo septimo*. Cum autem naualis apud Actium pugna commissa fuerit A. V. 723. die 2. Septembris, annus abhinc 37. cœpit eadem die, A. V. 759. Baronius ad annum Christi XVI. duobus Sextis Coss. quo anno Augustus obijt, Archelai exilium recitat, scribens Dionem ea quæ de eodem Archelao narrat, ex Iosephi libris exscripsisse: vtrumque verò manifestè errare. At mihi planè certum videtur, Dionem ea nullatenùs ex Iosepho decerpsisse; Iosephus enim Archelaum, non Herodem illum appellat; ac à subditis, non autem à fratribus, quod tradit Dio, reum eundem apud Augustum peractum narrat. Et quidem cum Dio regna à Romanis Imperatoribus siuè data, siuè adempta, annis diligenter adsignatis, passim memoret, eadem ex Romanorum Scriptorum Annalibus desumpsit, ac proinde ex eisdem annum relegati Archelai rectè designauit; quæ sanè relegatio manifesto errore in postremum imperij Augusti annum à Baronio protrahitur; siquidem superstite Augusto, Archelai in exilium deportati ditionem administrarunt ex Equestri Ordine Procuratores Coponius, dein M. Ambiuius, ac denique Annius Rufus, quo Iudæam procurante, Augustus è vita discessit. Illos verò Procuratores Baronius insigni errore præsides Syriæ obtrudit in Apparatu N. 86. cum id temporis, nempè iam ab A. V. 765. biennio ante obitum Augusti, Silanus præses Syriam administraret, vt ex eiusdem nummis apud Antiochiam scalptis, in proximo volumine de Epochis Syromacedonum à pag. 212. ostendi. Cum ergo, teste Dione, Archelaus A. V. 759. qui fuit Æræ vulgaris Christi VI. nempè inito iam, vt ait Iosephus, decimo anno Ethnarchiæ, in exilium missus fuerit, primus eiusdem principatus annus cœpit A. V. 750. Iuliano XLII. ac quarto ante Æram Christi. Hactenùs mihi recitata, dudùm eruditi prænotarunt, quos inter tu principe sanè loco nominandus venis. Iam ad solidiorem eiusdem chronologiæ comprobationem, quæ vniuersam planè contentionem profligat, descendo. Anni Tetrarchiæ Herodis Antipæ XLIII. in laudato eiusdem nummo obsignati, cum Tetrarchiam inierit eodem tempore, quo eius frater Archelaus Iudeæ principatum mortuo rege patre, obtinuit, ab autumno A. V. 750. deducti, exiere per autumnum A. V. 793. qui postremus fuit imperij Caij Cæsaris, qui in eodem nummo legitur, & à quo Herodes Antipa in exilium missus fuit.

Herodes Tetrarcha Galilæe multa apud Tiberium Imperatorem gratiâ valuit. Ille quidem imperante Augusto, Sepphorim primariam prouinciæ vrbem mœnibus abs se cinctam, totius Galilæe metropolim fecerat; alteram postea vrbem ad lacum Genesareticum, vulgò incolis *mare Galilea* nuncupatum, extruxit, eamque de nomine tùm imperantis Tiberij Cæsaris, Tiberiadem appellauit, quam etiam nonam Galilæe metropolim constituit. Vir Cl. Nicolaus Toinardus nummum publicabit, in cuius altera parte intra lauream legitur: TIBEPIAC; in altera verò: HΡΩΔΟΥ ΤΕΤΡΑΡΧΟΥ. L. ΛΔ; nempè *Anno* XXXIV. cum eodem ramo palmæ. Hinc auguror nummum, de quo in præsentia disputo, apud eamdem Tiberiadem obsignatum fuisse. Quòd Iudæis vetitum erat imagines fingere, eo in nummo nec Caij Cæsaris nec Herodis

rodis effigies, sed sola vtriusque nomina cum titulis exprimuntur. Idem Herodes Ioannem Baptistam adulterium sibi exprobantem, immani sæuitia capite abscisso, interemit. Ad hunc Pilatus Christum Dominum à Iudæis captum, transmisit, *vt cognouit, quòd de Herodis potestate esset*, Lucæ XIII. vixerat enim Seruator in vrbe Galilææ Nazareth intrà Herodis Tetrarchiam. Cum idem Pilatus plebem sibi obsistentem, immisso milite, promiscua cæde in fugam compulisset, Agrippa Herodis nepos, patruo infensus, quòd sibi apud Tyrum in publico conuiuio paupertatem exprobasset, ex Iosepho lib. 18. cap. 8. in Italiam nauigans, Herodem vti popularium cędis auctorem siuè consiliarium apud Imperatorem Tiberium incusauit; quam tamen accusationem non modò Tiberius admittere recusauit; verùm etiam paulò post Agrippam ipsum delatum, quòd cum Caio Caligula curru vectus, celerem eidem successionem voto adprecatus fuerat, sub custodia in vinculis detinendum iussit. At mortuo Tiberio, Caius nouus Imperator non contentus eximium sui cultorem Agrippam è custodia ac vinculis eripere, eundem Tetrarchia Philippi dudùm vita defuncti, ac regio insuper titulo insignitum, inter familiares adsciuit. Hæc pluribus describit Iosephus lib. 18. cap. 8. vbi hæc addit: *Altero deinde anno principatus Caij Cæsaris, Agrippa petijt veniam nauigandi in suum regnum, ordinandi eius gratia, reuersurum se eo peracto pollicitus*. Alter annus imperij Caij cœpit die 16. Martij A.V. à Palilibus 791. Christianæ Æræ 38. M. Aquillio Iuliano & P. Nonio Asprenate Consulibus. Philo in libro contra Flaccum scribit Agrippam à Caio monitum, *ne Brundusio solueret, petiturus Syriam, quòd ea nauigatio longa esset ac difficilis; vteretur potiùs compendiaria per Alexandriam, expectatis Etesijs &c. Paruit ille vt Domino consulenti vtilia*. Columella lib. 11. cap. 2. ait: *Kalendis Augusti, Etesiæ*. Plinius verò lib. 2. cap. 47. notat Etesias à XIII. Kal. Augusti continuo quadraginta dierum spatio perflare. Itaque nouus rex Agrippa æstate iam declinante, in donatum sibi regnum peruenit. Herodias Herodis Tetrarchę vxor, femina impotentis animi & ambitiosi, regiam Agrippę licèt fratris, dignitatem ægrè & acerbè ferens, modò rogans, modò etiam socordiam exprobans, marito persuadere conabatur, vt Romam nauigans, regium & ipse titulum quacumque pecuniarum largitione sibi compararet. At ille, inquit Iosephus lib. 18. cap. 9. *resistebat aliquandiu quietis amore, & suspecta habens Romana negotia, studebatque illam in contrariam sententiam traducere*. Verùm cum Herodes molestiorem in dies vxorem pateretur, eidem morem tandem gerere coactus, *sine parsimonia*, ait Iosephus, *facto apparatu exquisitissimo*, vnà cum Herodiade in Italiam transmisit. Agrippa veteri contra patruum simultate stimulatus, Romam quàm primùm proficisci decreuit. Interim nulla interposita mora, Fortunatum libertum in Italiam destinauit, traditis eidem muneribus ac literis ad Caium Cæsarem, quibus significabat Herodem dudùm cum Seiano contra Tiberium conspirasse, & in præsentia amicitiam cum Artabano Parthorum rege fouere, tantumque armorum apparatum collegisse, quantus ad LXX. virorum millia instruenda, sufficeret. Porrò inquit Iosephus, *vterque*, videlicèt Herodes, ac Agrippæ libertus Fortunatus, *Puteolos appulit, & Caius tum fortè apud Baias repertus est*. Caius Herodem ad salutationis officia persoluenda admissum, lectisque tum Agrippæ literis, sciscitatus est, num tantam armorum copiam collegisset; nec eo inficiante, *approbatam putans defectionem, ademptam illi Tetrarchiam, ad Agrippæ regnum adiecit, pecuniam quoque eius donans Agrippæ indici*. Hæc laudato loco Iosephus.

Hic

Hic, vir eruditissime, me sententiam rogas de anno, quo Herodis exilium contigerit, nempè fueritne annus vrbis Romæ 792. Æræ Christi 39. vel potiùs qui huic proximus successit. Nec Baronij opinionem moraris, qui anno secundo Imperij Caij narrat reditum noui regis Agrippæ in Palæstinam, ac Herodis Tetrarchæ in Italiam nauigationem, simulque etiam eiusdem exilium. Cum Agrippa flantibus Etesijs Alexandriam, dein in Syriam nauigauerit, labente Septembri in regnum peruenit. Cum verò Herodes alieno esset animo à Romana peregrinatione, licèt postea nauigare decreuerit, splendidus apparatus instruendus fuit, ita vt vix præcipitante autumno, necessaria ad iter expediri potuissent, nec anni iam aduerso tempore in Italiam transmisisset. Vsserius tom. 2. Annal. Herodis in Italiam nauigationem recitat anno Æræ vulgaris Christi 39. Imperatore Caio Cæsare II. & L. Apronio Cęsiano Coss. quo anno Caius Cæsar semel, & iterùm in Campaniam se contulit. Nam Dio gesta eiusdem anni enarrans lib. 59. de Caio ait: *In Campaniam abijt: reuersus inde ad Drusillę natalitia*. Rursùs incumbente ęstate eò profectus, Baulos ac Puteolos strato super mare trium millium ac sexcentorum ferè passuum ponte, coniunxit, vti fusiùs narrant idem Dio, ac Suetonius cap. 19. de vita eiusdem. Caius spectaculis in Campania editis, ante exitum Augusti Romam redijt, vbi Consules, quòd ferias die suo Natali non indixissent, magistratu deiecit, ex Suetonio cap. 26. ac Dione lib. 59. Dies Natalis Caij erat pridie Kal. Septembris, vti prodit vetus Inscriptio Kalendarij apud Gruterum pag. 134. ac Suetonius cap. 8. itemque Lampridius cap. 10. de vita Commodi, qui quemdam Suetonij librum de vita Caligulæ legentem, feris obiecit, *quia Commodus eundem diem Natalem habuerat, quem Caligula*. Ipse tamen in præsentia plura de eo Suetonij libro subnotabo, quod sub tyranno capitale fuit. Hęc de memoratis Consulibus scribit Dio: *Itaque eo ipso die magistratu eos, fractis antè fascibus, detrusit*. Addit Suetonius: *Fuitque per triduum sine summa potestate Respublica*; nempè à die 31. Augusti ad postridie Kalendas Septembris; quod quidem Caius eo consilio fecit, ne suffecti Consules die 2. Septembris ludos ob victoriam Actiacam de more ederent; *quòd ab Antonio*, inquit Dio, *potiùs quàm ab Augusto genus trahere videri volebat*. Caius paulò post Roma in Vmbriam ad Clitumni fontes nemusque (locum pulcherrimè describit Plinius lib. 8. epist. 8.) visendum, Meuaniam vsque profectus, *expeditionis Germanicæ impetum cepit*, vt ait Suetonius cap. 43. *neque distulit; sed legionibus & auxilijs vndique excitis &c. iter ingressus est*. Hanc expeditionem sub initium autumni à Caio susceptam, patet tum ex eodem Suetonio, qui ibidem narrat, illum adeo delicatè iter fecisse, *vt à propinquarum vrbium plebe verri sibi vias, & conspergi propter puluerem exigeret*, nondum imbribus, vt adulto autumno fit, puluerem in lutum demutantibus; tum etiam ex fictis belli prœliorumque imaginibus, quas ille ad Rhenum exhibuit, priùsquàm legiones ad hiberna dimitteret. Illas videsis apud Dionem ac Suetonium cap. 44. & 45. & Persium Satyra VI. à ver. 43.

His prænarratis, paucis inquiram, num exilium Herodis Tetrarchæ hoc anno statui possit. Cum obitus Herodis Magni contigerit labente autumno A. Vrbis 750. & vt ex Hebræorum monumentis tradit Vsserius, die 7. Casleu, nempè die 25. Nouembris, anni duo ac quadraginta Tetrarchiæ Herodis Antipę exijssent die 24. Nouembris A. V. 792. Christi 39. cœptusque fuisset annus principatus Antipæ XLIII. in nummo obsignatus. At Caius id temporis erat in expeditione Germanica, & ad Rhenum bellum haud satis belle fingebat.

Josephus disertè testatur Herodem à Caio Cæsare apud Baias disersante, exilio mulctatum. Caius antè exitum Augusti ex Campania Romam diem Natalem ibidem celebraturus, redierat; indeque in Vmbriam, ac statim ad Rhenum profectus est. Num fortè Herodes Tetrarcha declinante Augusto mense, apud Baias damnatus fuit, priusquàm Caius in Vrbem reuerteretur, cuius Herodis infortunij nuntius mense Septembri ferè extremo in Galilæam delatus est, paucos ante dies eo nummo obsignato cum anno principatus Herodis tertio ac quadragesimo, quem tamen idem in exilium missus, reapse non inijt? Auget hanc ipsam difficultatem initium regni Herodis Magni. Narrat Dio lib. 48. Marco Agrippa prætore Vrbano A. V. 714. *Apollinaribus ludis exhibendis occupato*, Sextum Pompeium Italiæ litora inuasisse, multamque prædam egisse, quo etiam tempore Antonius, inito cum Pompeio fœdere, classe in Apuliam aduectus, Sipuntum cepit, ac Brundusium obsedit. Cęsar Octauianus pręmisso ad Sipuntum recuperandum M. Agrippa, contra Antonium profectus, *Canusij per aliquot dies* (nota hosce dies) *corpore languens decubuit*, ex Appiano lib. 5. bell. ciuil. Vbi conualuit, Brundusium, quod M. P. CXXII. Canusio distat, mouens, castra propè vallum Antonij metatus est. Interim dum obsidium in longius trahitur, nec Cęsari vlla spes esset, Antonij munitiones superandi, milites vtriusque ciuile bellum perosi, mutua de pace colloquia miscere cœperunt, quę L. Coccei opera feliciter confecta est. Hæc vbi Romæ audita sunt, Senatus vtrique Triumviro, *quod pacem fecerant*, vti legitur in Fastis marmoreis Capitolinis, ouationem decreuit. At malo Chronologiæ fato, dies quibus ouantes Antonius ac Cæsar Vrbem ingressi sunt, ibidem temporum iniuria detriti sunt, qui aliàs initium regni Herodis nobis propiùs indicarent. Nam ex Iosepho & Appiano constat Herodem, cum Romam A. V. 714. ex Iudæa aduenisset, M. Antonij præsertim ac Cæsaris tunc post initam pacem, in Vrbe morantium opera, regnum à Senatu impetrasse. Ceterùm cum ludi Apollinares à prætore vrbano Agrippa IV. Idus Iulij editi fuerint, vt pluribus ostendi in Cenotaphijs Pisanis a pag. 137. quibus ille per biduum ludos Equestres, ac tertio insuper die Troiæ ludum adiecit, apparet bellum illud ciuile medio iam mense Iulio cœpisse. Enimverò fingamus (quo enim alio verbo vtar historiam sine tabulis pro arbitrio concinnans?) intra dies 50. bello ciuili composito, Antonium ac Cęsarem ouatione peracta, Romæ regnum Herodi S. C. sanxisse, initium regni Herodiani contigisset mense Septembri A. V. 714. ac proinde annus regni 37. quo Herodes obijt, cœpisset mense Septembri, A. V. 750. Hinc numerati anni duo ac quadraginta principatus Herodis Antipæ, ijdem existent mense Septembri, A. V. 792. Christi 39. cœptusque fuisset annus XLIII. in delineato nummo obsignatus, eodem Herode iam ante mensem à Caio Cęsare apud Baias in exilium detruso. Archelaus Ethnarcha Iudçæ, vti prænotabam, anno Vrbis 759. anno principatus nono exacto, decimum inierat, quo ab Augusto ad priuatum hominem redactus, trans alpes Viennam relegatus fuit. Ita eiusdem frater Herodes A. V. 759. annum decimum Tetrarchiæ auspicatus, A. V. 792. annum eiusdem Tetrarchiæ XLIII. inchoauit. Rectè quidem anni colliguntur, sed initium regni Herodis Magni, quod contigit post æstatem A. V. 714. positam chronologiam turbat, dum pro anno 37. regni Herodis, ac pro XLIII. Antipæ eiusdem filij, paucos tantùm dies relinquit. Hæc difficultas nulla alia probabiliori ratione emolliri potest, quàm admissa Kepleri sententia, quam verisimilem censet etiam Petauius in notis Epiphanianis ad Hære-

Hæresim LI. Alogorum pag. 125. nempè Iudæos ab antecedente Nisan, à quo annum legalem ordiebantur, annos quoque suorum Principum collegisse; vti annos exterorum Principum ab antecedenti Tisri numerabant, vt ex Hebræorum monumentis docet Petitus lib. I. Eclog. Chronol. cap. 12. Et sanè Iosephus lib. 14. cap. 26. scribit Herodem regnum à Romano Senatu obtinuisse *Olympiade centesima octogesima quarta, C. Domitio Caluino II. & C. Asinio Pollione Consulibus*. At eo anno, qui fuit vrbis Romæ 714. in plenilunio æstiui mensis Hecatombæonis inijt Olympias CLXXXV. qua Ariston Tyrius stadio vicit, cum id temporis indicatum mihi proxime bellum ciuile inter Antoninm ac Cæsarem cœpisset. Quare ne Iosephus falsi arguatur, dicendus est initium regni Herodis, more patrio, ab antecedente verno mense Nisan deduxisse. Nummus certè Herodis Antipæ, cum vti dixi, nec Caij Cæsaris, nec Herodis imaginibus obsignetur, à Iudeis scalptus apparet, qui more gentili annos suorum Principum à Nisan inchoabant, vti Auctor etiam libri primi Machabæorum ab eodem mense annos Epochæ Seleucidarum deducit, qui tamen ab autumno insequenti apud ceteros Syros initium sumebant. Ægyptij quoque annos imperij Diocletiani, qui die 20. Nouembris iniere, ab antecedente mense Thoth, à quo annum ordiebantur, numerarunt, quod & de annis imperij Iulij Cæsaris Antiochenses ac Laodicenses fecisse, in proximo volumine de Epochis Syromacedonum demonstraui.

Iam verò reliquum est, vt videamus, num exilium Herodis Tetrarchæ differri possit in annum proximum ab vrbe Roma condita 793. qui fuit Æræ Christi 40. Rem altiùs repetam. Caius Cæsar A. V. 792. P. Petronium Turpilianum præsidem in Syriam miserat, eidem iniungens, vt Iouis simulacrum sub sui ipsius effigie in templo apud Hierosolyma dicaretur. Petronius cum hibernasset cum duabus legionibus Ptolemaide, A. V. 793. primoribus Iudæorum ad se vocatis, Imperatoris mandatum eisdem significauit, quod vbi ceteris Iudæis in prouincia innotuit, relictis vrbibus atque agris, in Phœniciam plenis agminibus confluxerunt, Petronium rogaturi, ne illato simulacro vetustam gentis religionem, templique sanctitatem profanaret. Petronius dedicatione dilata, datis ad Caium Cæsarem literis, eius dilationis causas in statuæ opifices retulit, significans insuper verendum esse, ne Iudæi in desperationem acti, agros incenderent; *Erant enim tum matura segetes, & timendum erat, ne deplorata religione, homines quoque vitam contemnerent, & vastatis agris, suasmet fruges latè per campos collesque incenderent*. Verba sunt Philonis in libro de legatione ad Caium. Iosephus eadem narrans lib. 18. Antiq. cap. 11. ait Iudæos apud Tiberiadem, Petronium exoraturos, conuenisse, *neglectis interim agricultura operibus, cum maximè sementis essent tempora*. Et lib. 2. belli cap. 9. de Petronio ait: *Cum videret etiam sementem regionis intercipi; ipsum namque erat anni tempus, & quinquaginta penè continuis diebus multitudo in vrbe*, nempe Tiberiade, *otiosa morabatur &c.* Baronius ad Annum Christi 42. num. 35. falsi arguit Iosephum, qui scripserit Iudæos tempore serendorum agrorum Petronium conuenisse; cum Philo tum superstes testetur id tempore messis contigisse. Equidem cum constet ex ijs, quæ postea refero, ea acta fuisse A. V. 793. Christianæ Æræ 40. non videtur Iosephus obseruasse ab autumno eius anni cœpisse annum Sabbaticum, quo Iudæi agros serere vetabantur. Nam cum ex eodem lib. 15. cap. 1. annus, qui fuit V. C. 717. quoque ait ab Herode & Sosio capta fuisse Hierosolyma, fuerit Sabbaticus, duodecimus inde Sabbaticus cœpit a Tisri, cuius neomenia iuxtà

 medios

medios motus A. V. 793. fuit die 24. Septembris. Etenim ab anno Vrbis 717. ad annum 794. colliguntur, inclusis terminis, anni 78. quos si per septem diuidas, habes residuam vnitatem, ac proinde annus Vrbis 794. fuit Sabbaticus, initus à Tisri A. V. 793. Ceterùm Iosephus lib. 11. cit. narratis populi precibus, ait: *Aristobulus Agrippa regis frater, & Eleias Magnus cognomine, cum optimatibus ceteris eius familia, Iudaorumque primatibus accedunt Petronium rogantes, vt consideraret obstinationem populi &c.* Elcias erat dux militiæ Agrippæ regis ex eodem Iosepho lib. 19. cap. vlt. ita enim in Græcis codicibus legitur, quamuis in editis Latinis *Chelcias* ibidem nuncupetur. Eiusdem filio Iulio Archelao rex Agrippa filiam Drusillam septennem desponderat. Vti verò Agrippa *Iulium* nomen assumpserat; ita Elcias filio Archelao regis genero *Iulium* itidem nomen indiderat. Ex hac autem Iosephi narratione intelligimus Galilæam ante initium autumni A.V. 793. ad Agrippæ regnum spectasse, Nam cum Iudæi Petronium apud Tiberiadem Galilæ metropolim adierint ac Agrippæ frater Aristobulus, eiusdemque regis consocer Elcias cum optimatibus ceteris eius regiæ familiæ Petronium in eadem vrbe exorauerint, patet Galilæam id temporis fuisse intra regnum Agrippæ tum in Italia degentis, vel saltem in Italiam nauigantis; neque enim illi perrexissent Tiberiadem, quæ tum esset sedes Herodis Tetrarchæ, cuius veteres ac recentes cum Agrippa rege simultates norant. Cum verò ea in historia Herodes sileatur, cuius tamen ante ceteros partes fuissent, in sua metropoli apud Petronium Syriæ præsidem suæ genti patrocinari, non obscurè colligimus eundem Herodem anno superiori à Caio, priusquàm contra Germanos proficisceretur, apud Baias Galileæ Tetrarchia exutum, in exilium Lugdunum abijsse.

Caius Cæsar A. V. à palilibus 793. Christi 40. Kalendis Ianuarijs *consulatum tertium Lugduni inijt solus*, vt ait Suetonius cap. 17. Eiusdem quasi bellum perpetraturi, expeditionem hoc anno ad vsque litus Oceani ex aduerso Britanniæ, describunt Dio lib. 59. ac Suetonius cap. 46. vnde postea Romam ad triumphum reuersus est. Sed, vt ait idem Suetonius cap. 49. *omisso, vel dilato triumpho, ouans Vrbem Natali suo ingressus est, intraque quartum* (lege *quintum*) *mensem perijt.* Itaque Caius Cæsar die 31. Augusti natali suo ex Gallia Romam peruenit, cum per annum ferè ab Vrbe & Italia abfuisset. Philo, qui cum alijs quatuor legatis Iudæorum Alexandriam incolentium, media hieme in Italiam transmiserat, & ante aliquot menses reditum Caij opperiebatur, in libro de legatione ad eundem Cæsarem narrat, se ac collegas legatos in Campo Martio à Caio publicè resalutatos, ac tum etiam per Homulum, qui admittendis legationibus præerat, monitos, breui se per otium eorum causam cogniturum. Ex his tamen Philo malum sibi omen auguratus est, cuius etiam causas ibidem prodit; additque: *Trepidabam inquietus noctu & interdiu.* Adnotes, velim, dies; siquidem eorum considerario plurimùm ad rem facit. Dein recenset, quomodò tandem à Caio admissi fuerint: *Accersit*, inquit, *curatores duos hortorum Mæcenatis, & Lamia, qui & inter se & Vrbi propinqui sunt, in quibus iam tribus diebus quatuorue* (nota iterùm dies) *habitauerat, vbi nobis præsentibus agenda erat totius gentis fabula.* Narrat se sociosque legatos illic ad Caium introductos, *ad primum conspectum eum reuerenter adorasse, & Imperatoris Augustique appellatione salutasse.* Erant illi horti suburbani; ac Suetonius cap. 59. scribit eiusdem Caij quinto postea mense occisi, *cadauer clàm in hortos Lamianos asportatum.* Tacitns verò lib. 15. Annal. nominat Neronis domum, *qua palatium & Mæcenatis hortos continuauerat.* Erant in Esqui-

lijs.

lijs. Cum verò Caius huc illuc discurrens, legatos interruptè & per deridiculum audiret, ac Isidorus Alexandrinus Iudæorum hostis eisdem odium erga Principem exprobraret, illi calumniam repulere, testati suos populares ter pro Caio hecatombas immolasse; & primò quidem pro inito eidem imperio; dein pro salute octauo mense imperij recepta; ac nuper *pro victoria Germanica*. Hinc patet legatos à Caio primùm auditos, postquàm ab expeditione Germanica die 31. Augusti Romam reuersus, in hortis suburbanis mense Septembri diuersabatur; quamuis Philo priùs recitet quæ sibi ac collegis in Campaniam Caium secutis, contigerunt, quibus enarratis ait: *Libet commemorare hic & illa, quæ vidimus, audiuimusque quando ad Reipublicæ nostræ causam agendam acciti sumus. In primo statim congressu &c.* Vbi recitat quæ antea in hortis suburbanis tùm primùm admissis legatis acciderant. Caius dein circa Octobrem in Campaniam abijt, vti scribit ibidem Philo: *Veneramus*, inquiens, *ex Vrbe Puteolos, Caium secuti; descenderat enim ad mare; morabaturque* (hoc verbo dies aliquot indicantur) *circa eum sinum, nunc hanc villam visendo, nunc aliam, quæ ibi multæ sunt & splendidæ.* Interim cum ibidem expectarent, iterùm ad Caium intromitti, ait Philo se ac collegas improuiso eoque pessimo nuntio perculsos, ac penè exanimatos fuisse. Nam quidam popularis ad eosdem ingressus, ac præ gemitu semel, iterùm, ac tertiò frustra verba facere conatus, tandem eis dixit: *Perijt nobis templum. Iubet Caius poni sibi colossum in adytis intimis, adscito in titulum Iouis cognomine.* Et statim ait: *Nobis verò attonitis miraculo; & in vestigio præ stupore hærentibus (muti enim stabamus & enerues, defectis corporis viribus) superuenerunt alij doloris eiusdem nuntij.* Ab his verò ait se primùm intellexisse quæ Petronius Syriæ præses cum Iudæis egerat, eiusque ea de re ad Caium Cæsarem literas, simulque eiusdem Imperatoris contra Petronium indignationem, ac denique quæ tum Agrippæ regi coram Caio contigerant. Hoc postremum hisce Philo describit: *Nec multo post aduenit Agrippa rex more suo Caium salutaturus, planè ignarus epistolæ Petronij, quidue Caius rescripsisset.* Addit Caium ira æstuantem, conquestum cum Agrippa, quòd eiusdem contribules Iudæi Imperatoriæ statuæ sub titulo Iouis iuuenis in Hierosolymitano templo dedicationem auersarentur. Quibus à Caio auditis, Agrippa subito horrore ac tremore correptus, vt ait Philo, collapsus fuisset, nisi eum proximi substentassent, à quibus etiam domum sensibus deperditis, delatus, vix altera die spiritum recepit, ac prolixam ad Imperatorem epistolam misit, vt eundem à dedicandæ apud Hierosolyma statuæ proposito reuocaret. Hæc inter plurima Caio scripsit: *Donasti mihi regnum quæ forte nulla inter mortales felicior. Id cum prius vnam regionem non excederet, adiunxisti mihi mox maiorem alteram, Trachonitim & Galilæam.* Itaque tunc Agrippa, Herode Tetrarcha exulante, acceptam antea à Caio Galilæam possidebat.

Ex his plura scitu digna colligimus, atque ea inter annum, quo Herodes Antipa in exilium deportatus fuit. Nam inde fit manifestum Agrippam ex Palæstina in Italiam transmisisse, priusquàm Petronius decretum Caij de dicando simulacro, Iudæis significasset; id enim rex ab ipso primùm Caio intellexit; quod ipsum etiam patet ex mihi superiùs recitatis; siquidem Aristobulus regis frater, eiusdemque consocer Elcias pro Iudæis Petronium exorarunt, quòd tunc Agrippa ex Palæstina in Vrbem nauigauerat. Rur-

sbs colligimus Caium in Campania Petronij literas accepiffe, ibidemque decretam fibi ftatuæ in Iudaico templo dedicationem Agrippæ regi fignificaffe. Nam fi Romæ id antea contigiffet, priufquàm Caius in Campaniam fecederet, Agrippa eadem Philoni alijfque Iudeorum legatis indicaffet, quorum eadem nofle maximè intererat; erant enim regis amici, ac legationis caufam libello complexi erant, *qui compendium erat*, inquit Philo, *fupplicationis prolixioris, quam per Agrippam regem paulò ante miferamus*, cum idem nouus rex Alexandriam appuliffet. Agrippa verò erat Iudaicæ religionis tenaciffimus, quo nomine laudatur à Iofepho lib. 19. cap. 7. Denique intelligimus Agrippam incumbente autumno, A. V. 793. in comitatu Caij Cefaris in Campania fuiffe, ac proinde non hoc ipfo, fed anno fuperiori Herodem Tetrarcham apud Baias ab eodem Caio condemnatum fuifse, cum miffas ex Palæftina contra eundem ab Agrippa literas legiffet. Huiufce poftremæ Caij in Campania rufticationis meminit Plinius lib. 32. cap. 1. de Echineide fcribens: *Tenuit etiam noftra memoria Caij principis ab Aftura Antium nauigantis, vt res eft, aufpicabilis pifciculus; fiquidem nouiffimè in Vrbem reuerfus ille Imperator, fuorum telis confoffus eft*. Quæ non alieno prorsùs loco iuuat inferuiffe.

Scio Iofephum in ijs narrandis à Philone non vna in re diffentire. Nam, vt dicebam, Iofephus fcribit literas Petronij ad Caium miffas, cum fementis faciendæ tempus appeteret; cum alter tempore meffis fcriptas affirmet. At eum Caius illas adulto autumno in Campania acceperit; ac Iudæi quinquaginta ferè diebus coram Petronio fupplices fteterint, & hic eo in negotio nil magis quàm moras quæreret, ac literis deferendis menfis circiter infumptus fuerit, æftate ferè exeunte, fcriptæ videntur. Iofephus ait Caium Cæfarem in conuiuio ab Agrippa rege, facta fibi à principe optione, petendi quodcumque vellet, rogatum, ne ftatuam in Iudæorum templo collocaret; fecùs Philone, vti prænarraui, rem defcribente; cui potior fides habenda eft in ijs, quæ coràm Caio gefta funt; hæc enim fuis veluti oculis Philo vfurpauit; vti maiorem fidem meretur Iofephus, dum acta in Palæftina, à pluribus, qui præfentes fuerant, accepta, in literas mifit. Idem Iofephus lib. 19. cap. 7. fcribit regem Agrippam obijffe *poftquàm regnaffet per feptennium. Quatuor enim annos fub Caio Cæfare obtinuit regnum; primum quidem in Philippi Tetrarchia per triennium, cui quarto demum anno acceffit & Herodis Tetrarchia*. Cum Agrippa Philippi ditionem obtinuerit à nouo Imperatore Caio verna tempeftate, A. V. 790. Chrifti 37. quartus annus eidem inchoabatur fub initium veris, A. V. 793. Chrifti 40. Caio in Gallijs Britannicam expeditionem meditante; vnde à Caio in vrbem reuerfo, Herodis Tetrarchiam accepiffe videtur. Vfferius ob laudatum Iofephi teftimonium, fcribit Galilæam altero poft damnatum Herodem anno, Agrippæ regno adiectam fuiffe. Equidem pulfo in exilium Herode, Caius fortaffè Capitoni, qui in Iudæa exigendis tributis præerat, iniunxit, vt in proximam Galilæam profectus, Herodis fupellectilem, pecuniam, arma, & reliqua eiufdem bona in fifcum redigeret, omniumque, vt moris erat, indicem ad fe tranfmitteret. Dein cum idem Caius in Gallijs effet, Galilæam fimulque Herodis pecuniam Agrippæ donauit; quamuis idem Iofephus lib. 19. cap. 9. vnà fimul referat damnationem Herodis, ac eiufdem Tetrarchiam Agrippæ attributam. Rursùs Iofephus à quibufdam *parum fibi conftans* arguitur,

tur, quippè qui libro 2. de bello cap. 8. scribit Herodem à Caio damnatum *fugisse in Hispaniam*: quem in lib. 19. Antiq. ait damnatum *exilio apud Lugdunum vrbem Galliæ*. Scaliger in notis Eusebianis num. 2053. vtrumque conciliat, scribens Herodem primò quidem Lugdunum, dein verò in Hispaniam exulem abijsse. Et sanè quispiam satis probabiliter mutatam exilij sedem Caij principis Lugdunum profectione coniectaret. Cum enim ille Imperator Lugduni hiemauerit, vbi & ineunte anno Consul III. processit, ac miscellos etiam ludos edidit, ex Suetonio cap. 20. nec fas esset exules sub oculis Augustorum diuersari, ab eadem vrbe in Hispaniam Herodes deportatus fuit; vel idemmet à præsente Caio peiora sibi metuens, in Hispaniam fugit, vbi etiam teste Iosepho, diem obijt; Græca enim vox φυγή, qua Iosephus vtitur, tum fugam, tum etiam exilium significat.

Habes, V. C. & amicorum eruditissime, meam de anno damnati Herodis Tetrarchæ sententiam; cuius quidem chronologiam difficilem reddit Iosephus scribens eum Tetrarcham à Caio Cæsare *apud Baias* auditum, statimque exilio mulctatum; nisi enim ille *Baias* nominasset, facilè anni XLIII. Tetrarchiæ in nummo Herodis obsignati, exponerentur. Verùm, vti vides, non tantùm annus, sed & tempestas quoque anni, siuè mensis in considerationem venire debet, vt Herodes condemnatus dicatur, quo tempore Caius apud Baias diuersabatur, quod quidem contigit tum extremo fere Augusto mense A. V. 792. priusquàm Imperator repentinam contra Germanos expeditionem susciperet, & iterùm cum idem A. V. proximo 793. die 31. Augusti Natali suo, Romam reuersus, adulto autumno Puteolos transmisit, quemadmodùm ex Philone, Suetonio, ac Dione hactenùs demonstraui. Num verò anachronismos admiserim, tu videris, qui me exponendis tot diuersis Syromacedonum Epochis lassum, in nouas hasce chronologicas tricas coniecisti, quas tamen pro eximia tua eruditione ac singulari doctrinæ temporum peritia, longè probabilùs expedies: simulque ex Herodianæ Tetrarchiæ annis probabiliorem de anno Natali Christi Domini sententiam inuicto, modò nummus sit legitimus, testimonio demonstrabis; nempe illam, quam omnium primus Ioannes Dekerius docuit, ac postea ceteris anteponendam duxerunt Petauius lib. 12. doctr. Temp. cap. 7. Bucherius in Can. Paschalem Victorij cap. 12. pag. 221. Senescallus in Triade Euangelica, quæst. 1. Natalis Alexander 1. part. Differt. 2. quest. 1. Eruditus Auctor Anonymus libri Gallicè inscripti: *L' antiquitè des tems retablie &c.* pag. 35. Canonis Chronologici. Quorum sententiam tu quoque probabiliorem censes pag. 195. Differt. Hypaticæ; ipse verò eamdem etiam amplexus sum in Cenotaphijs Pisanis Differt. 2. cap. 5. extremo; & si nummus iste Herodis Tetrarchæ legitimus sit, in posterùm ceteris de Natali Christi opinionibus antiquatis, vnica præualebit. Ne qnid tamen te celem, initio dubitabam de nummo, quem non videram, quidpiam publicè in literas mittere, ne si ille fortè esset adulterinus, bellam fabulam luderem, ac omnia de eodem mihi commentata, pura puta commenta forent. At malui tibi morem gerere; siquidem in laudum parte reponn, meum erga te obsequium, etiam cum periculo irrisionis, ostendere. Ceterùm quoscumque calculos huic meæ dissertatiunculæ adijcias, spero fore, vt quæ minùs in ea tibi probabuntur, præmissa veteruu Anonymi Fastorum editio compenset. Nullus enim dubito, quin tibi gratissima futura sit, cum iteratis literis eamdem mihi iniunxeris. Ipse quidem ijsdem

Con-

Consularibus tabulis ad oram dextrorsùs addidi tum annos ab vrbe Roma condita, tum etiam Cycli, iuxtà cuius methodum ille Scriptor ætatem Lunæ in singulis quibusque Kalendis Ianuarijs designat. Præterea sinistrorsùs ad annos prioris Cycli integri, qui inijt A. V. Romæ 295. P. Valerio Poplicola II. & C. Claudio Sabino Regillense Consulibus, notaui annorum Embolimorum ordinem, quem eo in Cyclo seruabant. Contexui etiam tabulas expansas, quas repetito postea operi inseram. Illas tamen quiuis facilè concinnare potest ex ætate Lunæ Kalendis quibusque Ianuarijs adscripta. Nam cum indicet dies primi mensis anni Lunaris, inde apparet, qua die Decembris quique anni inchoentur, exceptis annis I. XX & LXVI. qui vnà cum Kalendis Ianuarijs inchoantur, omniumque annorum simul quantitas intelligitur, nùm scilicèt communes sint, vel Embolimi, & qui eorumdem vno die ob saltum Lunæ mutilentur. Et quidem laudabis Auctorem illum Anonymum, qui non modò Fastos Consulares posteriori Reipublicæ ætate, ac dein sub imperio Cæsarum tanta diligentia pertexuit, verùm etiam qui vnus celeberrimi annorum LXXXIV. Cycli methodum ad posteros transmisit. Hosce autem Fastos vni tibi nuncupo, ac dico. Cui enim alteri illos potiùs inscriberem quàm tibi, qui Cæsareos Fastos edita Dissertatione Hypatica tanta eruditione illustrasti, vt eidem argumento metam terminumque imposuisse videaris. Insigne tuarum in Annales Baronij animaduersionum opus abs te mihi missum, nondum accepi, quod impatienter expecto. Diutinæ tamen moræ tædium leniunt publici plausus, quibus hocce tuum præclarissimum volumen ab eruditis quibusque exceptum intelligo. Perge, vir summe, magnos Ecclesiæ Annales in meliori, vt feliciter cœpisti, lumine collocare.



DIAGRAMMA
CYCLI CIVILIS ET ECCLESIASTICI ANNORVM LXXXIV.
IN SEX TESSARADECAETERIDAS DISTRIBVTI.

TESSARADECAETERIS I.

Anni Christi	Cyclus Solis	Cyclus Annor. 84	Feriæ Kal. Ianuarij	Ætas Lunæ ijsd. Kal.	Neom. Paschales	Dies Paschatis	Ætas Lunæ	Finis anni ciuilis	Dies eiusd.	Dies anni Eccl.
298 382	27 B	1	Saturni	I	Martij 31	Aprilis 17	18	Decembris 20	354	384 Emb.
299 383	28 A	2	Solis	XII	Martij 20	Aprilis 9	21	Decembris 9	354	354
300 384	1 G F	3	Lunæ	XXIII	Martij 9	Martij 24	16	Decembris 28	384 Emb.	354
301 385	2 E	4	Mercurij	IV	Martij 28	Aprilis 13	17	Decembris 17	354	384 Emb.
302 386	3 D	5	Iouis	XV	Martij 17	Aprilis 5	20	Decembris 6	354	354
303 387	4 C	6	Veneris	XXVI	Martij 6	Martij 21	16	Decembris 25	384 Emb.	354
304 388	5 B A	7	Saturni	VII	Martij 25	Aprilis 9	16	Decembris 14	354	384 Emb.
305 389	6 G	8	Lunæ	XVIII	Martij 14	Aprilis 1	19	Decembris 3	354	354
306 390	7 F	9	Martis	XXIX	Aprilis 2	Aprilis 21	20	Decembris 22	384 Emb.	384 Emb.
307 391	8 E	10	Mercurij	X	Martij 22	Aprilis 6	16	Decembris 11	354	354
308 392	9 D C	11	Iouis	XXI	Martij 11	Martij 28	18	Decembris 30	384 Emb.	354
309 393	10 B	12	Saturni	II	Martij 30	Aprilis 17	19	Decembris 18	353 S. L.	384 Emb.
310 394	11 A	13	Solis	XIIII	Martij 18	Aprilis 2	16	Decembris 7	354	353 S. L.
311 395	12 G	14	Lunæ	XXV	Martij 7	Martij 25	19	Decembris 26	384 Emb.	354

Sunt in prima Tessaradecaeteride ciuili dies 5105. Remanent Epactæ V.

TESSARADECAETERIS II.

Anni Christi	Cyclus Solis	Cyclus Annor. 84	Feriæ Kal. Ianuarij	Ætas Lunæ ijsdem Kal.	Neom. Paschales	Dies Paschatis	Ætas Lunæ	Finis anni ciuilis	Dies eiusd.	Dies anni Eccl.
312 396	13 F B	15	Martis	VI	Martij 26	Aprilis 13	19	Decembris 15	354	384 Emb.
313 397	14 D	16	Iouis	XVII	Martij 15	Aprilis 5	22	Decembris 4	354	354
314 398	15 C	17	Veneris	XXVIII	Martij 5	Martij 21	17	Decembris 23	384 Emb.	354
315 399	16 B	18	Saturni	IX	Martij 23	Aprilis 10	19	Decembris 12	354	384 Emb.
316 400	17 A G	19	Solis	XX	Martij 12	Aprilis 1	21	Decembris 31	354 Emb.	354
317 401	18 F	20	Martis	I	Martij 31	Aprilis 21	22	Decembris 20	384	384 Emb.
318 402	19 E	21	Mercurij	XII	Martij 20	Aprilis 6	18	Decembris 9	354	354
319 403	20 D	22	Iouis	XXIII	Martij 9	Martij 29	21	Decembris 28	384 Emb.	354
320 404	21 C B	23	Veneris	IV	Martij 28	Aprilis 17	21	Decembris 17	354	384 Emb.
321 405	22 A	24	Solis	XV	Martij 17	Aprilis 2	17	Decembris 5	353 S. L.	354
322 406	23 G	25	Lunæ	XXVII	Martij 5	Martij 25	21	Decembris 24	384 Emb.	353 S. L.
323 407	24 F	26	Martis	VIII	Martij 24	Aprilis 14	22	Decembris 13	354	384 Emb.
324 408	25 E D	27	Mercurij	XIX	Martij 13	Martij 29	17	Decembris 2	354	354
325 409	26 C	28	Veneris	XXX	Aprilis 1	Aprilis 18	18	Decembris 21	384 Emb.	384 Emb.

In Tessaradecaeteride II. ciuili colliguntur dies 5105. Restant Epactæ X.

TESSARADECAETERIS III.

Anni Christi	Cyclus Solis	Cyclus Annor. 84	Feriæ Kal. Ianuarij	Ætas Lunæ ijd. Kal.	Neom. Paschales	Dies Paschalis	Ætas Lunæ	Finis anni civilis	Dies eiusd.	Dies anni Eccl.
326 410	27 B	29	Saturni	XI	Martij 21	Aprilis 10	21	Decembris 10	354	354
327 411	28 A	30	Solis	XXII	Martij 10	Martij 26	17	Decembris 29	384 Emb.	354
328 412	1 G F	31	Lunæ	III	Martij 29	Aprilis 14	17	Decembris 18	354	384 Emb.
329 413	2 E	32	Mercurij	XIV	Martij 18	Aprilis 6	20	Decembris 7	354	354
330 414	3 D	33	Iovis	XXV	Martij 7	Martij 22	16	Decembris 26	384 Emb.	354
331 415	4 C	34	Veneris	VI	Martij 26	Aprilis 11	17	Decembris 15	354	384 Emb.
332 416	5 B A	35	Saturni	XVII	Martij 15	Aprilis 2	19	Decembris 4	354	354
333 417	6 G	36	Lunæ	XXVIII	Martij 5	Martij 25	21	Decembris 22	383 E.S.L.	354
334 418	7 F	37	Martis	X	Martij 22	Aprilis 7	17	Decembris 11	354	383 E.S.L.
335 419	8 E	38	Mercurij	XXI	Martij 11	Martij 30	20	Decembris 30	384 Emb.	354
336 420	9 D C	39	Iouis	II	Martij 30	Aprilis 18	20	Decembris 19	354	384 Emb.
337 421	10 B	40	Saturni	XIII	Martij 19	Aprilis 3	16	Decembris 8	354	354
338 422	11 A	41	Solis	XXIV	Martij 8	Martij 26	19	Decembris 27	384 Emb.	354
339 423	12 G	42	Lunæ	V	Martij 27	Aprilis 15	20	Decembris 16	354	384 Emb.

Numerantur in Tessaradecaeteride III. ciuili dies 5105. Supersunt Epactæ XV.

TESSARADECAETERIS IV.

Anni Chriſti	Cyclus Solis	Cyclus Annor. 84	Feriæ Kal. Ianuarij	Ætas Lunæ ijſd. Kal.	Neom. Paſchales	Dies Paſchatis	Ætas Lunæ	Finis anni ciuilis	Dies euſd.	Dies anni Eccl.
340 424	13 F E	43	Martis	XVI	Martij 16	Aprilis 6	22	Decembris 5	354	354
341 425	14 D	44	Iovis	XXVII	Martij 5	Martij 22	18	Decembris 24	384 Emb.	354
342 426	15 C	45	Veneris	VIII	Martij 24	Aprilis 11	19	Decembris 13	354	384 Emb.
343 427	16 B	46	Saturni	XIX	Martij 13	Aprilis 3	22	Decembris 2	354	354
344 428	17 A G	47	Solis	XXX	Martij 31	Aprilis 15	16	Decembris 21	384 Emb.	383 Emb.
345 429	18 F	48	Martis	XI	Martij 21	Aprilis 7	18	Decembris 9	353 S. L.	354
346 430	19 E	49	Mercurij	XXIII	Martij 9	Martij 30	22	Decembris 28	384 Emb.	353 S. L.
347 431	20 D	50	Iovis	IV	Martij 28	Aprilis 12	16	Decembris 17	354	384 Emb.
348 432	21 C B	51	Veneris	XV	Martij 17	Aprilis 3	18	Decembris 6	354	354
349 433	22 A	52	Solis	XXVI	Martij 6	Martij 26	21	Decembris 25	384 Emb.	354
350 434	23 G	53	Lunæ	VII	Martij 25	Aprilis 15	22	Decembris 14	354	384 Emb.
351 435	24 F	54	Martis	XVIII	Martij 14	Martij 31	18	Decembris 3	354	354
352 436	25 E D	55	Mercurij	XXIX	Aprilis 2	Aprilis 19	18	Decembris 22	384 Emb.	384 Emb.
353 437	26 C	56	Veneris	X	Martij 22	Aprilis 11	21	Decembris 11	354	354

Teſſaradecaeteris IV. ciuilis componitur ex diebus 5105. Reſiduæ Epactæ XX.

TESSARADECAETERIS V.

Anni Christi	Cyclus Solis	Cyclus Annor. 84	Feriæ Kal. Ianuarij	Ætas Lunæ ijsd. Kal.	Neom. Paschales	Dies Paschatis	Ætas Lunæ	Finis anni ciuilis	Dies eiusd.	Dies anni Eccl.
354 438	27 B	57	Saturni	XXI	Martij 11	Martij 27	17	Decembris 30	384 Emb.	354
355 439	28 A	58	Solis	II	Martij 30	Aprilis 16	18	Decembris 19	354	384 Emb.
356 440	1 G F	59	Lunæ	XIII	Martij 19	Aprilis 7	20	Decembris 8	354	354
357 441	2 E	60	Mercurij	XXIV	Martij 8	Martij 23	16	Decembris 26	383 E.S.L.	354
358 442	3 D	61	Iovis	VI	Martij 26	Aprilis 12	18	Decembris 15	354	383 E.S.L.
359 443	4 C	62	Veneris	XVII	Martij 15	Aprilis 4	21	Decembris 4	354	354
360 444	5 B A	63	Saturni	XXVIII	Martij 5	Martij 26	22	Decembris 23	384 Emb.	354
361 445	6 G	64	Lunæ	IX	Martij 23	Aprilis 8	17	Decembris 12	354	384 Emb.
362 446	7 F	65	Martis	XX	Martij 12	Martij 31	20	Decembris 31	384 Emb.	354
363 447	8 E	66	Mercurij	I	Martij 31	Aprilis 20	21	Decembris 20	354	384 Emb.
364 448	9 D C	67	Iouis	XII	Martij 20	Aprilis 4	16	Decembris 9	354	354
365 449	10 B	68	Saturni	XXIII	Martij 9	Martij 27	19	Decembris 28	384 Emb.	354
366 450	11 A	69	Solis	IV	Martij 28	Aprilis 16	20	Decembris 17	354	384 Emb
367 451	12 G	70	Lunæ	XV	Martij 17	Aprilis 1	16	Decembris 6	354	354

Tessaradecaeteris ciuilis V. constat ex diebus 5105. Supersunt Epactæ XXV.

TESSARADECAETERIS VI.

Anni Christi	Cyclus Solis	Cyclus Annor. 84	Feriæ Kal. Ianuarij	Ætas Lunæ ijsdem Kal.	Neom. Paschales	Dies Paschatis	Ætas Lunæ	Finis anni ciuilis	Dies eiusd.	Dies anni Eccl.
368 452	13 F E	71	Martis	XXVI	Martij 6	Martij 23	18	Decembris 25	384 Emb.	354
369 453	14 D	72	Iouis	VII	Martij 25	Aprilis 12	19	Decembris 14	353 S. L.	384 Emb.
370 454	15 C	73	Veneris	XIX	Martij 13	Martij 28	16	Decembris 2	354	353 S. L.
371 455	16 B	74	Saturni	XXX	Aprilis 1	Aprilis 17	17	Decembris 21	384 Emb.	384 Emb.
372 456	17 A G	75	Solis	XI	Martij 21	Aprilis 8	19	Decembris 10	354	354
373 457	18 F	76	Martis	XXII	Martij 10	Martij 31	22	Decembris 29	384 Emb.	354
374 458	19 E	77	Mercurij	III	Martij 29	Aprilis 13	16	Decembris 17	354	384 Emb.
375 459	20 D	78	Iouis	XIV	Martij 18	Aprilis 5	19	Decembris 7	354	354
376 460	21 C B	79	Veneris	XXV	Martij 7	Martij 27	21	Decembris 26	384 Emb.	354
377 461	22 A	80	Solis	VI	Martij 26	Aprilis 16	22	Decembris 15	354	384 Emb
378 462	23 G	81	Lunæ	XVII	Martij 15	Aprilis 1	18	Decembris 4	354	354
379 463	24 F	82	Martis	XXVIII	Martij 5	Martij 24	20	Decembris 23	384 Emb	354
380 464	25 E D	83	Mercurij	IX	Martij 23	Aprilis 12	21	Decembris 12	354	384 Emb.
381 465	26 C	84	Veneris	XX	Martij 12	Martij 28	17	Decembris 31	384 Emb.	354

Sunt in Tessaradecaeteride VI. dies 5135. In toto Cyclo Annorum LXXXIV. colliguntur dies 30660. — quot dies numerantur in annis Solaribus Iulianis LXXXIV. exceptis diebus Bissextilibus XXI.



DISSERTATIO
DE PASCHALI LATINORVM CYCLO ANNORVM LXXXIV.



VM Iulius Cæsar Dictator III. A. V. DCCVIII. annos hactenùs apud Romanos Lunares, eosque incuria Pontificum luxatos, in Solares commutasset, neutiquam ita Lunares antiquavit, ut nullus deinceps illorum in Vrbe usus esset reliquus; cum optimè nosset pleraque quæ civiliter aguntur, à varijs Lunæ motibus dependere. Imò annum Solarem instituens, eundem ab eo primùm die inchoari iussit, quo Novilunium contingebat. Nam Kalendis Ianuarijs annum primum Iulianum aperientibus, qui fuit à parilibus V. C. 709. eodem Imperatore Cæsare Cos. IV. ante Æram Christi 45. accidit Novilunium, uti supputat Paulus Middelburgensis lib. 2. Paulinæ, hor. 7. 6'. 35". post meridiem; sivè iuxtà calculos Stoeffleri proposit. 34. litt. I i, hor. 6. 44'. 55". ita ut ab eadem die Kalendarum Ianuarij tum Solaris anni tunc instituti, tum etiam Lunaris antiquitùs servati, unà simul exordium duceretur. Nam Lunaris motus ratio maiorum traditione, habebatur in agro serendo, in curandis corporibus, in navigando, alijsque eiusmodi popularibus actionibus obeundis; in quas Luna modò aucta, modò decrescens, diversimodè influere communi hominum opinione credebatur. Præterea quædam etiam sacrificia Romæ iuxtà annos Lunares instaurata, produnt inscripti lapides, quos scitè exponit Langius lib. 1. de annis Christi cap. 12. Verùm cum abolito Idolorum cultu, Christiana Religio inducta est, maior anni Lunaris ratio haberi cœpit; quòd Pascha præcipua Christianorum solemnitas mense Lunari instauranda erat; à

quo etiam mense Romani Pontifices annum Ecclesiasticum inchoabant, ut superiùs Leonis Magni, ac Gelasij testimonijs ostendi, quibus addo vetustum Scriptorem Constitut. Apostol. lib. 5. cap. 13. Haud vacat hic curiosiùs inquirere, num Latina Ecclesia tribus prioribus Christi sæculis neomeniam Paschalem ex Lunari phase, vel quopiam fortassis Cyclo indagaverit. Res enim planè incomperta est; nec iuvat sine vetustis tabulis, coniecturis plerumque fallacibus indulgere. Equidem S. Dionysius Patriarcha Alexandrinus, qui Gallieno imperante floruit, octaeteride usus fuit, teste Eusebio lib. 7. hist. Eccl. cap. 15. Eamdem geminatam adhibuit Hyppolytus Martyr. Verùm sub ipsam ferè Nicænam Synodum, Latinam Ecclesiam ope Cycli annorum LXXXIV. neomenias Paschales indixisse, vetusti Scriptores contestantur. Illius verò Cycli methodum unus nobis Anonymus in descriptis Fastis Consularibus declaravit.

Cyclus annorum LXXXIV. ab Anonymo civiliter usurpatus, incipit à Neomenia inita Kalendis Ianuarijs; siquidem rectus ipse temporum ordo exigere videtur, ut a primo mense anni Solaris civilis, eiusque etiam prima die anni quoque Lunaris exordium desumatur. Cum enim quilibet Cyclus eo consilio fineve institutus fuerit, ut eiusdem methodo Lunares epilogismi cum Solaribus conciliati, pari dierum numero claudantur, nullas planè epactas reliquas Cyclus initio sui trahere debet; ac proinde laudatæ annorum LXXXIV. periodus rectè Kalendis Ianuarijs, simulque Luna I. inchoatur. Ita anno primo Cycli die 20. Decembris exeunte, remanent undecim dies, quibus annus Lunaris à Solari superatur, qui vulgò Epactæ vocantur. Hi verò addito, uti vocant veteres Computistæ, regulari Kalendarum Ianuarij, produnt anno altero Cycli iisdem Kalendis Lunam XII. idemque annus die 9. Decembris terminatus, reliquas habet Epactas XXII. quæ cum regulari ineuntis Ianuarij, anno tertio Cycli complent Lunam XXIII. Duo priores anni sunt communes sivè simplices, dierum singuli 354. At cum anno tertio ex superfluis eiusdem diebus Solis, iuxta syzygiæ dierum 30. habeatur, idem statuitur Embolimæus, dierum 384. Iuxta hanc simplicem & æquabilem dierum, ac epactarum distributionem, totus ille Cyclus componitur; nisi quòd post insertum duodecimo cuique anno Lunæ saltum, Epactæ non undeno, sed duodeno numero colliguntur. Cum S. Cyrillus Alexandrinus in prologo Paschali testetur, Auctores Cycli annorum LXXXIV. *per sex quatuordecennitates* eundem concinnasse, quod & de Iudaico notat Epiphanius, ideo eam periodum in sex minores Cyclos anno-

rum

rum XIV. distribuendam duxi ; cum ea ratione totius Cycli civilis artificium clarius appareat. In quolibet minori Cyclo sunt anni IX. communes, ac V. Embolimæi ; qui dant dies 5105. Epactæ in fine cuiusque Cycli quinę supercrescunt; unde & Luna initio cuiusque proximè insequentis Cycli quinario semper numero augetur. At sextus idemque postremus Cyclus annorum XIV. sex habet annos Embolimæos, ac consequenter continet dies 5135. quibus additi dies quinque præcedentium Cyclorum, fiunt universim 30660. quot numerantur in annis Solaribus octoginta quatuor, exceptis diebus intercalaribus XXI. qui in Cyclis in numerum non veniunt. Porrò cum totius huiusce Cycli civiliter usurpati methodum fusiùs supra exposuerim, ad eumdem à Latinis Patribus ad neomeniam Paschalem indicendam receptum, stylum converto.

Cyclus LXXXIV. annorum Ecclesiasticis adhibitus, diversum à civili initium, aliumque annorum Embolimæorum ordinem sortitur. Nam cum annus Ecclesiasticus à mense Paschali initium sumat, Luna Prima quæ Kalendis Ianuarijs Cyclum civilem inchoat, prodit neomeniam Paschalem die 31. Martij; unde ab hac ipsa die Cyclus Ecclesiasticus exordium ducit. Præterea cum annus proximè superiori die 30. Martij exiens, initium habuerit die 12. Martij anno 84. Cycli civilis, fuit dierum 384. ac proinde Embolimæus, cuius mensis XIII. semper excipit sibi proximum primum mensem anni Ecclesiastici; quod Christiani ab Hebræis didicere, qui Veadar mensem Embolimum in anni fine ante neomeniam Paschalem collocarunt. Itaque annus prior Cycli Ecclesiastici est Embolimæus, uti prænotavit Bucherius, quem superiùs ac si de Cyclo civili loqueretur, perperàm reprehendi; nondum enim eam periodum ad Ecclesiasticum usum scitè revocaveram. Rursus ubi sex anni Embolimæi in sexto minori Cyclo, seu postrema Tessaradecaeteride civili collocantur; in Cyclo Ecclesiastico sex Embolimæi in altera statim Tessaradecaeteride ponuntur. Ad hæc primus mensis anni civilis erat plenus, dierum 30. quod Græci, Hebræi, Arabes, alijque passim populi anno Lunari utentes, observarunt. At primus mensis anni Ecclesiastici tum apud Latinos tum etiam Alexandrinos erat cavus dierum 29. uti mox expono.

Petavius in notis Epiphanianis ad Hæresim LI. à pag. 166. proponit tabulas Cycli Iudaici annorum 84. quas inchoat ab anno Periodi Iulianæ 4663. qui fuit urbis Romæ 703. ante Æram Christi 51. Sed nihil ea qua ille utitur, methodus ad Christianorum Cyclum conducit. Huius diagramma descripsit Ægidius Bucherius, qui cum ex Prosperi Chronico intellexisset, caput eiusdem

 Cycli

Cycli ab anno Christi 382. quinta illius revolutione deduci, inde expansas tabulas inchoavit; atque observans eo anno Aureo Alexandrinorum numero, sivè Cyclo Lunæ III. neomeniam Paschalem die 31. Martij designari, eo ipso die primum totius Cycli annum exorsus est. Et sanè Astronomicæ tabulæ anno memorato 382. produnt Novilunium medium die 31. Martij hor. o. 44'. post mediam noctem iuxtà meridianum urbis Romæ. Interim hinc patet Theophilum in suo Cyclo Aureo numero III. neomeniam à luminarium coitu indicere, secùs ac Pitatus noster existimavit; qua de re in exitu ferè istius Dissertationis iterùm sermo redibit. Idem tamen Bucherius pag. 431. post Comment. in Canonem Victorij, hæc ingenuè æquè ac modestè contestatur: *Nec parum præstare nos in tanta caligine credimus, si uno alterove die à vero distamus*. Hanc tamen caliginem prorsus omnem dissipat Anonymus in laudatis Fastis Consularibus, in quibus singulis quibusque Kalendis Ianuarijs iuxta methodum Cycli annorum LXXXIV. Lunæ ætatem denuntians, neomenias quoque Paschales totius Cycli unà simul indicavit. Equidem cum Bucherius saltus Lunæ, qui eo in Cyclo duodecimo quoque anno committuntur, divinare non potuerit, sæpissimè uno, frequenter verò etiam altero die ab ætate Lunæ iuxta regulas laudati Cycli designata, discordat; unde Neomenias quoque Paschales alienis ab ea periodo diebus auspicatur; quæ tamen dierum diversitas non semel Pascha in diversam hebdomadem transmittit. Iam supra pag. XXIX. notavi Prosperum initium Cycli annorum 84. prima revolutione colligere ab A. V. 800. Æræ Christi 47. sed ob luxata in eo Chronico collegia Consulum, tum illius primæ revolutionis, tum etiam alterius caput perperàm eidem statuitur. At Anonymus putans totius retrò ætatis Lunationes perpetuo, quo in Cyclo suo sæculo describebantur, tenore designari, eiusdem usum ad primos usque Consules reduxit, insigni prorsus errore; siquidem Novilunia in singulis Cycli repetitionibus uno die, & horis ferè septem tardius succedunt. Ille tamen ad annum Vrbis 295. primum integrum Cyclum inchoans, ait: *Publicola II. & Irreligiense. Sat. I.* videlicèt, anno quo P. Valerius Publicola II. & C. Claudius Sabinus Regillensis consulatum gessere, Kal. Ianuarijs fuisse Lunam I. ac diem Saturni. Num ille sibimet finxerit methodi gratia, annum Solarem in forma Iuliana, vel, uti suspicor, reaple putaverit etiam tum Romanos usos anno Iuliano, in medio relinquo. Equidem in eius anni norma proleptica fuit Cyclus Solis XXVII. lit. B prodens diem Saturni in Kalendis Ianuarijs. At neutiquam Luna I. cum annum aperuit. Nam in forma

Iuliana Novilunium medium ad meridianum Vrbis contigerat Decembris die 19. hora secunda post meridiem; unde Kalendis Ianuarijs proximis numerabatur Luna XIII. quæ *Prima* Anonymo nuncupatur. Hoc uno tamen laudandus, quòd aliud agens, vetustioris Latinorum Ecclesiæ in neomenijs Paschalibus inquirendis, methodum nobis seruavit, cuius nusquam alibi vola aut vestigium apparet. Prosper, uti prædixi, eius Cycli initium sumit ab anno Æræ Christi, ita enim corrigendus venit, XLVI. & Anonymus noster scribit: *Asiatico II. & Silano. Sat. I.* nempè eo anno nova Cycli revolutione repetita, Kalendis Ianuarijs fuisse Lunam I. ac diem Saturni. In ætate Lunæ computanda, eumdem lapidem offendit; siquidem cum iam præcipiti anno 45. Novilunium Romæ contigisset Decembris die 27. hora septima à media nocte, Luna V. proximas Kalendas Ianuarias aperuit. Nullus dubito, quin in eodem errore etiam Prosper fuerit. Nam cum ad consulatum Veteris & Neruiliani A. V. 803. scribat: *Paschalis Cycli ratio ab his Consulibus incipit per annos LXXXIV. & ad eamdem legem revertens*; profectò existimavit, singulis quibusque periodis repetitis, easdem Lunationes, diesque Paschales in orbem redire; omnium enim Cyclorum unicus hic scopus fuit; nam cum in fine Cycli Solis Lunæque dies pares evadant, à capite iterùm eodem ordine resumuntur. At cum in illo Cyclo, uti sæpè dixi, in singulis revolutionibus Lunationes uno die & horis ferè septem tardiùs contingant, nunquàm eadem ætas Lunæ in novi Cycli exordio Kalendis Ianuarijs numerabitur; ac consequenter in neomenijs quoque Paschalibus variatio succedet, quæ maior etiam in diebus festivis ipsorum Paschatum apparebit. Anatolius Alexandrinus, qui imperante Probo anno Christi 277. Laodiceæ in Syria Episcopus sanctitatis ac doctrinæ fama florebat, in prologo sui Cycli, post Paschalem canonem Hippolyti, appellat alios *octoginta quatuor annorum Circulum computantes*, qua nulla antiquior eiusdem Cycli memoria apud vetustos Scriptores reperitur. Quod si hic Cyclus censeatur idem cum eo, quem Anonymus in Fastis describit, eiusdem initium contigisset Messala & Sabino Coss. anno Christi 214. Marco Antonino Caracalla imperante; quo ipso anno tum ab Anonymo, tum etiam a Prospero idem Cyclus iterum inchoatus describitur. At anno proximo cadente, Novilunium medium contigit Decembris die 29. hora circiter IX. post meridiem, ita ut proximis Kalendis Ianuarijs fuerit Luna III. non autem Prima, uti in Cyclo statuitur; quæ saltem secunda debuisset designari, si neomenias non a iugo sivè coitu luminarium, sed à prima phasi

colle-

collegiffent . Prætetea anno abhinc nono Hippolytus Epifcopus geminatam Octaeteridem ad neomenias Pafchales prodendas, in Latio concinnavit ; ac proinde nullo id temporis Latini Cyclo annorum 84. utebantur . Hippolyti enim Cyclus fpatio annorum tantùm fexdecim Novilunia prævertebat diebus tribus , hor. 1. 21'. 26". cum alter Profperi Cyclus toto annorum 84. intervallo nec plenis feptem horis fupra diem Neomenias anticiparet ; unde paucos intra annos Hippolyti canon à cœleftibus Lunæ motibus diverfus apparuit ; cum alterius Latinorum Cycli error poft annos 168. vix primùm populariter innotefcat. Hinc arbitror Cyclum ab Anatolio memoratum , vel fuiffe illum Iudaicum , quem adeo obfcurè Epiphanius delineavit, vel quempiam alium methodo nobis prorsùs ignota , exaratum , cuius nullum veftigium eft reliquum . Itaque cum idem Cyclus , quò altiùs repetitur , eò longius à cœleftibus Novilunijs aberret , non fupinæ hallucinationis , fed cæcitatis planè eiufdem Auctores incufandi effent , qui neomeniam Kalendis Ianuarijs adnotaffent , cum Luna iam aucta , oculis apparebat . Ex his colligo Cyclum annorum LXXXIV. inuentum aut faltem reformatum fanè fuiffe poft Nicænam ftatim Synodum; cum iuxta illius decretum nunquam Pafcha ante Æquinoctium in eodem indicatur ; atque ætas Lunæ Kalendis Ianuarijs annorum eius fæculi prænotata , cœleftibus Novilunijs conformetur , ut fuperiùs oftendi , & hic iterum ubi fe occafio tulerit, demonftrabo. Hoc ipfum palàm facit Anonymus , qui cum fuis Faftis finem impofuerit anno Chrifti 354. ibidemque Lunationes iuxta Cyclum memoratum defignaverit, eumdem quoque id temporis frequentatum oftendit. Rurfus cum illum iterùm inchoatum Antonio & Syagrio Cols. anno Chrifti 382. teftentur Pafchafinus Lilybęi Epifcopus ac Profper in Chronico , & conftet neomenias Pafchales eo currente Cyclo , à Latinis iuxtà eiufdem normam indictas fuiffe ; unius & alterius revolutionis eiufdem annos in tabulis exhibui , quarum prior ab anno Chrifti 298. ad annum 381. diffunditur ; pofterior verò ab anno 382. ad 465. extenditur . Et quamvis in hac altera revolutione ob nimios Lunæ faltus biduo quandoque Neomenias cœleftes præfertim annis pofterioribus, prævertat ; hinc tamen non colligimus eiufdem ufum defijffe, aut eundem , quod Bucherius putat, a Profpero reformatum fuiffe ; unde Cyclus *Profperianus* eidem nuncupatur . Nam uno ante Profperum fæculo ab Anonymo ufurpabatur ; nec ftatim eius defectus apparebat , nifi Lunationes Cycli ad calculos Aftronomicos revocatæ fuiffent, quos Latini Patres Ecclefiafticis ftudijs occupati , penitùs negligebant . Ita etiam quamvis

Cyclus

Cyclus Alexandrinus ætate Bedæ biduo, ac quandoque etiam triduo cœlestes Neomenias moraretur; illius tamen vitio non ità apertè cognito, idem Beda ex illius methodo Cyclum Paschalem contexuit. In libro de Æquinoctio ait se illud opusculum scripsisse *anno Dominicæ Incarnationis septingentesimo septuagesimo sexto; & eodem anno fuisse Lunam XIV. quinto Idus Aprilis, & Pascha XVIII. Kal. Maij*. Ricciolius in Chronico, uti vocat, *magno & selecto*, ad annum 776. recitatis Bedæ verbis addit: *quæ conueniunt cum tabulis Kalendarij, & Astronomicis*. Equidem cum Kalendario Alexandrino, quod cum Ecclesia Catholica tunc Beda sequebatur, illi characteres conueniunt. Nam anno Christi 776. Aureus numerus Alexandrinorum XVII. ad diem 27. Martij adpositus, prodebat neomeniam Paschalem, cuius XIV. cum V. Idus, seu die 9. Aprilis concurrebat; Pascha cum 14. Aprilis, Luna XIX. Cyclo Solis I. lit. G F. At illi characteres triduo ab Astronomicis calculis aberrabant; siquidem iuxta eosdem eo anno Christi 776. Novilunium medium contigit die 24. Martij, hora tertia post meridiem. Quod verò ostensurus sum à Leone Magno, eiusque proximo successore S. Hilaro Papa neomenias Paschales præter canones Cycli annorum 84. indictas fuisse; hinc in tabulis ultra annum Christi 465. non processi; cum deinceps eadem periodus in Latina Ecclesia antiquata fuerit; non quòd animaduertissent Neomenias cœlestes ab illa præverti; sed quòd in Kalendis Ianuarijs ob frequentiores Lunæ saltus ea Lunæ ætas designabatur, quæ non semel gravissimas ijsdem Latinis difficultates in neomenijs Paschalibus statuendis, importabat, uti proximè expono.

Cum Paschasini ac Prosperi testimonijs comprobatum sit, Latinam Ecclesiam in Paschali Festo prodendo, ad pontificatum ferè Leonis Magni, Cyclo annorum LXXXIV. usam fuisse, quod ipsum ex controversijs, quæ de Paschate ritè celebrando, sepè occurrerunt; mox demonstrabo, præmittendi mihi priùs sunt canones, quos prisca Ecclesia in ea solemnitate peragenda, seruabat; cum præsertim ijsdem planè conformitèr Cyclus iste constructus fuerit. Victorius Aquitanus explicans originem dissensionum, quæ circa Pascha legitimo tempore instaurandum, Latinam inter & Alexandrinam Ecclesiam sæpius contigerunt, diversos utriusque canones Paschales recenset, quos ab alijs olim expositos, hic paucis recensebo. In primis Latini, *à tertio*, inquit, *Nonas Martij usque in tertium Nonas Aprilis, diebus scilicet XXIX. obseruandum maximè censuerunt, ut quocumque eorum die Luna fuerit nata, efficiat primi mensis initium*. Itaque Latini neomenias Paschales a die 5. Martij ad

diem 2. Aprilis, viginti novem dierum ſpatio extendebant. At Alexandrini citimam neomeniam ab octavo die Martij, 12. Phamenoth, auſpicabantur; tardiſſimam verò in diem 5. Aprilis, ſive 10. ſui Pharmuthi proferebant. Vnde uti in limine menſis Paſchalis triduò à Latinis differebant; ita pariter & in termino triduò ab iiſdem diſcrepabant. Ex hac diverſa utriuſque Eccleſiæ regula fiebat, ut Latini, inquit Victorius, *decimaſquartas porrò Lunas menſis eiuſdem*, Paſchalis, *à XV. Kal. Aprilis uſque in XVII. Kalendas Maij aſſererent eſſe ſeruandas*; ita ut Lunæ XIV. Paſchales à die 18. Martij ad diem 15. Aprilis, ſpatio itidem menſis Lunaris cavi, diffunderentur. At Alexandrini, qui triduò tardiùs citimam Neomeniam ſciſcebant, Lunas XIV. a die 21. Martij ad 18. Aprilis, pari cum Latinis numero dierum 29. ſeruato, protrahebant. Tertium Latinorum canonem ita Victorius deſcribit: *Nec minus eiuſdem Dominicæ Reſurrectionis peragendo myſterio deſtinarunt quàm decimam ſextam; nec amplius quàm vigeſimam ſecundam Lunam aliquando recipiunt, eligentes potiùs in Lunam XXII. diem feſti Paſchalis extendi, quàm Dominicam paſſionem ante Lunam XIV. ullatenus inchoari*. Alexandrini uno die citiùs quàm Latini, nempè etiam Luna XV. Paſcha peragebant; nec illud ultra Lunam XXI. tranſmittebant. Poſtremus denique Latinorum canon limen ac metam Dominicarum Paſchalium prodebat. Nam antiquiores citimam Dominicam Paſchalem à die 21. Martij: & tardiſſimam à 21. Aprilis aduocabant. At quinto poſtea Chriſti ſæculo Nicænum Æquinoctium die 21. Martij affixum, admittentes, Dominicas Paſchales intra diem 22. Martij, ac 21. Aprilis claudebant, ut triginta dierum ſpatio, Lunaris menſis ratio ſeruaretur. Verum Alexandrini, qui in neomenijs ac varijs Lunæ XIV. diebus deſignandis, Lunaris menſis terminos nequaquam tranſgreſſi fuerant, Dominicas Paſchales a die 22. Martij ad diem 25. menſis Aprilis, laxiori XXXV. dierum ſpatio, extenderunt; nempè quatriduo ultra Latinos. Ex hiſce tam diverſis in Paſchali menſe ordinando, regulis factum eſt, ut ſæpe Orientalis Eccleſia, quæ Alexandrinorum Cyclum admiſerat, ab Occidentali in die ac frequenter in menſe etiam Paſchali denuntiando, diſſideret. Imò ipſimet Latini Epiſcopi neutiquam in Feſto eadem die celebrando, ſecum inuicem conueniebant; ſivè quòd aliqui Alexandrinorum canones ſeruabant, ut de Mediolanenſi Eccleſia vel ante pontificatum S. Ambroſij mox oſtendam; ſivè quòd peculiares quoſdam Cyclos ſequebantur. In Synodo Carthaginenſi habita anno Chriſti 397. Cæſario & Attico Coſs. in primo ſtatim canone legitur: *Placuit ergo in principio propter errorem*,

rem, *qui sapè solet oboriri*, *ut omnes Africanæ provinciæ Episcopi observationem Paschalem ab Ecclesia Carthaginensi curent accipere*. Et anno insequenti in altero Concilio ibidem celebrato, Honorio Augusto IV. & Eutychiano Coss. can. 65. iubetur *Pascha solemnitas uno die & tempore celebranda*. Porrò Cyclus annorum LXXXIV. iuxtà priscorum Latinorum canones Pascha decernit. Nam Neomenias Paschales à die 5. Martij ad 2. Aprilis extendit; unde & Lunæ XIV. à die 18. Martij ad 15. Aprilis in eodem discurrunt. Rursus citimum Pascha à die 21. Martij aduocatur; tardissimum verò ad diem 21. Aprilis affigitur. Denique numquam solemnia Paschalia citra Lunam XVI. indicuntur, quæ tamen ad Lunam usque XXII. prorogantur. Ex quibus planè regulis colligimus, eundem Cyclum labente quarto Christianæ Æræ sæculo, a Latinis adhibitum; cum quinto postea sæculo dies 21. Martij extra limen magnæ solemnitatis posita fuerit, ac Leo Magnus mensem Paschalem ad diem 23. Aprilis extenderit.

Laudati Latinorum canones eximio Hippolyti Episcopi ac Martyris testimonio, antiquo ritu in Romana Ecclesia seruati demonstrantur; unde nil mirum, si Latini veterum Patrum traditionibus inhærentes, tamdiu Paschalem Alexandrinorum Cyclum constantissimè repudiaverint. Extat in Vaticana Bibliotheca Hippolyti canon Paschalis in marmorea base sub eiusdem statua scalptus, qui diu in ruderibus agri Verani delituerat: Ibi in titulo hæc leguntur: ΕΤΟΥC.Α.ΒΑΣΙΛΕΙΑΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ.ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟC ΕΓΕΝΕΤΟ.Η.Δ Ι.ΤΟΥ ΠΑCΧΑ ΕΙΔΟC ΑΠΡΙΛΕΙC.CΑΒΒΑΤΩ. ΕΜΒΟΛΙΜΟΥ ΜΗΝΟC &c. *Anno primo imperij Alexandri Imperatoris*, *facta est Decimaquarta Paschatis Idibus Aprilis*, *Sabbato*: *mense Embolimo*, videlicèt præcedente. Hanc Tabulam Paschalem notis illustratam; edidit Scaliger; ac Grecè legitur apud Gruterum pag. 140. Latinè vero cum commentarijs, apud Bucherium a pag. 295. Ibi verò enuntiantur Dominicæ Paschales, quarum prima designatur: ΠΡΟ.ΙΑ.ΚΑ.ΜΑΙ.ΚΥ. videlicèt: *Ante diem XI. Kal. Maij*, *Dominica*. In hoc autem omnium vetustissimo canone Paschali seruatæ postea à Latinis regulæ, continentur. Nam citima Neomenia à die 5. Martij desumitur, ac Luna XIV. etiam ante Æquinoctium occurrens, uti Paschalis admittitur. Dominica Resurrectio quàm tardissimè in die 21. Aprilis collocatur. Denique Pascha à Luna XVI. ad XXII. diffunditur. Ille quidem Festum Paschale citimum à die 20. Martij aduocat, uno ante Nicænum Æquinoctium die, quem post eius Synodi decretum, Latini à solemnitate Paschali excluserunt; qui cum in Anonymi quoque Cyclo extra

tra limen eiusdem Festi relinquatur, patet eamdem periodum iuxtà methodum Lunationum, quæ ibidem recitantur, paulò post Nicænam Synodum concinnatam fuisse. Laudatus Hippolyti Cyclus Paschales Latinorum canones primæ in Ecclesia vetustatis fuisse demonstrat; siquidem inchoatur ab anno Christi 222. qui fuit primus imperij Alexandri Severi, quo plenilunium Paschale contigit Idibus Aprilis, hora septima post meridiem, Sabbato. Pascha tamen non signatur ab Hippolyto die Dominica insequenti, Luna XV. sed in diem 21. Aprilis ab eodem transmittitur, Luna XXII. quæ Festi translatio à Luna XV. ad XXII. in Cyclo Anonymi deciès contingit. Quare non possum non mirari viros eruditos, qui de Paschate iusta volumina exararunt, hunc vetustissimum Latinæ Ecclesiæ ritum, aut eius certè causam ignorasse. Nam Clavius cap. 1. & 18. sui Calendarij, contendit semper Pascha celebratum fuisse tum in Orientali tum etiam in Occidentali Ecclesia Dominica die post Lunam XIV. *etiamsi ea Dominica*, inquit, *in Lunam XV. incidat*; & à pag. 65. Tabulas exhibet, in quibus Paschata ab anno Christi 326. ad annum usque 1190. in universa Ecclesia, Luna XV. celebrata, signantur. At constat Romanam Ecclesiam quinque prioribus Epochæ Christi sæculis, numquam Pascha Luna XV. in Dominicam incidente, peregisse: sed solemnia in proximam diem Dominicam, Lunamque XXII. prorogasse, quod locupletissimè Victorius Aquitanus testatur nedum in prologo, verùm etiam in Canone Paschali, in quo numquam Pascha Luna XV. indicitur, sed in Lunam XXII. diffusum, sæpè adnotatur. Petavius tamen in notis Epiphanianis ad Hæresim LI. pag. 198. id Victorio vitio vertens, ait: *Atqui ridiculè admodùm Paschalem illum suum Canonem condidit Victorinus. Non solùm quòd Pascha decima sexta Luna duntaxat celebrari iubeat, quod canoni repugnat: verùm etiam quòd inutiles aliquot terminos & otiosos habuerit*. Equidem citimum Pascha Luna dumtaxat XVI. celebrari, Alexandrinorum canoni repugnabat; sed hoc ipsum tamen erat vetustissimo Romanæ & totius Occidentalis Ecclesiæ ritui conforme. Sed nec Victorius citimum Pascha à Luna tantùm XVI. sciscendum iubet. Nam in præfatione, in qua Flavium Constantinum ac Rufum eius quo scribebat, anni Consules laudat, ait se quædam Paschata duobus diebus eodem anno affixisse, *ubi Luna XV. & dies Dominica: & post septem dies, Luna XXII. conscribitur, non meo iudicio aliquid definitum, sed pro Ecclesiarum* (Orientis scilicèt & Occidentis) *pace, Apostolici Pontificis electioni seruatum; quatenus nec ego quod ad meum pertinebat officium, praterirem, & in eius constitueretur arbitrio, qui universali Ecclesia prasideret*

deret, quanam potissimum dies, in tali conditione, solemnitati pracipua deputetur. Itaque Pascha Luna XV. adhuc anno Christi 457. Leone Magno Pontifice, Latinos inter ac Orientales controversum erat; nec Victorius quidquam iussit, sed rem in medio reliquit, Romano Pontifici ex integro iudicandam. Nullus ergo tunc erat canon, quo Pascha Luna XV. in diem Dominicam incidente, celebrandum decerneretur; ac Victorius cum initium ac finem mensis Paschalis præter vetustas Latinorum regulas commutasset, Lunæ tamen XV. dimissa, ad XXII. cum Latinis Festum extendit. Quod addit Petavius de terminis apud Victorium otiosis & inutilibus, inferiùs refellam; id enim, ut suas illi voces reddam, est planè ridiculum. Scaliger cum obseruasset in Canone Hippolyti Pascha à Luna XV. ad XXII. transmitti, huiusce dilationis causa eidem putatur *translatio ieiunij à Sabbato ad Sabbatum*. Ita enim verbum ΑΠΟΝΗCΤΙΖΕCΘΑΙ in Hippolyti tabula scalptum, exponit. At falsam Scaligeri interpretationem colligo ex epistola S. Dionysij Patriarchæ Alexandrini ad Basilidem, in qua scribit se ab eodem interrogatum: *καθ' ἣν ὥραν ἀπονηστίζεσθαι δεῖ τῇ τοῦ πάσχα ἡμέρᾳ: qua hora die Pascha sit soluendum ieiunium*; ubi ait eos qui Romę sunt, galli cantum expectare. Ita ea voce utrobique ieiunij solutio, non autem translatio designatur. Victorius dilati à Latinis, quibuscum ipse sentiebat, Paschatis ad Lunam XXII. rationem prodidit, scribens ab ijsdem *potiùs in Lunam XXII. diem festi Paschalis extendi, quàm Dominicam passionem ante Lunam XIV. ullatenùs inchoari*. Nam si die Dominica Luna XV. Resurrectionis solemnitas ageretur, Sabbato Luna XIV. Christi in sepulchro positi memoria celebranda esset; simulque die antecedenti, Feria VI. Luna XIII. passio Dominica occurreret; qua sanè ætate Lunæ constabat crucifixionem Christi non contigisse; cum ille Luna XIV. Pascha cum discipulis celebraverit; & cum Theophilus in prologo canonis, ac Proterius in epistola ad Leonem Magnum, ambo Patriarchæ Alexandrini, fateantur Christum passum fuisse Luna XV. Latini absurdum putabant lætum ac festum diem Resurrectionis recolere ea Luna, qua Christus crucifixus fuit, ac sepultus. Cum autem Seruator Pascha celebraverit Feria V. ad vesperam, Luna XIV. & hæc nocte insequenti evaserit XV. Christus resurrexit ante lucem primæ Sabbati, siuè diei Dominicæ in exitu Lunæ XVI. unde ante hanc Lunæ ætatem Latini Festo Resurrectionis defungi recusabant.

Vetus opinio omnium tum antiquorum tum etiam recentium Scriptorum libros de veterum Paschate exaratos, opplevit, nempè

 priscos

priscos Latinæ Ecclesiæ Patres Cyclum Lunarem Iulij Cæsaris indagandis neomenijs Paschalibus accommodasse, qui cum decemnovennalis esset, uti & alter Alexandrinorum, neomenias ijsdem ac iste diebus designabat; quamuis numeri Aurei Cycli Latinorum essent ternario semper minores Aureis numeris Enneadecaeteridos Alexandrinæ. In ordinandis tamen annis Embolimæis aliqua ponitur inter utrumque Cyclum discrepantia. Nam inquiunt Aureum numerum VIII. signasse apud Alexandrinos annum Embolimæum, qui numero Aureo Latinorum V. erat ijsdem communis. Præterea numerus Aureus Latinorum XVI. annum itidem communem constituebat, qui Aureo Alexandrinorum tum labente numero XIX. erat apud ipsos Embolimæus. Hinc quoties isti simul Aurei numeri concurrebant, Latini uno mense ante Alexandrinos Pascha celebrabant. Vtrumque Cyclum decemnovennalem in bellissimis expansis tabulis exhibuerunt in suis Calendarijs Paulus Middelburgensis, Ioannes Stœfflerus, Petrus Pitatus noster Veronensis, insignes omnes elapsi proximè sæculi Astronomi, quibus vir summus Petavius tantam fidem præstitit, ut lib. 2. de doctr. Temp. cap. 68. scripserit: *Victorini quippè methodus & Latinorum ante Victorinum omnium, Nicæno etiam sæculo tria de Nicæno, sive Paschali* Alexandrinorum *Cyclo detrahebat, ut Cyclus haberetur ille, quem Lunarem appellabant; nec ullum tempus unquam extitit, quo non ternario Alexandrini numeri Latinos excederent*. Hac ille vulgari opinione ductus, libro postea 6. cap. 5. eiusdem decantati Latinorum Cycli tabulas ex Paulina Pauli de Middelburgo Episcopi Forosempronienfis asportatas, inseruit. Quòd verò hunc priscorum Latinorum Cyclum extremo opere fabulosum ac fictitium ostensurus sum, operæ pretium duxi binos hic menses Paschales describere, cum Aureis etiam numeris Cycli Alexandrinorum, quo cetera quæ dicturus sum, facilius intelligantur.

MAR-

MARTIVS			Phamenoth.	
Dies	Lit. D.	Cyclus Latin.	Cyclus Alexan.	Dies
1	D	XIX	III	5
2	E			6
3	F	VIII	XI	7
4	G			8
5	A	XVI	XIX	9
6	B	V	VIII	10
7	C			11
8	D	XIII	XVI	12
9	E	II	V	13
10	F			14
11	G	X	XIII	15
12	A	XVIII	II	16
13	B			17
14	C	VII	X	18
15	D			19
16	E	XV	XIIX	20
17	F	IV	VII	21
18	G			22
19	A	XII	XV	23
20	B	I	IV	24
21	C			25
22	D	IX	XII	26
23	E	XVII	I	27
24	F			28
25	G	VI	IX	29
26	A			30
27	B	XIV	XVII	1 Pharmuthus.
28	C	III	VI	2
29	D			3
30	E	XI	XIV	4
31	F	XIX	III	5

APRILIS			Pharmuthus.	
Dies	Lit. D.	Cyclus Latin.	Cyclus Alexan.	Dies
1	G			6
2	A	VIII	XI	7
3	B	XVI		8
4	C	V	XIX	9
5	D		VIII	10
6	E	XIII	XVI	11
7	F	II	V	12
8	G			13
9	A	X	XIII	14
10	B	XVIII	II	15
11	C			16
12	D	VII	X	17
13	E			18
14	F	XV	XIIX	19
15	G	IV	VII	20
16	A			21
17	B	XII	XV	22
18	C	I	IV	23
19	D			24
20	E	IX	XII	25
21	F	XVII	I	26
22	G			27
23	A	VI	IX	28
24	B			29
25	C	XIV	XVII	30
26	D	III	VI	
27	E			
28	F	XI	XIV	
29	G	XIX	III	
30	A			

In hoc Diagrammate duo menses Solares describuntur, quorum varias subinde partes Lunaris mensis Paschalis in anno Ecclesiastico occupabat. Aurei numeri utriusque Cycli decemnovennalis Latinorum & Alexandrinorum diversis eorum mensium diebus affixi, indicant initia mensium Lunarium, quæ tum apud Latinos tum etiam Alexandrinos ijsdem omninò diebus in utroque Cyclo contingebant. Cum in Cyclo essent anni XII. communes, dierum 354. ac septem Embolimæi, Latini annos signatos Aureis ipsorum numeris XVI. V. mense Martio, simplices seu communes habebant, qui apud Alexandrinos erant Embolimæi. Nulla autem dissidia importabant Aurei numeri XVII. & VI. quia cum signatent Neomenias diebus 21. & 23. Februarij contingentes, ac proinde nimium ab Æquinoctio distantes, neutri numeri menses Paschales inibant. Hinc aurei tantum numeri Latinorum XVI. & V. diei 5. ac 6. Martij adpositi, omnes de mense Paschali contentiones Latinos inter ac Græcos frequenter instaurabant. Nam Latini Aureo numero XVI. mensem Paschalem die 5. Martij inibant, quæ dies cum apud Alexandrinos esset 9. Phamenoth, mensem Embolimum tunc inchoabant; quo die 8. Pharmuthi, 3. Aprilis exeunte, proxima die mensem Paschalem auspicabantur; ita ut laudatis Aureis Latinorum numeris XVI. & V. cum numeris Alexandrinorum XIX. & VIII. concurrentibus, Festum Paschale diverso mense ab utrisque perageretur. Hæc scribit Stœffletus proposit. 34. litt. A: *Non enim in Luna ætate discordarunt, sed in principiando mensem Paschalem*. Quæ vulgaris ceterorum sententia est. Hinc idem Scriptor, uti & ante ipsum Paulus Middelburgensis in sua Paulina, plures de die Paschali contentiones diversis tum ante, tum post Nicænam Synodum annis Latinos inter ac Alexandrinos exortas, prolixiori catalogo recitant, nulla ut plurimum veterum Scriptorum testimonia appellantes, sed eas lites ex Aureorum numerorum XVI. & V. apud Latinos, & XIX. & VIII. apud Alexandrinos concursu sibimet persuadentes; & has quoque dissensiones ab ijsdem Scriptoribus mutuatas, magno de doctrina Temporum Operi inservit Petavius lib. 2. cap. 64.

Ceterùm mihi planè constat, quod & alijs etiam me persuasurum confido, nullum huiusmodi Cyclum decemnovennalem à priscis Patribus Latinis ad Neomenias Paschales indagandas, adhibitum fuisse, sed eosdem post Nicænam statim Synodum ad usque Leonis Magni pontificatum, usos fuisse Cyclo annorum LXXXIV. iuxta methodum Lunarem ab Anonymo in Fastis consularibus designatam. Illi enim neomenias Paschales ex ætate Lu-

næ

næ singulis quibusque ineuntium annorum Cycli Kalendis prænotata, deducebant; non verò, ut vulgò credidere, ex Aureis numeris certis mensium diebus affixis, quos posterior tantùm ætas confinxit. Victorius Aquitanus cum novum Cyclum conderet, nullos Aureos numeros adhibuit; sed veteri Latinorum instituto, Lunæ ætatem singulis Ianuarij Kalendis adposuit, ut inde neomeniæ Paschales colligerentur. Extat vetus epistola, quam nomine S. Cyrilli Alexandrini inscribit Beda in lib. de rat. Temp. cap. 32. in qua legimus: *Dum obseruatis Lunam incensam in tertio Nonas Martij, iuxtà regulam Latinorum Kalendis Ianuarij, Dominica, Luna vigesima septima*. Ita ætatem Lunæ in Kalendis Ianuarij, *Latinorum regulam* nuncupat; quòd illi ab eadem neomenias Paschales denuntiabant. Hinc in laudato Bedæ libro capiti LV. hic præfigitur titulus: *Quota sit Luna in Kalendis Ianuariis*; quia hæc certissimus erat index omnium Neomeniarum totius anni ac præsertim Paschalis iuxtà veterem Latinorum methodum; licèt ætate Bedæ Dionysianus Cyclus in Latina Ecclesia passim obseruaretur. Duo hoc in opere exequar. In primis ostendam omnia dissidia quæ de die Paschatis in veterum Patrum monumentis memorantur, ex ætate Lunæ in Cyclo annorum LXXXIV. prænotata, derivasse. Deinde Cyclum illum decemnovennalem, quem Latinis Patribus tertio ac quarto Christi sæculo imputant, commentitium ac fabulosum esse inuictis testimonijs demonstrabo. Lunæ ætas quæ dubium diem Paschatis Latinos inter ac Orientales reddebat, tunc contingebat, cum in Cyclo Anonymi Luna in Kal. Ianuarijs numerabatur XXVI. cum Feria VI. Item Luna XXVIII. cum diversis Ferijs concurrens; Denique Luna XXX. incidens prima anni die in Sabbatum vel Dominicam.

In primis Luna XXVI. Kal. Ianuarijs iuncta cum Feria VI. indicabat neomeniam proximam die 6. Ianuarij, & ab hac tertiam die 6. Martij. Hæc altera cum Latinis esset Paschalis, Luna XIV. colligebatur die 19. Martij, Feria VI. ac proinde die 21. Dominica, Luna XVI. Pascha celebrandum erat. At Alexandrini omissa Lunatione Martij, quæ illis uti cœpta ante diem octavum, non erat Paschalis, neomeniam mensis Paschalis die 5. Aprilis recipientes, cum eiusdem Luna XIV. caderet in diem 18. Aprilis, Dominicam, Pascha in alteram Dominicam diem 25. Aprilis, quæ erat 30. ipsorum Pharmuthi, diffundebant. Hæc discrepantia contingebat anno VI. Cycli annorum LXXXIV. Cyclo Solis IV. lit. C. quibus characteribus cum signaretur annus Christi 387. dissidia de mense Paschali instaurata fuisse, prodit S. Ambrosius in

Epist.

Epist. 83. ad Episcopos per Æmiliam, scribens: *Vnde necesse fuit, quia etiam post Aegyptiorum supputationes, & Alexandrinæ Ecclesiæ definitionem, Episcopi quoque Romanæ Ecclesiæ* (qui nempè pertinebant ad diœcesim Metropoliticam Romani Pontificis, ac ab isto consecrabantur) *per literas plerique meam adhuc expectant sententiam, quid existimem scribere de die Paschæ &c.* Latini enim tardissimum Pascha in die 21. Aprilis collocaverant, quod festum Alexandrini eo anno quatriduo promovendum, contendebant. Alexandrini Latinos reprehendebant, quòd Pascha non essent celebraturi post Æquinoctium. Nam S. Dionysius Patriarcha Alexandrinus, qui Gallieno imperante, magna doctrinæ ac sanctitatis fama floruerat, in epistola Paschali ad Domitium, teste Eusebio lib. 7. Hist. Eccl. cap. 20. docuerat Pascha celebrandum esse *μετὰ τὴν ἐαρινὴν ἰσημερίαν: post vernale Aequinoctium*; quod ipsum tradiderat Sanctus Anatolius Laodiceæ ad mare in Syria Episcopus; idque etiam à Nicæna Synodo statutum fuisse dicebant. At Latini reponebant sanctam Synodum vetasse, ne Pascha Iudæorum ea ætate subinde errantium more, ante Æquinoctium ageretur; ac proinde se in Synodum non peccare, si quandoque Pascha ipsomet die Æquinoctij Nicæni, videlicèt 21. Martij celebrarent. Gregorius Turonensis lib. 5. hist. Franc. cap. 17. scribit: *Eo anno dubietas Paschæ fuit. In Gallijs verò nos cum multis civitatibus XIV. Kal. Maias sanctum Pascha celebravimus. Alij verò cum Hispanis XII. Kal. Aprilis solemnitatem hanc tenuerunt.* Id contigit anno Christi 577. quo Hispaniarum Ecclesiæ Pascha die 21. Martij egerunt; nempe die Æquinoctij Nicæni, cuius tamen Synodi statuta obseruanda, olim præceperat Concilium Toletanum I. anno Christi 400. Ambrosius in laudata epistola scribit, Iudæos eo anno 387. celebraturos fuisse Pascha die 20. Martij. Novilunium ad meridianum urbis Romę iuxta medium motum, contigit Martij die 6. hor. 9. 17′. 18″. a media nocte. Quare in Cyclo Anonymi neomenia Paschalis à coitu luminarium deducitur. In vetusto Laterculo centenario apud Bucherium pag. 262. signatur Pascha die 18. Aprilis, qua die etiam indicitur in Canone Victorij Aquitani, anno postea 70. concinnato, *Luna XVI.* cuius neomenia ab utroque Scriptore à die 3. Aprilis colligitur: ferè biduò ante cœleste Novilunium. Interim constat Romanam Ecclesiam neutiquam cum Alexandrinis eo anno 387. Pascha egisse die 25. Aprilis, uti patet ex laudandis postea Leonis Magni testimonijs. Idem verò Pontifex in epist. 64. ad Marcianum Augustum ait: *Siquidem ab undecimo Kalendarum Aprilium usque in undecimum Kalendarum Maiarum legitimum spatium sit præfinitum, intra quod*

omnium varietatum necessitas concludatur ; ut Pascha Dominicum nec prius possimus habere , nec tardius . Ita Cyclus annorum LXXXIV. iam reformationem admiserat; cum citimum Pascha à die 22. Martij à Leone colligatur .

Rursus Luna XXVI. in Kalendis Ianuarijs pręnotatur anno LII. ac iterùm etiam anno LXXI. qui omnes in eodem Cyclo lunę communes ; siquidem indicant neomeniam die 6. Martij, quę apud priscos Latinos erat Paschalis . Quamvis verò ijsdem annis Cycli recurrentibus, Pascha ut plurimùm diverso mense à Latinis ac Alexandrinis peragebatur , quòd annus istis erat Embolimæus , qui apud Latinos communis decurrebat ; non semel tamen contingebat annum signatum in Cyclo Luna XXVI. in Kalendis Ianuarijs , esse apud Alexandrinos quoque communem . Nam annus Christi 433. erat Cycli LII. Luna XXVI. in Kal. Ianuarijs notatus , qui Aureo numero Alexandrinorum XVI. communis ijsdem habebatur . Ita in utroque Cyclo Pascha indicitur die 26. Martij , Cyclo Solis XXII. lit. A. Luna XXI. in periodo annorum LXXXIV. quæ apud Alexandrinos fuit Luna XIX. Neomenia à die 8. Martij deducta . Eo anno Novilunium medium fuit Romæ Martij die 7. hor. 7. 3'. 27". à media nocte , cum ante annos 84. quo vivebat Anonymus Scriptor Cycli Fastorum, contigerit die 6. Martij, hor. o. 12'. 23". post medinoctium ; unde tunc rectè Luna I. die 6. Martij in ijsdem Fastis indicatur ; quam tamen anno Christi 433. uno die Theophili Cyclus moratur . Præterea anno Christi 452. numerabatur annus Cycli Anonymi LXXI. præferens Kal. Ianuarijs Lunam XXVI. Hic quoque annus erat Alexandrinis etiam communis ; Aureo numero XVI. unde & in utroque Cyclo Pascha signatur die 23. Martij , Luna apud Anonymum XVIII. quæ fuit Alexandrinis XVI. Cum enim anni Cycli annorum LXXXIV. cum diversis Aureis numeris Alexandrinorum concurrerent , modò anni in utroque Cyclo erant communes ; modò in Alexandrino occurrebant Embolimæi , ut postea etiam ostendo .

Luna XXVII. in Kalendis Ianuarijs , prodit neomeniam Paschalem apud Latinos die 5. Martij in anno communi : qui semper Alexandrinis erat Embolimæus . Illa ætas Lunæ numerabatur ineunte anno Christi 406. quo Alexandrini Aureo numero VIII. die 22. Aprilis Paschali solemnitate defuncti sunt , anno apud ipsos Embolimæo . Latini vero , inquit Stœfflerus proposit. 35. lit. P, *fecerunt hunc annum communem ; & resumpserunt Cyclum Lunarem V. quare peragebant Pascha* 25. *die Martij* ; videlicèt quòd iuxtà eiusdem opinionem, Latinorum Cycli Aureus numerus V. cum annum

C signabat.

fignabat . Verùm non fictitij eius Cycli numerus , fed eius quo tunc utebantur , Cycli annus XXV. cum ætate Lunæ XXVII. neomeniam. Pafchalem illis indicabat die 5. Martij ; Pafcha verò die 25. Luna XXI. In laudato centenario Latinorum laterculo apud Bucherium pag. 263. Pafcha Arcadio VI. & Probo Cofs. nempè anno Chrifti 406. indicitur : *VIII. Kal. Aprilis*, fcilicèt die 25. Martij . Beda in lib. de rat. Temp cap. 49. Latinos confutans , qui Lunam die 5. Martij natam , menfis Pafchalis initium fecerint , notat Luna XXVII. in Kalendis Ianuarijs in Sabbatum incidente , iuxtà Latinos neomeniam Pafchalem defumi à die 5. Martij ; cum verò Luna XIV. cadat in diem 18. Martij , Feria VI. Pafcha celebrandum effe die 20 Martij , Luna XVI. pridie Æquinoctium in Nicæna Synodo ftabilitum . At conditores Cycli Latinorum , fivè casu : fivè potiùs induftria , huncce fcopulum evitarunt . Nam in Cyclo annorum LXXXIV. numquam Luna XXVII. in Kal. Ianuarijs cum Sabbato concurrebat ; fed anno XXV. Cycli iuncta cum Feria II. fivè lit. G , defignabat Pafcha die 25. Martij , Luna XXI. & rursus anno Cycli XLIV. incidens in Feriam V. fivè lit. D, dabat Pafchale feftum die 22. Martij , Luna XVIII. Quare numquam in eo Cyclo Pafcha ante Æquinoctium ea Lunæ ætate decernebatur . Hinc intelligimus verba Victorij in fine præfationis : *Cum verò* , inquit , *contigerit Lunam XXVII. Sabbato , vel maximè die Kalendarum Ianuariarum provenire , abfque Biffexto ; noverit Sanctitas veftra , Pafcha nifi aut XIII. Kal. Aprilis fecundùm Latinos (quod numquam celebratum , etiamfi Luna conueniat , penitus inuenitur) aut VIII. Kal. Maij fecundùm Aegyptios (quod aliquoties obferuatum eft) reperiri non poffe* . Ex his laudatus Beda magnum contra Victorium fimulque Latinos pulverem excitat , qui tamen facilè difpergitur . Nam cum numquam apud Latinos Cyclum toties memoratum obferuantes, Luna XXVII. Kal. Ianuarijs in Sabbatum inciderit ; hinc Victorius fcribit , numquam Pafcha XIII. Kal. Aprilis , id eft , die 20. Martij peractum fuiffe . Vbi cum non idem moneat de die 21. infequenti , colligimus Latinos aliquando eadem die Fefto defunctos fuiffe . Cum verò addit : *etiamfi Luna conueniat* , iuxta fui Cycli fupputationes loquitur , quæ anno fuæ Periodi 75. 170. 417. & 512. denuntiant Kalendas Ianuarias cum *Luna XXVII. Sabbato*; quibus ille annis Pafcha cum Alexandrinis decernit , quod iuxta Latinos neomeniam a die 5. Martij auspicantes , agendum fuiffet die 20. Martij . Quòd verò ea ætas Lunæ in Cyclo Latinorum numquam Sabbato contingebat , ideo , uti dicebam , fcribit numquam ea folemnia die 20. Martij peracta fuiffe . Interim obferuandum eft Victorium

rium ex ætate Lunæ in Kalendis Ianuarijs cum Feria tum incidente, Paschalis solemnitatis diem indicasse. quæ planè est ipsa methodus Cycli annorum LXXXIV. non verò fictitij alterius decemnovennalis cum Aureis numeris, quem Scriptores vulgò priscis Latinis adscribunt.

Luna XXVIII. in Kalendis Ianuarijs index erat ac titulus neomeniæ proximę die 4. Ianuarij, & ab hac tertiæ die 4. Martij; & hæc altera non erat Latinis Paschalis, quippè qui citimam à die tantum insequenti quinta mensem Paschalem auspicabantur. In Cyclo ætas memorata Lunæ quater Kalendis Ianuarijs prænotabatur; nempè anno Cycli XVII. & iterùm XXXVI. & tertiùm anno LXIII. ac denique LXXXII. Et ubique gravissimas difficultates importare videbatur. Nam cum ea Lunatio esset extra limen mensis Paschalis, eadem mensem Embolimum superaddere debebat, qui cum diebus triginta componatur, exitum habebat die 2. Aprilis, ac proinde neomenia Paschalis inchoanda erat die 3. Aprilis, quę tamen dies apud Latinos erat ultra metam neomeniarum Paschalium, quarum tardissima die 2. Aprilis inibat. At si mensem Embolimum cavum sivè dierum 29. præter ordinem fecissent, Syllam evitantes, in Carybdim incidebant. Nam si ea diei mutilatione, mensis Paschalis initium à die 2. Aprilis sumpsissent, concurrenti lit. Dom. G, sivè iuxta Cycli methodum, Luna XXVIII. cum Feria II. in Kalendas Ianuarias incidente, neomenia Paschalis cœpta die 2. Aprilis, prodebat Lunam XIV. die 15. Aprilis, Dominica; unde cum in termino Festi celebratio Catholicis vetaretur, Pascha in alteram Dominicam diem 22. Aprilis transmittendum erat; quæ tamen dies metam Dominicis Paschalibus in die 21. Aprilis apud Latinos veteri instituto fixam, transgrediebatur. Rursùs cum eadem Luna in Kal. Ianuarijs iungebatur cum Sabbato, sivè litt. AB, mensis initus die 2. Aprilis, referebat Lunam XV. die 16. Aprilis, Dominica; & cum ea Luna non esset apud Latinos Paschalis, Festum in diem Dominicam 23. Aprilis, biduo ultra terminum, transferendum erat. Quam in ancipiti ac salebroso loco Latini viam inierint, paucis exponam. Anno Christi 417. labebatur annus Cycli XXXVI. præferens in Kalendis Ianuarijs Lunam XXVIII. ac Feriam II. sivè ut postea dixere, lit. Dom. G; quæ quidem ætas Lunæ denuntiabat neomenias die 4. Ianuarij, ac itidem 4. Martij. Alexandrini eo anno numerabant Aureum numerum XIX qui cum signaret annum Embolimæum, neomeniam Paschalem inchoarunt die 9. Pharmuthi, 4. Aprilis, Pascha verò egerunt die 27. Pharmuthi, 22. Aprilis, Luna XIX. Quid tum consilij Zosimus Roma-

 nus

nus Pontifex ceperit, prodit Paſchaſinus Lilybętanus Epiſcopus in epiſtola ad Leonem Magnum: *Tunc enim*, inquit, *cum declinatur, ne X. Kalendas Maij die Paſcha teneretur, celebratum eſt VIII. die Kal. Aprilis, id eſt, pro Emboliſmo communis eſt annotatus &c.* Hinc colligimus ad eum usque annum Chriſti 417. in Romana Eccleſia numquam Paſcha exceſſiſſe diem 21. Aprilis; aliàs Zoſimus deceſſorum exemplo, Feſtum die 22. Aprilis inſtauraſſet. Quare cum uno priùs menſe quàm Alexandrini, ea ſolemnitate Romani defuncti fuerint, Luna Ianuarijs Kalendis XXVIII. pertinebat ad annum Eccleſiaſticum apud Latinos communem, qualem reapſe apud eoſdem fuiſſe annum Chriſti 417. teſtatur Paſchaſinus, appellans eius anni Conſules Honorium Auguſtum XI. & Coſtantium II. Num verò Latini tunc neomeniam Paſchalem à die 4. Martij, qua in anno civili menſis inibat, deduxerint, vel potiùs à die quinta inſequenti, mihi planè incompertum eſt. Bucherius hac in re anceps eſt & ambiguus. Nam pag. 120. ſcribit Latinos eo anno egiſſe Paſcha die 25. Martij, *Luna ſua haud dubiè vigeſima prima*, nempè inchoata die 5. Martij. At pag. 424. tradit Latinos neomeniam Paſchalem *ſaltem anno illo* 417. *à quarto Martij die venatos eſſe*. Quare Feſtum celebrarunt Luna XXII. quæ *haud dubiè* XXI. antea eidem dicebatur. Hinc in tabulis expanſis pag. 428. eamdem Neomeniam affixit diei IV. Martij. Quid hic ſtatuam, neſcio. Bucherium inuerſo ſtylo imitabor: ſiquidem ſuperiùs pag. XXXIX. ſcripſi Zoſimum uno die Paſchalium neomeniarum limen prævertiſſe. At modò probabilius puto, tunc à die 5. annum ſacrum initium ſumpſiſſe. Etenim cum Victorius, qui Latinorum Cyclos, ac præſertim annorum LXXXIV. legit, cum & ſexiès inſertos eidem Lunæ ſaltus memoret, ſcribat Latinos citimam neomeniam à die 5. Martij deduxiſſe, nullatenùs illi quater in eo Cyclo menſem Paſchalem à ſuperiori die 4. aduocabant. Præterea cum eadem Luna anno poſtea 444. iterùm Kal. Ianuarijs contigerit, atque hoc anno neomeniam, ut equidem demonſtrabo, die 5. Martij auſpicati fuerint, idipſum eo quoque anno 417. feciſſe dicendi ſunt. Vnus interim hic mihi obex removendus eſt. Nam iuxtà Cyclum annus ſuperior cœpit die 15. Martij, qui ſi exitum habuiſſet die 4. Martij anni inſequentis Chriſti 417. annus ille Eccleſiaſticus fuiſſet dierum 355. ac proinde uno die Lunaris anni terminum exceſſiſſet, & quod inde ſequitur, menſis qui iuxtà Cyclum plenus inibat die 2. Februarij, exiens die 4. Martij, habuiſſet dies 31. qui numerus Lunaris menſis rationem tranſgreditur, ac Iulianis quibuſdam tantùm menſibus Solaribus competit. Verum hoc illi incom-

commodum facilè cavere poterant, menfe qui die 4. Ianuarij inibat, ex cavo in plenum commutato; qua ratione exiens die 2. Februarij; menfem itidem plenum excipiebat, qui claudebatur die 4. Martij. Ita eo anno tres iunctim menfes pleni decurrebant; quemadmodum tres iunctim cavos annus habebat, cui faltus Lunæ fivè à Latinis, fivè ab Alexandrinis inferebatur. Inde tamen fiebat, ut annus ille Lunaris evaderet dierum 355. proximè autem fuccedens uno minor quàm ceteri, die fieret. Ita Hebræi annos habent Lunares abundantes dierum 355. cum Marchefuan in anno ordinario cavus, in abundanti communi aut Embolimæo fit dierum 30. In anno Embolimæo, quem deficientem vocant, iidem Iudæi dies tantùm numerant 383. Græci dies illos abundantes vocabant *ὑπερημέρους*, qui paffim in doctrina Temporum à Scriptoribus memorantur.

Annus Cycli LXIII. notatus in Kal. Ianuarijs eadem Luna XXVIII. ac Feria VII. fivè Sabbato, id eft, litt. BA, in easdem omninò difficultates Latinos redigebat. Non enim poterant à neomenia civili, quæ inibat die 2. Aprilis, menfem Pafchalem inchoare; quia cum Luna XV. haud ipfis Pafchalis, contingeret die 16. Aprilis Dominica, Feftum iuxtà Romanæ Ecclefiæ canones hactenus conftantiffimè contra Alexandrinos propugnatos, in Dominicam diem 23. Aprilis biduò videlicèt ultra terminum, protrahendum erat. Hinc ut aliàs fecerant, menfem Pafchalem à die 5. Martij inchoandum effe putabant. Quod fi anno abhinc vigefimo feptimo, Zofimo Romano Pontifice, Neomeniam à die 4. Martij venati fuerant, haud æquè commodè tunc poterant illam iterùm ab eadem die 4. aduocare. Nam Luna XIV. contigiffet die 17. Martij, Feria VI. unde Pafcha incidiffet in diem 19. Martij, Luna XVI. biduo ante Æquinoctium; Nec folemnia in proximam Dominicam diem diffundi poterant, quòd ea die Luna XXIII. colligebatur. Hoc dubium apud Latinos Pafcha contigit anno Chrifti 444. Leo Magnus Romanæ Ecclefiæ Pontifex eo de Pafchate ad Cyrillum Alexandrinum fcripfit, qui Theophili avunculi canonem fecutus, refpondit, Feftum die 23. Aprilis agendum effe. Idem poftea Leo alteram epiftolam de eodem dubio ad Pafchafinum Lilybei in Sicilia Epifcopum mifit, qui cum Alexandrinorum regulas feruaret, eadem quæ Cyrillus, refcripfit. Et quidem in ea epiftola ait fe interrogatum de Pafchate *anni poft hunc futuri*; unde anno Chrifti 443. eas literas ad Leonem tranfmifit, ubi & priores de eodem dubio Cyrilli ad Leonem literas laudat. Rurfus ait: *Nam cum Romana fupputatio, quæ Cyclo concluditur, cuius ipfe de quo agitur,*

agitur, erit annus LXIII. qui cœpit à Consulatu Antonij & Syagrij, nobis dubitatem afferret, eò quòd VII. Kalendas Aprilis, & die Dominica, Luna XXI. incurreret, & iterum IX. Kal. Maiarum die, ut rei veritas habet, Dominica dies, & Luna XIX. obueniret &c. Petavium verba Paschasini ad Cyclum decemnovennalem Latinorum trahentem, superiùs pag. XXXIX. confutavi. Romana supputatio est ipsissimus Cyclus annorum LXXXIV. qui cum repetita revolutione cœpisset Antonio, & Syagrio Coss. anno Christi 382. annus eiusdem LXIII. cum anno Christi 444. concurrebat. Itaque scribit eum Cyclum circa Pascha illiusmet anni 444. *dubietatem attulisse*, nempè Latinis, & eas quidem quas proximè exposui. Cum verò die 26. Martij numerat Lunam XXI. & dein XIX. die 23. Aprilis, loquitur iuxta Cyclum Alexandrinorum, quibus adhærebat; siquidem eo anno erat apud illos Aureus numerus VIII. diei 6. Martij, ac 5. Aprilis affixus; quę tamen utriusque Lunæ ætas diversa supputabatur in Cyclo annorum LXXXIV. in quo neomeniæ contingebant die 4. Martij, ac die 2. Aprilis ex Luna XXVIII. Kalendis Ianuarijs pranotata. Cœleste Novilunium anno 444. contigit Romæ die 5. Martij hor. 10. 55'. 34". à media nocte, cum ante annos 84. nempè anno Christi 360. fuisset Martij die 4. hor. 4. 4'. 30". post meridiem. Ex quibus patet Cyclum Anonymi contextum fuisse quarto Christi sæculo, cum quinti sæculi Lunationes uno ferè die, & sæpè etiam altero prævertat. Interim constat Latinos contendisse anno laudato 444. neomeniam Paschalem à die 5. Martij colligendam esse, ita ut Luna XV. haberetur die 19. Dominica; Pascha verò ageretur die 26. Martij Luna apud ipsos XXII. cum annus idemmet in Cyclo annorum LXXXIV. communis decurreret. Paschasinus monet eum annum esse octauum Ogdoadis, ac proinde, quæ erat Alexandrinorum sententia, evadere Embolimęum. Quare, inquit Paschasinus, *si voluerimus, Pascha VII. Kal. Aprilis celebrare, communem annum faciemus, & incipiet omnis deinceps annorum supputatio vacillare.* Quòd verò idem probe norat Latinos recusare Pascha ultra diem 21. Aprilis extendere, ne positum à Maioribus terminum transilirent, hęc Leoni suggessit: *Nec id nobis aut novum, aut erraticum videatur; cum dies passionis XI. Kalendarum Maiarum occurrat: à qua, sicut Græcis videtur, Pascha nomen accepit; licèt Hebrææ linguæ Interpretes tradant, Pascha transitum dici &c.* Ità ut eo anno etiamsi celebrarent Pascha Resurrectionis die 23. Aprilis; Pascha tamen passionis, qua Christus transijt *ex hoc mundo ad Patrem*, Ioannis XIII. 1. die 21. Aprilis peragerent. Hac postrema duplicis Paschatis interpretatione excepta, nihil Paschasinus reicri-

rescripserat, quod non antea Latini perspectum habuissent; norant enim canones Paschales Alexandrinorum, iuxta quos ille diem futuri Paschatis designaverat. Ceterùm iam tandem intellexerant si non defectum Cycli annorum LXXXIV. qui neomenias ut plurimum ob sui contractionem prævertebat, saltem vitium, quòd ipsimet eidem Cyclo superaddebant. Nam cum Luna XXVIII. in Kal. Ianuarijs signarent annum civilem eiusmet Cycli Embolimaeum, ipsi eundem in anno sacro communem faciebant, ne mensem Paschalem die 3. Aprilis inirent, veterumque Patrum metam transgrederentur. Nec iuvabat post Lunam in Kalendis Ianuarijs XXVIII. die 4. Ianuarij, ac die 2. Februarij binos iunctim cavos menses collocare, ut mensis postea Embolimus die 3. Martij initus, Kalendis Aprilis exiret, eaque ratione mensis Paschalis die 2. Aprilis veterem intra metam inchoarent: etenim currentibus lit. Dom. G, & A, ut prænotabam, cogebantur Paschalia solemnia in dies 22. & 23. Aprilis extendere; nec alius planè ex tot angustijs exitus dabatur, nisi terminum Dominicarum Paschalium biduo promovendo, nempè à 21. ad 23. Aprilis. Id igitur consilij cepit Leo Magnus, statuens mense Embolimo superaddito, Pascha anno Christi 444. die 23. Aprilis instaurandum esse; & ne Latini rei novitate turbarentur, opportunè sibi a Paschasino indicatam interpretationem prætexuit; quòd adhuc Pascha Passionis intra acceptum à Patribus terminum retinebatur; quamvis Pascha Resurrectionis biduo ultra eundem diffunderetur. Horum testis locupletissimus est Prosper in Chronico apud Labbeum tom. 1. Bibl. M. SS. pag. 53. ubi ait: *Theodosio XVIII. & Albino Coss.* nempè anno Christi 444. *Hoc anno Paschà Domini IX. Kal. Maij celebratum est; nec erratum est, quia inde XI. Kalendarum Maiarum dies Passionis fuit, ob cuius reverentiam Natalis urbis Romæ sine Circensibus transijt.* Quòd plerique Latinorum vetusti ritus tenacissimi, erratum eo anno mensem Paschalem publicabant, laudatam Paschasini interpretationem ijsdem opposuit.

Hic idem annus Cycli LXIII. cum Luna in Kal. Ianuarijs XXVIII. ac Sabbato ante annos 84. signaverat annum Christi 360. de cuius anni Paschate hæc scribit in laudata 83. epistola S. Ambrosius: *Sicut & septuagesimo sexto anno ex die imperii Diocletiani factum est? Nam tunc 28. die Pharmuthij mensis, qui est nono Kalendas Maij, Dominicam Pascha celebravimus, sine ulla dubitatione Maiorum.* Annus 76. ab imperio Diocletiani inijt die prima Thoth, quæ anno sequenti Bissextili, fuit 30. Augusti, Æræ Christi 359. ac proinde designatur ibidem Pascha anni 360. quod cum testetur *sine ulla dubitatione maiorum*, peractum fuisse die 23. Aprilis, patet Ecclesiam

Me-

Mediolanensem iam ante Ambrosij Episcopatum, quem ille anno Christi 374. suscepit, non cum Latinis, sed cum Alexandrinis in designando die Paschatis conspirasse. Eo anno 360. Auxentius Cappadox ex Oriente iam antea ab Imperatore Constantio Arianus Episcopus Mediolanum missus, eamdem Ecclesiam, S. Dionysio Catholico Antistite iussu eiusdem Augusti exulante, occupabat. Quare is fortè videri possit tum primum Alexandrini Cycli usum Mediolanum invexisse, si verbo illo *celebravimus* ipsi Mediolanenses ab Ambrosio intelliguntur. Si tamen coniecturæ locus detur, suspicari quispiam posset, Ambrosium de dubio Paschate anni 387. Alexandrinum Patriarcham consuluisse, qui rescripsit Pascha celebrandum esse die 30. Pharmuthi, 25. Aprilis, sicut anno etiam 360. peractum fuerat Pharmuthi 28. *sine ulla dubitatione maiorum*. Cur enim Ambrosius ad Latinos Æmiliæ provinciæ Episcopos scribens, Ægyptiorum mensium nominibus atque familiari ijsdem Epocha Diocletiani usus est, nisi quia scriptas sibi ex Ægypto literas Latinè interpretatus, integra earumdem fragmenta suæ epistolæ inseruit? In vetustissimo Latinorum laterculo apud Bucherium pag. 254 ac 261. Pascha anni 360. denuntiatur *XVI. Kal. Maij*, octiduo ante Alexandrinorum itemque ab Ambrosio indictum Pascha. Verùm altero exemplo ibidem à Sancto Doctore laudato, constat Mediolanensem Ecclesiam cum Alexandrinis convenisse. Nam ibidem ait: *Octogesimo autem & nono anno ex die imperij Diocletiani, cum quartadecima Luna esset nono Kal Aprilis, nos celebravimus Pascha pridie Kal. Aprilis. Alexandrini quoque & Aegyptij, ut ipsi scripserunt, cum incidisset quartadecima Luna 28. die mensis Phamenoth, celebraverunt Pascha quinta die Pharmuthij mensis, quæ est pridie Kal. Aprilis, ac sic convenere nobiscum*. Fuit annus ille Christi 373. idemque LXXVI. Cycli Anonymi, cuius in Kalendis Ianuarijs Luna XXII. dat neomeniam Paschalem die 10. Martij, Lunam XV. die 24. Martij, Dominica, lit. F. unde Pascha differtur in diem pridie Kal. Aprilis. Cum verò die 24. Martij numeretur Ambrosio Luna XIV. patet eumdem Alexandrinorum Cyclum adhibuisse, in quo Aureo numero XIII. neomeniam anno 373. ad diem 11. Martij affigente, indicatur Luna XIV. die 24. Martij, uti ab Ambrosio supputatur, qui iterum iuxtà eumdem Alexandrinum Cyclum, colligit Lunam XIV. Paschatis anni Christi 377. quem ibidem appellat Aeræ Diocletiani 93. qui annus erat eidem tertius, ab accepta sede Mediolanensi.

Denique anno Cycli octogesimo secundo Luna XXVIII. cum Feria III. sivè lit. F. Kalendis Ianuarijs in Fastis Anonymi præscripta, indicat civiles Neomenias die 4. Martij, ac die 2. Aprilis.

Quod

Quòd ille annus Cycli erat Latinis vetuſtioribus communis ſeu ſimplex, Neomeniam Paſchalem à die 5. Martij auſpicabantur, quam Alexandrini cum annum Embolimæum ſeruantes, Aureis numeris VIII. XI. XIX. poſt initium Aprilis inibant. At cum Leonis decreto annus Chriſti 444. ijsdem Lunæ characteribus in Kal. Ianuarijs ſignatus, cœperit in Latina quoque Eccleſia fieri Embolimæus, idem exemplum in ceteris quoque ſimilibus annis prævaluit. Nam annus Chriſti 463. prætulit iuxta methodum Cycli, in quo octogeſimus ſecundus numerabatur, Lunam XXVIII. in Kal. Ianuarijs, & conſequenter initium menſis Paſchalis die 5. Martij; Lunam XIV. die 18. Feria II. ac denique Paſcha die 24. Dominica, Luna XX. Et ſanè ſcriptores quos appellavi pag. XXXXV. narrant Latinos anno memoraro Chriſti 463. Paſchali ſolemnitate defunctos fuiſſe die 24. Martij; cum Alexandrini eamdem ad diem 21. Aprilis diſtulerint. His fidem habens Petavius lib. 2. doctr. Temp. cap. 64. pag. 222. ſcribit anno Chriſti 463. Hilaro Pontifice, Latinos inter ac Græcos de die Paſchatis controverſiam inſtauratam fuiſſe: *Nam* Latini, inquit, *Cyclo ſuo V. Martij* 24. *idem feſtum egerunt*; *cum eorum decimaquarta in Martij XIX. Feria II.* (repone III.) *conueniſſet*. Nempè putat apud Latinos eo anno decurriſſe Cycli decemnovennalis Aureum numerum V. diei ſexto Martij adpoſitum. At hunc poſtea Cyclum ad fabulas reijciam. Ex Romana enim veteri ſupputatione, id eſt Cyclo annorum LXXXIV. neomenia Paſchalis non à die 6. ſed ab antecedenti quinto Latinis priſcis colligebatur, ut hactenùs ex Luna XXVIII. in Kalendis Ianuarijs demonſtravi. Verùm opinio quæ per tot eruditorum animos libroſque pervaſit, illiditur marmoreo epitaphio Romano pueri Paſcaſij, quod recitavi ex Cimelijs Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi ac quem dudum meruit titulum, eruditiſſimi D. Raphaelis Fabretti; ibidem enim legimus Paſcaſium *duebus Paſchalibus* PRID. NON. APRIL. DIE IOBIS FL. (omiſſam mihi ſuperiùs familiam Conſulis repono) CONSTANTINO ET RVFO VV. CC. COS. nempè anno memorato 463. baptiſma *percepiſſe* XI. KAL. MAIAS. Ex quo locupletiſſimo teſtimonio oſtenſum mihi eſt, Romanam Eccleſiam, eiuſque poteſtati ſubditos Latinos Epiſcopos, tunc die 21. Aprilis Paſchale feſtum inſtauraſſe. Nullus verò dubito, quin S. Hilarus Papa ad illud Paſcha prodendum, uſus fuerit Cyclo Victorij Aquitani, quo de opere hic mihi pauca prælibanda ſunt, quòd idem Cyclus vetuſtiori alteri annorum LXXXIV. prælatus fuerit. Hilarus dudum Leonis Magni in Epheſina Synodo II. quam Dioſcorus infamem reddidit, Legatus, ac dein Romanæ Eccleſiæ Archidiaconus, *cum pleraque*,

uti idemmet ad Victorium scribit, *de ratione Paschali tam de Græco translata, quàm à Latinis condita recenseret*, atque animaduerteret partium studia omnes ad veritatem vias intercludere, Victorio Aquitano, expertæ & perspectæ eruditionis viro, iniunxit, ut diligenter exponeret tum dissensionum causas, tum etiam modum, quo sedatis litigijs, partes in concordiam venirent, *quatenùs*, inquiens, *cuncti in commune fideles à dubijs omnibus expediti, in summi celebritate mysterij inoffenso devotionis tramite dirigantur*. Victorius accepta Hilari epistola, sedulam in iniunctum sibi munus operam dedit. Medius autem inter Latinos ac Alexandrinos incedens, neomeniam citimam Paschalem in die 7. Martij collocavit; biduo ultra Latinorum, sed uno die citra Alexandrinorum limen. Cum Latinis Lunam XV. à Paschalibus solemnijs exclusit; unde cum ijsdem ad Lunam XXII. eamdem distulit. Ita nullum umquam terminum otiosum aut inutilem habuit, ut eidem perperàm Petavius exprobavit pag. 198. not. Epiphan. ad Hæresim LI. Alogorum. Nam cum citima Neomenia die 7. Martij iniret, Luna XV. cadebat in diem 21. Martij: quæ Luna cum Victorio non esset Paschalis, Pascha semper post diem Æquinoctij suo in Cyclo designabat; secùs ac præstabat Cyclus annorum LXXXIV. in quo bis Pascha die 21. Martij indicebatur. Præterea in tardissimæ Neomeniæ die assignando, secùs ac in citima statuenda fecerat, biduo citra Alexandrinorum; uno verò die ultra Latinorum terminum, eamdem ad diem 3. Aprilis affixit; ita ut quoties Luna XV. in diem Dominicam Aprilis 17. incideret, Pascha in Dominicam diem 24. Aprilis prorogaretur. Id patet, exempli gratia, ex anno 512. eiusdem Cycli, ubi signata *Luna XXVII.* in Kal. Ianuarijs, *Sabbato*, Pascha indicitur *VIII. Kal. Maij*, *Luna XXII.* Erat annus Christi 539. quo in Cyclo Alexandrinorum Aureus numerus VIII. prodit neomeniam Paschalem die 5. Aprilis: Lunam verò XIV. die 18. Aprilis, Feria II. Cyclo Solis XVI. lit. B, Pascha denique die 24. Aprilis, Luna XX. quæ cum Victorio numeretur XXII. eius neomeniam biduo ante Alexandrinos sciscit; nempè à die 3. Aprilis, sivè 8. Pharmuthi, cuius cella vacua erat Alexandrinis; quippè qui nullam ab eo die neomeniam deducebant. In hisce autem neomenijs Paschalibus disponendis, Victorius tum ab Alexandrinis, tum à Latinis etiam recessit. Nam cum isti à die 5. Martij ad 2. Aprilis, illi à die 8. Martij ad 5. Aprilis Neomenias propagarent, utrique dierum 29. spatium extendentes, Lunaris mensis cavi rationem habuere; cum Victorius earumdem spatium à 7. Martij ad 3. Aprilis porrigens, intra dies 28. neomeniarum situm corripuit. Victorius

rius limine ac meta primi mensis ea methodo promotis, difficultates omnes evasit, in quas hactenus Latinos Cyclus annorum LXXXIV. nimia sui contractione coniecerat; idemque Cyclus iam antea à Leone Magno, ut postea expono, antiquatus, recenti ac meliori Victorij periodo cœpit decedere. Hinc censeo Hilarum Papam iuxtà sibi dicatum, suoque etiam iussu concinnatum à Victorio Canonem, Pascha anno memorato Christi 463. XI. Kal. Maij celebrasse, uti laudatum Epitaphium, characteribus in longius quàm nostræ nec diecula quidem dignæ paginæ, ævum duraturis, ostendit.

Luna XXIX. in Kal. Ianuarijs prodebat civiles Neomenias die 3. Ianuarij, & ab hac tertiam die 3. Martij, quæ cum esset extra limen mensis Paschalis, proxima Neomenia Kalendis Aprilis eidem initium dabat. At neomenia Ecclesiastica die 2. Aprilis inibat, quòd mensis illam excipiens, erat in anno sacro Embolimæus; unde initus die 3. Martij, Kalendis Aprilis exibat, cui mensis succedens, ut potè Paschalis, cavus evadebat, qui plenus in anno civili decurrebat. Id palam faciunt collecti dies annorum, qui in Cyclo Kalendis Ianuarijs Luna XXIX. notantur. Nam annus VIII. & LIV. ineunt die 14. Martij, à qua ad diem 31. Martij alterius anni Iuliani colliguntur dies 383. Cum verò neutri anno saltus Lunæ inseratur, ac uterque sit Embolimæus; debent continere dies 384. ac proinde claudi Kalendis Aprilis; qua ratione proximus mensis Paschalis aliàs in anno civili plenus, una die mutilatus, fiebat cavus iuxtà canones Latinorum. Auctores Cycli ita Lunam XXIX. in Kalendis Ianuarijs disposuere, ut numquam ea die concurreret cum literis Dominicalibus G vel A, ne Lunæ XIV. vel XV. diebus Dominicis, 16. aut 17. Aprilis occurrentes, Pascha ultra diem 21. Aprilis postremam tunc magnæ solemnitatis metam, protruderent. Itaque Luna XXIX. Kal. Ianuarijs lit. F, anno IX. Cycli indicabat Pascha die 21. Aprilis, Luna XX. & anno Cycli LV. iuncta litt. E D, designabat eadem solemnia die 19. Aprilis, Luna XVIII.

Reliqua superest exponenda Luna in Kal. Ianuarijs XXX. Hæc in anno civili Lunari die 2. Ianuarij, ac itidem 2. Martij menses cavos excipiebat, qui exibant die 30. utriusque mensis, à die 31. alijs postea mensibus tricenarijs incipientibus. At in anno Ecclesiastico cum Luna XXX. in Kal. Ianuarijs eumdem Embolimæum constitueret, ultimus mensis ex cavo in plenum mutatus, trigesimo die claudebatur; cum menses omnes Embolimi essent tricenarij. Hac quoque methodo suum postea Cyclum Victorius disposuit, quod unius anni 447. Callepio & Ardaburio Coss. exemplo

demonſtro. In Kal. Ianuarijs notatur eidem *Feria IV. Luna XXX.* Paſcha verò: *XII. Kal. Maij*, *Luna XX.* Quare menſis Paſchalis inchoatur apud Victorium eo anno Kalendis Aprilis. Iam verò cum à die 2. Ianuarij ad 31. Martij incluſivè, colligantur dies 89. ex quibus menſes duo tricenarij, & unus cavus conflantur; ac menſis initus poſt Lunam XXX. in Kal. Ianuarijs ſit cavus, duo iunctim pleni menſes ſibi ſuccedunt, quorum alter eſt Embolimus, uti prædixi. In Cyclo Anonymi ter Luna XXX. ineunte anno Iuliano contingit. Primò quidem anno Cycli XXVIII. Feria VI. ſivè lit. C, & iterùm anno XLVII. die Dominica, litt. A G; ac denique anno Cycli LXXIV. Sabbato, ſivè lit. B. Qui omnes anni ſunt in Cyclo Ecclesiaſtico Embolimæi, uti etiam in civili, licèt variato ſitu menſium Embolimorum, qui annum Eccleſiaſticum ſemper claudentes, menſem Paſchalem excipiunt. Anni illi in Cyclo incipiebant die 13. Martij, ac inſequenti anno cum die 31. Martij exibant, dierum 384. Quamvis autem Latini cum Cyclo annorum LXXXIV. uterentur, dici poſſint expoſitam proximè methodum ac formam adhibuiſſe, anno XLVII. Cycli in graviſſima incommoda incidebant. Annus ille Cycli, exempli gratia, decurrebat anno Chriſti 428. Enim verò Neomenia Paſchalis Kal. Aprilis inita, prodebat Lunam XV. die 15. Aprilis, Dominica; & cum ea Luna Latinis non eſſet Paſchalis, in alteram proximè Dominicam Paſcha protrudebat, quæ cum incideret in diem 22. Aprilis, Feſtum ultra terminum in antecedenti die à Latinis poſitum, propellebat. Idem dubium contigerat anno Chriſti 344. quo Anonymus Faſtorum ſcriptor vivebat. Equidem Romanam Eccleſiam ante annum Chriſti 417. numquam Paſcha poſt diem 21. Aprilis peregiſſe, probat exemplum Zoſimi Papæ ſuperiùs expoſitum. Hinc arbitror Latinos anno illo 344. neomeniam menſis Eccleſiaſtici ſivè Paſchalis deduxiſſe à die 31. Martij, à qua menſis anni civilis exordium ducebat; ſivè Embolimo menſe uno die mutilato, ſive præcedenti in cavum demutato, ut poſtea Embolimus tricenarius evaderet. Vetus Auctor centenarij laterculi Paſchalis iuxtà Latinorum quidem regulas, ſed non iuxtà Cyclum noſtri Anonymi, exarati, apud Bucherium pag. 253. ſcribit: *B. Leontio & Salluſtio XVII. Kal. Maij*. Ita anno Biſſextili 344. ſignat Paſcha die 15. Aprilis. Et cum Luna XV. Latinis non eſſet Paſchalis, neomenia eidem colligitur à die 31. Martij, à qua ipſi etiam Alexandrini eo anno Aureo numero III. menſem Paſchalem inchoarunt. Leo Magnus in epiſt. 64. ad Marcianum Auguſtum, cum dixiſſet à die 22. Martij ad 21. Aprilis legitimum Paſchatum ſpatium veteris Romanæ Eccleſiæ ritu præfi-

nitum

nitum esse, addit: *Quòd enim in decimum, & in nonum Kalendarum Maiarum videtur nonnumquam pervenisse festivitas, quadam ratione defenditur*; quòd nempè dies passionis intra diem 21. Aprilis retentus fuerit. Porrò post Zosimi Pontificatum, Pascha iuxtà Alexandrinos anno Christi 428. contigit die 22. Aprilis, & anno 444. die sequenti 23. qua die hoc alterum Pascha à Leone celebratum fuit. Hinc Bucherius suspicatur pag. 425. à Leone indicari etiam Pascha anni 428. Num tum primùm Latini veterem metam transilierint; vel Paschalem neomeniam uno die prævetterint, uti modò declarabam, in medio relinquo.

Eadem Luna XXX. in Kal. Ianuarijs iuxta Cyclum Anonymi, numerabatur anno Christi 455. quo acerrima fuit Alexandrinos inter ac Latinos de die Paschatis controversia. Erat apud illos Aureus num. XIX. dici 9. Pharmuthi, Aprilis 4. adfixus, lit. Dom. B. Luna XIV. contingebat die 17. Aprilis, Dominica; unde iuxtà centenarium Canonem à Theophilo Patriarcha digestum, in diem 29. Pharmuthi, Aprilis 24. Pascha differendum esse contendebant. Extat prolixa de eodem Paschate epistola S. Proterij Patriarchæ ac Martyris ad Leonem Magnum, qui iam ante biennium eo de Festo ad Marcianum Augustum literas miserat, reprehendens Theophilum, qui in laudato canone, anno Christi 455. diem Paschatis adnotasset, quæ, ut in epistola 65. ad Eudociam Augustam loquitur, *à totius antiquitatis exemplo, & ab omni auctoritate Patrum discordat; siquidem in VIII Kal. Maiarum Dominicum Pascha transtulerit; præfinitos antiquitatis limites nimis audenter excedens, cum die quintodecimo Kalendarum Maiarum Paschalem solemnitatem (sicut constituere alij) potuerit annotare*. Rursùs sub initium anni 454. die 9. Ianuarij eo de Festo ad Iulianum Coensem suum apud Augustum legatum scribit, Theophilum in canone, quem anno Christi 380. ediderat, Pascha anno altero futurum, designasse die 24. Aprilis, *quod numquam ita à tempore Dominicæ passionis celebratum est &c. Nam in nostris Annalibus XV. Kalendarum Maiarum die aptissimè à Patribus nostris & constitutus legitur, & celebratus*. Paulus Fori Sempronij Episcopus 1. par. Paulinæ lib. 4. ac 5. quod & indicat Stœfflerus proposit. 35. lit. H, putat Latinos malvisse Pascha die 17. Aprilis, Luna XIV. celebrare, quàm Festum ad diem 24. Aprilis extendere. Quibus similiter de Latinis scribit Petavius lib. 2. de doctr. Temp. cap. 64. pag. 223. *Tunc enim*, inquiens, *ne Paschalis mensis metas transcenderent, decimaquarta Luna celebrabant, quemadmodum Leo docet epist. 64.* Et pag. antecedenti 222. scribit Proterium monuisse Pascha celebrandum esse VIII. Kal. Maias, *non, ut rebatur Leo, Ka-*

lendis (ex Indice erratorum repono *XV. Kalendas*) *Luna decimaquarta*. Itane Latini, qui ne Luna quidem XV. Pascha celebrari posse, quinque fere sæculis adversus Alexandrinos contenderunt, ausi fuissent Pascha ipso die termini, id est, Luna XIV. peragere? In hanc illos præposteram opinionem traxit Cyclus decemnovennalis, quem priscis Latinis imponunt; quæ sanè est insignis eorumdem hallucinatio. Addit ibidem Petavius Latinos, cum illorum Luna XIV. incidisset die 18. Martij, feria VI. neutiquam Pascha die 20. ante Æquinoctium celebrasse, *sed in Aprilem*, inquit, *distulerunt*. *Neomenia Latinorum, ex methodo Victorij, quam aliquot post annos edidit*, *incidebat in III. Aprilis*, *Cyclo illorum XVI. decima quarta Aprilis XVI. Sabbato*; *quem in diem XIII Alexandrinorum cadebat*. Ità ab utrisque Pascha in diem 24. Aprilis dilatum ait, *quemadmodum & Victorij methodus iubet*. Petavius libro eodem pag. 218. & 227. testatur se Victorij Cyclum in codice M S. Sirmondi legisse. At proximè eidem dicta, Victorio affinguntur. Nam Pascha anni Christi 455. ità à Victorio decernitur: *XV. Kal. Maij*, *Luna XVI*. Itaque Neomenia mensis Paschalis à Victorio à die 2. Aprilis aduocatur, non autem à sequenti die tertia, uti sibi fingit Petavius; unde & XIV. incidit apud eundem Victorium in diem XV. Aprilis, Feria VI. Pascha verò in diem 17. sivè ut ille scribit XV. Kal. Maij; quæ ipsa erat Leonis Magni sententia, qui cum in laudatis epistolis scribat simile Pascha iam antea à Patribus peractum, & in Annales relatum, signatumque *XV. Kal Maij* commemorat, Pascha anni Christi 371. designat, quod uti & alterum anno 455. in Cyclo annorum LXXXIV. indicitur die 17. Aprilis, Luna XVII. quæ in laudato Anonymi Cyclo in Kal. Ianuarijs XXX. colligitur. Ea tamen die 17. Aprilis, qua Leo Festum instaurandum censebat, eidem numerabatur Luna XVI. à die 2. Aprilis neomenia deducta, sivè idem Cyclo Anonymi à Prospero reformato, uti putat Bucherius, sivè alio quopiam Paschali Latinorum laterculo uteretur. Nam mihi planè constat S. Leonem Cycli veteris annorum LXXXIV. Lunationes neutiquam admisisse. Nam in epistola 94. ad Marcianum Imperatorem scripta die 6. Iunij, Opilione Consule, nempè anno Christi 453. ait eo anno *pridie Idus Aprilis sanctum Pascha celebravimus*; *sequenti verò anno*, *pridie Nonas Aprilis eadem*, *propitio Deo*, *erit habenda festivitas*. Et in epistola ad Iulianum Coensem Episcopum scripta sub initium anni 454. Aetio & Studio Coss. ait: *De præsentis anni Pascha nulla dubitatio esse nobis potuit*; *sed de futuro*, *quod Theophilus Alexandrinæ urbis Episcopus octavo Kal. Maiarum die*, *quod numquam ità à tempore Dominicæ Resurrectionis celebratum est*,

est, *credidit adscribendum*. Annus Christi 454. erat in Cyclo ab Anonymo in Fastis descripto, LXXIII. præferens in Kal. Ianuarijs Lunam XIX. quæ denuntiabat futuram proximè Neomeniam die 23. Ianuarij, & consequenter tertiam ab illa die 13. Martij, lit. C; unde Luna XIV. Paschalis incidebat in diem 26. Martij, Feria VI. ac dein Pascha die 28. Dominica, Luna XVI. Cum autem Leo contestetur anno illo 454. *sine ulla dubitatione* Pascha celebrandum esse die 4. Aprilis, profectò laudatum Anonymi Cyclum antiquaverat, aut saltem reformarum, ad sui temporis Lunationes accommodaverat.

Rem accuratiùs exponam; inde enim Cyclus ille decemnovennalis priscis Latinis vulgò attributus, validissimè confutatur. Annus Christi 453. erat Cycli toties appellati septuagesimus secundus, notatus in Kalendis Ianuarijs Luna VII. ac Feria V. Cyclo Solis XIV. lit. D. At Luna VII. erat index succedentis proximè Neomeniæ die 25. Ianuarij, & die 25. Martij tertiæ Paschalis. Huius Luna XIV. contingebat die 7. Aprilis, Feria III. Pascha verò die 12. sivè ut ait S. Leo, *pridie Idus Aprilis*, Luna XIX. quæ Alexandrinis fuit XVII. ob neomeniam à die 27. Martij, seu primo ipsorum Pharmuthi collecta, Aureo eorumdem numero XVII. Eo autem anno ad Vrbis meridianum Novilunium medium fuit Martij die 25. hor. 9 8'. 35". post meridiem, Cyclo Anonymi conformiter. In Alexandrino Cyclo Aureo numero XVII. Neomenia non à coitu Luminarium, sed à phase colligitur; cum alijs quibusdam ipsorum numeris etiam à synodo Novilunia deducantur; qua de re quædam inferiùs adnotabo. Annus idem 453. cum esset LXXII. in Cyclo Anonymi, admittebat saltum Lunæ, quo fiebat, ut anno insequenti 454. Luna in Kalendis Ianuarijs diceretur XIX. quæ esset index neomeniæ Paschalis die 13. Martij, ac Lunæ XIV. die 26. Martij, ac tandem Paschatis die 28. Luna XVI. At Leo Pontifex nullo saltu Lunæ anno superiori inserto, anno 454. in Kal. Ianuarijs Lunam XVIII. numerans, neomeniam inde Paschalem collegit die 14. Martij, quæ cum proderet Lunam XV. die 28. Martij, Dominica, nec ea Luna Latinis fas esset, Festum peragere, idem in proximam Dominicam diem 4. Aprilis à Leone translatum fuit, Luna XXII. quæ Alexandrinis erat XX. Aureo numero XVIII. Annus hic Ecclesiasticus fuit apud Latinos simulque Alexandrinos Embolimæus: qui cum iuxtà Leonis Magni calculos à nobis propositos, inierit die 14. Martij, hinc numerati dies 384. exitum habuere Kalendis Aprilis, anno Christi 455. Quare die proxima secunda Aprilis inita neomenia Paschalis, dat Lunam XIV. die 15. Aprilis, Fe-

ria VI. Pascha verò die 17. sivè uti Leo contra Theophilum scribit, *XV. Kalendarum Maiarum die*. Certum est Pontificem Ecclesiasticæ traditionis peritissimum, aliosque Latinos Patres, dum Pascha anni 455. die 17. Aprilis instaurandum commendebant, neomeniam Paschalem neque à die 3. neque ab insequenti 4. Aprilis deduxisse; aliàs Festum egissent Luna XIV. vel XV. quod utrumque cavebant. Quòd verò neque à Kalendis Aprilis Neomeniam venati fuerint, uti fit in Fastis Anonymi, prodit Pascha anno superiori 454. ob Lunam XV. in Dominicam diem 28. Martij incidentem, octiduo tardiùs ad 4. Aprilis transmissum, ex cuius solemnitatis translatione indicatur initium mensis Paschalis à die 14. Martij captum fuisse; & cum annus sequeretur Embolimæus, eumdem desijsse anno Christi 455. Kalendis Aprilis, expletis 384. diebus; ex quibus palàm fit Latinos cum Leone Magno neomeniam Paschalem à die 2. Aprilis inchoandam esse adversùs Alexandrinos censuisse. Novilunium medium eo anno 455. contigit Romæ die 3. Aprilis hor. 3. 29'. 54". à media nocte. Ita Latini Neomeniam cœlestem uno die prævertebant: quam Alexandrini Aureo numero XIX. uno itidem die morabantur. In Fastis Anonymi biduo anticipatur, tum ob saltum Lunæ anno 454. insertum; tum quia Novilunia repetito Cyclo, iam ut plurimùm descendebant uno die, & horis ferè septem, ut superiùs exposui. Atque hæc de controverso Paschate anno Christi 455. quod Leo Pontifex Marciani Augusti rescripto motus, in Latina quoque Ecclesia iuxtà Alexandrinorum sententiam, die 24. Aprilis celebrandum decrevit; quod adeo ægrè & acerbè Latini tulerunt, ut Prosper Aquitanus Chronicon eo ipso anno concludens, scripserit, id factum *pertinaci intentione Alexandrini Episcopi* (erat is Proterius postea Martyr) *cui omnes Orientales consentiendum putaverunt; quamvis S. Papa Leo decimo quinto Kal. Maij potius obseruandum protestaretur*; laudatque Leonis ad Marcianum literas, quibus ait Ecclesiam posse instrui, *quòd hæc persuasio studio unitatis & pacis tolerata sit potiùs quàm probata: nunquam deinceps imitanda, ut quæ exitialem attulit offensionem, omnem in perpetuum perdat auctoritatem*. Bucherius pag. 89. ex altero M S. post verbum *protestaretur*, hæc insuper legit: *In quo nec in ratione Plenilunij, nec in primi mensis limite fuisset erratum*. Orientales enim vitio Latinis dabant, quòd die 17. Aprilis in ipso termino sivè Luna XIV. quam passim illi Plenilunium vocabant, Pascha celebraturi essent, errato etiam limite primi mensis. At utrumque Prosper inficiatur; nam cum Latini mensem primum die 2. Aprilis inchoarent, dies XVII. eisdem Paschalis biduo post Lunam XIV. contingebat.

Hinc

Hinc iam tandem gradum facio ad confutandum Cyclum illum decemnovennalem superiùs in tabulis delineatum, quem Scriptores passim priscis Latinis affingunt. In eiusdem diagrammate Latinorum neomeniæ ijsdem omninò diebus adponuntur, quibus in Cyclo quoque Alexandrino signantur, ea tamen inter utrumque Cyclum differentia; quòd numeri Aurei Latinorum XVI. & V. è regione dierum 5. ac 6. Martij locati, indicant neomenias Paschales mensis primi in anno communi; cum numeri Alexandrinorum XIX. & VIII. ternario Latinis maiores, in ijsdem Martij diebus affixi, inchoent mensem decimum tertium Embolimum, cui postea sub initium Aprilis succedit mensis primus Paschalis. Hæc omnia ingeniosa commenta sunt. Nam uti proximè ostensum est, annus Christi 455. tum in Cyclo Anonymi, tum in eodem reformato, aut altero, quo cum Leone Magno Latini utebantur, erat Embolimæus, non secùs ac apud Alexandrinos Aureo tunc horum currente numero XIX. Ab utrisque Pascha in adultum seu deficientem Aprilem diffundebatur, hoc inter illos discrimine, quòd Latini mensem primum die 2. Aprilis: Alexandrini autem die 4. inchoabant; unde Luna XIV. apud Alexandrinos in diem Dominicam Aprilis 17. incidens, Festum in diem 24. protogabat. Præterea idem Aureus numerus Alexandrinorum XIX. proximè signaverat annum Christi 436. qui cum esset Anonymi LV. in Kal. Ianuarijs præferens Lunam XXIX. sortiebatur Neomenias die 3. Ianuarij, ac tertia Martij; & hæc altera extra limen Paschale, initium dabat mensi Embolimo, cui die 2. Aprilis succedebat apud Latinos neomenia Paschalis. Ita eo anno Pascha peractum fuit die 19. Aprilis, Luna apud Romanos XVIII. quæ Alexandrinis erat XVI. Redeo ad annum 455. quo cum Latini celebraturi essent Pascha die 17. Aprilis, à Prospero tum superstite, magnæ eruditionis viro, dicuntur neutiquam errasse *in ratione Plenilunij*; quia, ut ostendi, Latini cum S. Leone Pontifice à die 2. Aprilis primi mensis Neomeniam sciscebant, quam post biduum Alexandrini cum S. Proterio Patriarcha aduocabant. Cum ergo eo anno in ætate Lunæ numeranda, discreparent, in prioribus quoque annis diversa apud utrosque Lunæ ætas colligebatur; nisi fingantur Latini cuipiam anno binos dies addidisse, aut Græci totidem detraxisse. Nam cum anni tum communes tum Embolimęi ijsdem apud utrosque diebus complerentur, unius anni 455. neomenia à Latinis biduo ante Alexandrinos semel posita, ceterorum quoque mensium ac annorum pręcedentium Neomenias biduo prævertat oportet, quousque saltu Lunę interveniente, unius tantum diei discrepantia resultet. Hæc

funditùs evertunt Cyclum, quem priscorum Latinorum vocant, in quo Neomeniæ ijsdem ac in Alexandrinorum Cyclo, diebus exhibentur.

Sanctus Cyrillus in prologo Paschali scribit: quam Latini *Lunam tertiam, vel decimam sextam, vel vigesimam tertiam impropriè nuncupant, hanc Sanctus Theophilus primam, vel decimam quartam, vel vigesimam primam, cœlo demonstrante, confirmat*; quòd Latini sæpè Neomenias biduo ante Alexandrinos auspicabantur, uti modò de neomenia Paschali anni Christi 455. prænotabam. Hoc ipsum insignis harumce rerum inter Latinos Scriptor Victorius Aquitanus prodit, narrans in Præfatione, Latinos ac Alexandrinos plerumque eadem die festum Paschale instaurare; *sed in Luna*, inquit, *dinumeratione variatur. Cumque eam Aegyptij decimam quintam Lunam in die Pascha, verbi gratia, numerent, nostri*, id est, Latini, *eamdem sextam decimam, vel decimam septimam calculantur*. At in Cyclo Latinis priscis affictо, cum Neomeniæ ijsdem ac in Alexandrino, diebus obsignentur, Luna apud utrosque pari semper ætate decurrens, obtruditur. Hæc sanè Stœffletus scribit in suo Kalendario proposit. 34. litt. A c: *Haud quaquam enim Alexandrini sivè Græci & prisci Latini invicem digladiati sunt super Lunæ ætate inquirenda, quia eorum Cycli eamdem semper propemodùm ætatem Lunæ commonstrant*; quas tamen voces laudata proximè testimonia, manifestæ falsitatis convincunt. In Cyclo annorum LXXXIV. quo Latinos Patres quarto Christi sęculo, ac magna etiam quinti parte usos probaui, Neomeniæ Paschales a die quinta Martij per singulos deinceps eiusdem mensis dies vagantes, duos quoque Aprilis priores dies occupant. Alexandrini autem eorum dierum spatio, decem in suo Cyclo dies Aureis numeris vacuos reliquerunt, cum ijsdem nullas umquam Paschales neomenias contingere arbitrarentur: videlicèt Martij 7. 10. 13. 15. 18. 21. 24. 26. 29. ac Kalendis Aprilis, quibus tamen diebus ille Latinorum Cyclus Neomenias non semel indicit. Hinc orta est illa apud utrosque in ætate Lunę numeranda, diversitas, qua non raró fiebat, ut in hebdomade Paschali statuenda, discordarent. Hoc patet ex Paschate anni Christi 455. quo cum neomenia Paschalis ab Alexandrinis Aureo ipsorum numero XIX. à die 9. Pharmuthi, 4. Aprilis, sciscеretur; ac Luna XIV. incideret in diem 17. Aprilis, Dominicam, Festum in diem 24. transmiserunt. Erat ille annus in Cyclo Latinorum LXXIV. signatus in Kalendis Ianuarijs Luna XXX. quæ prodebat neomeniam Paschalem Kalendis Aprilis: Lunam XIV. die 14. Feria V. ac denique Pascha die 17. eiusdem Aprilis, Luna XVII.

quæ

quæ S. Leoni Magno numerabatur XVI. ob neomeniam die 2. Aprilis inchoatam. At in Cyclo decemnovennali, quem priscis Latinis vulgò imputant, numquam ex diversa ætatis Lunæ supputatione Latinos inter ac Alexandrinos hebdomas Paschalis variabatur; sed solummodò cum Luna XV. in diem Dominicam incidebat, ut iam prænotavi. Hinc etiam patet perperàm Latinis eum Cyclum adscribi, in quo Aureo currente Alexandrinorum numero XIX. ijdem Latini Aureo suo numero XVI. annum communem seruantes, neomeniam Paschalem semper à die 5. Martij inibant, quam Græci, annum tunc Embolimæum colligentes, ad diem 4. Aprilis prorogabant. Nam anno laudato 455. Latini Alexandrinis similiter, mensem intercalarem inserentes, neomeniam anni sacri ad initium Aprilis transtulerunt. Prçterea anno Christi 436. Aureo numero XIX. Alexandrini mensem Paschalem inierunt die 4. Aprilis; Pascha verò celebrarunt die 19. Luna XVI. In Cyclo Latinorum erat ille annus LV. signatus in Kalendis Ianuarijs Luna XXIX. ex qua colligebatur initium mensis Paschalis die 2. Aprilis; Pascha die 19. Luna XVIII. Quare ille annus fuit apud utrosque Embolimçus. Novilunium medium eo anno 436. contigit Romç Aprilis die 2. hor. 10. 57'. 28''. à media nocte; Latinorum Cyclo conformiter; quod tamen biduo Alexandrini morabantur. At anno Christi 398. & 417. cum Aureus numerus XIX. Alexandrinorum concurreret cum annis XVII. & XXXVI. Cycli Latinorum, qui eosdem annos habebant simplices, ideo mensis Paschalis apud utrosque diversus evasit. Aureus tamen numerus VIII. Alexandrinorum cum intercalari mense apud eosdem iunctus, semper concurrebat cum annis in Cyclo Latinorum communibus, ita ut Pascha diverso ab utrisque mense perageretur. Ceterum Aureo Grçcorum numero VIII. Latini neutiquam mensem Paschalem una eademque die 5. Martij inchoabant. Nam anno Christi 311. & iterum 330. neomenia Paschalis à die 7. Martij à Latinis advocabatur. At anno 387. in die 6. figebatur; & anno 406. & 425. ad diem 5. eiusdem Martij in Latinorum Cyclo retrahebatur, ut patet in descriptis superiùs tabulis. Quibus tamen annis decurrebat Aureus numerus VIII. Alexandrinorum. Cum ergo hoc labente apud Grçcos Numero, neomenia Paschalis in Cyclo Latinorum aliquando die 5. quandoque 6. & alias etiam 7. Martij iniretur; eadem tamen in fictitio illo Latinorum Cyclo decemnovennali ad diem tantum 6 Martij invariata methodo, fixa nobis obtruditur. Denique falso scribunt, Aureis tantùm numeris VIII. & XIX. Alexandrinos in mense Paschali à Latinis dissensisse. Nam variatus quoque fuit mensis, quoties in Cyclo

clo Latinorum Luna in Kalendis Ianuarijs XXVIII. cum Aureo numero XI. Alexandrinorum concurrebat, uti accidit anno Christi 333. quo Alexandrini die 2. Aprilis mensem Paschalem inchoantes, cum Luna XIV. in diem 15. Aprilis, Dominicam, incidisset, solemnia die 22. celebrarunt. At cum hæc dies esset extra metam Paschalem Latinorum, ijdem mensem sacrum die 5. Martij inchoarunt, ut in descriptis superiùs tabulis patet, in quibus eadem Luna XXVIII. in Kalendis Ianuarijs prænotatur anno Christi 333. & in repetito Cyclo, anno 417. quo constat Latinos Pascha mense Martio celebrasse.

Quamvis fictitij Cycli decemnovennalis priscis Latinis passim imputati, falsitas satis iam appareat, eamdem tamen amplissimis ac certissimis veterum Patrum testimonijs iterùm demonstrabo. In primis Innocentius Papa in epistola XIV. ad Aurelium Metropolitam Carthaginensem, hæc de dubio die cuiusdam Paschatis scribit: *Nam cum ante undecimum Kalendarum Aprilium penè Luna XVI. colligatur (nam quippiam minus est) itemque cum ante diem quartum Kalendarum earumdem veniat vigesima tertia; existimavi undecimo memoratarum Kalendarum die festa Paschalia celebranda &c.* Hæc Sancti Pontificis verba superiùs pag. XXXVII. laudavi, quæ cum rem planè conficiant, hic rursùs repetenda fuerunt. Scriptores ibidem à me appellati, putant eo loco designari ab Innocentio Pascha anni Christi 403. Aureo numero Alexandrinorum V. & uti fingunt, Latinorum II. qui numeri produnt apud utrosque neomeniam Paschalem die 9. Martij. At hoc non tantum commentum est, verùm etiam ex Cyclo illo ficto hæreseos crimen impingitur Innocentio Pontifici, dum in errorem Quartadecimanorum ab ipsis trahitur. Nam anno 403. Neomenia inita die 9. Martij, prodit Lunam XIV. die 22. Martij, Dominica, Cyclo Solis XX. lit. D, unde iuxtà vulgarem eorumdem opinionem, Pontifex in die termini, sivè Luna XIV. Pascha designasset; quod tamen Catholica diu ante Ecclesia damnaverat. Profectò Innocentius die 22. Martij numerans Lunam penè XVI. & die 29. Lunam XXIII. neutiquam à die 9. eiusdem neomeniam collegit. Stœfflerus proposit. 33. lit. E, scribit dissensionem de Paschate anni Christi 403. ortam *ex diverso modo computandi ætatem Lunæ; quia initium supputationis sumpsit Innocentius à coitu luminarium: Theophilus ac Cyrillus à die prima post conuentionem luminarium*. Equidem insignis Astronomus ex illis Innocentij verbis: *nam quippiam minus est*, intellexit ætatem Lunæ non designari iuxtà Cyclum, in quo, quod minus proximè est Luna decima sexta, Luna XV. vocatur, cum in Cyclis horæ ac minuta

nuta non signentur; Romanis verò Luna XV. non erat Paschalis. Ceterum Stœfflerus Astronomicas tabulas non consulvit, cum illa in literas misit. Nam laudatæ tabulæ anno Christi 403. produnt Novilunium medium Alexandriæ, cuius sacris tunc Theophilus Patriarcha præsidebat, die 9. Martij, hor. 12. 15'. 48". post mediam noctem; quo anno currebat apud Alexandrinos Aureus numerus V. ad diem 13. Phamenoth, 9. Martij, adfixus. Itaque non Innocentius Papa, sed Theophilus eo anno in suo Cyclo neomeniam Paschalem ab ipso iugo sivè coitu luminarium designavit, non autem postridie synodum eorumdem, uti Stœfflerus asseruit. Erat annus ille in Latinorum Cyclo vigesimus secundus, prodens neomeniam Paschalem die 9. Martij, cœlestibus Lunæ motibus conformiter. Petrus Pitatus celebris noster Veronensis Mathematicus, eumdem lapidem offendit, scribens cap. 15. Canon. Paschalium, tempore Theophili Aureos numeros uno die subsecutos fuisse media Novilunia. Nam id universim falsum est; plures enim Aurei numeri neomenias ipsismet diebus coitus Luminarium denuntiabant, ut in Novilunijs prioris Cycli Theophili ab anno Christi 380. in expansis tabulis ad Prutenicum meridianum digestis, ostendit Petavius lib. 5. doctr. Temp. cap. 14. Itaque Innocentius die 22. Martij numerans Lunam XVI. eiusdem neomeniam dubio procul à die 7. Martij deduxit; ac proinde indicat ibidem Pascha anni Christi 414. qui fuit Cycli Latinorum XXXIII. præferens in Kalendis Ianuarijs Lunam XXV. ac proinde indicans neomeniam Paschalem die 7. Martij; Pascha autem die 22. Luna XVI. Cyclo Solis III. lit. D. Victorius eo anno 414. Constantio & Costante Coss. numerat in Kal. Ianuarijs Lunam XXV. designatque Pascha *XI. Kal. Aprilis*, *Luna XVI.* ita ut illi à die 7. Martij eiusdem neomenia deducatur, quæ ipsissima fuerat S. Innocentij supputatio. Enimverò anno memorato 414. Novilunium medium ad meridianum urbis Romæ, ex tabulis Parisinis commissum fuit Martij die 7. hor. 2. 31'. post meridiem. Aureus tunc numerus Alexandrinorum XVI. ad diem 12. Phamenoth, 8. Martij, adpositus, neomeniam postridie synodum luminarium notabat; unde opposito planè modo, ac Stœfflerus scribit, Innocentius ac Theophilus illam neomeniam venati sunt. Romani eius anni Pascha celebrarùnt Luna XVI. Alexandrini autem cum Cyrillo, mortuo ante biennium Theophilo illius avunculo, Luna XV.

Hinc colligimus Romanam Ecclesiam ea ætate Cyclum illum decemnovennalem ab Scriptoribus vulgò Latinis priscis adscriptum, penitus ignorasse. Nam in illo dies VII. Martij nullo Aureo numero,

ro,

ro, uti nec apud Alexandrinos eidem correſpondens dies XI. Phamenoth, obſignatur; ac conſequenter nullam Latini Neomeniam iuxtà vulgarem opinionem, à 7. Martij arceſſebant. Cum autem demonſtratum ſit Lunationem, cuius dies decima ſexta cum 22. Martij, ac vigeſima tertia cum die 29. eiuſdem menſis ab Innocentio componuntur, initium cepiſſe die 7. Martij, planum fit, Romanam Eccleſiam præter eius fictitij Cycli canones, Paſchalia ſolemnia quinto etiam Chriſti ſæculo labente, ſanxiſſe; & quidem iuxtà methodum Cycli annorum LXXXIV. ut oſtendi, qui proinde à Paſchaſino *Romana ſupputatio* appellatur, uti Bucherius eruditè ac alia plurima, unus mihi lampadem præferens, prænotavit. Jam verò neomenia cœpta die 7. Martij, prodit Lunam XIV. die 20. Martij, pridie Æquinoctium Nicænum. Hinc patet canonem Alexandrinorum, quo citima Luna XIV. à die tantum 21. Martij advocabatur, non eſſe Nicænum; cum Romana Eccleſia eius Synodi decreta ſumma religione obſervaverit. Enimverò una illa neomenia Paſchalis ab Innocentio Pontifice eo anno in die 7. Martij ſemel fixa, univerſas penè illas cellulas belliſſimas fictitij Latinorum Cycli ſubvertit, earumque Aureos numeros adeo ingenioſè diſpoſitos, ſusdeque commutat, ita ut & vacuæ cellulæ impleantur, & plenæ evacuentur. Nam menſis primus anni Eccleſiaſtici initus die 7. Marti, indicat die ſuperiori ſexta exitum anni proximè ſuperioris, qui cum fuerit communis dierum 354. per totidem dies retrocedentes, inveniemus eiuſdem neomeniam die 18. Martij, anno Chriſti 413. quam tamen diem Aureo numero vacuam in Latinorum, quem finxere, Cyclo conſpicio, uti etiam in Alexandrino die 22. Phamenoth. Rursùs annus iuxta Innocentium inchoatus die 7. Martij, anno Chriſti 414. cum idem tum Alexandrinis tum etiam Latinis fuerit Embolimæus dierum 384. exitum habuit anno 415. die 25. Martij, ac Romæ Innocentius die 26. inſequenti neomeniam menſis primi inchoavit. At anno 415. Aureus numerus Alexandrinorum XVII. Latinorum, ut aiunt, XIV. die 27. Martij neomenias indicunt, vacua Aureo numero cellula diei 26. antecedentis. In Cyclo annorum LXXXIV. neomeniæ Paſchales denuntiantur die 18. Martij anno 413. & die 26. eiusdem menſis anno 415. Et licèt anno Chriſti 417. Aureo numero XIX. Alexandrini ſaltum Lunæ inſerverint, cum idem annus fuerit Cycli Latinorum XXXVI. ſaltum ipſe quoque Lunarem admiſit; unde & proximè inſequentibus annis utrique diverſa Lunæ ætate, ſolemnia Paſchalia peregerunt, cum Latini neomenias pridie quàm Alexandrini, advocarent . . .

Denique priſcos Latinos à Synodo Nicæna ad Leonis Magni ponti-

pontificatum, nullo decemnovennali Cyclo usos fuisse, indicant Ambrosius in laudata epistola ad Episcopos Æmiliæ, Paschasinus, Victorius, ac Dionysius Exiguus; qui omnes Enneadecaeteridem veluti proprium Alexandrinorum Cyclum laudant; cum tamen alter etiam Cyclus, quem Latinis familiarem fuisse publicant, sit pura puta Enneadecaeteris, eo tantùm ab Alexandrina diversa, quòd ab ista in limine ac meta mensis Paschalis constituendis, discordat. Paschasinus in literis ad Leonem Magnum, scribit legatam supputationem *à Romanis ignorari*; quam statim explicans, ait priorem eius partem esse Ogdoadem, cuius etiam annos communes & Embolimæos numerat; additque: *Et ne hoc quod exposuimus, Beatitudini vestra obscuritatem aliquam afferat &c.* At planè ijs verbis iniuriam Leoni Papæ importasset, qui Ogdoadem non intelligeret, quæ est prior pars cuiuscumque Enneadecaeteridos, quæ ex Ogdoade & Hendecade, id est, annis VIII. & XI. componitur; si Romani ea ætate, illa Enneadecaeteride usi fuissent. Victorius Aquitanus scribit se Lunationes variamque Lunæ ætatem collegisse *iuxtà Aegyptiam disciplinam: qua evidentissimè deprehensum est, quòd novemdecim annorum porrecta curriculis, in semetipsa semper ijsdem vestigijs se revoluens, annum quem vigesimum inchoat, hunc eundem metiatur & primum.* Hæc ille scribebat anno Christi 457. At illud ipsum præstat decemnovennalis ille Cyclus Latinorum, ita ut huiusce potius methodus, ut potè apud Latinos, quibus scribebat, frequentata, quam Ægyptiorum periodus inculcanda fuisset. Hic Latinorum primus Enneadecaeteridem ad eorumdem canones partim inflexam, per duodetriginta Solis Cyclos circumductam, in periodum annorum 532. ingeniosè convertit, effecitque ne Latina Ecclesia uno priùs mense, quam Orientales, Pascha celebraret. Haud tamen neomenias singulas ad eosdem dies cum Alexandrinis adstrinxit; sed undecim illarum in ijs diebus collocavit, quorum cellulæ in Cyclo eorumdem Aureo numero vacuæ remanserant. Præterea saltum Lunæ anno XVI. Cycli admisit, qui cum Aureo numero VI. Alexandrinorum corresponderet, tredecim annorum spatio uno die Lunam quàm in Alexandrino Cyclo, maiorem exhibet, quousque Aureo numero Alexandrinorum XIX. Luna saltum admittens, sex postea annis pari ætate in Victorij etiam Cyclo decurrit, ut rectè monuit Beda cap. 40. de rat. Temporum. Hinc Scriptores, quos in præsentia refuto, putarunt priscos Latinos anno XVI. Cycli decemnovennalis saltum Lunæ inseruisse; cum non illi, sed Victorius postea saltum Lunarem anno recèns abs se constructi Cycli decimo sexto indiderit; qui tamen annus cum sexto, uti

uti prędixi, non autem cum XIX. Cycli Alexandrinorum concurrebat, quemadmodum ijdem Scriptores perperàm fibi perfuafere; unde eodem anno in utroque Cyclo faltum Lunæ collocantes, pari femper ætate Lunam apud Alexandrinos nec non Latinos obtrudunt; Porro idem Victorius tot Alexandrinorum Cyclos multiplicavit, quousque in periodum magnam annorum 532. redacti, Feriarum ac Pafchalium Lunationum apocataftafim exhiberent, qua novo fuo Cyclo gratiam apud Latinos conciliaret; quippè qui non alia potiori ratione methodum Cycli annorum LXXXIV. Alexandrinorum Enneadecaeteridi præponendam effe ducebant, quam quòd ille invariata lege, Ferias ac neomenias Pafchales in orbem ducebat. Hoc ipfum anno ante Victorium vigefimo, nempè Chrifti 437. tentarat Cyrillus Alexandrinus, Cyclum condens annorum XCV. videlicèt quinque Enneadecaeteridas in unam periodum redigens, qua Feriarum ac Noviluniorum apocataftafim fieri exiftimavit; ut ea faltem utriufque tituli ratione, decantatam à Latinis Cycli annorum LXXXIV. fupra ceteros, excellentiam æquaret. At Cyclus annorum 95. in quinta fui revolutione neutiquam easdem Ferias in orbem ducit; ac confequenter Pafcha ad diverfos dies tranfmittit. Hunc illius Cycli defectum prænotavit Dionyfius Exiguus in epiftola ad Petronium Epifcopum, ac poft Scaligerum, in expanfis tabulis demonftravit Petavius lib. 2. doctr. Temp. cap. 67. Hinc cum Cyrilli Cyclus, quem Victorius in præfatione memorat, a Feriarum ac dierum Pafchalium apocataftafi deficeret, idem Victorius laudatam annorum 532. periodum fumma cum laude concinnavit. Nam multiplicatis XIX. Cyclis Lunaribus per 28. Cyclos Solares, ac itidem hifce Solaribus per novemdecim Lunares iteratis, omnes varietates Lunæ XIV. quæ ex Lunari Cyclo dependent, & diverfitates Feriarum in diverfos dies incidentium, quæ ex Solari Cyclo proveniunt, utroque Cyclo invicem multiplicato, eodem ordine reftaurati credebantur. Quamvis autem Victoriana periodus omnem de menfe Pafchali difcordiam inter Alexandrinam Latinamque Ecclefiam extinxerit, veteres tamen de die Pafchali contentiones reliquit. Nam cum Victorius iuxta Latinorum canones, Lunam XV. a Pafchalibus folemnijs exclulerit, quoties eadem in Dominicam diem in fuo Cyclo incidebat, Pafcha una hebdomade tardius quàm Alexandrini, defignavit. Rursùs cum metam neomenijs Pafchalibus in die 3. Aprilis biduo citra Alexandrinos pofuerit, Pafcha quandoque octiduo citiùs Alexandrinis indicit; ita ut in toto Cyclo bis ac triciès diverfo ab Alexandrino Cyclo die, Pafcha denuntiet, uti rectè Bucherius

berius observat in notis ad eiusdem canonem, cap. 8. Hæc tamen, minora licèt, inter utramque Ecclesiam dissidia cum plurimis displicerent, Dionysius Exiguus anno à condito Victoriano Cyclo LXVIII. qui fuit Christianæ Epochæ 523. Victorij Cyclum annorum 532. iam passim à Latinis laudatum, ad Alexandrinorum canones facili negotio transduxit; nempè initio mensis Paschalis uno die promoto, ac tardissima neomenia à die tertia in quintam Aprilis translata, ac Luna XV. intra Paschalia solemnia recepta. Cum verò ea ratione reformatum Victorij Cyclum Romana Ecclesia approbasset, omnis deinceps vetusti Latinorum Cycli annorum LXXXIV. usus cessavit; nisi quòd eiusdem abusus apud remotos à nostro Orbe Scotos ac Britones, à Beda lib. 2. hist. Angl. cap. 2. recenseatur; illi enim Pascha, inquit, *à XIV. ad XX. Lunam observabant. Quæ computatio LXXXIV. annorum Circulo continetur*; ita illum Cyclum ad suos errores detorserant; cum in eodem quamdiu apud Latinos prævaluit, Pascha à Luna dumtaxat XVI. ad XXII. extenderetur. Idem autem Dionysius Exiguus in epistola ad Petronium Episcopum Cyclum decemnovennalem veluti Latinis prorsus ignoratum, describit, eumdem laudans tanquam in Nicæna Synodo *non tam peritia singulari, quàm S. Spiritus illustratione* propositum. At Cyclum decemnovennalem Meton Rhodius insignis Astronomus anno ante Nicænam Synodum 758. Athenis proposuerat, quem postea Calippus emendavit, uti & Calippicam etiam periodum Hipparchus & ipse Rhodius altero ante Christi Natalem sæculo reformavit. Anatolius Alexandrinus Laodiceæ maritimæ in Syria Episcopus, qui imperante Probo, floruit, Christianorum primus, quem sciamus, eius Cycli methodo neomenias Paschales exposuit; & postea Alexandrina Ecclesia eamdem periodum propriam sibi fecit, ita ut Nicæna Synodus indicendi Paschalis Festi curam Episcopo Alexandrino commiserit; *quoniam*, uti Leo Magnus scribit in epist. 64. *apud Aegyptios huius supputationis antiquitùs tradita esse videbatur peritia*. Verùm cum Alexandrini Paschalem Cyclum quibusdam regulis adstrinxerint, quæ vetustis Latinorum canonibus repugnabant, ideo isti ipsum quoque Cyclum admittere recusarunt, quousque à Victorio in magnam periodum multiplicatum, ac à Dionysio ad Alexandrinam amussim reformatum, pacis tandem studio, sexto Christi sæculo in Italia præsertim admiserunt. Ceterùm quamvis vetustior Latinorum Cyclus annorum 84. & recentior Victorij ac Dionysij annorum 532. eamdem Feriarum apocatastasim, eundemque dierum solemnium Paschatis ordinem in orbem æquè ducere viderentur; uterque tamen

 con-

contrario invicem vitio à cœlestibus Lunæ motibus aberrans, neomenias Paſchales erroneis characteribus deſignabat. Nam, ut ſuperiùs oſtendi, Cyclus Latinorum cœleſtia Novilunia prævertebat; ſiquidem illa poſt annos 84. inferiùs deſcendebant uno die, hor. 6. 51'. 4". Cyclus verò Dionysij eadem morabatur; quippè quæ poſt annos 532. citius contingerent die uno, hor. 16. 51'. 15". 8"., quam Lunaris προηγήσεως ſivè anticipationis notitiam boni illi viri neutiquam aſſecuti ſunt; quamvis idem vitium olim Hipparchus in Calippi periodo annorum 76. prænotaſſet: quæ quidem periodus ſepties ducta, format laudatum Victorij Cyclum annorum 532. erroremque aucta multiplicat. Hic tamen Cyclus pluribus ſæculis in Latina Eccleſia ſervatus, non modò Æquinoctium à die 21. Martij, Nicæno limite, ad diem 10. retraxerat, verùm etiam neomenias ultra quatriduum præcipitauerat; & quamvis error popularis ipſis iam oculis appareret, nulla planè methodus proponi poſſe videbatur, qua ita Æquinoctio immobilis ſedes aſſignaretur, ut unà ſimul Novilunia ſuos intra dies retinerentur. Plerique ſanè Aſtronomicæ ſcientiæ periti, varias emendandi Kalendarij formas procuderunt, quos inter emicuit Petri Pitati Veronenſis Mathematici ſtudium ac diligentia; ille enim pluribus ea de re editis voluminibus, novum emendationis typum propoſuit. Alterum tamen Veronenſem reſtituti Kalendarij gloria manebat, Aloyſium Lilium, qui diuturniori meditatione duo, quæ non pauci viri doctiſſimi componi poſſe negabant, ingenioſè coniunxit; videlicèt ut Æquinoctio certus ac fixus in Kalendario limes poneretur, ex quo nullo umquam futuro tempore in ſuperiores dies reſiliret, ac perpetua Neomeniarum revolutio in eodem Kalendario deſcriberetur; quod alterum Epactarum XXX. inventione earumque artificioſa diſpoſitione perfecit. Hoc Lilianum Kalendarium inſignium virorum, Academiarum, & magnorum Principum calculis comprobatum, Gregorius XIII. Pont. Max. univerſæ Catholicæ Eccleſiæ obſeruandum propoſuit; quod dignius ab approbatore atque aſſertore cognomen ſortitum, *Kalendarium Gregorianum* paſſim iam ab omnibus appellatur; ita ut Orthodoxi Dionyſianæ periodi, quam ultra mille annos ſumma veneratione ſeruaverant, uſum perdiderint, ſimulque omnis prorſus vetuſtioris Latinorum Cycli memoria extincta ſit, in quam inventi nuper Faſti Conſulares, ad illius methodum prænotati, me revocarunt.

Hactenus Cycli annorum LXXXIV. apud veteres Latinos uſum tum civilem, uti apud Anonymum Conſularium Faſtorum deſcriptorem, in deſignanda ætate Lunæ in Kalendis Ianuarijs; tum etiam

etiam Ecclesiasticum in Paschalibus neomenijs indicandis, exposui; simulque eiusdem Cycli vitium ostendi, quo Novilunia cœlestia annis quidem prioribus pluribus diebus morabatur; posteriori verò ætate eadem prævertebat. Vnum adhuc superest, ut eiusmet Periodi defectum corrigamus, veram ætatem Lunæ in singulis Kalendis Ianuarijs ex Astronomicis tabulis mediorum motuum designantes. Qui quidem medij motus, quamvis reapse in cœlestibus Luminaribus non reperiunrur, ab Astronomis tamen ad calculi facilitatem inuenti sunt, ut annos Lunares Synodicos æquales & uniformes constituerent; cum ea ratione ad annorum civilium, qui in Cyclis disponuntur, methodum propiùs accedant, quàm motus veri, qui ob anomaliam Lunarem sunt inæquales; Luna enim aliquot gradibus aut scrupulis locum coniunctionis cum Sole ferè semper aut præcedit, aut sequitur; unde motus medius verum modò antevertit, modò subsequitur. Cum Anonymus primum integrum Cyclum ab A. V. 295. exordiatur, ac Kalendas Ianuarias in anno Iuliano proleptico feriæ ac ætatis Lunæ characteribus designet, media Novilunia mensis Decembris ab A. V. 294. ad exitum usquè prioris Cycli contexui; inde enim vera ætas Lunæ ineuntibus proximè Kalendis Ianuarijs, intelligetur. Si quis tamen velit assequi ætatem Lunæ etiam in primis Kalendis præcedentium annorum, videlicèt ab anno Vrbis 246. à quo Anonymus Fastos Consulares deduxit, ad A. V. 295. id faciliter hac methodo præstatur. Anno præcedenti Kalendas Ianuarias, quibus ætarem Lunæ inquiris, adde annos 84. & inde collecto anno, eiusdem Novilunio mense Decembri in subiecta Tabula designato, subtrahe diem, horas 6. 51'. 4". habebis Novilunium mensis Decembris in anno quæsito, ex quo ætatem Lunæ in Kalendis proximis Ianuarijs intelliges. Vis scire, exempli gratia, ætatem Lunæ in Kalendis Ianuarijs anni Vrbis à parilibus 246. quo primi Consules Brutus ac Collatinus in Fastis signantur. Anno antecedenti 245. adde annos 84. & habebis annum Vrbis 329. quo in Tabula Novilunium notatur Decembris die 21. hor. 19. 42'. 26". Subtrahe huic tempori diem, horas 6. 51'. 4". habebis A. V. 245. Novilunium Decembris die 20. hor. 12. 51'. 22". post meridiem; ac proinde Luna proximis Kalendis Ianuarijs A. V. à parilibus 246. fuit XII. quæ ab Anonymo inirio Fastorum *vicesima octaua* perperàm numeratur. Quòd verò eo in Cyclo Romanorum Consulum series recitatur, Novilunia ad meridianum urbis Romæ subduxi, & quidem more Astronomorum à meridie. Anni qui in laterculis quarto quoque loco disponuntur, sunt Bissextiles.

TABVLA NEOMENIARVM

Menſis Decembris, in Annis Cycli annorum LXXXIV. ex quibus vera ætas Lunæ proximis Kal. Ianuarijs in eadem Periodo errata, reſtituitur.

Anni Vrbis	Anni Cycli	Novilunia menſis Decembris			
		Dies	Horæ	′	″
294		19	1	47	25
295	1	8	10	36	4
296	2	27	8	8	46
297	3	15	16	57	24
298	4	5	1	46	2
299	5	23	23	18	43
300	6	13	8	7	21
301	7	31	5	40	2
302	8	20	14	28	40
303	9	9	23	17	19
304	10	18	20	50	0
305	11	17	5	38	38
306	12	6	14	27	16
307	13	25	11	59	58
308	14	14	20	48	36
309	15	3	5	37	14
310	16	22	3	9	55
311	17	11	11	58	33
312	18	30	9	31	15
313	19	18	18	19	53
314	20	8	3	8	31
315	21	27	0	41	12
316	22	16	9	29	51
317	23	4	18	18	29

Anni Vrbis	Anni Cycli	Novilunia menſis Decembris			
		D.	H.	′	″
318	24	23	15	51	10
319	25	13	0	39	48
320	26	31	22	12	30
321	27	20	7	1	8
322	28	9	15	49	46
323	29	28	13	22	28
324	30	17	22	11	6
325	31	6	6	59	44
326	32	25	4	32	25
327	33	14	13	21	3
328	34	3	22	9	42
329	35	21	19	42	23
330	36	11	4	31	1
331	37	30	2	3	42
332	38	19	10	52	21
333	39	7	19	40	59
334	40	26	17	13	40
335	41	16	2	2	18
336	42	5	10	50	56
337	43	23	8	23	38
338	44	12	17	12	16
339	45	31	14	44	57
340	46	20	23	33	35
341	47	9	8	22	14

Anni Vrbis	Anni Cycli	Novilunia mensis Decembris			
		D.	H.	′	″
342	48	28	5	54	56
343	49	17	14	43	34
344	50	6	23	32	13
345	51	24	21	4	54
346	52	14	5	53	32
347	53	3	14	42	11
348	54	22	12	14	52
349	55	10	21	3	30
350	56	29	18	36	12
351	57	19	3	24	50
352	58	8	12	13	28
353	59	26	9	46	9
354	60	15	18	34	48
355	61	5	3	23	26
356	62	24	0	56	7
357	63	12	9	44	45
358	64	31	7	17	26
359	65	20	16	6	4
360	66	10	0	54	42
361	67	27	22	27	23
362	68	17	7	16	2
363	69	6	16	4	40
364	70	25	13	37	21
365	71	13	22	26	59

Anni Vrbis	Anni Cycli	Novilunia mensis Decembris			
		D.	H.	′	″
366	72	3	7	15	37
367	73	22	4	48	18
368	74	11	13	36	56
369	75	29	11	9	37
370	76	18	19	57	15
371	77	8	4	45	54
372	78	27	2	18	35
373	79	15	11	7	13
374	80	4	19	55	51
375	81	23	17	28	32
376	82	13	2	17	10
377	83	30	23	49	51
378	84	20	8	38	29

Novilunia post annos 84 novo Cyclo incipiente, inferiùs descendunt uno die, horis 6. 51′. 4″. &c. ut ex proximè præcedenti ac consequentibus Novilunijs apparet.

379	1	9	17	27	8
380	2	28	14	59	50
381	3	16	23	48	28
382	4	6	8	37	6
383	5	25	6	9	47
384	6	14	14	58	25

Hæc annorum octoginta quatuor Periodus ab anno vrbis Romæ 294. ad Decembrem A. Vrbis 377. deducta, continet quatuor Enneadecaeteridas, in quarum singulis septem sunt anni Embolimæi, videlicèt 3. 6. 8. 11. 14. 17. 19. Additur Octaeteris, in qua tres collocantur anni Embolimæi, nempè 3. 6. & 8. quo Cyclus concluditur; ita ut in eodem unus ac triginta anni Embolimæi numerentur. At quatuor Enneadecaeterides, quæ constituunt pe-

periodum Calippicam annorum 76. à cœlestibus Solis motibus deficiunt hor. 5. 50′. 10″. Octaeteris verò Lunaris Solarem octo annorum motum superat uno die, hor. 12. 41′. 14″. unde fit, ut Novilunia post annos 84. tardiùs contingant, uno die, hor. 6. 51′. 4″. ac proinde memoratus Cyclus Lunisolaris cœlestia Novilunia retardaverit, ut ex tabula descripta colligitur. Astronomi ad Lunarium revolutionum mensuram exponendam, eclipsibus uti solent, ex quibus anni Lunaris ac mensium Synodicorum quantitatem decernunt. Hinc ad demonstrandum tempus Novilunij medij A. V. 294. ex quo postea insequentium annorum Novilunia certissimè colliguntur, seligo eclipsim Solis, quam ex Dione in superioribus notis pag. XXXXVIII. memoravi. Ea autem contigit Kalendis Augusti, Natali die Imperatoris Claudij, A. V. 798. Æræ Christianæ 45. M. Vinicio II. Tauro Statilio Corvino Consulibus. Petavius, ut ibidem dixi, supputat Novilunium medium Romæ, Kal. Augusti, hor. 3. 13′ 34″. post meridiem; ex quibus collegi sextum ab eo ecliptico, Novilunium contigisse Decembris die 26. hor. 18. 53′. 50″. post meridiem. Cum Novilunia post unum Cyclum annorum 84. tardiùs succedant die uno, hor. 51′. 4″. 10‴. post sex Cyclos, qui dant annos 504. Novilunia tardiùs accidunt diebus 7. hor. 17. 6′. 25″. Novilunium A. V. 294. signatur in tabula Decembris die 19. hor. 1. 47′. 25″. post meridiem; adde annos 504. quorum spatio sex Cyclorum revolutio completur, habebis annum Vrbis 798. ac Novilunium Decembris die 26. hor. 18. 53′. 50″. post meridiem. Quamvis autem tabulæ Rudulphinæ, Frisicæ, Danicæ, Calvisij, aliorumque Astronomorum Novilunium eclipticum A. V. 798 die prima Augusti, post hor. 3. à meridie prodant; varient tamen in additis insuper minutis, in ijsque assignandis invicem discrepent, ad institutum nostrum nihil interest, utrum minuta verè assequamur, cum illis etiam sub lite dimissis, ætas Lunæ in Kalendis Ianuarijs certo dierum numero colligatur. Cum ergo anno periodi Iulianæ 4254. Vrbis Romæ 294. Cyclo Solis XXVI. Lunæ XVII. Novilunium fuerit die 19. Decembris, hora 2 post meridiem; Kalendis proximis Ianuarijs ineuntibus, numerabatur Luna XIII. quæ in Fastis Anonymi dicitur *Prima*, ita ut duodecim diebus tunc ille Cyclus Neomenias cœlestes moretur. Enimverò si revoluto priori Cyclo, addas diem, hor. 6. 51′. 4″. habebis Novilunium medium A. V. 378. Decembris die 20. hor. 8. 38′. 29″. à meridie. Quare proximè secutis Kalendis Ianuarijs, novo Cyclo incipiente, fuit Luna XII. quæ itidem *Prima* in Cyclo Anonymi notatur. Rursùs duobus Cyclis exactis, qui sunt anni

168.

168. habebis annum Vrbis 462. quo cum Novilunia inferiùs descenderint diebus 2. hor. 13. 42′. 8″. contigit Novilunium Decembris die 21. hor. 15. 29′. 33″. unde Kalendis proximis Ianuarijs tertio Cyclo ineunte, numerabatur Luna XI. Hac methodo tum Novilunia media exeunte quolibet Cyclo mense Decembri; tum etiam ætas Lunæ repetito in Kalendis Ianuarijs quocumque Cyclo, colligitur; si nempè Novilunio anni primi Cycli proximè elapsi, fiat additio unius diei, hor. 6. 51′. 4″. ut in hac tabula apparet.

Novilunia post annos LXXXIV.	Anni Vrbis	Novilunia mensis Decembris				☾	Ætas Lunæ proximis Kalendis Ianuarijs manè, anno primo cuiusque Cycli à capite repetiti.
		D.	H.	′	″		
	378	20	8	38	29	XII	
	462	21	15	29	33	XI	
	546	22	22	20	37	X	
	630	24	5	11	41	VIII	
	714	25	12	2	45	VII	
	798	26	18	53	50	V	
	882	28	1	44	54	IV	
	966	29	8	35	58	III	
	1050	30	15	27	2	II	

Ptolemæus lib. 4. Syntaxeos cap. 11. recitat eclipsim Lunarem, quæ contigit *anno Nabonassari 366. die 26. Thoth, sequente 27.* Hanc eclipsim fusè describunt Bullialdus lib. 3. Astron. Philol. cap. 6. Ricciolius lib. 2. Astron. reform. cap. 11. ac Petavius lib. 8. doctr. Temp. pag. 798. Annus ille Nabonassari cœpit cum mense Thoth die 27. Novembris in anno Iuliano proleptico, A. V. 371. ante Christum 383. Ita dies 26. Thoth cum 22. Decembris seq. 23. concurrit. Media inter utrumque diem nocte iam præcipitante, Astronomicæ tabulæ produnt Plenilunium eclipticum. Petavius supputat Plenilunium medium Lutetiæ Decembris die 23. hor. 10. 18′. 12″. à media nocte, id est, die 22. hor. 22. 18′. 12″. post meridiem. Quare præcesserat Novilunium Decembris die 8. hor. 3. 56′. 10″. à meridie. Adde iuxtà Petavij canonem, ad habendum meridianum Romanum, minuta 50. idem Novilunium fuit Romæ Decembris die 8. hor. 4. 46′. 10″. post meridiem; ubi secundorum tantùm scrupulorum 16. differentia à notato in superiori tabula,

appa-

apparet. Quòd verò ante annos 76. Novilunia tardiùs contingunt hor. 5. 50'. 10", ab anno Vrbis 371. per annos 76. retrocedentes, deveniemus ad A. V. 295. quo Novilunium statuitur Decembris die 8. hor. 10. 36'. 4". quod est ipsum omninò tempus Neomeniarum ante annos 76. Quare ex eclipsi etiam illa Lunari iuxtà Petavij calculos medio Novilunio subducto, tempus Novilunij A. V. 295. mensis Decembris die 8. & hora post meridiem labente undecima deducitur; simulque eodem anno ineunte, Luna XIII. colligitur, quæ in Cyclo *Prima* perperàm prænotatur.

Thucydides lib. 2. narrans gesta anno primo belli Peloponnesiaci, ait: *Eadem æstate prima die mensis in Neomenia, quo tantùm tempore manifestum est Solem posse deficere, post meridiem Sol ita obscuratus est, ut aliquot stellæ in cœlo sint visæ &c.* Keplerus in Opticis pag. 291. Ricciolius lib. 3. Chronol. cap. 3. Langius lib. 2. de annis Christi cap. 16. Petavius lib. 8. laudato pag. 791. alijque tradunt eam Solis eclipsim accidisse anno Per. Iulianæ 4283. Vrbis Romæ 323. Cyclo Solis XXVII. Lunæ VIII. die 3. Augusti. Petavius supputat Novilunium medium Lutetiæ Augusti die 3. hor. 8. 52'. 40". à media nocte, id est, die 2. hor. 20. 52'. 40". post meridiem. Numera hinc quinque Lunationes, habebis sextum ab illo ecliptico Novilunium Decembris die 28. hor. 12. 32'. 56". Lutetiæ; post meridiem; & additis minutis 50'. Romæ eadem die 28. hor. 13. 22'. 56". Qua die, hora, ac minutis in descripta mihi superiùs tabula recitatur. Rursùs idem Thucydides lib. 4. narrat ineunte anno octavo eiusdem belli Peloponnesiaci, Solem defecisse. Langius libro cit. Ricciolius lib. 3. Chronol. cap. 2. num. 3. Petavius lib. 8. pag. 793. scribunt eum Solis defectum apparuisse die 21. Martij, hora 8. post mediam noctem Athenis, anno Periodi Iulianæ 4290. ante Æram Christi 424. Vrbis Romæ 330. Cyclo Solis VI. lit. G. In nostris Tabulis Novilunium medium anno superiori Vrbis 329. exeunte, signatur Decembris die 21. hor. 19. 42'. 26". post meridiem. Hinc verò collectis tribus Lunationibus, quæ dant dies 88. hor. 14. 12'. 10". habemus quartum Novilunium anno Vrbis à parilibus 330. Martij die 20. hor. 9. 54'. 36". post meridiem, Romæ. Petavius loco laudato memoratam Solis eclipsim prolixè describens, ait: *Novilunium medium Lutetiæ contigit Martij XXI. feria 4. hora post mediam noctem 21. 5'. Athenis hora 22. 57'.* In hoc Novilunio me Petavij calculi deficiunt, qui illud uno die tardiùs quàm nostræ Tabulæ, definiunt. Error tamen viri clarissimi ex descripto eidem proximè altero Novilunio ecliptico, ac ex ipsius etiam tabulis Astronomicis mihi facilè demonstratur. Nam

pag.

pag. 791. describens priorem Solis defectum à Thucydide memoratum anno primo eiusdem belli, qui fuit Vrbis Romæ 323. tradit Novilunium medium commissum fuisse Lutetiæ *Augusti die 3. feria IV. hora* 8. 52'. 40". *Athenis hora* 16. 44'. 40". post mediam noctem. At à die 3. Augusti A. V. 323. ad diem 20. Martij A. V. à paribus 330. cum in forma Iuliana anni Vrbis 325. & 329. fuerint bissextiles, colliguntur dies 2421. quorum spatio contigerunt Lunationes LXXXII. quæ iuxta mensuram Lunari mensi ab eodem Petavio lib. 7. cap. 11. assignatam, dant dies 2421. horas 12. 12'. 10". 31'". &c. Qui quidem dies, horæ, ac scrupula numerata ab A. V. 323. ac ab Augusti die 3. feria 4. hora 8. 52'. 40". à media nocte, quo momento temporis contigit iuxtà eundem Lutetiæ prius illud Novilunium medium eclipticum, produnt alterum itidem eclipticum Novilunium anno urbis Romæ 330. Martij die 20. Feria III. hor. 21. 4'. 50". à media nocte, sivè hor. 9. 4'. 50". post meridiem; Romæ verò hor. 9. 54'. quemadmodùm ex nostris Tabulis superius eadem Neomenia colligebatur. Præterea ex tabulis Astronomicis, quas idem Petavius tomo priori de doctr. Temp. à pag. 875. expansas exhibet, idem Novilunium diei 20. Martij affigitur, ut in subiecta tabula apparet, in qua annus Vrbis 330. numeratur cum eodem Petavio Periodi Iulianæ 4290.

Anni	EPACTÆ			
P. Iuliana	D.	H.	'	"
4214	9	11	17	8
76	0	5	50	13
Martius	29	11	15	17
Summa:	39	4	23	18
Subtracta	60	1	28	6
dat Novil.				
Martii	20	21	4	48
	à media nocte.			

Denique tertiam Eclipsim sed Lunarem, memorat idemmet Thucydides lib. 7. anno XIX. belli eiusdem, qua Nicias Atheniensium dux perterritus, dum timet classem è Sicilia solvere, se suosque perdidit. Idem narrat Plutarchus in Nicia. Diodorus Siculus

 lib.

lib. 13. ait id contigisse Olympiadis XCI. anno IV. qui cum A. V. Romę 341. concurrit. Tabulæ Astronomicæ produnt eo anno Lunæ eclipsim die 27. Augusti seq. 28. Petavius pag. 794. scribit medium Plenilunium fuisse Lutetiæ die 28. Augusti hor. 10. 58'. 27". sivè die 27. hor. 22. 58'. 27". post meridiem. Quare proximum Novilunium contigit Septembris die 11. hor. 17. 20'. 28". post meridiem; ac dein quartum ab hoc Novilunium ibidem fuit Decembris die 9. hor. 7. 32'. 38". post meridiem. Adde ad assequendum Romę meridianum, minuta 50. Novilunium fuit Romę Decembris die 9. hor. 8. 22'. 38". uti similiter usque ad minuta in nostra tabula eo anno Vrbis 341. designatur.

Xenophon lib. 2. de rebus Græcorum, recitat eclipsim Solis anno, uti plures eruditi prænotarunt, primo Olympiadis XCIV. urbis Romæ 350. ante Christum 404. qui fuit ultimus belli Peloponnesiaci. Scaliger lib. 5. de emend. Temp. pag. 411. ac Petavius cit. pag. 796. tradunt eum Solis defectum contigisse die 3. Septembris. Novilunium medium Petauius colligit Lutetię hor. 2. 50'. 24". à media nocte; nempè die 2. Septembris, hor. 14. 50'. 24". post meridiem. Numera hinc quatuor Lunationes, prodibit quintum ab ecliptico Novilunium Lutetię Decembris die 29. hor. 17. 46'. 37". cui numero si addas pro Romano meridiano minuta 50. habebis Romę A. V. 350. medium Novilunium Decembris die 29. hor. 18. 36'. 37". quomodò in superiori tabula statuitur; ac penès tantùm secunda scrupula erit diversitas. Idem Xenophon lib. 4. ait Conone contra Persas navali prælio decertante, Solem apparuisse falcatum instar Lunę. Hic Solis defectus à Ricciolio lib. 5. Almagesti cap. 19. ac Petavio pag. 797. refertur ad annum Per. Iulianę 4320. ante Christum 394. urbis Romę 360. diemque 14. Augusti. Petavius ait Novilunium medium fuisse Lutetię eodem die, hor. 9. 9'. à media nocte, id est, die 13. Augusti, hor. 21. 9'. post meridiem. Iam verò hac cum alijs tribus Lunationibus evolutis, quintum ab illo ecliptico Novilunium fuit Lutetię Decembris die 10. hor. 0. 5'. post meridiem; & additis minutis 50. contigit Romę eadem die 10. hor. 0. 55'. post meridiem. In tabella notatur Decembris die 10. hor. 0. 54'. 42". Iam verò Novilunium quod in eadem tabula A. V. 371. die 8. Decembris decernitur, ex insecuto Plenilunio ecliptico à Ptolemęo descripto, superiùs demonstratum est. Ita tot Novilunia eo, quo in tabula signantur, die atque hora tot cœlestibus eclipsium characteribus confirmantur, ut de minutis tantum ob tabularum Astronomicarum diversitatem, dissensio esse possit, quæ ad institutum nostrum non facit;

neque-

neque enim hic initium, medium, ac finem eclipsium exactè investigamus, ut minuta ac secunda etiam scrupula inquirenda sint; sed ętatem Lunę, quam Anonymus suis in Fastis erroneis passim numeris exprimit, ex cœlestibus eiusdem Lunę motibus rectè numeratam, designamus. Ex priori autem descripto Cyclo, in ceteris quoque semel, iterùm, tertiò &c. repetitis Cyclis annorum LXXXIV. ætas Lunę Kal. Ianuarijs apparebit, facta additione, uti prędixi, in secundo Cyclo unius diei, hor. 6. 51'. 4". quę in Cyclo III. duplicatur, & deinceps iuxtà numerum evolutarum periodorum, eadem proportione multiplicatur. Vnico exemplo, methodi gratia, rem illustrabo. In tabula A. V. 298. notatur Novilunium Decembris die 5. hor. 1. 46'. 2". post meridiem. Adde tres Cyclos exactos, qui dant annos 252. eris ad annum Vrbis 550. & cum spatio annorum 252. evoluto, Novilunia tardiùs succedant diebus 3. hor. 20. 33'. 12", habebis Novilunium A. V. 550. Decembris die 8. hor. 22. 19'. 14". post meridiem. Hinc si numeres quinque exactas Lunationes, colliges A. V. 551. Novilunium Romæ Maij die 5. hor. 13. 59'. 30". post meridiem, sivè die 6. Maij, hor. 1. 59'. post mediam noctem. At Livius lib. 30. eo anno Vrbis 551. Cneo Servilio Cæpione, & C. Servilio Gemino Coss. indicat Frusinone Solem obscuratum apparuisse. Petavius pag. 807. supputat medium Novilunium eclipticum Romæ Maij die 6. hor. 2. 0'. post mediam noctem, vix unius minuti à proximè ex nostra tabula deducto, differentia. Porrò descripta mihi Novilunia ideò ad unius Petavij calculos revocavi; tum quòd tempus primi Nouilunij, ex quo ætas Lunæ anno primo Cycli, qui fuit vrbis Romę 295. colligitur, ex Solari eclipsi visa Kal. Augusti, Natali Claudij Cæsaris, iuxta Petavij calculos exposita, deduxi; tum quòd idem celeberrimus Scriptor, uti erat in veteri historia versatissimus, longè plures quàm ceteri, eclipses præsertim Solares, è vetustis monumentis collectas, altera parte lib. 8. de doctrina Temporum prolixiori opere prolecutus est; quamvis probè norim Ricciolium lib. 2. Astron. reform. cap. 7. Parisinas Petavij tabulas Prutenicis, Tychonicis, Rodulphinis, alijsque inferiores iudicare.

FINIS.

DISSERTATIO II.
DE CYCLO PASCHALI RAVENNATE
ANNORVM XCV.

AVCTORE

F. HENRICO NORIS
VERONENSE AVGVSTINIANO,
Serenifs. Magni Ducis Etruriæ COSMI III. Theologo,
& in Pifana Academia Profeffore.



FLORENTIÆ, MDCXCI.
Ex Typographia Serenifs. Magni Ducis, propè Conductâ.
Superiorum permiſſu.

AD ILLVSTRISS. AC REVERENDISS. DOMINVM

D. IOANNEM CIAMPINVM

MAGISTRVM BREVIVM GRATIÆ,

Maioris Præſidentiæ Abbreviatorem,

ET IN VTRAQVE

SIGNATVRA REFERENDARIVM,

P R Æ F A T I O.



VM meam de Paſchali veterum Latinorum Cyclo diſſertationem recèns è typis eductam, tibi, Illuſtriſſime ac Reuerendiſſime Præſul, miſiſſem; ac iam collectis vaſis, aliorsùm divertere meditarer, in eandem me iterùm palæſtram vocas, imò & liberali etiam manu reducis. Nam ærea aureis rependens, inſignem Paſchalis Cycli in vetuſto Ravennate marmore ſcalpti, deſcriptionem nuperrimè abs te acceptam, mihi deſtinaſti, iubens, ut antequam manum de tabula tollerem, eam quoque periodum novis commentarijs exponerem. At dum iteratam in idem argumentum operam mihi iniungis, tu ipſe memet à ſcribendo eximia ac ſingulari tua eruditione deterres. Etenim nemo neſcit, quantum tibi tot præclariſſima vetuſtioris Eccleſiæ monumenta debeant, quæ tuo beneficio ex veterum parietinarum ſqualore ac ruinis eruta, ac non modò elegantiſſimis iconibus expreſſa, verùm etiam doctiſſimis commentationibus exornata,

per ora manusque hominum cum ingenti tui nominis commendatione, perennant, ita ut in editis abs te veterum Musivorum imaginibus pulcherrimam summæ tuæ eruditionis imaginem nullo unquam ævo interituris lineamentis, erexeris. Hinc Paschalis ille Cyclus, qui tot sæculis in angulo delituerat, propitio tandem fato, ad tuas manus delatus esse videbatur, ut unum te, aut neminem haberet interpretem. Hæc cum tibi rescripsissem, tu contra assiduas curas, quæ te in insigni magistratu in præsentia exercebant, causari; dein hortari, instare, imò etiam iubere, ut qui veterum Latinorum Cyclo proximè exposito, eam semel provinciam susceperam, Dionysianam quoque periodum, quæ apud eosdem alteri illi vetustiori succesit, & in Ravennate marmore scalpta legitur, calenti adhuc à simili argumento stylo, explanarem. Et quò omnem mihi cunctationem proposito etiam munere, eximeres, eundem statim Cyclum Romæ in ærea tabula incidendum, curasti, id est, priores imperati mihi operis partes splendidè ac magnificè absoluisti. Hac tam insigni liberalitate provocatus, omnem curam, studium, ac diligentiam ad Ravennatem Cyclum exponendum contuli; quamvis quædam adhuc mihi remoram inijciebant. Nam animaduertebam plerosque superuacaneam hanc operam minimè probaturos; cum iam Dionysiani Cycli methodus antiquata, longè meliori ac certiori decesserit. Præterea cum vetustior illa periodus tot de Paschali computo voluminibus à plerisque acutissimo ac subtilissimo ingenio viris diligenter & accuratè declarata fuerit, vix quicquam novi ad eandem iterùm illustrandam, adduci posse videbatur. Neutra tamen consideratio obstitit, ne tibi morem gererem. Etenim quamvis alia modò sit disponendi exercitus ratio, ac diversa armorum genera, quàm quæ olim apud Romanos ac Græcos in usu erant, quò tamen bel-

Bellica utriusque gentis gesta intelligantur, viri eruditi, qui veteres historias additis notis, illustrandas susceperunt, Lectorum interesse putarunt, non modò exponere, quid aries, quid balista, quiduè tot diversæ in terrestribus ac maritimis prœlijs machinæ fuerint, verùm etiam earundem formas ære ductas, exprimere, quò præsentium pariter curiositati satisfacerent. Hinc haud inanem operam ludere mihi visus sum, in eius Cycli interpretatione adornanda, quem Catholica Ecclesia in maximo Christianæ Religionis Festo quotannis instaurando, ultra mille annos adhibuit. Cum enim ea inuestigandi Paschalis diei methodus, à Nicænis Patribus tradita crederetur, tanta eidem veneratione omnis inhærebat Ecclesia, ut licèt illius defectus ab ipso iam cœlo demonstraretur, diu maluerit à cœlestibus Lunæ motibus discordare, quàm à vetusta Patrum traditione discedere. Quamvis autem plurimi Scriptores conati sint, Dionysiani Cycli canones prolixis disputationibus in bono lumine collocare; tot tamen tantisque difficultatibus universa illa tractatio circumsepta est, ut iisdem eiusmet Cycli apud Latinos conditor Dionysius Exiguus, ac dein maximus eiusdem interpres ac amplificator Beda, si Petavio credimus, succubuerint. Idem autem Petavius vetustis omnium penè gentium periodis Temporum feliciter, ut sibi videbatur, expositis, Dionysiani demùm Cycli methodum libro vasti operis sexto explicare aggressus, ea se in literas missurum pag. 513. præfatur: *quæ ex antiquorum Computi magistrorum assidua diligentique lectione, labore, quod fatendum est, incredibili ac studio mihi comparavi*. Nec satis ducens eius semel argumenti difficultatem exaggerasse, post paucos statim versus, ait: *Hoc verò confirmare possum, tantum me in hac una consequenda, elaborandaque doctrinæ parte, quantum in nulla altera, studii & contentionis adhibuisse*. Ceterùm idem celeber-

berrimus ſcriptor, cui de doctrina Temporum differenti, univerſi aſſurgunt, & ingenij faſces ſubmittunt, licèt eo in campo Scaligerum aliosque plurimos longo poſt ſe interuallo reliquerit, ſępè tamen inter opaca viarum errabunda veſtigia ponit, ac non ſemel lapidem offendit, ut in hoc mihi opere demonſtrabitur; Ipſe quidem initio alacri mente ad idem opus retractandum acceſſeram; edita enim proximè de veteri Latinorum Cyclo diſſertatio animum addebat, certamque penè ſpem faciebat, fore ut intra paucos dies deſtinatum libellum ad umbilicum perducerem. Verùm ubi paulò ultra limen proceſſi, tot me undique difficultates circumſtetere, ut ijsdem territus, non ſemel hæſerim dubius, cuinam viæ tutiùs inſiſterem; cum non ſecùs ac in labyrintho, ſinuoſis circumquaquè anfractibus implicarer; parumque abſuit, quin retrò veſtigia relegens, vix inchoatum iter abrumperem. Nolim tamen putes, me deſudaſſe; ſiquidem ſæviſſima hieme, ac nivoſis perdiu ſtrepentibus Aquilonibus, nedum manus, ſed ipſum ferè atramentum obriguit, ut non uehementiori eruditionis impetu calentem interpretationem, ſed frigidam prorſus ac inertem utcumque compegerim. Tuum erit, Illuſtriſſime ac Reverendiſsime Præſul, qui ut tanta auderem, iuſſiſti, patrocinium huic levidenſæ commodare, ut uno tuo nomine, quod in fronte gerit, eruditis comprobetur. In te ſanè omnis vetuſtiſſimi huiuſce Cycli Paſchalis editi gloria redundabit; mihi expoſiti obſequium relinquetur.

CAPUT I.

Theophilus Alexandrinus Paschalem centum annorum laterculum pertexuit. Insignis Scaligeri hallucinatio. Sanctus Cyrillus Cyclum Annorum XCV. omnium primus promulgat. Dionysius Exiguus succidaneum eidem totidem Annorum Cyclum substituit. Vulgaris opinio de magna Periodo Annorum DXXXII. ab eodem Dionysio instaurata, praclaro Ceolfridi Abbatis testimonio confutatur. Beda à Scaligeri censura vindicatur.

Diuturnioribus de Paschali festo ritè celebrando, controversijs, quæ Christianam Rempublicam varias in partes distraxerant, Nicæna Synodus iam tandem finem imposuisse videbatur, cum Dominicæ Resurrectionis solemnia post Lunam XIV. die Dominico, qui tum eamdem, tum etiam Æquinoctium XII. Kal. Aprilis affixum, proximè consequebatur, instauranda decrevit; eiusdem etiam solemnitatis quotannis indicendæ, cura Alexandrino Patriarchæ commissa; quòd Ægyptij rerum Astronomicarum peritia ceteros antecellere dicebantur. Verùm graves etiam post illud decretum contentiones inter Orientis ac Occidentis Ecclesias eruperunt; cum Latini vetustos in celebrando Paschate ritus, quibuscum Alexandrinorum canones pugnabant, deserere recusarent; siquidem initium citimi mensis Paschalis biduo ante Ægyptios auspicabantur, ac proinde etiam solemnia Paschalia quatriduo, ac dein biduo citra Alexandrinorum metam coercebant, Lunam etiam XV. ab eodem festo excludentes, uti in altera Dissertatione prolixiùs exposui. Et illi quidem cum Cyclo Annorum LXXXIV. uterentur, quo non modò Lunationes, verùm etiam ferias perpetuò in orbem duci arbitrabantur, Alexandrinorum Enneadecaeteridem recipere renuebant; quòd hæc feriarum apocatastasim neutiquam in sui repetitione reddebat. At S. Cyrillus Alexandrinus, quò iactatam à Latinis sui ipsorum Cycli in ferijs restituendis, excellentiam ad Enneadecaeteridem quoque transferret, Cyclum Annorum XCV. excogitavit, qui quinque Enneadecaeterides continens, feriarum apocatastasim, nedum Lunationes eodem quo priùs ordine, perpetua methodo restitueret. Scaliger cum lib. 2. de emend. Temp. pag. 152. scripsisset Cyrillum omnium primum Cyclum annorum XCV. descripsisse, eumdemque postea Teophilum castigasse; ac dein intellexisset Theophilum ante nepotem Cyrillum vixisse, ac scripsisse, in additis postea pag. 743. ait: *Theophilus Alexandrinus Episcopus instituit periodum magnam quinque Cyclorum: quo nomine*

mine eam ἐννενηκονταπενταετηρίδα vocat. Addit Cyrillum anno D. 437. totidem annorum periodum contexuiſse; ac miratur, cur Leo Papa in epiſtola ad Marcianum Auguſtum ſcribat, *eam* Theophili *periodum non nonagintaquinque, ſed centum annorum fuiſſe*. Et productis binis S. Leonis teſtimonijs, ait: *Quis umquam credat nonagintaquinque annos eſſe centum?* Nemo id planè credet; at equidem omnes affirmabunt Scaligerum in hiſtoria Eccleſiaſtica plerumquè prorſus hoſpitem eſſe ac peregrinum, qui in Theophili ſcriptis *Enenecontapentaeteridem*, id eſt, Cyclum annorum XCV. ſomniauerit. Paulus Epiſcopus Foroſempronij lib. 5. Paulinæ, ac Stœfflerus in Calend. propoſit. 34. litt A. recitant partem epiſtolæ Theophili ad Theodoſium Imperatorem, cuius alterum fragmentum exſcripſit Beda cap. 57. de Tempor. ratione, & hæc ibi in fine verba leguntur: *Hanc igitur quæſtionem prout vires ſuppetebant, ventilatam, conſcripſimus, & Paſchalis ſolemnitatis diem à primo anno conſulatus tui uſque ad centum ſequentes annos calculatum, tuæ pietati tranſmittimus*. Integram epiſtolam ſub Prologi titulo edidit Bucherius, diverſę tamen interpretationis, cuius etiam maiorem partem Græcè ſcriptam, Latio donavit Petavius in calce tom. 2. Doctr. Temporum. Idem Theophilus à Cyrillo nepote ac ſucceſſore, dicitur de ſolemnijs Paſchalibus ad Theodoſium ſcripſiſse, *à primo anno Conſulatus eius uſque ad centum calculans &c.* videlicèt ab anno Chriſti 380. Alter eiuſdem urbis Antiſtes ac Martyr Proterius in epiſtola ad S. Leonem Magnum laudat *centenalem curſum Paſchę deſcriptum à beatiſſimo Patre & Epiſcopo noſtro Theophilo*. Victorius Aquitanus Cyrillo ac Proterio ſynchronus, in prologo ſui Canonis Paſchalis, quem eodem Leone Magno Pontifice deſcripſit, de eodem Theophilo loquens ait: *Laterculi ſui formam huic operi deſtinatam, ab omni neceſſitate praefinitæ recurſionis exutam, abſolutè in centum annorum promulgavit ætatem*. Non enim erat centum annorum Cyclus, qui à calce ad caput iterùm repetendus eſſet, ſed erat annorum centum laterculus, dies Paſchales ab anno Chriſti 380. ad annum 479. deſignans. Inepta ergo eſt Scaligeri contra Leonem Magnum cenſura; ac proinde patet Cyrillum fuiſse auctorem Cycli XCV. annorum.

Dionyſius Exiguus in epiſtola ad Petronium Epiſcopum ſcribit: *Quia verò S. Cyrillus primum Cyclum ab anno Diocletiani centeſimo quinquageſimo tertio cœpit, & ultimum in ducenteſimo quadrageſimo octavo terminavit; nos à ducenteſimo quadrageſimo octavo eiuſdem Tyranni potiùs quàm Principis &c.* Annus CLIII. ab imperio Diocletiani cœpit apud Alexandrinos die 29. Auguſti anno Chriſti 436. Quare primum Paſcha in Cyclo Cyrilli prænotatum, contigit die 16. Pharmuthi, 11. Aprilis, Cyclo Lunæ I. Solis XXVI. lit. C. Hoc Paſcha ab eodem Cyrillo in Heortaſtica XXVI indicitur futurum: ἐπιφωσκούσῃ κυριακῇ τῇ ἑκκαιδεκάτῃ τοῦ αὐτοῦ Φαρμουθὶ μηνός: quæ perperàm interpres vertit: *Il-*

luce-

incescente Dominica decimaquinta eiusdem Aprilis mensis; cum scribendum sit: *decimasexta eiusdem Pharmuthi mensis*, quæ apud Romanos erat XI. Aprilis. Iam verò ab anno Christi 437. Cyclo annorum XCV. deducto, idem exijt anno Christi 531. die 29. Augusti, annus enim insequens erat bissextilis, ac proinde prima dies Thoth contingebat die 30. Augusti; quòd Ægyptij diem intercalarem post quintam Epagomenarum locabant. Scaliger minus rectè calculos subduxit lib. 2. cit. pag. 155. scribens: *Annus primus periodi Cyrillianæ est annus Christi 437. ergo nonagesimusquintus est 531. Christi*. Vno enim anno exorbitat. Idem verò Scaliger laudatam Cyrilli periodum nedum vitiosam, verùm & ridiculam appellat. Sed iniustam eiusdem censuram suo inferius loco ex ipsomet Cyrillo confutabo. Victorius Aquitanus in laudata præfatione, quam anno ab evulgato Cyrilli Cyclo, vicesimo in literas misit, nempè anno Christi 457. monet editos hactenus Cyclos, *sivè qui post LXXXIV. sivè qui post XCV. annos, vel etiam qui post centum & duodecim annorum spatia prorogati* erant, ab intento scopo deficere, siquidem vel erroneam ætatem Lunæ prodebant, vel repetiti feriarum apocatastasim neutiquam præferebant. Itaque Victorius magnum Cyclum annorum DXXXII. quo dudum Orientales non pauci utebantur, ad Latinorum canones partim deflexum, contexuit, quo Hilarum Papam, cui tunc Romanæ Ecclesię Archidiacono Victorius opus nuncupaverat, ac plurimas etiam alias in Occidente Ecclesias usas fuisse constabit ex ijs, quæ cap. 3. dicemus. Nam Victorianus Cyclus feriarum apocatastasim, uti Cyclus annorum 84. continebat, & neomenias rectiùs indicabat, quas iam laudatus alter Cyclus ob sui contractionem, palàm prævertebat, uti aliàs prolixè demonstravi. Ceterùm Mediolanensis Ecclesia cum Æmiliæ ac Liguriæ Episcopis veteri instituto, Alexandrinorum Enneadecaeteridem in designando Paschate, adhibebat; & fortassis alij in Italia Episcopi de Victorij periodo dubitabant; siquidem sæpè diversa ab Alexandrinis ætate Lunæ, Pascha indicebat, ac Lunam XV. à Paschali festo excludebat; unde unius Cycli spatio bis ac tricies Festum diversa ab Ægyptijs hebdomade designabatur. Hinc factum est, ut Romani Pontifices, quamvis Victorij Cyclo utebantur, non semel de legitimo die Paschatis dubitarent; præsertim cum Orientales omnes Ecclesiæ Alexandrinorum Cyclum sequerentur. Extat epistola Ioannis Patriarchę Constantinopolitani ad Hormildam Romanum Pontificem, in qua scribit: *Instantis autem Dominicę passionis numerum, qui vestris continetur literis, ex repositis apud nos diei Paschalis annalibus, rectè habere significamus, & ante quidem scientes, & nunc scrupulosiùs requirentes, sine dubitatione Mundi festivitatem incolumes nos celebrare XIII. Kalendarum Maiarum die optamus, qui est propriè nonus decimus dies futuri mensis Aprilis*. Data est epistola die 19. Ianuarij, Vitaliano & Rustico Coss. an-

I no

no Christi 520. Erat eo anno Cyclus Solis XXV. lit. E D, Aureus Alexandrinorum numerus, sivè Cyclus Lunæ VIII. diei V. Aprilis apud Alexandrinos affixus. Eodem recurrente Cyclo Lunæ VIII. anno Christi 444. ingens de die Paschatis dissidium contigerat, quod iuxta Alexandrinos die 23. Aprilis, Luna XIX. ultra veterem Latinorum metam, instaurandum erat, uti pag. 21. alterius Dissertationis exposui. At anno memorato 520. Pascha ab Alexandrinis die 19. Aprilis, Luna XV. præscribebatur, quæ Luna non erat Latinis Paschalis. In Cyclo pariter Victorij Pascha eo anno notabatur die 19. Aprilis; at *Luna decimaseptima*; quòd Victorius neomeniam Aureo numero VIII. Alexandrinorum biduo ante istos sciscebat, videlicèt a tertia die Aprilis. Idem annus erat vicesimus secundus Cycli annorum LXXXIV. in quo Neomenia die 2. Aprilis signabatur; Pascha verò die 19. Luna XVIII. Denique in Cyclo quem vulgò priscis Latinis affingunt, Pascha uno antea mense indicebatur, nempè die 22. Martij; unde Bucherius eius anni solemnia Paschalia pag. 35. adscribit *Latinis quibusdam XI. Kal. Aprilis, Luna XVIII.* Novilunium Paschale eo anno Christi 420. iuxta medium motum, contigit Romæ Aprilis die 3. hor. 5. 48'. post meridiem. Quare Cyclus annorum 84. Neomeniam cœlestem uno die ob sui contractionem antevertebat, quam Alexandrini biduo in sua Enneadecaeteride morabantur. Vnus Victorius Aquitanus eamdem cœlesti syzygiæ similiter in sua periodo designaverat. Ceterum in tanta Cyclorum varietate, Hormisdas Patriarcham Constantinopolitanum eo de Paschate consulvit, qui illud *scrupulosiùs* inquisivit, ac eodem die cum Romano Pontifice celebrandum decrevit.

Florebat id temporis in Vrbe Dionysius Abbas cognomine Exiguus Græcis Latinisque literis eruditus, qui ob sacros Synodorum Canones Latinitate donatos, ingentem sibi in Romana Ecclesia famam comparaverat. Insigne eiusdem elogium videsis apud Cassiodorum eiusdem sodalem atque amicissimum in lib. divin. Instit. cap. 23. Porrò idem Dionysius a Petronio Episcopo rogatus, ut Cyclum Paschalem Romanæ Ecclesiæ procuderet, quo tot de Paschate controversijs magnum diem tandem imponeret; ille amico obsecutus, Cyclum annorum XCV. concinnavit, quem priori Cyrilliano succidaneum statuit, ab anno Christi 532. Æræ Diocletiani 248. eundem auspicatus, cum anno superiori alter Cyrilli exitum habuisset. Hæc ille ad Petronium scribit: *Nonaginta quinque autem annorum hunc Cyclum studio, quo valuimus, expedire contendimus: ultimum eiusdem beati Cyrilli, id est, quintum Circulum, quia sex adhuc ex eo anni supererant, in nostro hoc opere præfe entes*; & cum notasset Cyclum Cyrilli *anno ducentesimo quadragesimoseptimo* ab imperio Diocletiani desinere; *nos*, inquit, *à ducentesimo quadragesimo octavo eiusdem Tyranni potiùs quàm Principis inchoantes &c.* Ex his intelligimus Dionysium Cyclum descripsisse anno Christi

525.

525. cum iam *sex adhuc anni* ad exitum Cyrilliani Cycli, qui exibat anno 531. superessent. Petavius in notis ad epistolam Dionysij tom. 2. de doctr. Temp. pag. 890. ait se in veteri Codice regio post eamdem epistolam statim legisse: *Incipit Cyclus decemnovennalis &c. In præsenti namque tertia Indictio est, Consulatu Probi iunioris, tertiusdecimus circulus Decemnovennalis, decimus Lunaris est*. Indictio III. ac nota Consularis, itemque anni utriusque Cycli indices sunt anni Christi 525. quo Dionysius Cyclum composuit. Tum ibidem hæc rursus verba subijciuntur: *Hic autem Cyclus Dionysij V. decemnovennalibus constat, hoc est, XCV. annis, sumitque exordium à DXXXII. anno Incarnationis Domini, & definit in DCXXVI. anno. Hunc ergo Cyclum prætermisimus, eo quòd totus præterierit*. Beda idem testatur in lib. de Temporibus cap. 22. & lib. de Temp. rat. cap. 41. & in huic annexo opere de sex ætatibus, ubi in Iustiniano ait: *Dionysius Paschales scribit Circulos, incipiens ab anno Dominicæ Incarnationis DXXXII. qui est annus Diocletiani CCXLVIII. post consulatum Lampadij, & Orestis*; lege: *iterum post consulatum &c.* Vulgò putant Dionysium Cyclum annorum 532. construxisse, quibuscum etiam ipse ante visum Cyclum Ravennatem, sentiebam Petavius omnium primus hoc in dubium vocavit lib. 12. cap. 3. quòd Dionysius in laudata Epistola semet Cycli annorum tantùm XCV. auctorem prodit. Hoc ipsum locupletissimis testimonijs demonstro. Ceolfridus Abbas in Anglia, qui altero post Dionysium sæculo vixit, in literis ad Naitanum regem Pictorum in Anglia Septemtrionali, quas recitat Beda lib. 5. hist. Angl. cap. 22. ait: *Cuius computum Paschalis Theophilus Alexandriæ præsul, in centum annorum tempus Theodosio Imperatori composuit. Item successor eius Cyrillus seriem nonaginta & quinque annorum in quinque decemnovennalibus circulis comprehendit; post quem Dionysius Exiguus totidem alios ex ordine pari schemate subnexuit, qui ad nostra usque tempora pertingebant. Quibus termino appropinquantibus, tanta hodie calculatorum exuberat copia, ut etiam in nostris per Britanniam Ecclesijs plures sint, qui mandatis memoriæ veteribus illis AEgyptiorum argumentis, facillimè possint in quotlibet spatia temporum Paschales protendere circulos, etiamsi ad quingentos usque & triginta duos voluerint annos &c.* Est prolixius testimonium ex longissima epistola excerptum, sed non potuit compendiosiùs exscribi. Ceolfridus Abbas doctissimus, testatur Dionysium Cyrilliano Cyclo annorum 95. definenti, alterum totidem annorum substituisse, pari schemate, id est, ex quinque Cyclis decemnovennalibus conflatum; quibus termino appropinquantibus, tot id temporis calculatores extitisse, qui facillimè poterant eos Cyclos ad annos DXXXII. extendere. Itaque Dionysius Cyclum annorum 532. neutiquàm exaravit; siquidem illum Ceolfridus iam à Dionysio peractum laudasset, nec dixisset calculatorum suę ætatis opera, eundem confici posse, si tunc Dionysianus

in omnium manibus versabatur. Oudinus in supplem. script. pag. 185. ait Ceolfridi epistolam ad Naitanum regem scriptam fuisse circa annum Christi 690. At in postrema edit. Concil. tom. 6. pag. 1422. refertur ad annum 714. Verùm character chronologicus ex Beda desumendus est. Is enim capite anteriori 21. narrat Adrianum Abbatem diem obijsse *anno quinto Osredi regis, qui*, inquit, *est annus quadragesimus primus, ex quo à Vitaliano Papa directus est cum Theodoro*; nempè in Britanniam. Antea verò lib. 4 cap. 1. tradit Adrianum ordinatum fuisse Abbatem à Vitaliano Papa *anno Dominicæ Incarnationis 668. sub die VII. Kal. Aprilium, Dominica*, ac VI. Kal. Iunias in Britanniam missum. Character diei Dominicæ concurrentis cum 26. Martij, reapse designat eumdem annum Christi 668. Cyclo Solis V. lit. B A. Quare Adrianus anno abhinc 41. id est, Christi 709. è vita discessit. Rursus idem Beda lib. 5. cap. 19. scribit Osredum octennem puerum *anno Dominicæ Incarnationis* 705. defuncto patri Alfrido successisse; ac proinde anno 709. idem Osredus quintum regni annum inierat. Tum Beda narrata Adriani Abbatis morte, caput proximum 22. ita exorditur: *Eodem tempore Naitanus Rex Pictorum &c.* ubi narrat eumdem legatos ad Ceolfridum Abbatem destinasse, quò Catholicum celebrandi Paschatis, dogma perdisceret. Hinc circa annum Christi 709. Ceolfridi litteræ scriptę sunt. Interim Oudini supplementum ex Beda in libro de sex ætatibus mihi supplendum est; ibi enim in Theodosio Imperatore Leonis Isauri decessore, scribit plurimos ex Britannia Romam peregrinationem suscepisse, *inter quos*, inquit, *etiam Reverendissimus Abbas meus Ceolfridus, annos natus* 74. *cum esset presbyter annis* 47. *Abbas autem triginta quinque, ubi Lingonas pervenit, ibi defunctus &c.* Itaque Ceolfridus obijt anno Christi 716. quo solo & aliquot insuper mensibus Theodosius imperavit, cui anno 717 die 25. Martij Leo successit. Ille verò natus est circa annum Christi 642. cum anno antea decimo sexto, qui fuit Christi 626. Cyclus Dionysianus annorum XCV. exitum habuisset; unde etiam scribebat eumdem Cyclum *ad nostra usque tempora* deductum fuisse. Vetusti Chronologi Marianus Scotus, ac Sigebertus tradunt Dionysium Cyclum annorum 95. evulgasse. Sigeberti verba sunt ad annum Christi 532. *Ab hoc etiam anno Dionysius Abbas orditur Cyclum suum Cyclorum quinque decemnovennalium*, qui dant annos XCV.

Scaliger vulgari opinione ductus, qua Dionysius auctor Cycli annorum 532. publicatur, lib. 2. de emend. Temp. pag. 155. de Dionysio scribit: *Continuavit autem totam periodum ad annum 1063. ut ait Beda. Hinc ipse Beda ad annum 1596. Sed ineptissimum tres periodos continuare, cum una sufficiat; siquidem in una omnes feriæ, & termini Paschales recurrunt*; Vt suum illi verbum reddam, ineptissimè. Nusquam Beda scribit Dionysium suam periodum ad annum usque Christi 1063. per-

perduxisse; sed hoc ipsum semet fecisse Beda testatur in lib. de Temp. rat. cap. 63. ubi cum dixisset post annos 532. cuncta quę ad Solis Lunæque cursum pertinent, eodem quo præterierant, ordine restaurari, hæc statim addit: *Quod ut apertius clarescat, placuit eumdem plenario ordine Circulum præsenti opusculo proponere, sumpto exordio à quingentesimo trigesimo secundo Dominicæ Incarnationis anno, ubi primum Dionysius Circulum cœpit, & perducto opere usque ad millesimum sexagesimum tertium ejusdem sacrosanctæ Incarnationis annum; quatenus legentes quique non solùm præsentem vel futurum prospicere, sed præteritum omnem Paschalis statum temporis inerrabili possint intuitu respicere.* Ex his duo mihi evidenter colliguntur. In primis Dionysium non descripsisse Cyclum Paschalem ab anno Christi 532. ad annum 1063. sivè non composuisse magnum Cyclum annorum 532. aliàs Beda actum inani opera egisset. Dein ipsum Bedam Paschalem periodum ab anno Christi 532. per totidem insuper annos expansam, ad annum 1063. deduxisse. Non sum nescius in tom. 1. Operum Bedæ à pag. 310. Cyclos describi ab anno primo Æræ Christi ad annum usque 1595. Sed illud non est opus Bedę, sed alterius vetusti Computistę, qui Cyclum annorum 532. bina repetitione longiùs extendit, quod Scaligero fucum fecit, immò etiam Petavio, qui cum lib. 12. cap. 3. rectè dixisset, Dionysium Cyclum annorum tantùm 95. scripsisse, ait: *At Beda complures alios Circulos adjecit ad annum Christi* MDXCV. cum ipse Beda testetur unum se tantùm Cyclum digessisse ab anno Christi 532. ad 1063. exclusivè. Et sanè magnus ille Bedæ Cyclus in alienum prorsus locum conjectus est, cum libro de Temporum ratione ab ipso Beda subjectus fuerit. Nam cap. 45. laudati libri ait: *Primo decemnovennalis circuli versu temporum ordo præfigitur*; nempè anni ab Incarnatione Domini. Et cap. 46. *Secundus ordo circuli decemnovennalis complectitur Indictiones &c.* Rursus cap. 48. *Tertia præfati circuli linea continet Epactas.* Ita quarto loco positas ferias cap. 51. Rursus cap. 54. *quinta regione* annos Cycli Lunaris. Præterea cap. 57. sexto loco Lunas XIV. primi mensis. Ad hæc cap. 59. *septimo titulo* Dominicas dies Paschales. Denique cap. 60. ait: *Ultima sæpè memorati circuli meta panduntur Lunæ Dominici Paschæ.* Qui octo sunt Chronologici characteres, qui singulis annis in Bedæ Cyclo adjecti leguntur. Hactenùs demonstratis, ingens pondus adjicit marmoreus Cyclus Ravennas, qui totus Dionysianus est, ac per annos tantùm XCV. extensus, legitimam ejusdem Dionysij periodum seris posteris conservavit. His tamen summi in sacra ac profana historia viri auctoritas intervenit, videlicèt Antonij Pagij, qui in Dissertatione de Periodo Græco-Romana, quam eruditissimis in Annales Baronianos animadversionibus præfixit, num. XIV. tradit Dionysium binos Cyclos condidisse; unum quidem annorum XCV. quo desinentem Cyrillianum continuavit; alterum verò annorum DXXXII. atque

cla-

clariora de hoc alio maiori Cyclo esse verba Dionysij in epistola ad Petronium, quam ut nos ea de re dubitare sinant. Nam Dionysius ibidem scribit Cyclum 95. annorum Cyrilli nec concurrentes, idest, ferias, nec Lunæ ætatem in festo Paschali in orbem ducere: *Et ideo*, inquit, *post expletionem nonaginta quinque annorum, cum harum rerum diligens ad exordium redire voluerit, non ad quintum Cyclum S. Cyrilli, quem nobis necessariò proposuimus, sed ad nostrum PRIMVM vigilanter excurrat, & ordine quo diximus, per eos, qui firmum cursum retinent, eorum progressum, qui videntur titubare, sustentet*. Ex his vir doctissimus putat duos ibi à Dionysio Cyclos nominari; alterum annorum 95. qui cum feriarum apocatastasim in sui repetitione non redderet, alterum, quem *Primum* vocat, substituendum monuit, qui annos 532. continebat. Hæc eadem olim fuerat interpretatio Anonymi, cuius præfatio Circulis Dionysij apud Bedam præfigitur; ibi enim ait: *Idcirco præcipit, ut peractis sex annis, qui de quinto circulo B. Cyrilli tunc temporis supererant, eosdem sobrius Lector non repetat, sed à suo primo, qui quingentis triginta duobus annis omni prætitulatur, ordiendum non ignoret*. Sed nullum alterius Cycli annorum 532. apud Dionysium vestigium apparet, nec eiusmodi periodum concinnasse ex laudatis Ceolfridi ac Bedæ testimonijs colligitur. Cum autem in laudata epistola *primum* suum Cyclum appellat, eum intelligit, qui in digesta ab se annorum XCV. periodo, erat primus decemnovennalis, quem alij quatuor itidem decemnovennales consequebantur, ut patet in marmore Ravennate, in quo quinque eiusmodi Cycli scalpti leguntur. Notat ibi Dionysius circulum annorum 95. suo recursui non concordare, cuius rationem proferens, ait: *Nam cum in ceteris annis non dissentiat, in illis solis, in quibus se Bissextus interserit, Pascha Dominicum cum sua Luna vario modo rationis occurrit*; ut proximo capite ostendo. Hinc expletis 95. annis Cycli Cyrilliani, *ad primum nostrum*, inquit, *horum diligens scrutator recurrat, & ordine, quo diximus, per eos, qui firmum cursum retinent, eorum progressum, qui videntur titubare, sustentet*. Enimverò in Cyclo annorum 532. nulli anni titubant; sed certissima, ac invariabili, vti putabant, methodo Lunas XIV. ac dies Dominicæ Resurrectionis iterum & iterùm repetito Cyclo, exhibebant. At secùs in minori periodo annorum 95. contingebat, in qua annis communibus nulla Paschalium dierum variatio occurrebat, sed tantùm post annos bissextiles, qui cum à perpetuo ordine deficere ac titubare viderentur, immutato annorum communium statu firmandi dicuntur.

CA-

CAPVT II.

Tabula Paschales trium priorum Enneadecaeteridum totidem Cyclos annorum XCV. inchoantium. Duplex earumdem defectus. Horum alter omnibus Cyclis communis: Alter specialis Enenecontapentaeteridos. Idem defectus probè S. Cyrillo ac Dionysio Exiguo cognitus, ac correctio ab utroque indicata, secus ac viris eruditis visum.

AVctor est Georgius Syncellus Anianum insignem in Ægypto Monachum Arcadio imperante, floruisse, eumdemque Paschalem tabulam annorum DXXXII. edidisse. Hinc mirari liceat, Cyrillum postea diversam periodum concinnasse. Cum enim maior illa periodus optimè easdem semper in orbem ferias ducat, easdemque pariter Lunationes repetita prodat, cur Cyrillus vitiosum 95. annorum Cyclum longè meliori prætulisset, cum præsertim idemmet doctissimus Præsul suæ ipsius periodi vitium animadverterit. Mirum etiam videri possit, cur Dionysius Cyclo Victorij per annos DXXXII. expanso, in quo feriæ eodem, quo priùs ordine, recurrebant, repudiato, systema annorum XCV. conscripserit, in quo ob intercurrentes bissextiles dies, ut idemmet ad Petronium scribit, *Pascha Dominicum cum sua Luna vario modo rationis occurrit*. Nam facili opera Victorij periodum ad Alexandrinorum canones redegisset, Aureis numeris ad dies Alexandrini Kalendarij translatis. Verùm cum sibi proposuisset Paschalem Ecclesiæ Alexandrinæ methodum in Ecclesiam quoque Romanam inuehere, maluit Cyrillianum Cyclum, qui hactenus in Ægypto ob Auctoris famam, summa religione servatus fuerat, ad Latinos transducere, quibusdam tantùm regulis superadditis, quibus eiusdem Cycli defectus impedirentur. Quod verò ad laudatum Cyrilli Cyclum attinet, valdè suspicor, nondum eo superstite, magnam annorum DXXXII. periodum in Ægypto publicatam fuisse. Et sanè in Syncello res longè sua ætate antiquiores enarrante, accuratior subinde chronologia ab eruditis desideratur, ut iure etiam quispiam dubitare possit, num idem in Anniani sęculo designando aberraverit. His tamen in medio relictis, Cyrilliani Cycli annorum XCV. defectus ostendendus est; & ut compendio statim appareat, expansas trium periodorum tabulas subijcio, in quarum priori laterculo Aurei numeri Cycli decemnovennalis pręnotantur, qui eodem ordine duabus reliquis tabulis conveniunt, in quibus anni Christianę Epochę cum literis Dominicalibus ac diebus Paschatis designantur.

Dies

Dies Paſchatis in tribus Cyclis decemnovennalibus, qui priores ſunt in tribus Periodis Annorum XCV.

Aur. Num.	A.C	Lit. Dõ.	Paſcha.	A.C.	Lit. Dõ.	Paſcha.	A.C.	Lit. Dõ.	Paſcha.
I	437	C	Apr. 11.	532	DC	Apr. 11.	627	D	Apr. 12.
II	438	B	Mar. 27.	533	B	Mar. 27.	628	C B	Mar. 27.
III	439	A	Apr. 16.	534	A	Apr. 16.	629	A	Apr. 16.
IV	440	G F	Apr. 7.	535	G	Apr. 8.	630	G	Apr. 8.
V	441	E	Mar. 23.	536	F E	Mar. 23	631	F	Mar. 24.
VI	442	D	Apr. 12.	537	D	Apr. 12.	632	E D	Apr. 12.
VII	443	C	Apr. 4.	538	C	Apr. 4.	633	C	Apr. 4.
VIII	444	B A	Apr. 23.	539	B	Apr. 24.	634	B	Apr. 24.
IX	445	G	Apr. 8.	540	A G	Apr. 8.	635	A	Apr. 9.
X	446	F	Mar. 31	541	F	Mar. 31.	636	G F	Mar. 31.
XI	447	E	Apr. 20	542	E	Apr. 20.	637	E	Apr. 20.
XII	448	DC	Apr. 11.	543	D	Apr. 5.	638	D	Apr. 5.
XIII	449	B	Mar. 27.	544	C B	Mar 27.	639	C	Mar. 28.
XIV	450	A	Apr. 16	545	A	Apr. 16.	640	B A	Apr. 16.
XV	451	G	Apr. 8.	546	G	Apr. 8.	641	G	Apr. 8.
XVI	452	F E	Mar. 23	547	F	Mar. 24.	642	F	Mar. 24.
XVII	453	D	Apr. 12	548	E D	Apr. 12.	643	E	Apr. 13.
XIIX	454	C	Apr. 4	549	C	Apr. 4.	644	DC	Apr. 4.
XIX	455	B	Apr. 24	550	B	Apr. 24.	645	B	Apr. 24.

Tres ſunt

Tres sunt Enneadecaeterides sivè Cycli decemnovennales, quorum primus inchoat Cyclum annorum XCV. à S. Cyrillo concinnatum. Alter primus est in totidem annorum periodo Dionysiana, idemque priori loco legitur in marmore Ravennate. Tertius describitur à S. Isidoro lib. 6. Orig. cap. 17. & ab anno Christi 627. ad annum usque 721. extenditur, cum Cyclus Ravennas ab anno 532. ad annum 626. diffundatur, ita ut sibi ordine succedant, unusque alterum excipiat. Hæc autem annorum XCV. periodus duplici vitio laborat; siquidem brevi temporis spatio, à cœlestibus Lunæ motibus dissidet, & ex Solari anno deductos dies, in sui repetitione non eodem quo priùs, ordine restituit. Prius vitium erat commune omnibus Cyclis, in quibus Neomeniæ certis mensium diebus perpetuò affixæ, mensium Lunarium initia ijsdem semper diebus invariato tenore prodebant; cum tamen ob Lunarem προήγησιν sivè anticipationem Neomeniæ paulatim in anteriores dies ascendant. Clavius cap. 8. Calend. Gregoriani Lunarem anticipationem post annos undeviginti, id est, post expletum Cyclum decemnovennalem, supputat hor. 1. 27'. 32". 41‴. Cyclus annorum XCV. continet quinque Enneadecaeteridas, quę dant Syzygias 1175. quibus evolutis, Novilunia citiùs contingunt horis 7. 17'. 43". 25‴. Quare post tres evolutas periodos annorum XCV. quas proximè memoravi, Neomeniæ anticipant horis 21. 53'. 9". 15‴. videlicèt post annos 285. & post quatuor eiusmodi Cyclos qui dant annos 380. fit anticipatio unius diei, hor. 5. 10'. 53". 40‴. Rursus ex solaribus ratiocinijs alter eiusdem Cycli defectus intelligitur. Nam anni Iuliani XCV. sunt dies 34698. cum horis insuper 18. Hinc feriæ quę septenni numero circumaguntur, non possunt in illius Cycli repetitione restitui; si enim septies ducas dies 4957. prodibunt 34699. Non ergo possunt redire feriæ post annos 95. nisi sex horæ reliquę accedant; cum pręsertim bissextus in repetito Cyclo, feriam in proximum diem protrudat, ut patet in expansis tabulis, ubi è regione anni Bissextilis, in instaurato Cyclo, Dominica dies Paschalis non eodem die, sed proximè insequenti contingit. Sed maior etiam variatio succedebat, quam nec Scaliger nec Petavius observarunt, quoties anno bissextili Luna XIV. Paschalis incidens in diem Dominicam, Festum in proximam Dominicam ac Lunam XXI. transmittebat; tunc enim in instaurato Cyclo, Pascha in anteriorem hebdomadem retrocedebat. Etenim anno bissextili Christi 448. Cyclo Solis IX. D C. Lunę XII. in Cyclo Cyrilli neomenia Paschalis affixa iuxta canones Alexandrinos diei 22. Martii prodebat Lunam XIV. die 4. Aprilis, Dominica; unde dilatum Pascha in diem XI. Aprilis, Luna XXI. At post annos 95. videlicèt anno Christi 543. eodem Cyclo Lunę XII. Solis XX. lit. D. Luna XIV. Paschalis in Cyclo Ravennate ac Dionysiano signatur PRIDIE NON. APR. Pascha autem NONIS APRIL. LVNA XV. ac proinde Pascha

una priùs hebdomade, sivè sex antea diebus, quàm anno 448. celebratum fuit.

Scaliger lib. 2. de emend. Temp. pag. 153. Cyrillo eius Cycli auctori insultans, ait: *Sed non solùm vitiosa, sed ridicula est hac periodus*; quòd nempè feriarum apocatastasim non continebat. Hoc iam olim Dionysius Exiguus prænotaverat, scribens Petronio in laudato Cyrilli Cyclo, annuas Epactas ac Lunas XIV. Paschales invariato tenore, circumagi; feriarum tamen ordinem quandoque ibidem variari: *Nam*, inquit, *cum in ceteris annis non dissentiat, in illis solis, in quibus se Bissextus inserit, Pascha Dominicum cum sua Luna vario modo rationis occurrit*. Initio Cycli Dionysiani, anno Christi 532. Cyclo Solis IX. DC. Aureo numero I. Paschalis Dominica dies signatur III. Idus Aprilis Luna XX. ut & in lapide Ravennate. Verùm evoluto Cyclo annorum XCV. anno Christi 627. Dominica Paschalis in Cyclo Isidori notatur *pridie Idus*, id est, 12. *Aprilis*, *Luna XX.* ubi XXI. legendum est; ac proinde quòd Bissextus anno Christi 532. inseritur, in repetita periodo, ut ait Dionysius, *Pascha Dominicum cum sua Luna vario modo rationis occurrit*; cum illud in proximum diem descendat, ac Lunę ętas augeatur. Petavius cum recitatam Dionysij observationem legisset, lib. 12. cap. 3. ait: *Mira res, si hoc Cycli genere contentus esse potuit Dionysius, cuius vitia non agnovit modò, sed etiam castigavit*. Ita quidem non solùm Dionysius contentus fuit eo Cyclo, verum etiam Metropolitana Ravennas Ecclesia eundem Cyclum marmori perpetuis characteribus incidendum decrevit. Monet hoc loco Cyrilli Alexandrini sanctitas ac doctrina, ut ostendam ipsum quoque memoratum Cycli defectum probè novisse, ac castigasse, quod sanè facilè demonstrabo. Extant Heortasticę, id est, Homilię Paschales S. Cyrilli, in quibus indicantur dies Paschatum ab anno Christi 414. ad annum usque 442. Ibi autem Hom. 4. pronuntiat futurum Pascha *die septima Pharmuthi*, iuxtà Latinos 2. Aprilis, anno Christi 416. Cyclo Solis V. lit. BA. Aureo numero seu Cyclo Lunę XVIII. Adde annos XCV. eris ad annum Christi 511. qui erat Cyrilliani Cycli ab anno 437. inchoati, septuagesimus quintus, in quo Pascha a Cyrillo notabatur die 8. Pharmuthi, 3. Aprilis, eodem Cyclo Lunę XVIII. Solis XVI. lit. B. Rursùs in Homilia VIII. promulgat Pascha instaurandum *die* 23. *Pharmuthi*, 18. Aprilis, anno videlicèt Christi 420. Cyclo Lunę III. Solis IX. lit. DC. Collige hinc annos XCV. habebis annum Christi 515. eumdemque Cyrilliani Cycli LXXIV. ubi notabatur Pascha *die* 24. *Pharmuthi*, 19. Aprilis, eodem Cyclo Lunę III. sed Solis XX. lit. D. Qui igitur fieri potuit, ut Cyrillus qui tum sacris ad Alexandrinos concionibus instantes dies eorum Paschatum denuntiavit, tum longè etiam post futuros eiusdem magnę solemnitatis dies in Cyclo descripsit, ignoraret, intercurrentes bissextiles post annos XCV. festum Paschale in proximum diem

diem protrudere? Præterea in Homilia XII. indicitur Pascha instaurandum *die undecima Pharmuthi*, 6. Aprilis, anno Christi 424. Cyclo Lunæ VII. Solis XIII. lit. FE. quo sanè anno cum Neomenia fuerit die 21. Phamenoth, 17. Martij, ac Luna XIV. caderet in diem 4. Pharmuthi, 30. Martij, Dominicam; solemnia transmissa sunt in insequentem Dominicam, Pharmuthi XI. Aprilis 6. ac Lunam XXI. Post annos 95. fuit annus Christi 519. qui in Cyclo Cyrilli numerabatur LXXXIII. quo Pascha indicebatur die 5. Pharmuthi, 31. Martij, eodem Cyclo Lunæ VII. at Solis XXIV. lit. F. Rursùs in Homilia XVI. Pascha pronuntiatur peragendum *die 27. Pharmuthi*, 22. Aprilis, anno Christi 428. Cyclo Lunæ XI. Solis XVII. lit. AG. quo anno cum Neomenia inierit die 2. Aprilis, ac Luna XIV. caderet in Dominicam diem 15. Aprilis, Pascha diffusum est in diem 22. Luna XXI. Post annos XCV. fuit annus Christi 523. qui erat laudati Cycli LXXXVII. in quo Pascha adnotatum est à Cyrillo die 21. Pharmuthi, 16. Aprilis, Luna XV. eodem Cyclo Lunæ XI. Solis XXVIII. lit. A. Itaque cum Cyrillus in Cyclo post annos 95. Paschalia solemnia una priùs hebdomade designaverit, quàm duo illa priora in Heortasticis, invidiæ immò etiam ignaviæ propior est censura, qua celeberrimo Præsuli notam erroris inurunt, quòd non adverterit in repetito Cyclo ob intercurrentes bissextiles, Paschales dies cum sua Luna variari; cum ob Bissextum Pascha non modò in insequentem diem post Cyclum evolutum promoverit, uerùm etiam Festum anno intercalari Luna XXI. celebratum, post annos 95. idem anno communi una citiùs hebdomade anticipandum esse docuerit. Hæc disertè scribit in prologo Paschali Cyrillus: *Unum tantùm assem in quibusdam annis propter rationes Bissexti, qui occurrere non potuit usque ad illum summum Circuli ultimum annum, qui redit ad caput, adijciendum, uel potiùs dimittendum admonui.* Assis nomine dies exprimitur tum apud Astronomos, ut ostendit Keplerus in Rodulphinis cap. 14. tum apud Computistas; ita apud Bedam in lib. de arg. Lunæ pag. 212. legimus de Bissexto: *Assem facit, quod est unus dies*; quæ repetit Isidorus lib. 6. Orig. cap. 17. Vncia enim designat horas duas: sextans horas quatuor: quadrans sex &c. as denique horas 24. id est, diem. Hinc Paulus de Middelburgo lib. 5. Paulinę, sub titulo: *De alia controversia &c.* & lib. 6. sub tit. *De Cyclo Paschali magno*, ait: *Cyrillum Theophili successorem, & nepotem reduxisse Cyclum Theophili ad annos XCV. nam post tot annos redeunt solemnitates Paschales eodem ferè cursu quo priùs observata fuerant, addito, vel subtracto nonnumquam uno die, propter Bissextum intervenientem*. Quæ exscripsit Stœflerus propofit. 37. pag. 59. lit. Q. Hæc patent in diebus Paschatum ex Cyrillo proximè recitatis, ubi Pascha anno bissextili celebratum, post annos 95. in proximum diem descendit; ac proinde unus dies additur. Cum verò anno bissextili Luna XIV. in diem Dominicam incidit, post an-

 nos

nos 95. cadit in Sabbatum; hac ratione unus dies demitur. Victorius Aquitanus in prologo Paschali notat Cyclos, *sicù qui post LXXXIV. seu qui post XCV. annos &c. in principium sui atque originem redire creduntur*, nunc esse dierum parilitate concordes; sed in Lunæ ætate numeranda discordare; *at rursus*, inquit, *cum in Lunari supputatione reperiuntur stabiles, dierum mobilitate confligunt*. Quibus postremis verbis defectum Cycli annorum XCV. palàm significat. Nam in illo Cyclo, quòd ad Lunarem supputationem attinet, cum Neomeniæ certis diebus perpetuò affixæ essent, Lunas XIV. Paschales iisdem semper diebus exhibebant. At quod spectabat ad ferias, cum harum ordo à bissextilibus perturbaretur, idem met Cyclus secum dierum mobilitate confligebat, cum Pascha, uti prædixi, in proximum inferius diem descenderet. Hæc Victorius scribebat anno XIII. ab obitu Cyrilli. Ita à viris eruditis statim Cyrilliani Cycli defectus deprehensus fuit; unde Victorius eodem repudiato, periodum annorum DXXXII. omnium primus apud Latinos adhibuit, in qua reapse feriarum apocatastasis continebatur. Ceterùm Dionysius Exiguus maluit Cyclum annorum XCV ad usum Romanæ Ecclesiæ revocare, quàm Victorianam periodum ad Alexandrinorum canones redactam, Latinis ingerere. Idem tamen defectum prioris Circuli apertè prodit in laudata ad Petronium epistola. Hinc ubi anno XII. Cycli Cyrilliani, qui fuit Christi 448. idemque bissextilis, Pascha designabatur die 11. Aprilis, Dionysius in suo instaurato Cyclo, anno eodem XII. Pascha diei 5. Aprilis affixit, uti superiùs exposui. Et sanè Dionysij verba de Cyclo annorum XCV. notanda sunt: *Nam cum in ceteris annis non dissentiat, in illis solis, in quibus se Bissextus interserit, Pascha Dominicum cum sua Luna vario modo rationis occurrit. Sed hi, qui ordine fixo per omnia decurrunt tempora, mobilium casum sua stabili circuitione sine ulla possunt difficultate dirigere*. Apud Bucherium legitur *mobilium casuum*; sed rectè Petavius in fine tom. 2. pag. 891. reponit *mobilium casum*; uti & Victorius proximè laudato loco scribit: *dierum mobilitate confligunt*. Monet autem Dionysius bissextilium interventu, in iterata annorum XCV. periodo paucas tantùm ferias non redire. Nam in priori Enneadecaeteride Cycli Ravennatis sivè Dionysiani ab anno Christi 532. inchoatæ, Pascha quater tantùm in diversos à Cyrilli Cyclo dies cadit; ubi quindecies eadem solemnitas in utraque Enneadecaeteride iisdem diebus occurrit. Præterea Pascha quod in Dionysiano Cyclo in proximam diem relabitur, in tribus repetitis prioribus Cyclis Decemnovennalibus, eadem die semper indicitur. Rem clariùs sub exemplo proponam. Anno IV. Cycli S. Cyrilli, Christi 440. qui fuit Bissextilis, Pascha denuntiatur die 7. Aprilis. At anno IV. repetitæ periodi apud Dionysium, nempè Christi 535. Pascha die 8. Aprilis designatur, qua etiam die instauratur annis Christi 630. 725. 820. quibuscum annis concurrit annus IV. Cycli iterum, tertiò, ac

quar-

quartùm revoluti. Quòd verò annus Christi 820. est bissextilis, post annos 95. videlicèt anno Christi 915. Pascha in diem 9. Aprilis cadit. Hinc ait Dionysius tot longè plures annos qui ordine dierum fixo decurrunt, suamet stabili in quater iteratis Cyclis revolutione, mobilium dierum Paschatis in proximum inferiùs diem casum posse sine ulla difficultate dirigere; & iterùm monet, ut quilibet *post expletionem XCV. annorum* Cycli Cyrilliani, *ad primum suum vigilanter excurrat, ac per eos dies qui firmum cursum retinent, eorum progressum, qui videntur titubare, sustentet.* In Paschali solemnitate ritè instauranda duo præcipuè observantur; nempè ne Luna XIV. Paschalis vernum Æquinoctium prævertat, & ut prima die Dominica post Lunam XIV. eidem Æquinoctio proximiorem, festum peragatur. Primum, quod difficilius erat, & à vulgi cognitione remotius, Cyclus decemnovennalis stabili ac perpetua lege prodebat. Alterum erat omnibus notissimum, cum quilibet è vulgo ordinem feriarum probè perspectum haberet. Regulam tamen ad feriam assequendam ab Alexandrinis mutuatam, Dionysius suo Cyclo subiecit. Etenim in fine eius epistolæ ad Petronium scribit: *necnon & argumenta Aegyptiorum sagacitate quæsita, subdidimus, quibus, si forsitan ignorentur, Paschales tituli possint facilè reperiri &c.* Hæc argumenta Dionysio auctore laudato, recitat Beda in lib. de Temp. rat. cap. 45. atque illa inter hoc refert: *Item si velimus scire adiectiones Solis, id est, concurrentes septimanæ dies, sumere annos Domini iubet* Dionysius, *& addita quarta parte, quatuor insuper regulares semper adijcere docet, ac sic tandem per septem partiri.* Concurrentes apud veteres Computistas dicebantur dies, qui de septennaria dierum hebdomadis partitione, in exitu anni supererant, qui additis regularibus mensium, quota esset feria, indicabant. Dionysius in laudata epistola scribit in Cyclo annorum XCV. Lunas XIV. inviolato semper tenore decurrere; *tamen*, inquit, *tenorem similem constantiæ nequeunt custodire concurrentes dies hebdomadum &c.* quod in causa esse ait, *ut non per omnia Circulus iste XCV. annorum suo recursui concordari videatur.* Portò concurrentes numeris exprimebantur, qui literis Dominicalibus ordine hic, apposito correspondebant. Dionysius anno Christi 532. à quo Cyclum auspicatur, statuit Lunam XIV. Paschalem *Nonis Aprilis*, Pascha die 11. Aprilis. Hoc autem ad inveniendam feriam argumentum tradit. Sume annos Domini 532. adde *quartam partem*, id est, 133. fiunt 665. adijce *quatuor insuper regulares*, evadunt 669. Huncce numerum *per septem* partire; remanent residui IV. nempè litera Dominicalis C, quæ in Kalendario diei 11. Aprilis adponebatur, ac proinde ea dies erat Dominica. Addebant autem Regulares mensium, quos describit Beda cap. 19. de Temp. rat. & in lib. de argum. Lunæ pag. 189. ubi

1	F
2	E
3	D
4	C
5	B
6	A
7	G

Regu-

Regulares Martij ſtatuuntur V. Aprilis I. Maij III. &c. Concurrentes cum regularibus menſium Kalendarum feriam indicabant; Et ſi numerum ſeptenarium excedebant, abiectis ſeptem, reſidui feriam Kalendarum prodebant. Ita anno memorato 532. erant Concurrentes IV. adijce Regulares V. Martij, evadunt IX. abijce ſeptem; remanent II. Quare anno 532. Kal. Martijs fuit Feria II. Rurſus Concurrentibus IV. adde Regularem Aprilis I. habes V. ac proinde eodem anno Kalendis Aprilis fuit feria V. ac dies eiuſdem menſis XI. fuit Dominica. Hęc Dionyſius appellat *argumenta Aegyptiorum ſagacitate quæſita*, quibus tanquam regulis certiſſimis methodum Cycli annorum XCV. ſtabiliebant; non enim alia periodo id temporis uſos colligimus, quòd Dionyſius eam ipſam in Romanam Eccleſiam invexit, ut eidem iuxtà Alexandrinorum canones ac methodum, Cyclum Paſchalem ſuggereret. Et ſanè Kalendarium Gregorianum perpetuo tenore dies Paſchales indicit, ita tamen ut aliquot regulis ſuffulciatur. Has inter eſt ut quadringentorum annorum ſpatio, tres centeſimi qui iuxtà ordinem ſunt biſſextiles, die intercalari mutilentur, qua diei ſubtractione Lunaris anticipatio ſervatur, ac Æquinoctium in die 21. Martij fixum tenetur. Non abſimili modo in Cyclo annorum XCV. ratio Paſchalis recitata Concurrentium regula ſtabilitur, ut in qualibet ſui repetitione ſine errore decurrat. Hinc factum eſt, ut Dionyſius eumdem Cyclum iterùm à capite inchoatum priori Cyrilliano deſinenti, ſubſtituerit; ac dein exeunte Dionyſiano, tertium eadem methodo concinnatum, S. Iſidorus Hiſpalenſis Metropolita Hiſpanis propoſuerit. At Dionyſius & Iſidorus probè obſervarunt feſtum Paſchale anno biſſextili celebratum, poſt annos XCV. in repetito Cyclo in inſequentem diem cadere; at horum, ut cum Dionyſio loquar, *mobilium caſum* indicata à Cyrillo & Alexandrinis Concurrentium regula ſuſtinuere, quemadmodum prolixiùs oſtendi, ut temerariam Scaligeri cenſuram confutarem, cui Cyrilli periodus *non ſolùm vitioſa, ſed ridicula* ignominiæ cauſa, appellatur. Hæc ille audacter effudit, cum nec Dionyſiani Cycli, nec eorum, quæ de eodem veteres in literas miſerant, notitiam ullam habuerit. Nam lib. 2. pag. 154. de emend. Temp. ſcribit: *Anno igitur Chriſti 526. Cyclum Victorini recenſebat Dionyſius, incipiens ſuum Cyclum ab anno ultimo illius, id eſt, ab anno quingenteſimo triceſimo ſecundo.* Et pag. ſequenti 155. de eodem Dionyſio ait: *Continuavit autem totam periodum ad annum 1063. ut ait Beda*. At demonſtratum eſt non Victorij Aquitani, ſivè ut ille vocat, Victorini periodum, ſed S. Cyrilli Cyclum à Dionyſio recenſitum anno Chriſti 525. non verò 526. Rurſus Victoriana periodus non deſinit anno 532. ſed anno 559. cum initium eiuſdem non colligatur, ut putavit Scaliger, à Natali Chriſti, ſed ab eiuſdem Paſſione. Annus primus periodi Victorij ſignatur ab eodem *Biſſextilis*, *Kal. Ianuarijs Fer. V. Paſcha V. Kal. Aprilis*, *Luna*

XVI.

XVI. Quatuor illi Chronologici characteres designant annum Periodi Julianæ 4741. Æræ vulgaris Christi 28. Quare annus abhinc 532. ultimus Victorianæ periodi, fuit Christi 559. quo anno ab eodem Kalendæ Ianuariæ notantur *Feria IV. Pascha Idibus Aprilis*, quæ notæ cum annum 559. indicant, Cyclo Lunæ IX. Solis VIII. lit. E. Denique Dionysius non continuavit periodum annorum 532. ad annum usque 1063. sed Cyclum annorum XCV. Cyrillianum iteratum, ad annum Christi 626. perduxit, ut locupletissimo Ceolfridi Abbatis, qui eodem quo ille Cyclus exijt, sæculo florvit, testimonio demonstravi. Beda verò scribit non Dionysium, sed semet Cyclum annorum 532. ad annum usque Christi 1063. perduxisse. Verba Bedæ ex cap. 63. de Temp. rat. superiùs cap. 1. recitavi.

CAPVT III.

Ecclesia Ravennas Paschalem Cyclum annorum XCV. adhibuit. Eiusdem methodus in marmore sculpta, exponitur. Quinam Cycli Paschales in Occidente sexto ac septimo à Natali Christi sæculo usurpati. Quo anno scripti sint ab Anonymo libri de mirabilibus sacræ Scripturæ. Græci Cyclum annorum DXXXII. ante Latinos invexerunt.

POstquam Dionysius Exiguus descriptum mihi hactenùs Paschalem annorum XCV. Cyclum evulgavit, Romana Ecclesia diuturniorum de Paschate ritè instaurando, contentionum, quas aliquot sæculis cum Alexandrina Ecclesia immò Oriente toto exercuerat, iam tandem pertæsa, Dionysianum Cyclum ad Ægyptiorum canones formatum, admisit. Id temporis quatuor tantum erant in Italia post Romanum Pontificem, Metropolitę, videlicèt Aquileiensis, Mediolanensis, ac Ravennas, & in Sardinia insula Caralitanus. Mediolanensis Ecclesia, quę vel ante S. Ambrosij pontificatum, Alexandrinorum in peragendo Paschate, statuta sequebatur, Dionysij Cyclum eisdem conformiter contextum, recepit. At Ravennatem quoque Ecclesiam, eique contributos Episcopos, quos suffraganeos vulgò dicimus, eundem Dionysij Cyclum initio statim secutos fuisse prodit insignis Inscriptio, quam huic operi præfixi. Hunc Cyclum ex marmore Ravennate lineis ac versibus ad prototypum circumductis, exscripsit P. Cęsar Pronti Augustinianus, quem pictoriæ artis scientia, sed religiosæ præsertim vitæ integritas, ac animus in multa magnatum gratia humilis ac dimissus etiam atque etiam commendat. In eo autem marmore Dionysianus annorum XCV. Cyclus scalptus apparet, ac Paschata ibidem ab anno Christi 532. ad annum 626. designantur. Quinque ibi Enneadecaeterides in gyrum sigillatim ductæ, leguntur, ex quibus

inte-

ger annorum XCV. Cyclus conflatur. Illarum autem anni cum annis Cycli Lunaris, de quo capite proximo scribam, comparantur; idipsum enim ipsemet Cycli conditor Dionysius antea fecerat in epistola ad Bonifacium & Bonum. Enimverò anni Lunaris Cycli in totius rotæ circumferentia eminent; deinde in inferiori Circulo anni Cycli Paschalis pertexuntur; & proximè etiam designantur dies, quibus in omnibus quinque Cyclis Lunæ decimæquartæ Paschales contingunt, quæ nullam mutationem admittentes, eodem tenore per novemdecim quinque Cyclorum annos invariatæ, discurrunt. Cum enim Neomeniæ annorum XIX. sint certis Martij aut Aprilis diebus affixę, Lunas etiam XIV. ijsdem semper diebus designant. Dionysius in epistola ad Petronium notat in laudato Cyclo, qualibet Enneadecaeteride multiplicata, easdem semper Epactas annorum XIX. in orbem duci, *& Paschales quartasdecimas Lunas easdem omninò omnium ævorum revolutione reperiri*. Nondum enim Lunarem ὁμώνυμον intellexerant. Hinc in marmore Ravennate semel tantùm notantur in prima Enneadecaeteride dies, in quos Lunæ decimæquartæ Paschales incidebant; quia in reliquis etiam quatuor ibidem sculptis Cyclis decemnovennalibus, Lunæ XIV. ijsdem semper diebus contingebant. Quòd verò ordo feriarum à Solari motu pendebat, ac proinde dies Dominicus non eosdem mensis dies in uno ac altero, & sequentibus Cyclis decemnovennalibus occupabat, hinc tot subinde variati dies Paschatis ibidem leguntur; ac, quod erat consequens, tot diversæ ætates Lunæ, quæ die Paschatis diversis annis diversimodè numerabantur. Anni Cycli ibidem idem sunt ac Aurei numeri, qui a primo ad undevicesimum colliguntur. Annus I. Cycli præfert *Lunam XIV. Nonis Aprilis*; quia Aureus numerus I. diei 23. Martij affixus, indicat eiusdem anni neomeniam Paschalem eodem die inchoatam. Quare Nonis Aprilis numeratur Luna XIV. cui proximè succedens dies Dominica fuit *III. Idus Aprilis*, qua die Pascha in lapide notatur unà cum *Luna XX*. Fuit annus Christi 532. Cyclo Lunæ, sive Aureo numero I. Cyclo Solis IX. lit. D C. Anno II. Cycli indicitur *Luna XIV. VIII. Kal. Aprilis*. Vbi noto numerum VI. in eo marmore ob laterculi angustias non binis numeralibus Romanorum literis VI. sed frequenter designari, ita ut prior nota senarij sit veluti G interiùs tamen sinuata eo sanè modo, quo numerus sextus in quibusdam Græcarum urbium nummis exprimitur. Huiusmodi nummum produxi in libro de Epochis Syrię pag. 444. Quæ hoc potiùs loco, quam nullo indicata volui. Deinde notatur *Pascha VI. Kal. Aprilis*, *Luna XVI.* Aureus numerus II. in Kalendario Dionysiano & Alexandrino erat è regione diei 12. Martij; unde Neomenia Paschalis inde deducta, Lunam XIV. in diem 25. eiusdem mensis transmittebat, Pascha verò in diem 27. Luna XVI. Cyclo Lunæ II. Solis X. lit. B. nempè anno Christi 533. In superiori Dissert. pag. 13. menses Pascha-

les

les cum Aureis numeris Alexandrinorum exhibui, ex quibus neomeniç novemdecim annorum deductæ, Lunas XIV. quales in Cyclo Ravennate describuntur, ostendunt. Hæc trita ac vel tyronibus nota, satis fuerit indicasse, ut totius memorati Cycli methodus explicetur.

In Cyclo Ravennate Aureo numero sivè Anno octavo in priori Enneadecaeteride Pascha signatur *VIII. Kal. Aprilis*, *Luna XX.* & rursus in tertia statuitur *VII. Kal. Maij*, *Luna XXI.* nempè diebus 24. & 25. Aprilis; cum antea Latina Ecclesia remotissimum Pascha ultra 21. Aprilis nullatenus promoveret; quamvis postea S. Leo Magnus biduo extendi posse decrevit, ad diem 23. Aprilis. At Dionysius cum Aureum numerum VIII. cum Alexandrinis in die 5. Aprilis collocaverit, quoties Luna XIV. litera Dominicali C, in diem 18. Aprilis incidebat, Pascha in proximam Dominicam, 25. Aprilis prorogabat. Rursùs Aureo numero XIX. à Dionysio diei 4. Aprilis adposito, ac anno postremo primæ Enneadecaeteridos Luna XIV. cum Dominica die 17. Aprilis concurreret, Pascha plena hebdomade tardius, die 24. Aprilis in Ravennate Cyclo collocatur. Præterea cum Latini Lunam XV à Paschali solemnitate excluderent, eamdem à Luna XVI. ad XXII. diffundentes, Dionysius Lunam XV. intra Paschalia solemnia retinens, hæc non ultra Lunam XXI. extendit. Hæc ille ad Petronium scribit: *In quo etiamsi Luna XIV. Sabbato contigerit, quod semel in XCV annis accidere manifestum est, sequenti die Dominico, id est, XI Kal. Aprilis, Luna decimaquinta, celebrandum Pascha, eadem sancta Synodus sine ambiguitate firmavit*. Petavius in notis ad eam epistolam, tom. 2. doctr. Temp. pag. 891. hocce scholion adijcit: *Notetur hoc Dionysij, imò Concilij Nicæni decretum, contra Scaligeri, Calvisij, & id genus Kalendarij artificum dogma: qui Luna XV. Pascha celebrari nefas putant. Etenim cum Luna XIV. in Sabbatum incidit, XII. Kal. Aprilis, hoc est, Martij XXI. postridie Pascha peragetur. Id non nisi Lunę Cyclo vel Aureo numero XVI. evenire potest*. Verum ea in re tum Dionysius excessit; tum Petavius illius verba in alienum sensum detorquet, & erroneam opinionem obtrudit. Cum Patres Nicæni Æquinoctium in die 21. Martij locassent, ait Dionysius eosdem statuisse *à duodecimo die Kalendarum Aprilium*, sede fixa Æquinoctij Nicęni, *usque in XIV. Kal. Maias Lunam XIV. solertiùs inquirendam*; & si contingat Lunam XIV. in ipsum Æquinoctij diem incidere, Sabbato, postridie Pascha iuxta decreta Nicæna, esse celebrandum; quod semel in Cyclo annorum XCV. contingere testatur, nempè anno eiusdem periodi LXXIII. qui in marmore Ravennate est decimus sextus Cycli IV. decemnovennalis, in cuius superiori parte signatur *Luna XIV. XII. Kal. Aprilis*, & inferius in ipsomet laterculo: CY. IIII. *Pascha XI. Kal. Aprilis*, qui fuit annus Christi 604. Cyclo Solis XXV. litt. E D. quod quidem adeo citimum Pascha semel tantum spatio annorum XCV. postridie diei Æquino-

ctij decernitur. At constat errasse Dionysium, ne doctissimis Romanę Ecclesiæ Pontificibus erroris nota inuratur. Nam ut superiori Dissertatione prænotavi, S. Innocentius in epistola ad Aurelium Primatem Carthaginensem scribit, Pascha anno Christi 414. celebrandum esse XI. *Kalendarum Aprilium Luna penè XVI.* cum die IV. Kal. Aprilis *Luna vigesimatertia* colligeretur. Itaque Innocentio die 20. Martij pridie Æquinoctium, numerabatur Luna XIV. quæ tamen eidem erat Paschalis. Pręterea ut ibidem dixi pag. 20. anno Christi 417. Romæ Pascha peractum fuit die 25. Martij, Luna XXI. unde Luna XIV. die 18. Martij contigerat. Nullum ergo decretum Nicænum erat de Luna XIV. Paschali non ante diem Æquinoctij arcessenda. Sed nec metam Lunę XIV. Nicæna Synodus ad usque diem 18. Aprilis extendit; siquidem concurrentibus cum Aureis numeris XIX. & VIII. literis Dominicalibus D & E, Pascha in Lunam XXI. ac diem 24. ac 25. Aprilis transmittendum fuisset. Cum autem Theophilus anno Christi 455. Pascha die 24. Aprilis instaurandum scripsisset, ea longior solemnitatis translatio a Leone Magno *nimis insolens & aperta transgressio* vocata est, *quæ à totius antiquitatis exemplo, & ab omni antiquitate Patrum discordaret*. Ita enim loquitur epist. 64. & 65. Ex his patet descriptam à Dionysio Lunæ XIV. Paschalis extensionem, nullo Nicæno canone statutam fuisse, sed eos terminos initio ab Alexandrinis, non autem à Latina Ecclesia servatos. Petavius Dionysio similiter errat, arbitratus ab eadem Nicæna Synodo statutum fuisse Pascha instaurandum, quoties Luna decimaquinta in diem Dominicam incidebat; Etenim Latina Ecclesia eam Lunam à Paschalibus solemnijs quinque ferè prioribus sæculis constantissimè exclusit; ac Victorius in fine prologi quem scripsit anno 457. disertè testatur, ea de re nihil hactenus à Romana Ecclesia statutum fuisse; unde idemmet Lunam XV. rejiciens, a Luna XVI. ad XXII. Pascha in suo Canone deduxit. Scaliger quidem Lunam XV. exclusit, ne Christiani eadem, qua Iudæi, die Pascha peragerent, quæ vetus etiam opinio laudatur à Gregorio Turonensi lib. 10. Hist. Franc. cap. 23. At si Petavius eam opinionem confutare volebat, plurium annorum Paschata in Dionysiano Cyclo Luna XV. indicta appellare poterat; nam decies ac sexies in marmore Ravennate Paschalis solemnitas Luna XV. adnotatur. Non sum nescius Petavium Dionysii testimonium contra Scaligerum urgere; At Scaligero favet vetustum Latinæ Ecclesiæ institutum, à quo primum post receptam Dionysianam periodum, discessit. Latini Lunam XV. à Paschali festo secludebant diversa ab illa futili Scaligeri ratione moti, quam alio opere exposui, & rectè adnotavit Stoefflerus proposit. 34. pag. 51. imò etiam Victorius Aquitanus in prologo.

Quamvis Cyclus Dionysianus annorum XCV. à Romana ac Ravennate Ecclesia admissus fuit, non deerant in Italia, qui eidem Vi-

cto-

ctorianam periodum præponendam esse contenderent. Nam anno Christi 550. qui erat Dionysiani Cycli vigesimus quintus, diversas de eiusdem anni Paschate opiniones in Italia fuisse colligimus ex libro Victoris Episcopi Capuani, cuius fragmenta recitat Beda cap. 49. de Temp. rat. & in opusculo de Æquinoctio vernali. Erat annus XIX. qui primum Cyclum decemnovennalem claudebat, quo in marmore Ravennate indicitur *Luna XIV. die XV. Kal. Maij : Pascha VIII. Kal. Maij, Luna XXI.* Hic pariter erat annus Victorianæ periodi DXXIII. in qua Pascha notabatur *XV. Kal. Maij (sed Alexandrinis VIII. Kal. Maij) Luna XVI.* Victorius enim mensem Paschalem Aureo Alexandrinorum numero XIX. à die 2. Aprilis auspicabatur; cum Dionysius Ægyptios secutus, biduo Neomeniam moraretur. Victor Episcopus Capuanus à quibusdam sententiam de eius anni Paschate rogatus, respondit, Festum instaurandum esse VIII. Kal. Maij; at laudato apud Bedam libro addit: *Aliquibus minimè rationabilis visa est nostra responsio, eò quòd Victorius quidam in Circulo Paschali, quem edidit, aliter diem Dominicæ Resurrectionis adfixerit; licèt & hunc designauerit, quem nos celebrandum pariter profitemur.* Ceterùm eo anno 550. Victorius Lunari motui conformiter Neomeniam indixerat; siquidem Novilunium medium contigit Romæ die 2. Aprilis, hora tertia post meridiem, quam syzygiam Alexandrini biduo morabantur. Hinc tamen intelligimus adhuc quosdam in Italia Victorianis Circulis adhæsisse. Scaliger lib. 2. pag. 154 rectè aduertit Victorem Capuanum scripsisse de Paschate anni 550. at perperam addit: *Igitur scripsit post tempora Iustiniani*; cum Iustinianus annos post illum quindecim vixerit. In Gallia ea ætate Victorij Aquitani periodum sequebantur, ut ex Synodo IV. Aurelianensi obseruat Bucherius cap. 10. not. in Victorij Cyclum. Nam can. I. legitur: *Placuit itaque Deo propitio, ut sanctum Pascha secundùm laterculum Victorij ab omnibus Sacerdotibus uno tempore celebretur.* Cui quidem Synodo anno Christi 541. quinquaginta ex varijs Galliarum prouincijs Episcopi interfuerunt. In Chronico Remense apud Labbeum tom. 1. Biblioth. m. ss. pag. 358. hæc leguntur: *Anno DLXXVII. Hispani, & Franci de Pascha celebrando dissentiunt, Hispanis XII. Kal. Aprilis, Francis verò XIV. Kal. Maij Pascha celebrantibus.* Ex lib. 5. Hist. Franc. Sancti Gregorij Turonensis illa exscripta sunt, qui tum temporis Episcopus cap. 17. scribit: *Eo anno dubietas Paschæ fuit. In Gallijs verò nos cum multis ciuitatibus, XII. Kal. Maias sanctum Pascha celebrauimus.* In Chronico Sigeberti eadem perperam anno 573. referuntur. Enimuerò annus Christi 577. erat Cycli Dionysiani XLVI. qui in marmore Ravennate est octauus Cycli III. decemnovennalis, & ibi indicitur Pascha VII. K. MAI. Luna XXI. Aureo Alexandrinorum numero VIII. Cyclo Solis XXVI. lit. C. Cum autem Dionysius anno VIII. Enneadecaeteridos Neomeniam à

 die

die V. Aprilis sciſceret , ac Luna XIV. eo anno caderet in diem 18. Dominicam , Paſcha in diem 25. Maij translatum eſt , ut patet in marmore Ravennate . At in Gallia una hebdomade , in Hiſpanijs verò uno menſe illud Paſcha præverterunt . Victoriana periodus exierat anno Chriſti 559. ac proximo anno à capite repetita , anno 577. annus eiusdem XVIII. decurrebat , quo Paſcha deſignatur *XIV. Kal. Maij* , *Luna XVI.* cum Neomeniam Aureo Alexandrinorum numero VIII. à die 3. Aprilis aduocaret , quam illi biduo retardabant . Novilunium Paſchale eo anno 577. ex tabulis Pariſinis contigit Aprilis die 3. hor. 6. 31'. 50''. poſt meridiem . Itaque cum Lunari motu Victorij Cyclus concordat ; & Dionyſianus ac Ravennas biduo à Lunari syzygia iuxta medium motum aberrant . In Gallijs Victorianam periodum obſeruabant . Hiſpani uno priùs menſe idem Paſcha peregerunt ; nec mihi compertum eſt , quemnam id temporis Cyclum ſequerentur ; diuerſi enim à diuerſis Eccleſijs ibidem Cycli obſeruabantur , ut mox oſtendo. Iuxta Cyclum quem vulgò Latinis affingunt, Aureo horum numero V. ad diem VI. Martij adpoſito, Hiſpani Paſcha celebraſſent Luna XVI. At quòd feſtum ipſo die Æquinoctij , nempè 21. Martij , abſoluerunt , Arianis tunc regibus ſubiecti , Romanæ Eccleſiæ canones ignorabant . Errat planè Petavius lib. 2. cap. 64. pag. 223. ſcribens : *At Latini , quibus Victorinus canonem ſuum edidit , à XII. Kalendas , id eſt , à XXI. Martij ad XXIV. Aprilis , Dominicas Paſchales incluſerunt*; ſiquidem Victorius citimam Neomeniam à die 7. Martij deduxit , ita ut citima Luna XIV. cum die 20. Martij concurreret ; & cum illi Luna XV. non eſſet Paſchalis , numquam in eius periodo Paſcha die 21. Martij indicitur . Hinc annis eiusdem periodi VII. CII. CXCVII. CDXLIV. Paſcha notatur *V. Kal. Aprilis* , *Luna XXII.* ut Neomenia ijsdem annis à die 7. Martij deducta , ac Luna XV. in diem 21. Dominicam incidente , Paſcha in diem 28. Lunamque XXII. prorogetur. Bucherius ex Gregorio Turonenſi lib. 10. cap. 23. rectè oſtendit anno etiam 590. Paſcha in Gallijs à pluribus iuxtà Victorij canones celebratum . Scaliger pag. 276. in addendis ad notas Euſebianas , ſcribit ſe in peruetuſto Euſebij codice legiſſe adnotatum anno quinto Childeberti regis : *Paſcha X. Kal. Aprilis , Aſcenſio Domini fuit K. Madias per Cyclum numerum annorum CXL. repetitio à capite Cycli* . Hic eſt planè Victorianus, qui à capite , uti prædixi , anno Chriſti 560. repetitus , prodit annum 140. concurrentem cum anno Chriſti 699. quo Paſcha contigit X. Kal. Aprilis .

In Hibernia eundem Victorij Cyclum in usu fuiſſe mihi videor colligere ex Beda ac veteri Scriptore librorum de mirabilibus ſacræ Scripturæ , qui reiecti ſunt in appendicem tom. 3. operum S. Auguſtini . Nam Beda lib. 3. hiſt. Angl. cap. 4. ſcribit Columbanum Abbatem anno Chriſti 563. in Britanniam tranſmiſiſſe , condito antea in

Hibernia

Hibernia insigni monasterio ; ex quo plura per eamdem insulam coenobia propagata sunt , in quibus celebres doctrina ac sanctitate Monachi floruere, quamvis, inquit , *dubios Circulos sequentes* in die Paschali celebrando , aberrarent ; *quem tamen & antea non semper in Luna XIV. cum Iudæis , ut quidam rebantur , sed in die quidem Dominica , alia tamen quàm decebat , hebdomada celebrabant* . In Cyclo Victorij bis ac tricies diversa ab Alexandrinis hebdomade Pascha denuntiabatur . Eos autem Hiberniæ Monachos Victorij volumen Paschale in usu habuisse colligo ex laudato Auctore operis de mirabilibus sacræ Scripturæ , qui lib. 2. cap. 4. scribit : *Semper post quingentos triginta duos annos , Sole ut in principio & Luna per omnia conuenientibus , nullis subuenientibus impedimentis , in id , unde cœperant , redire ostendemus* . Erat hic Cyclus Victorij per annos 532. expansus . Rursus ibidem ait diluvium contigisse anno CXIV. quinti Cycli ab Orbe condito , videlicet anno Mundi 2242. Petavius lib. 9. cap. 2. supputans annos 2240. errat in calculis . At inde ad octauum annum Abrahæ colligit annos 950. Postea de decimo Cyclo ait : *Nonagesimo secundo anno post passionem Saluatoris Alia & Sparsa Consulibus peractis cursibus , consummatur . Post quem undecimus à consulatu Paterni & Torquati ad nostra usque tempora decurrens , extremo anno Hibernensium moriente Manichæo , inter cæteros sapientes , peragitur ; Et duodecimus nunc tertium annum agens , ad futurorum scientiam se præstans , à nobis qualem finem habiturus sit , ignoratur* . Hæc ille ex Cyclo Victorij , in cuius prologo numerantur ab Orbe condito ad diluvium anni 2242. & hinc ad natalem Abrahæ 942. In Cyclo verò annum XCII. à passione Domini signat consulatu Auiolæ & Pansæ , quibus proximo anno adponit Paternum & Torquatum. Qui sanè Consules erronei sunt , ex Chronico Prosperi à Victorio descripti . Petavius loco laudato ait, priores Consules in codice Victorij ita legi : *Aulia & Parsa* ; unde rectè existimat Anonymum Victorij calculos secutum ; quamvis initium primæ periodi aliunde deduxerit , nempè ab Orbe condito . Victorius scribit anno 93. à passione Christi Kalendas Ianuarias contigisse die Dominica , ac annum fuisse Bissextilem ; Pascha verò Kal. Aprilis ibidem designat ; qui characteres indicant annum Christi 120. Cyclo Solis XVII. litt. A G. quo anno cum Anonymus inchoet Cyclum undecimum annorum DXXXII. hic idem exijt anno Christi 651. quo Manichæi sapientis in Hibernia obitus eidem recitatur . In præfatione verò scribit : *Ab uno vestrum , id est , Bathano , post patrem Manchinanum &c.* Verùm pro *Manichæo* ac *Manchinano* legendum est *Mancheno* , ut eruditè monuit Vsserius in fine operis de Antiq. Britann. ubi ex vetustis codicibus laudatur *Manchenus vir sanctus & sapiens , septem Ecclesiarum patronus , Canonicus Regularis S. Augustini* . Itaque auctor libri de Mirabilibus sacræ Scripturæ fuit Hibernus , ac Canonicus Regularis Augustiniani instituti ,

cumque

cumque librum scribebat anno Christi 654. qui erat tertius Cycli XII.

Cum in Hispania Reccaredus rex Ariana hæresi abiurata, Catholicam Religionem cum Gothorum gente, suscepisset, non uno eodemque Cyclo eiusdem regionis Ecclesiæ usæ dicuntur in Synodo IV. Toletana. Nam canone V. legitur: *Solet in Hispanijs de solemnitate Paschali varietas existere prædicationis, diversa enim observantia laterculorum Paschalis festiuitatis errorem parturit &c.* Huic Synodo anno Christi 633. interfuere totius Hispaniæ ac Galliæ Narbonensis Episcopi, & eos inter S. Isidorus Metropolita Hispalensis, qui cum lib. 6. Orig. cap. 17. Cyrilli Cyclum annorum XCV. commendet, alterumque totidem annorum ibidem describat, initium ducens ab anno Christi 627. & in anno 721. eundem terminans, satis probabiliter censere possumus, eiusmodi periodum à Romana Ecclesia Hispanos didicisse; quæ tamen meliori Cyclo annorum DXXXII. eodem ipso sæculo decessit. Nam à Græcis eius ætatis Scriptoribus idem magnus Cyclus passim celebratur. Auctor Chronici Alexandrini, qui imperante Heraclio scripsit, anno 35. imperij Iustiniani indictione X. scribit completos fuisse à passione Christi annos 532. & ex quo primùm à Christianis Dominica Resurrectio celebrata fuit, additque: *Et incipit secunda periodus orbita sive Cycli Paschalis annorum DXXXII à 21. die Martij præsentis Indictionis, qua die AEquinoctium agitur.* Eamdem periodum sæpè appellat S. Maximus in computo Ecclesiastico. Cum cap. 18. annum imperij tum dominantis Heraclij tricesimum primum designasset, ait: *Si quis summam illam annorum Mundi 6133. per DXXXII. dividat, habebit integras periodos annorum DXXXII. & ex duodecima annos* 281. Photius in Biblioth. num. CXV cuiusdam Metrodori Cyclum Paschalem memorat; eique dicitur *calculus novemdecennalium Cyclorum viginti octo in se ipsum quasi in orbem reductus*. Ille autem Scriptor, inquit Photius, *à Diocletiano incheoando, quingentorum triginta trium annorum dies festos colligit*. Nullum autem characterem chronologicum suggerit, ex quo tempus, quo Metrodorus vixit, colligatur. Ægyptium fuisse indicat Epocha ab imperio Diocletiani, à qua idem suum Cyclum inchoavit; siquidem extra Ægyptum diversis a Diocletianea Æris utebantur. Quòd verò addit Photius: *neque nunc Ecclesia neque vetus traditio dies illos servasse videntur*; & num. CXVI. laudat Anonymi libros de Cyclo Paschali, de quo ait: *Scriptor hic libro IV. Metrodorum sæpè reprehendit*. Ex his satis probabiliter suspicari possumus eundem Metrodorum ante Theophilum Alexandrinum scripsisse; huius enim canones Paschales non modò Ægyptus, sed universa statim Orientalis Catholica Ecclesia secuta est, à quibus non aberrasset Metrodorus, si post Theophilum suum Cyclum annorum DXXXII. elucubrasset. Ille verò unum insuper annum adiecit, quò ostenderet, Cyclum dies Paschales post annos 532. in orbem du-

cere;

cere ; cùm Cyclus eiusdem esset decemnovennalis per annos viginti octo iteratus. Alter etiam Anonymus dicitur Photio scripsisse *de curriculo praterea Solis octo & viginti annorum, & novemdecim annorum Luna, ac quartodecimo eius die*; Qui est planè magnus Cyclus annorum 532. ex Cyclis 28. Solis, ac Lunaribus XIX. invicem ductis, compositus. Plura de eodem Cyclo a Græcis antiquitùs usitato videsis apud eruditissimum amicum meum Antonium Pagium in Dissertatione de Periodo Græco-Romana mihi aliàs laudata.

CAPVT IV.

Cyclus Lunaris in marmore Ravennate sculptus, exponitur. Insignis in eodem explicando Scaligeri hallucinatio. Eiusdem diagramma ex Beda recitatur. Vsus illius proponitur. Num à Iulio Cæsare primùm inventus fuerit. Cyclus Lunaris cum Kalendario Iuliano ex marmoreis tabulis Capitolinis à Gaurico, manifesta impostura, obtruditur. Vulgaris opinio de Cyclo Lunari Iuliano à vetustis Latinis ad methodum Cycli Paschalis revocato, confutatur.

IN superiori Cycli Ravennatis circumferentia describitur Cyclus, quem vetusti Computistæ *Lunarem* appellabant, idemque ibidem incipit, ubi legitur: LV. PRIMVS, id est, *Lunaris Primus*, ac cum anno IV. Cycli Paschalis componitur. Vterque autem Cyclus erat Lunaris: uterque etiam decemnovennalis: uterque denique Neomenias in Kalendarijs ijsdem mensium diebus indicabat. Verùm distinctionis gratia, alter *Lunaris* communi nomine appellatus est; Alter speciali vocabulo *decemnovennalis* dictus fuit. Paulus de Middelburgo lib. 2. Paulinæ, quod volumen editum fuit anno Christi 1513. Forosempronij, ubi Auctor erat Episcopus, in titulo: *de Cyclo Lunari Christianorum*, scribit: *Animadverti multos in his Cyclis distinguendis errasse; immò hunc Cyclum Lunarem iam abolitum, penitus ignorasse*. Hos inter anno postea ferè centesimo, fuit Scaliger, qui nullam planè Cycli Lunaris aut eiusdem usus notitiam assecutus, passim in eodem exponendo, hallucinatur. Et ille quidem lib. 7. emend. Temp. pag. 370. scribit: *Quot Bibliothecæ veterum cœnobiorum extant, tot Auctores computi Romani, imò & plures invenias*. Si horum quempiam Scaliger consulvisset, neutiquam ridiculam de Lunari Cyclo opinionem obtrusisset; cum veteres Paschalis computi scriptores optimè eumdem exposuerint. At lib. 2. de emend. Temp. & rursus lib. 5. docet Cyclum Lunarem à Dionysio usurpatum, ut eiusdem methodo Novilunia indicaret, quę ab altero Cyclo Paschali tempore Nicęni Concilij instituto, ob Lunarem anticipationem sua ætate perperam designabantur. Hęc scribit lib.

2. pag.

2. pag. 155. *Iam Luna diem unum à temporibus Nicęna Synodi, biduo autem à Christo anticipaverat; id quod Dionysius indicat, cum alium Cyclum Lunarem, alium Paschalem instituat. Ad methodum Cycli Lunaris sæculo Dionysiano convenientis, tria detrahenda sunt de Cyclo Paschali.* Et lib. 5. ait Dionysium *duplici illo Cyclo Christianorum inscitiam traduxisse, qui cum ad Lunę rationes Paschatis celebritatem exigere se profiterentur, alium tamen Cyclum Luna, alium Paschatis instituissent; proindeque demonstrarent se non, ut profitebantur, Pascha ad rationes Lunę dirigere.* In eodem luto hærens lib. 3. can. Isagog. pag. 176. tradit terminos Paschales Nicęnos locum sæculo Constantini habuisse, non autem sæculo Dionysij, *quia novilunia & plenilunia unum diem epocham Diocletiani antevertebant. Unde accidit, ut alius esset Cyclus Paschalis, alius Lunaris.* Ita ubique somniat Dionysium ob sibi observatam Lunarem anticipationem, Cyclo Lunari alterius Paschalis defectum emendasse. At Dionysius in epistola ad Petronium Episcopum scribit vetam indagandi Paschatis methodum à Nicænis Patribus traditam: *qui quartas decimas Lunas Paschalis observantia per novemdecim annorum redeuntem semper in se Circulum stabiles immotasque fixerunt: qua cunctis sęculis, eo quo repetuntur, exordio sine varietatis labuntur excursu.* Et inferius: *decemnovennalem quoque recursum, & Paschales quartasdecimas Lunas easdem omnium ævorum revolutione reperias.* Qui hæc tam disertè contestatur Dionysius, dicitur Scaligero Lunaren anticipationem cognovisse, qua fit ut termini Paschales seu Lunæ quartędecimę post annos 312. uno ferè die anticipantes, in superiorem diem mensis ascendant. Prætetea Cyclus Lunaris ijsdem omninò diebus ac alter Paschalis novilunia indicabat, non autem uno die citiùs Paschali, uti Scaliger imaginatur. Hoc antequam demonstro, Cycli Lunaris diagramma ex Beda lib. de Temp. rat. cap. 54. describendum est, ut novemdecim eiusdem anni, qui in laterculis Cycli Ravennatis pertexuntur, faciliùs intelligantur. Hęc ibidem priùs observat: *Nam sicut annus quisque decemnovennalis Circuli propter legalem Hebræorum observationem à Paschali mense incboat, ibidemque finitur; ita & hic,* nempè Lunaris, *Romanorum institutione à Luna Ianuarij mensis incboat, atque ibi definit;* Veterum autem omnium Computistarum canon fuit, Lunam eius mensis esse, seu ad eum mensem spectare, in quo exitum habebat. Hoc verò Lunaris Cycli diagramma ibidem proponit.

Anno Lunari primo, decemnovenali quarto, à Cal. Ianuarijs usque in XIII. *Cal. Ianuarias, quia communis est, fiunt dies* 354.

Anno Lunari II. *decemnovennali* V. *à* XII. *Cal. Iannarias usque* V. *Idus Decembris, quia communis est, fiunt dies* 354.

Anno Lunari III. *decemnovenali* VI. *à quarto Idus Decembris usque in* V. *Cal. Ianuar. quia embolismus est, fiunt dies* 384.

Anno

Anno Lunari IV. *decemnovenali* VII. *à quarto Cal. Ianuar. usque in* XVI. *Cal. Ianuar. quia communis est, fiunt dies* 354.
Anno Lunari V. *decemnovenali* VIII. *à* XV. *Cal. Ianuar. usque in* VIII. *Idus Decembris, quia communis est, fiunt dies* 354.
Anno Lunari VI. *decemnovenali* IX. *à* VII. *Idus Decembris usque in* VIII. *Cal. Ianuar. quia Embolismus est, fiunt dies* 384.
Anno Lunari VII. *decemnovenali* X. *à* VII. *Cal. Ianuar. usque in* XIX. *Cal. Ianuar. quia communis est, fiunt dies* 354.
Anno Lunari VIII. *decemnovenali* XI. *à* XVIII. *Cal. Ianuar. usque in* IV. *Nonas Ianuar. quia Embolismus est, fiunt dies* 384.
Anno Lunari IX. *decemnovenali* XII. *à* III. *Nonas Ianuar. usque in* XI. *Cal. Ianuar. quia communis est, fiunt dies* 354.
Anno Lunari X. *decemnovenali* XIII. *à Cal. Ianuar. usque in* III. *Idus Decembris, quia communis est, fiunt dies* 354.
Anno Lunari XI. *decemnovenali* XIV. *à pridie Idus Decembris usque in* III. *Cal. Ianuar. quia Embolismus est, fiunt dies* 384.
Anno Lunari XII. *decemnovenali* XV. *à pridie Cal. Ianuar. usque in* XIV. *Cal. Ianuarias, quia communis est, fiunt dies* 354.
Anno Lunari XIII. *decemnovenali* XVI. *à* XIII. *Cal. Ianuar. usque in* VI. *Idus Decembris, quia communis est, fiunt dies* 354.
Anno Lunari XIV. *decemnovenali* XVII. *à* V. *Idus Decembris usque in* VI. *Cal. Ianuar. quia Embolismus est, fiunt dies* 384.
Anno Lunari XV. *decemnovenali* XVIII. *à* V. *Cal. Ianuar. usque in* XVII. *Cal. Ianuar. quia communis est, fiunt dies* 354.
Anno Lunari XVI. *decemnovenali* XIX. *à* XVI. *Cal. Ianuar. usque in Nonas Decembris, quia communis est, fiunt dies* 354.
Anno Lunari XVII. *decemnovenali Primo à Nonis Decembris usque in* X. *Cal. Ianuar. quia Embolismus est, fiunt dies* 384.
Anno Lunari XVIII. *decemnovenali* II. *à* IX. *Cal. Ianuar. usque in pridie Idus Decembris, quia communis est, fiunt dies* 354.
Anno Lunari XIX. *decemnovenali* III. *ab Idibus Decembris usque in pridie Cal. Ianuarias, quia Embolismus est, fiunt dies* 384.

Hoc diagramma Lunaris Cycli recitat etiam Paulus Episcopus Forosempronienſis lib. 2. ſub titulo: *De Cyclo Lunari decemnovenali, quem Iulius Cæſar ſuo Calendario inſcripſit*. Et illud idem exſcripſit Petavius lib. 6. doctr. Temp. cap. 21. Omnium verò primus Dionyſius Exiguus eodem ordine ac methodo annos Cycli decemnovennalis cum annis Cycli Lunaris comparatos, deſcripſit in epiſtola ad Bonifacium ac Bonum. Paulus laudato libro, ac Stœfflerus propoſit. 34. pag. 44. eiuſdem Lunaris Cycli Iulium Cæſarem auctorem produnt, de quo proximè ſermo redibit. Addunt: *Ex hoc Cyclo Iulij Cæſaris extractus fuit Cyclus ille Lunaris, quem Chriſtiani in primo Eccleſia ſtatu pro Paſcha indagan-*

dagando, *observabant*. Ita laudatus Paulus loquitur; & Stœfflerus litt. LI, de eodem Cyclo Iuliano ait: *Nec sine eo haud quaquam cognosci potest vetus ille Cyclus Christianorum, quem in Ecclesia ante Nicænam Synodum, in usu habuerunt*. At hunc Cyclum quem ijdem Scriptores ac ceteri vulgò vetustis Latinis affingunt, fictitium esse in altera Dissertatione à pag. 36. demonstravi; cum quarto etiam desinente Christi sæculo, Latini Cyclo annorum 84. uterentur. Porrò Cyclus Lunaris inventus fuit methodi gratia, ad prodendam Lunam in Kalendis præcipuè Ianuarijs. Hinc Beda cum in lib. de Temp. rat. cap. 55. titulum inscripsisset: *Quota sit Luna in Calendis Ianuarijs*; statim ait: *Potest, qui vult, à Cyclo Lunari facere argumentum, ad inveniendum, quota sit Luna Calendarum Ianuariarum*. Nempè sumebant datum annum Cycli Lunaris, eique undecies ducto, addebant Regularem Ianuarij, sive diem Kalendarum eius mensis; tum numerum collectum dividebant per 30. quod residui remanebat, prodebat ætatem Lunæ in Kalendis Ianuarijs. Quædam hic exempla subnotabo, quia ex ijsdem recitata superiùs Scaligeri de Cyclo Lunari opinio evidenti, ut aiunt, demonstratione refutabitur. Si vis scire quota sit Luna anno V. Cycli Lunaris, multiplicato 5. per 11. fiunt 55. adde Regularem Kalendarum Ianuarij, erunt 56. Tum collectum hunc numerum divide per 30. remanent 26. Est ergo anno V. Cycli Lunaris in Kalendis Ianuarijs Luna XXVI. Notant Computistæ ad numeros Cycli Iuliani ex Beda superiùs descripti, addendam semper unitatem, ut possis facere argumentum ad inveniendam Lunam in Kalendis Ianuarijs. Hinc annus V. Cycli Lunaris addita unitate, fit VI. qui in diagrammate incipit VII. Idus, sivè die 7. Decembris, & Kal. Ianuarijs exhibet Lunam XXVI. ac dein Lunam XXX. die 5. Ianuarij. Ita Luna I. Aureo numero V. Cycli Lunaris incipiet die 6. Ianuarij, cui adfixus est Aureus numerus VIII. alterius Cycli decemnovennalis. Præterea si accipias Cyclum Lunarem XIII. ac multiplices per undecim, habebis 143. ac cum Regulari 144. qui per triginta partiti, habent residui 24. Ita anno XIII. Cycli Lunaris erit Luna in Kal. Ianuarijs XXIV. ac exibit XXX. die 7. Tum 8. Ianuarij est Luna I. Aureo numero XIII. Cycli Lunaris, cui etiam diei iungitur Aureus numerus XVI. Cycli decemnovennalis. At cum anno XVI. Cycli Lunaris saltus Lunæ insereretur, quo annus uno die mutilabatur, ac Neomenia Decembris in superiorem diem ascendebat: hinc ait Beda cap. 55. *Tantùm memor esto septimodecimo, octavodecimo, & nonodecimo Cycli memorati anno non unum, ut in reliquis, sed duos adijcere regulares, & Lunam in Cal. Ianuarijs sine errore reperies*. Ita sume annum XVIII. Lunaris Cycli, ac ducto per XI. fient 198. & additis iuxta recitatum canonem duobus Regularibus, habebis 200. qui numerus per 30. partitus, habet residui XX. Quare erit eo anno Luna in Kal. Ian. XX. ac postea XXX. die 11. Ianuarij, ac

sequen-

sequenti 12. erit Luna I. Aureo numero XVIII. Cycli Lunaris, cum in eadem die 12. locetur Aureus numerus II. Cycli decemnovennalis. Hinc satis evidenter apparet supina Scaligeri hallucinatio, qui appellatis superiùs locis somniavit, Cyclum Lunarem diversis à Cyclo Paschali sive decemnovennali diebus Neomenias prodere, cum ex hactenùs demonstratis appareat, utrumque Cyclum ijsdem omninò diebus Neomenias indicere, atque in veteri Kalendario, & apud Dionysium, & in marmore Ravennate ita ordinari, ut Aurei numeri Cycli Lunaris ternario minores sint Aureis numeris sivè annis Cycli decemnovennalis. Non ergo Dionysius eo Lunari Cyclo ad vetustiorem decemnovennalem adposito, *Christianorum inscitiam traduxit*, uti Scaliger comminiscitur, sed ipsemet Lunarem Cyclum olim vel plebeis notum, non intelligens, suammet ea in re inscitiam traduxit; cum præsertim Cycli Lunaris expositio passim in omnium veterum Computi Paschalis scriptorum voluminibus prostet. Horum unus Gulielmus Duranti Episcopus Mimatensis, cum lib. 8. Rational. divin. Offic. cap. 13. scripsisset, Cyclum Lunarem à Ianuario incipere, & ab anno quarto Cycli decemnovennalis, ait: *Sed quia processu temporis hæc inventio falsificata est, nihil operamur secundùm hunc Cyclum*. Hæc ille scribebat anno Christi 1286. Aureo numero Cycli Paschalis XIV. Lunaris autem XI. qui per XI. multiplicatus dat 121. ac cum Regulari 122. quæ summa per 30. partita, relinquit 2. ac proinde iuxta methodum, anno 1286. Kal. Ianuarijs fuisset Luna II. At mense proximo Decembri anni 1285. tabulæ Astronomicę produnt secundùm medium motum, Novilunium Romæ aliquot minutis ante mediam noctem, quam dies 28. Decembris consequitur; unde proximis Kalendis Ianuarijs ineuntibus anno 1286. fuit reapse Luna V. ut iam ob Lunarem ἀφροσύνην falsitas methodi Cycli Lunaris appareret; licèt ob reverentiam erga Synodum Nicænam, altero Paschali Cyclo & ipso pariter ob eamdem causam deficiente, uterentur.

Cyclum Lunarem *à Romanis annis 30. ante Navitatem Christi* inventum fuisse legimus apud Bedam in libro de argum. Lunæ pag. 213. At Paulus de Middelburgo lib. 2. Paulinæ ac Stœfflerus proposit. 34. pag. 44. litt. Hh, scribunt propositum eum Cyclum à Iulio Cæsare, cum annum Romanorum luxatum emendaret, ac initium habuisse Kal. Ianuarijs anni ante Christum 45. qui à Parilibus fuit Vrbis conditæ 709. Addit Stœfflerus se, cum anno Christi 1489. Cęsaris Maximiliani legatum in Francia Orientali ageret, in vetusto codice apud Philippum Baronem de Vuinsper vidisse commentarios in Iulij Cæsaris Kalendarium, in quo, inquit, *significabatur Cęsarem suum Cyclum incœpisse à prima coniunctione Luminarium secundùm medium cursum post bibernum solstitium, eamque in primum Ianuarij caputque anni incidisse &c.* Lucas Gauricus pag. 130. sui Kalendarij sub hoc titulo: KALEN-

DARIVM IVLII CÆSARIS. *Fasti Romani sex mensium per Pomponium Gauricum & Thamiram* SVB CAPITOLINIS *ruinis in* ANTIQVO MARMORE *reperti &c.* ubi idem Kalendarium cum Aureis numeris Cycli Lunaris ac literis etiam Dominicalibus, uti vulgò appellamus, recitat; ortus ac occasus insignium siderum varijs mensium diebus adnotans, ut & solemnia quædam Romanorum, quæ in Ovidianis quoque Fastis memorantur Plinius lib. 18. cap. 25. cum dixisset, quartam Astronomorum sectam à Iulio Cæsare derivasse, ait: *Nos sequemur observationem Cæsaris; maximeque hæc erit Italiæ ratio*. Quare certum est Cæsarem Sosigene Mathematico præcentore, varias siderum observationes Plinio, uti mox referam, recitatas, in edito abs se parapegmate designasse. Iam verò inquirendum est, num idem quempiam Cyclum Lunarem ediderit. Ille quidem annum antea apud Romanos Lunarem, ac vitiosa intercalatione luxatum, in Solarem demutavit, ac fortassis etiam accuratiorem quàm antea, Lunaris quoque anni methodum proposuit. Nam de eodem scribit Macrobius lib. 1. Satur. cap. 14. *Sic annum civilem Cæsar, habitis ad Lunam dimensionibus, constitutum, edicto palam posito, publicavit*; quibus indicari videtur Cæsar non tantùm Solarem, verùm etiam Lunarem ad certiorem methodum redactum publicasse. Et sanè constat ex tabulis Astronomicis Novilunium Kal. Ianuarijs anni primi Iuliani, qui fuit ante Christum XLV. contigisse. Paulus de Middelburgo lib. 12. Pauline cap. 5. tradit Novilunium commissum fuisse die prima Ianuarij, hor. 7. 6'. 35". post meridiem. Stœfflerus laudato loco statuit hor. 6. 44'. 55". In priori Dissertatione pag. 45. anno Iuliano proleptico Vrbis 372. descripsi Novilunium Decembris die 27. hor. 2. 18'. 35". post meridiem. Cum verò Novilunia post quatuor Cyclos annorum 84. qui dant annos 336. inferius descendant dies 5. hor. 3. 24'. 16". iuxta positas tabulas, Novilunium ineunte anno primo Iuliano, fuit ipsis Kalendis Ianuarijs, hor. 5. 42'. 51". post meridiem. Equidem vix in eam sententiam adducar, ut putem Novilunium casu in priorem diem anni emendati, incidisse. Quòd si id meditatò à Cæsare factum est, profectò diem Novilunij expectavit, ut ab uno eodemque die tum annus Solaris abs se primùm apud Romanos institutus, tum etiam annus Lunaris ad certas regulas revocatus, una simul exordium ducerent. Quapropter uti anni Solaris methodum præscripsit, ita & Lunaris quoque modum publicasse censendus est. Quod alterum si semel concedatur, inanem operam ludunt, quod & ipse feci in Differt. III. de Epochis Syromacedonum cap. 5. qui dies in anno luxato Pompiliano, cum Iuliano reformato, conferre tentant ex diebus anno confusionis à Cæsare infulcitis; siquidem aliquos aut addidit, aut subtraxit, ut prima die anni primi Solaris Iuliani Novilunium occurreret.

Nullus tamen dubito, quin illud Kalendarium, quod pro Iulia-

no laudati scriptores obtrudunt; longè posterius ætate Cæsaris sit; cum à Christianis post Nicænam Synodum ingenioso planè artificio constructum fuerit, uti rectè observat Petavius lib. 6. cap. 12. Nam literæ, quas Dominicales vocamus, sæculo Cæsaris ac primorum etiam Augustorum ætate, in usu non erant; cum nondum apud Romanos menses in hebdomades dierum septem, quot sunt illæ literæ, dividerentur. Nam Dio lib. 37. scribit: *Quòd autem dies ad septem illa sidera, quæ Planetas appellarunt, referuntur, id ab Ægyptijs haud ita dudum, ut paucis dicam, institutum, ad omnes homines dimanavit*. Dio vivebat Severo Septimio imperante, ac postea cum Imperatore Alexandro Severo iterato consulatu perfunctus fuit. Iustinus Martyr in fine Apologiæ II. ad Antoninum Pium, ait de Christo Domino: *Pridie enim Saturni die in cruce sustulerunt, & postridie Saturni, qui Solis dies est, cum Apostolis discipulisque suis apparuisset &c.* In vetustis Kalendarijs apud Gruterum pag. 133. & seq. ad dies mensium adponuntur non septem, sed octo primæ maiores literæ Romanæ, quas Nundinales vocant; uti etiam in fragmento Kalendarij Amiternini, quod Purpurinus nuper notis illustratum, euulgauit. In Kalendario tamen imperante Constantio, descripto, quod integrum eruditissimus Lambecius tomo 4. Bibliothecæ Vindebonensis inseruit, uterque literarum Dominicalium ac Nundinalium ordo pertexitur; qua nulla antiquior Dominicalium characterum memoria extat; & si quispiam contenderet, id genus literarum à recentiori manu superadditum, nullo certo testimonio convinci posset. Ceterùm in nullis vetustis Kalendarijs Aurei numeri apparent, nec ab ullo Scriptore ante sextum Christi sæculum memorantur, ita ut prima eorumdem inuentio incomperta sit & obscura; quamvis Alexandrini illorum Auctores meritò censeri possint, qui ad canones Paschales exponendos, omne studium contulerunt, ac ingeniosa illa argumenta Lunæ excogitarunt, quæ postea Dionysius Exiguus etiam apud Latinos publicavit. Lucæ Gaurici Kalendarium ad fabulas reijciunt Scaliger, Petavius, alijque viri eruditi; quamvis ille alieno fortassis dolo deceptus, idem ex tabulis marmoreis Capitolinis exscriptum, venditaverit. Profectò Lectorum patientia abuterer, si universa fictitij illius Kalendarij commenta persequerer. Insigniora tantùm subnotabo. In primis verò nusquam Romæ eorum marmorum fragmenta ab Antiquarijs observata sunt, ac si statim à Gaurico ac Thamira exscripta, sub terræ iterum rudetibus condita fuissent. Voces illæ *Eliacè*, *Cosmicè*, *Chronicè*, non sunt Latinæ, sed ex Græcis barbara Latinitate donatæ, quas exponit Stoefflerus pag. 33. in sphæram Procli. Vbi in parapegmate Iulij Cæsaris Latinè legebatur teste Plinio mox laudando, *matutinò*, in Kalendario ponitur *Cosmicè*; & ubi apud Cæsarem Plinius legit *vespere*, in Kalendario scribitur *Chronicè*, qua voce ineptè usus est Ioannes de

Sa-

Sacrobosco, & cum eodem Gauricus. Nam *Aebronicè*, si Græcam vocem pro Latina usurpare volebant, illis planè scribendum erat; siquidem ἀχρόνικος Latinè redditur *vespertinus*; ubi χρονικός Latinè vertitur *temporarius*; undè *Chronicè* idem ac *temporariè*; si hæc vox Latinis usurparetur. Totum illud Gaurici Kalendarium ex Plinij ac Ovidij centonibus consutum est. Nam Plinius lib. 18. cap. 26. ait: *Pridie Nonas Ianuarij, Cæsari matutinò Delphinus exoritur*. In Kalendario autem legitur: *VII. Idus Ianuarij. Delfin oritur. Cosmicè*. Triduo à die in parapegmate Cæsaris designato, Kalendarium discordat. Nonis Ianuarijs in Kalendario scribitur: *Lyra oritur Chronicè*. Ita Ovidius lib. 1. Fastorum:

Obstiterint imbres missis nisi nubibus atris,
Nona signa dabunt, exoriente Lyra.

Cætera quoque eius mensis solemnia ex ijsdem Fastis in Kalendarium deportata sunt. At IX. Kal. Februar. ibi legitur: *Pectus Leonis occidit Cosmicè. Festum sementis*. Plinius loco laudato ait: *VIII. Kal. Februarij stella, regia appellata Tuberoni, in pectore Leonis occidit matutinò*. Ovidius verò ibidem canit:

Sidere ab hoc ignis venienti luce Leonis
Qui micat in medio pectore, mersus erit.

Gauricus non stellam, sed *pectus Leonis* ait occidere, quod planè ridiculè dicitur. Præterea in Martio legitur in Kalendario: *III. Nonas. Bootes citius; Vindemitor tardiùs occidunt Cosmicè*. At Plinius cap. 26. scribit: *III. Non. Martij Cæsar Caneri exortu id fieri obseruavit. Maior pars auctorum Vindemiatoris emersu VIII. Idus Aquilonij piscis exortu, & postero die Orionis*. Ita Gauricus die 5. Martij Cæsaris obseruationes omittit, Ovidianas tantùm recitat ex lib. 3. Fastorum:

Sivè est Arctophylax, sivè est piger ille Bootes,
Mergetur, visus effugietque tuos.
At non effugiet Vindemitor; hoc quoque causam
Vnde trahat sidus, parua referre mora est.

Vox illa *Vindemitor* à poetis tantùm, metri causa, usurpatur, uti & ab Horatio lib. 1. Satyr. 7. *vindemator*; cum in soluta oratione *vindemiator* diceretur. Rursùs in Kalendario *Idibus Martijs* legitur: *Festum Perenna Anna. Iulius Cæsar in Capitolio occisus est*. Ex eodem Ovidio exscripta; neque enim Augustus necem patris in Fastos retulisset; cum ea dies nomine *parricidij* infamaretur, ex Suetonio in Cæsare cap. 88. Verùm Plinius ibidem hæc tradit: *Cæsar & Idus Martias ferales sibi annotavit Scorpionis occasu*. Ita Gauricus sideream Cæsaris obseruationem omittens, historicam adnotationem cum Ovidio substituit. Mense Aprili XVI. Kal. Maij in Kalendario legitur: *Triumphus Augusti in Antonium. Hiades occidunt Eliacè*. At Romani in Fastis scripsissent triumphum *de Antonio*; non verò barbara locutione *in Antonium*.

tonium. At Augustus nullum eo mense triumphum egit, sed tantùm mense Sextili, ut patet ex S. C. apud Macrobium lib. 1. Sat. cap. 12. ac Suetonio in Augusto cap. 22. Gauricus ea ex lib. 4. Fastorum exculpsit; ibi enim Ovidius scribit:

Vt titulum imperij tum primùm luce sequenti,
Augusto iuueni prospera bella darent.

Hinc ineptè Augusti triumphum Gauricus finxit; cum Ovidius significet ea die ob victum apud Mutinam Antonium, Cæsarem Octavianum à victore exercitu *Imperatoris* titulo decoratum fuisse; quem etiam eidem sanxit Romę Senatus, ex Dione libro 46. Plinius ibidem ait: *Decimoquarto Kal. Maij, AEgypto Succula occidunt vespere, sidus vehemens & terra marique turbidum; decimosexto Attica; XV. Cæsari*. Suculæ alio nomine Hyades dicebantur, quæ in Kalendario diverso die ac in parapegmate Iuliano Eliacè occidere dicuntur, cum Chronicè pari ineptia dicendum fuisset. Denique mense Maio in Kalendario VI. Nonas legitur: *Hiades oriuntur Cæsari*. Hæc ex illo capite 26. Plinij exscripta sunt; ibi enim scribit: *VI. Nonas Maij Cæsari Succulæ matutinò exoriuntur*. Elegans vocabulum *Cosmicè* pro *matutinò* Gaurici calamo hæsit. Sed VI. Idus Maij cum fœnore restituitur; siquidem scribitur: *Occidit Orion in Eliaco occasu*; qua locutione nihil insulsius ferreo Latinitatis sæculo dici potuit. Hæc sint præclara Iuliani Kalendarij specimina; quibus tamen quidam eruditi tantam fidem præstitere, ut signatos apud Plinium cœlestium obseruationum dies, ex marmoreo illo Kalendario emendandos duxerint. Petavius lib. 6. laudato à cap. 12. pluribus de Iuliano Kalendario ad usum Paschalem à Latinis Patribus redacto, disputat; quòd vulgari opinione ductus, putat Latinos Cyclo quodam usos, cuius Aurei numeri essent semper ternario minores Aureis numeris Cycli decemnovennalis Alexandrinorum. Verùm cum utriusque Cycli numeri ijsdem mensium diebus affixi essent, Neomenias una simul indicabant, ita ut tum apud Latinos tum etiam apud Alexandrinos eadem semper ætas Lunæ numeraretur, nisi ubi ex diverso anno saltus Lunæ levis tantum diversitas resultabat. Hinc Paulus Episcopus Forosempronij lib. 4. Paulinæ scribit Latinos cum Alexandrinis non contendisse *super ætate Lunæ indaganda, sed de Paschali mense obseruando*. Et iterùm ait litigia inter utrosque agitata: *non quòd in ætate Lunæ dissentirent, sed in exordiendo mensem Paschalem*; quia videlicèt Latini Aureis ipsorum numeris XVI. & V. ad dies 5. & 6. Martij adpositis unà cum Aureis numeris XIX. & VIII. Alexandrinorum, primum mensem Paschalem inchoabant, qui erat Alexandrinis decimustertius ac Embolimus. Quam sanè sententiam in priori Dissertatione invictis argumentis, ni mea me fallit opinio, confutavi. Nam ostendi Latinos diversis diebus ab Alexandrinis, neomenias collegisse; unde fit consequens, ut Cyclus ille Lunaris

tanta

tanta arte constructus , perperam Latinis Patribus adscribatur ; cnm reapse sit ab ijs ipsis inuentus, qui Cyclo decemnovennali ntebantur, ut illius methodo ætatem Lunæ in Kalendis Ianuarijs eo, quo descripsimus, modo assequerentur, cum hoc nisi per longiores ambages ex alterius Cycli decemnovennalis tenore consequi possent. Exemplo rem explicabo. In Cyclo Ravennate, uti & apud Dionysium ac Bedam, annus Lunaris XIII. componitur cum anno XVI. Cycli decemnovennalis; quia iuxta argumenta Dionysij ex anno Cycli Lunaris eo numero expresso, ætas Lunæ in Kalendis Ianuarij intelligitur, uti superiùs ostendi, ac Neomeniæ in utroque Cyclo ijsdem mensium diebus designantur. At nulli planè usui erat Latinis numerus ille XIII. Cycli Lunaris ad diem VIII. Martij in Kalendario Alexandrino ac Dionysiano alligatus. Nam anno Christi 414. Sanctus Innocentius, uti pag. 36. proximæ Dissertationis demonstravi, Neomeniam Paschalem à die VII. Martij colligebat; & tamen illo anno decurrebat Aureus numerus XIII. Cycli Lunaris, ac XVI. Cycli decemnovennalis. Rursus ijdem duo Aurei numeri concurrebant anno Christi 452. quo tum superstes Victorius Aquitanus, quem Latinorum antesignanum vocat Petavius, designat *Pascha IX. Kal. Aprilis*, *Luna XVII.* ita ut Neomenia à die 7. Martij eidem deducatur, quæ vacua erat Aureo numero apud Dionysium, qui eamdem Neomeniam à die insequenti octava Martij inchoabat. Itaque evidens est, Aureos numeros Cycli Lunaris tam proprios fuisse eorum qui decemnovennali altero utebantur, quàm nullo prorsus modo spectasse ad Latinos, qui ab alijs diebus, & Paschalis, & ceterorum quoque mensium neomenias auspicabantur.

CAPVT

CAPVT V.

Cyclus decemnovennalis Paschalis in marmore Ravennate sculptus, exponitur. Aurei Numeri ab annis Cycli distincti, anno novo civili mutabantur. Bina epistola Paschales Dionysii Exigui. Eiusdem Cycli diagramma describitur. Annos Paschales à Luna decimaquinta inusitata methodo auspicatur. Illius ratio à Petavio assignata, refellitur, ac vera proponitur. Primum Pascha à Dionysio in Cyclo signatum, pertinere ad Aureum numerum I. contra Petavium ac vulgarem sententiam ex Ravennate lapide ostenditur. Altera Dionysij sententia Petavio non intellecta, exponitur. Inde probatur Dionysium ab Aureo numero XIX. Cyclum inchoasse. Varia ea de re Bedæ sententia. Idem sapiùs Cyclum ab Aureo numero I. deducit. Clavius falsò putat veteres Cyclum ab Aureo numero III. cœpisse. Nova Petavij opinio de initio Æra Christiana ex Dionysiano Cyclo deducta, confutatur. Æra Christiana Dionysij ac Beda vulgarem nostram uno anno moratur. Langius Bedam hallucinationis incusans, insigniter hallucinatur. Idem Aureos numeros XIX. & VIII. perperàm in tabulis disposuit.

IN Inscriptione Paschali Ravennate Cyclus maior annorum XCV. ex quinque minoribus Cyclis decemnovennalibus conflatur, qui singuli ibidem suis numeris designati, & in orbem ducti, leguntur. Omnes autem inchoantur ab eo laterculo, in cuius superiori parte cum signo † notatur annus Lunaris Cycli XVII. sub quo tum annus primus Cycli decemnovennalis, cum die termini sivè Lunæ XIV. Paschalis, tum etiam dies Resurrectionis Dominicæ, atque numerata eodem die ætas Lunæ, designantur. Nempè: *Anno Primo. Luna XIIII. Nonis Aprilis. Pascha III. Idus Aprilis: Luna XX.* Auctor est Beda lib. de Temp. rat. cap. 45. Dionysium *in primo suo circulo quingentesimum trigesimum secundum Dominica Incarnationis annum in capite posuisse.* Et sanè anno vulgaris Æræ Christi DXXXII. Luna decimaquarta Paschalis fuit die 5. Aprilis: Pascha die XI. Luna XX. Cyclo Lunæ I. Solis IX. litt. DC. Dein verò in Cyclo Ravennate eadem methodo Lunæ XIV. Paschales, dies Paschatis, atque varia ijsdem diebus ætas Lunæ singulis quibusque annis pertexuntur usque ad annum Christi DCXXVI. qui est XCV. idemque postremus periodi Paschalis Dionysianæ, ut superiùs ostendi. Hic Cyclus iuxta Alexandrinorum canones formatus est. Nam neomenias Paschales ab octavo die Martij ad quintum usque Aprilis extendit. Lunam XIV. Paschalem citimam à die 21. Martij aduocat: remotissimam diei 18. Aprilis affigit. Solemnia verò Paschalia à die 22. Martij ad usque 25. Aprilis diffundit. Quæ omnia ad Ægyptiorum canones exacta sunt à Dionysio, quò

 Latina

Latina Ecclesia cum Orientali in celebrando Paschate conueniret: Notant Computistæ Dionysium, cum in Aureis Alexandrinorum numeris in Kalendario disponendis, methodum seruare non posset, ad eandem tamen quantum potuit, propiùs accessisse. Duo enim hæc in Cyclo distinguunt, videlicèt annum Cycli, & Aureum numerum. Aurei numeri in Kalendario ab initio anni civilis ad exitum eiusdem invariati progrediuntur; anni verò Cycli à mense Paschali incipiunt, ibique multiplicantur, ita vt idem annus Cycli cum duobus Aureis numeris concurrat, quod mox expono. Quamvis suspicor, horum distinctionem ingenioso posteriorum Computistarum artificio invectam fuisse, ac in Romanum Kalendarium post Dionysij ætatem, relatam. In hac, planè opinione fuit Petavius scribens lib. *6.* doctr. Temp cap. *6.* pag. 539. antiquos intercalasse *Aureo numero VII. exeunte, & ineunte octavo, cum Aureorum numerorum à Paschali mense primordia repeterent.* Cum tamen apud Bedam in libro de Embolismo numeri Aurei diebus mensium, depravato licèt alicubi ordine, adiecti, à Kalendis Ianuarijs ad finem Decembris invariati progrediantur, vulgari opinioni adhærebo.

Ægyptij, à quibus universa hæc disciplina processit, Aureos numeros ordiebantur circa Neomeniam Thoth primi eorumdem mensis, qui die 29. Augusti inchoabatur. Cum autem Romani annum à Kalendis Ianuarijs auspicarentur, ijsdem Kalendis Aurei numeri mutandi fuerunt, qui ad exitum usque Decembris continuabantur, cum Ægyptij mense Thoth eosdem variarent. Illi autem Aurei numeri miro certè ac ingenioso ordine, a primo ad undevicesimum deducti, ac diversis mensium diebus in Kalendario affixi, indicabant neomenias ijsdemmet diebus contingere. De artificiosa illorum dispositione pluribus agunt veteres Computistæ, quorum scripta Petavius sub auctorum nomine, utraque manu, ut ita dicam, in sextum librum laudati operis deportavit. Beda in lib. Ephemerid. pag. 235. scribit: *Quoniam in primo decemnovennalis Cycli anno in Calend. Ianuarijs Luna IX. semper esse solet, in secundo etiam anno eius Cycli in prædictis Calendis Luna XX. atque in tertio Prima &c.* In Cyclo Ravennate annus XVII. Cycli Lunaris cum Primo decemnovennalis coniungitur. Iam verò numerum XVII. per XI. multiplica, resultabunt 187. additis duobus Regularibus iuxta canonem Bedæ cap. 55. de Temp. rat. fient 189. Hac summa per 30. partita, residui erunt IX. & hæc erit ætas Lunæ anno primo Cycli decemnovennalis, cuius proinde neomenia præcessit die 24. Decembris, cui adhæret in veteri Kalendario Aureus numerus XIX. Enimverò Lunam, ineunte Ianuario nonam, deduc trigesimam, habebis exitum mensis die 22. Ianuarij, ac die proxima 23. incipiet Luna I. Cum autem diei 23. Ianuarij affixus sit Aureus numerus I. patet eiusmodi numeros mense Ianuario, anno rede-

unte

unte novo, variari. Rursus quæ anno II. Cycli dicitur à Beda Luna in Kal. Ianuarijs vicesima, eadem cœpit die 13. Decembris, ad quam in Kalendario Aureus numerus I. adponebatur. Eadem verò evadit tricesima die 11. Ianuarij, ac insequenti 12. erit Luna I. ubi Aureus numerus II. collocatur. Hac methodo omnium Aureorum numerorum variatio anno novo colligitur. Hinc fit, ut idem annus Paschalis verna tempestate inchoatus, usque ad Decembrem uno Aureo numero notetur; ac dein à Ianuario ad initium alterius anni Paschalis altero Aureo numero inscribatur. Cum verò Ægyptij annum novum die 29. Augusti inchoarent, & primo mense Aureos numeros variarent, ijdem Aureos numeros Dionysianos usque ad exitum Decembris unitate excedebant. Quapropter ob diversum initium anni apud Romanos, Dionysius Aureos numeros pari semper cum Alexandrinis tenore in Romanum Kalendarium transferre non potuit.

Scriptores qui de Paschali computo libros edidere, vulgò tradunt Dionysium ab Aureo numero XIX. Cyclum decemnovennalem inchoasse; ita enim sentiunt Paulus de Middelburgo sub initium lib. *6.* Paulinæ, Stœfflerus proposit. *36.* ubi lit. D. tabulas Cycli Dionysiani proponit, uti etiam noster Veronensis Pitatus cap. *6.* Canon. Paschalium. Cum enim Alexandrini Cyclum civilem ab Aureo numero I. postremo diei Epogomenarum, nempè diei 28. Augusti affixo, ordirentur, Dionysius quò cum eisdem conveniret, annum primum sui Cycli sex circiter menses ante Alexandrinos prævertens, eundem ab Aureo numero XIX. inchoauit, ac finito anno civili, a Ianuario usque ad 28. Augusti cum Alexandrinis in Aureo numero I. concordavit eo, quo superiùs modo descripsimus. Hæc est Computistarum de Dionysiani Cycli primordio sententia. Verùm cum Alexandrini quoque annum Paschalem à neomenia Paschali deducerent, ipsi pariter ab Aureo numero XIX. suum Cyclum exorsi sunt. Nam Theophilus ac Cyrillus in Prologis Paschalibus, scribunt Pascha celebrandum primo die Dominico, qui *Lunam decimamquartam primi mensis* proximè consequebatur. Sanctus quoque Proterius in epistola ad Leonem scribens de Paschate anni 455. Aureo numero XIX. ait *Lunam decimamquartam primi mensis* aduenturam vicesimo secundo die mensis Pharmuthi; unde infert, futurum *initium eiusdem mensis primi iuxta Lunæ cursum nono die Pharmuthi*. Quare ipsi quoque Alexandrini annum Paschalem Aureo numero XIX. verna tempestate inchoabant, idemque cum duplici Aureo numero concurrebat. Petavius lib. *6.* cit. cap. 10. varias Dionysij de initio Cycli decemnovennalis sententias proponit, ac tandem ita decernit: *Cum primum annum Cycli decemnovennalis eum esse voluerit, qui Aureo numero XIX. est affectus*, Cyclum *tamen suum magnum ab Aureo numero I. non XIX. inchoauit: ac secum ipse nonnihil ea ratione velitatus est*. Idem tamen acriori studio rem

 iterùm

iterum retractans lib. 12. cap. 2. pag. 403. concludit : *Vno verbo, prima dies anni primi Cycli Dionysiani incipit anno vulgari Christi DXXXI. Aprilis* 17. *Aureo numero XIX. isque quingentesimus tricesimus secundus Incarnationis siuè Domini numeratur annus*; simulque aduertit castiganda quæ libro 6. dixerat, nempè, ut ibidem pag. 404. loquitur, *Dionysium in anno primo sui Cycli statuendo minimè constantem fuisse*. Hæc in anno primo Cycli statuendo inconstantia, cuius antea à Petavio Dionysius insimulabatur, ac dein variatum eidem Petavio iudicium, facit ut veram Dionysij sententiam inquiramus, cum Cyclus Ravennas sit ipsamet Dionysiana periodus, cuius exordium indagandum est, quò integra eiusdem expositio habeatur.

Binæ tantùm extant epistolæ Paschales Dionysij, quarum alteram ad Petronium Episcopum scripsit anno Christi 525. Indictione III. Probo Consule. Huic epistolæ additus erat Cyclus annorum XCV. cum varijs argumentis Ægyptiorum sagacitate quæsitis., quorum aliquot recitat Beda in lib. de Temp. rat. cap. 45. ubi etiam Dionysianæ epistolæ fragmentum exscribit. Idem Dionysius alteram epistolam misit ad Bonifacium ac Bonum Romanæ Ecclesiæ Clericos, cuius pariter fragmenta profert Beda ibidem cap. 40. & 43. Petavius in notis ad eamdem tom. 2. pag. 892. ait : *Eodem igitur anno Iuliano posterior hæc scripta est, quo prior epistola*. At Dionysius in hac posteriori ait : *Indictio quippè quarta est, & Lunaris circulus undecimus; decemnovennalis Cyclus decimusquartus*; quæ sunt notæ Chronologicæ anni 526. Deinde ait : *Transacto anno per Indictionem tertiam in Pascha Lunam XIV. nono Kalendarum Aprilium die, id est, XXIV. mensis Martij fuisse, quis dubitet?* Hoc Pascha convenit anno 525. quod cum eidem *anno transacto* contigisse dicatur, anno 526. hanc posteriorem epistolam exaravit, in cuius calce novemdecim Paschalis Cycli annos ita describit.

Anno decemnovennali primo, Lunari decimoseptimo, à XV. *Kal. Maij, usque Nonas Aprilis, quia communis est, fiunt dies* 354.

Anno decemnouennali II. *Lunari* XVIII. *ab octauo Idus Aprilis, usque in* VIII. *Kal. Aprilis, quia communis est, fiunt dies* 354.

Anno decemnouennali III. *Lunari* XIX. *à septimo Kal. Aprilis, usque in Idus Aprilis, quia Embolimus est, fiunt dies* 384.

Anno decemnouennali IV. *Lunari* I. *à decimoctauo Kal. Maij, usque in* IV. *Nonas Aprilis, quia communis est, fiunt dies* 354.

Anno decemnouennali V. *Lunari* II. *à tertio Non. Aprilis, usque in* XI. *Kal. Aprilis, quia communis est, fiunt dies* 354.

Anno decemnouennali VI. *Lunari* III. *à decimo Kal. Aprilis, usque in* IV. *Idus Aprilis, quia Embolismus est, fiunt dies* 384.

Anno decemnouennali VII. *Lunari* IV. *à tertio Idus Aprilis, usque in* III. *Kal. Aprilis, quia communis est, fiunt dies* 384.

Anno

Anno decemnouennali VIII. *Lunari* V. *à pridie Kal. Aprilis usque in* XIV. *Kal. Maij , quia Embolismus est , fiunt dies* 384.
Anno decemnouennali IX. *Lunari* VI. *à decimotertio Kal. Maij , usque in* VII. *Idus Aprilis , quia communis est , fiunt dies* 354.
Anno decemnouennali X. *Lunari* VII. *à sexto Idus Aprilis, usque in* VI. *Kal. Aprilis , quia communis est , fiunt dies* 354.
Anno decemnouennali XI. *Lunari* VIII. *à quinto Kal. Aprilis , usque in decimumseptimum Kal. Maij , quia Embolismus est , fiunt dies* 384.
Anno decemnouennali XII. *Lunari* IX. *à decimosexto Kal. Maij , usque in pridie Nonas Aprilis , quia communis est , fiunt dies* 354.
Anno decemnouennali XIII. *Lunari* X. *à Nonis Aprilis , usque in* IX. *Kal. Aprilis , quia communis est , fiunt dies* 354.
Anno decemnouennali XIV. *Lunari* XI. *ab octauo Kal. Aprilis , usque in secundum Idus Aprilis , quia Embolismus est , fiunt dies* 384.
Anno decemnouennali XV. *Lunari* XII. *ab Idibus Aprilis , usque in Kal. Aprilis , quia communis est , fiunt dies* 354.
Anno decemnouennali XVI. *Lunari* XIII. *à quarto Non. Aprilis , usque in* XII. *Kal. Aprilis , quia communis est , fiunt dies* 354.
Anno decemnouennali XVII. *Lunari* XIV. *ab undecimo Kal. Aprilis, usque in* V. *Idus Aprilis , quia Embolismus est , fiunt dies* 384.
Anno decemnouennali XVIII. *Lunari* XV. *à quarto Idus Aprilis , usque in* IV. *Kal. Aprilis , quia communis est , fiunt dies* 354.
Anno decemnouennali XIX. *Lunari* XVI. *à tertio Kal. Aprilis , usque in* XV. *Kal. Maij , quia Embolismus est , fiunt dies* 384.

In hoc totius decemnovennalis Cycli diagrammate Dionysiano anni Paschales à Luna XV. Paschali anni præcedentis, ad Lunam XIV. Paschalem anni insequentis, deducuntur , & in eodem designatur ordo annorum communium & Embolimęorum. In Cyclo Ravennate iisdem diebus Lunę XIV. denuntiantur, annique simplices & intercalares simili tenore decurrunt. Hęc methodus colligendi initij anni Paschalis à Luna XV. ac eiusdem finis statuendi in Luna XIV. Paschali anni sequentis , à nemine umquam fuit usurpata , cum tamen tot gentes annos Lunares habuerint . Et qui annum Paschalem servabant, Hebræi eundem à neomenia Nisan inchoabant. At constat Lunam XIV. Paschalem ad primum mensem pertinere; quæ tamen in producto diagrammate ponitur in postremo mense, imò & eadem clauditur ipsemet annus Paschalis. Præterea iuxta Dionysij methodum Luna XIV. ad unum annum spectaret; ad alterum verò annum traheretur Pascha ab eadem Luna XIV. indicatum , quod planè absonum videtur. Initio statim Cycli Ravennatis legimus : *Anno Primo*, *Luna XIV. Nonis Aprilis : Pascha III Idus Aprilis*, *Luna XX.* eodemque modo sub eodem anno Lunæ XIV. ac Paschata ab ijsdem indicata, recitan-

citantur. At iuxta diagramma Dionysianum annus decemnovennalis primus deducitur *usque Nonas Aprilis*, ibique finitur; tum annus secundus inchoatur ab VIII. Idus Aprilis, nempè die 6. Aprilis, ac die 11. contingit Pascha, videlicèt altero anno ab eo, in quo Luna XIV. collocatur. Petavius lib. 12. cap. 2. rationem assignat, qua Dionysius maluit annum Paschalem Luna XIV. terminare: *Causam*, inquit, *ipse reddit Epistola prima; nimirum quòd Paschalis mensis dies omnes ad decimamquartam usque ad postremum mensem pertineant, quoniam Pascha in nullo eorum potest peragi*. Hæc Dionysio affinguntur. Eius ibidem verba sunt: *Hoc modis omnibus admonens, ut ante XII. Kal. Aprilis Lunam XIV. Paschalis festi nullus inquireret, quam non primi mensis, sed ultimi esse constaret*. Nicæna Synodus diem Æquinoctij in XII. Kal. Aprilis fixerat, simulque vetuerat, Pascha ante eamdem 21. Martij celebrari. At Dionysius non comparat Lunam decimamquartam cum anterioribus diebus, sivè cum diebus eiusdem Lunationis diem XIV. antecedentibus, uti fingit Petavius, sed appellat Lunas decimasquartas ipsum diem Æquinoctij XII. Kal. Aprilis præcedentes, quas ait spectare non ad primum, sed ad ultimum mensem anni Ecclesiastici seu Paschalis; cum primus mensis Paschalis sit ille, cuius Luna XIV incidit in diem Æquinoctij, vel in sequentes usque ad diem 18. Aprilis. Itaque alia causa quęrenda est, cur Dionysius annum Paschalem ea ratione digesserit. Cum Cyclum annorum XCV. evulgasset, in quo annus primus & alter communes statuebantur, tertius vero Embolimæus; ex diebus Lunę XIV. Paschalis anno primo ac secundo Cycli designatis, descriptus ordo à quibusdam in dubium vocabatur, uti rescribit Bonifacio: *Quòd in scriptis ipsis communium annorum & Embolismorum mentio facta est, & à nonnullis hæc ratio magnoperè quærebatur*. Nam anno primo Cycli designaverat Lunam XIV. Nonis Aprilis: anno secundo VIII. Kal. Aprilis; anno verò tertio Idibus Aprilis, uti eędem Lunę XIV. in Ravennate marmore sculptę leguntur. Iam verò annus primus prodens Lunam XIV. Nonis Aprilis, inchoabatur à neomenia die 23. Martij, ac exibat altero anno die 11. Martij, eratque communis, dierum scilicèt 354. Annus secundus Cycli initus die sequenti 12. Martij, colligebat Lunam XIV. die 25. eiusdem mensis; exitum verò habebat die 30. Martij alterius anni. Tum annus tertius Cycli initus à neomenia quę die 31. Martij primo mensi initium dabat, Lunam XIV. Paschalem habebat Idibus, seu die 13. Aprilis. Ex his fiebat, ut annus secundus Cycli evaderet Embolimæus; Nam cum initium caperet à die 12. Martij, idemque anno sequenti desineret die 30. Martij, continebat dies 284. ac proinde erat Embolimęus, qui tamen communis a Dionysio designatus fuerat. Hanc ut ille difficultatem evaderet, rescripsit Bonifacio: *A decimaquinta Luna Paschalis festi anni, verbi gratia, præcedentis, usque ad decimamquartam sequentis, quod quærimus, si*

com-

communis annus est, 354. *dies habebit*; *si Embolismus*, 384. *Quod si dies unus plus minusve contigerit*, *evidens error est*.. *Excepto videlicet anno primo &c.* quæ sequentia verba proximè exscribam. Hac autem ratione patet Dionysium annum primum Cycli ab Aureo numero XIX. inchoare, eumdemque in quartum iam initum mensem Aureo numero I. perducere, nempè a die 17. Aprilis anni præcedentis, usque ad diem 5. Aprilis anni insequentis. Hoc pariter modo veteres Scriptores, Dionysij exemplo, annos communes & intercalares Cycli decemnovennalis distinxerunt. Nam S. Isidorus lib. 6. Origin. cap. 17. ait: *Si enim à decimaquarta Luna Pascha præcedentis* exclusivè, *usque ad decimamquartam sequentis*, 384. *dies fuerint*, *Embolismus annus est*; *si CCCLIV. communis*. Beda qui Cyclum, ut proximè ostendo, ab Aureo numero I. incœpit, cap. 13. libri de Temporibus, quod loco præfationis legitur ante eiusdem Circulos Paschales, scribit: *A decimaquarta autem Luna usque ad decimamquartam anni sequentis dies sunt* 354. *si communis annus est. Si Embolismus*, CCCLXXXIV. Eadem leguntur apud Bridefertum Ramesiensem vetustum Bedæ Scholiastem in notis ad cap. 43. libri de Temp. ratione. Et tamen Bridefertus in eo ipso capite legerat hæc scribentem Bedam de anniscommunibus& Embolimæis: *Qui utrique*, *sicut & supra dictum est*, *ab exordio primi mensis*, *quem Hebræi Nisan vocant*, *hoc est*, *ab accensione Lunæ Paschalis initium sumunt*; & ibidem inserit verba Dionysij in laudata epistola ad Bonifacium. Igitur iuxta Bedam anni communes ac Embolimæi initium capiunt ab accensione, id est, neomenia Lunæ Paschalis; & tamen idem Beda dies utrorumque annorum colligit a Luna XIV. Paschali exclusivè, ad Lunam XIV. Paschalem inclusivè anni sequentis; cuius nullam aliam rationem puto, nisi quia in Novilunio Luna occultatur, quæ die inde XIV. plena illucescit, ac proinde ab omnibus observari potest, ac facilè dies ab eadem decimaquarta ad aliam decimamquartam Paschalem anni sequentis dinumerantur; unde Dionysius eumdem quoque modum Bonifacio ac Bono proposuit, quo facillimè dies annorum tum communium tum etiam Embolimæorum colligerent; non quod reapse annos a Luna XV. inchoandos arbitraretur. Nam ad Petronium scribens, ait: *Illud quoque non minori cura notandum esse censuimus*, *ne in primi mensis agnitione fallamur*. Tum profert ex sacris literis quinam sit primus mensis, cuius die decimoquarto Pascha celebrandum præcipitur; deinde ait: *Sed quia Mensis hic unde sumat exordium*, *vel ubi terminetur evidenter ibi non legitur*, scribit à Patribus Nicænis iuxta traditam à Moyse observantiam, initium ac terminum primi eiusdem mensis definitum: *Ab octavo*, inquit, *Idus Martij*, *usque in diem Nonarum Aprilium*, *natam Lunam facere dixerunt primi mensis exordium*: *& à XII. die Kalendarum. Aprilium usque in XIV. Kal Maias Lunam XIV. solertius inquirendam*. Vti verò constat annum Paschalem à primo mense inchoa-

ri,

ri, ita pariter certum est, primum mensem à nativitate Lunę incipere; seu, ut inquit Dionysius, *natam Lunam facere primi mensis exordium*, ac proinde etiam anni Lunaris. Quòd si annus à Luna XV. colligeretur, cum idem communis in duodecim menses partiretur; quilibet mensis ex dimidio mensis praecedentis, ac ex medio altero subsequente conflaretur, quod non tantùm absurdum est, sed planè ridiculum.

Paulus pereruditus Episcopus Forosempronij paulò post initium libri 6. scribit: *Dionysius talem supputationis formulam conscripsit, incipiens annum primum à pridie Nonas Aprilis, ubi pro Aureo numero annotatur XIX. & dixit terminari hunc annum XI. Kal. Aprilis, id est, die 22. Martij, & à die sequenti, ubi pro Aureo numero ponitur unitas, incœpit annum secundum*. Idem tradit Stœfflerus proposit. 36. pag. 56. alijque passim Computistae initium Dionysiani Cycli ab Aureo numero XIX. deduxerunt, quorum sententiam secutus Petavius lib. 12. cap. 2. pag. 403. C, ait: *Dionysius postremum Cyrilli Pascha anno suo primo complexus fuerat*. Postremum Pascha in Cyrilli Cyclo fuit anni Christi 531. Aureo numero XIX. quo neomenia Paschalis contigit pridie Nonas Aprilis. Haec tamen vulgata apud Computistas sententia ex Ravennate Cyclo manifestae falsitatis arguitur. Nam initio eiusdem legitur: *ANNO I. Luna XIV. Nonis Aprilis: Pascha III. Idus Aprilis, Luna XX.* Ita annus primus Cycli Dionysiani annorum XCV. habet Aureum numerum I. quo neomenia Paschalis cœpit die 23. Martij; Luna XIV. incidit in Nonas, seu diem 5. Aprilis; Pascha verò fuit die 11. Luna XX. ac proinde falsò putatur Dionysius, annum primum Cycli exorsus ab Aureo numero XIX. quo neomenia Paschalis fuit pridie Nonas, id est, die 4. Aprilis. Hoc ipsum idemmet conditor Cycli Dionysius in epistola ad Petronium disertè testatur; siquidem tradit S. Cyrillum annum primum sui Cycli ab anno Diocletiani centesimo quinquagesimo tertio incœpisse; & *ultimum*, inquit, *in ducentesimo quadragesimoseptimo terminavit; nos à ducentesimo quadragesimo octavo anno eiusdem Tyranni potiùs quàm Principis inchoantes &c.* Annus CCXLVII. ab imperio Diocletiani desijt apud Alexandrinos die 28. Augusti, anno Christi 531. Aureo numero XIX. quo Paschalis neomenia fuit die 4. Aprilis, Luna XIV. die 17. eiusdem mensis; Pascha verò die 20. Cyclo Solis VIII. lit. E. Hoc ergo Pascha anno postremo Cycli Cyrilliani designabatur. Annus ab imperio Diocletiani CCXLVIII. die 29. Augusti cœpit, quo labente, Dionysius primum in repetito Cyclo annorum XCV. Pascha notavit, *III. Idus Aprilis*. Beda qui Cyclum ipsum Dionysianum legit, cap. 45. de Dionysio scribit: *Qui in primo suo Circulo quingentesimum trigesimum secundum Dominicae Incarnationis annum in capite ponendo, manifestè docuit, secundum sui Circuli annum ipsum esse, quo eiusdem sacrosanctę Incarnationis mysterium cœpit*. Primum igitur Pascha Cycli Dionysiani signabatur Epochae Christi anno 532. Aureo numero I. Praeterea

terea S. Isidorus lib. 6. Origin. cap. 17. Cyclum & ipse annorum XCV. desinenti Dionysiano substituens, primum Pascha ibidem statuit *pridie Idus Aprilis*; anno sequenti Pascha signatur *VI. Kal. Aprilis &c.* Primum celebratum fuit anno Christi 627. Aureo numero I. Alterum anno 628. Aureo numero II. &c. Quare postremum Pascha in Dionysiana periodo denuntiabatur anno Christi 626. à quo inclusivè anni XCV. retrò numerati, dant primum annum Cycli cum anno Christi 532. concurrentem. Quòd si Dionysius, uti vulgò putant, annum primum Cycli ab Aureo numero XIX. ac Paschate anni Christi 531. inchoasset, eiusdem periodus fuisset annorum XCVI. cum tamen ad Petronium scribat: *quòd Circulus iste nonaginta & quinque annorum, quem fecimus &c.* Postremum Pascha in Cyclo Ravennate indicitur XII. K. MAI, *Luna* XVII. Est Pascha anni Christi 626. Aureo numero XIX. quo neomenia fuit die 4. Aprilis, Luna XIV. die 17. Pascha denique die 20. eiusdem Aprilis, Luna XVII. Cyclo Solis XIX. lit. E, quod pariter Pascha Dionysianum Cyclum claudebat; cum tamen Computistæ ab eodem Dionysij Cyclum exordiantur.

Hactenùs dicta idem Dionysius in dubium revocat in epistola ad Bonifacium, in qua cum notasset annos communes continere dies 354. Embolimæos autem habere dies 384. errarique in calculis, si ijsdem dies aut deficiat, aut abundet, hanc exceptionem subijcit: *Excepto videlicèt anno primo sæpè dicti decemnovennalis Cycli, quem à decimaquarta Luna Pascha ultimi numerare curamus: Propter quod idem ultimus Epactas, id est, adiectiones Lunares octodenas tunc retinent, primo anno, non undecim, ut cæteris annis fieri solet, sed duodecim dies accomodat; & quia triginta dierum fine voluuntur, nulla epacta in principio ipsius Cycli ponitur; secundus autem annus Epactas undecim suscipit.* Petavius in fine tom. 2. pag. 891. in notis ad hanc Dionysij epistolam, ait: *Valdè perplexa & impedita est Dionysiana hæc oratio.* Advertit annum primum Cycli iuxta Dionysium, *cum Aureum numerum habeat XIX.* continere Epactas XVIII; secundi verò anni Epactas esse 0, vel XXX. *At hoc loco*, inquit, *Dionysius contrarium indicat, & seipsum evertit.* Et postea ait: *Sed idem minimè sibi constat; dum eumdem modò primum, modò ultimum appellat annum.* Iam dixi Petavium in lib. 6. inconstantię notam Dionysio in anno primo Cycli statuendo, inurere. Idem postea libro 12. in fine cap. 2. monet *castiganda omnia illa*, quibus contenderat, *Dionysium in anno primo sui Cycli statuendo, minimè constantem fuisse.* At in tertium examen Dionysij Cyclo reuocato, quem altera vice absolverat, mutabilitatis atque in sentiendo inconstantiæ reum eumdem iterùm Dionysium damnat, ita ut ipsemet Petavius magis in iudicando de Dionysio, varius & inconstans fuerit, quàm Dionysius in scribendo, cui tamen facilem & expeditam aduocationem commodabimus. In primis Beda in lib. de Temp. rat. cap. 40. omnia illa Dionysij verba sub eiusdem nomine recitat,

citat, nec ullam in ijsdem antilogiam notat. Juxta methodum, quam ibi Dionysius adhibet, in anno Paschali à Luna XV. Paschæ ad Lunam XIV. Paschalem anni sequentis, perducendo, eiusdem sententia ita explicatur. Annus XIX. Cycli incipit die 16. Martij, Aureo numero XVIII. cuius Luna XV. Paschalis incidit in diem 30. Martij. Ab hac ergo die iuxta traditam à Dionysio methodum, cœptus annus Lunaris communis dierum 354. desinit anno sequenti die 18. Martij, Aureo numero XIX. Cum verò hic annus dicatur Dionysio *Epactas octodenas tunc retinens*, debet compleri Embolimæus. Quare Epactæ XVIII. quas ille annus à duobus proximè præteritis susceperat, ineunt mensem Embolimum die 19. Martij, in quem iuxtà methodum Dionysij incidit Luna XV. à Neomenia cœpta die 5. Martij, Aureo numero XIX. & cum sint octodecim Epactæ, desinunt die 5. Aprilis. Tum propriæ ipsius anni Epactæ addantur, quæ sunt iuxta Dionysium *non undecim, ut cæteris annis fieri solet, sed duodecim dies*, habebis exitum ipsius anni die 17. Aprilis. At à die 30. Martij Luna XV. qua annus ille cœpit, usque ad diem XVII. Aprilis anni insequentis, in quam diem incidit Luna XIV. Paschalis annum iuxta Dionysianam methodum terminans, colliguntur dies 384. quibus annus Embolimæus integratur. Quòd verò Epactis XVIII. additæ sunt aliæ XII. evaserunt XXX. Quarè rectè Dionysius scribit: *Et quia triginta dierum fine voluuntur, nulla Epacta in principio ipsius Cycli ponitur*. Dionysius annum postremum Cycli in recitato diagrammate, ita describit: *Anno decemnovennali decimonono, Lunari XIV. à tertio Kalendas Aprilis, usque in XV. Kalendas Maij, quia Embolismus est, fiunt dies trecenti octoginta quatuor*. Ita annus XIX. initus die 30. Martij, finitur anno sequenti die 17. Aprilis, dies continens 384. uti proximè exposui. Perperàm ergo ea Dionysij verba censentur à Petavio absona, incondita, secumque pugnantia; cum ne ulla quidem minima antilogiæ umbra obscurentur, sed propria se luce prodant, ut nullo egeant interprete. Beda cap. 13. de Temporibus ijsdem omnino verbis cum Dionysio loquitur: *Propter quod*, inquiens, *idem ultimus annus Epactas XVIII. tunc retinens, primo anno non XI. ut in cæteris annis fieri solet, sed XII. dies accommodat, & quia XXX. dierum fine revoluuntur, nulla Epacta in principio Cycli ponitur*. Beda licèt annos Paschales non colligat, ut eo loci Dionysius, à Luna XV. Paschali, sed à neomenia Paschali illos auspicetur, alibi etiam cum laudata Dionysij sententia concordat. Nam in libro de Embolismo pag. 279. scribit: *Septimus qui & ultimus Embolismus, in Nonis Martij inseritur, quandò octodecim Epacta sunt, qui terminans in III. Nonas Aprilis trigesimam Lunam facit*. Et in libro Ephemerid. in notis ad mensem Septembrem, cum dixisset Epactas annuas undeno numero crescere, ait: *Excepto decimonono anno, quando octodecim Epactis non undecim, ut in cæteris, sed duodecim adiungimus, ut triginta Epactas, quas nullas dicimus, efficere*

efficere quæramus. Annus Paſchalis ſivè neomenia primi menſis Aureo numero XVIII. incipit die 16. Martij, à qua collecti dies 354. deſinunt die 4. Martij alterius anni Aureo numero XIX. Hic autem annus debet fieri Embolimæus, quia Luna nata die 5. Martij nequit eſſe Paſchalis. Igitur Emboliſmus *tertio Non. Martij* inſeritur, ut idem Beda ſcribit in ephemerid. menſe Aprili, & Maio, & cap. 43. de Temp. rat. Ex quibus in priori loco corrigitur, ubi perperàm *in Nonis Martij* legitur; ea enim dies vacua eſt Aureo numero in veteri Kalendario. Quòd verò annus ille ſuſceptas retinet Epactas XVIII. hæ deſinunt die 22. Martij, quibus adiunctæ eiusdemmet anni Epactæ *non XI. ut in ceteris, ſed duodecim*, die III. Nonas, ſeu tertia Aprilis menſem 30. dierum Embolimum integrabunt, Aureo numero XIX. In libro etiam de argum. Lunæ pag. 213. hæc leguntur: *In fine anni deciminoni habebis Epactas XVIII. Adde XI. ſuper 18. fiunt XXIX. Adde ſaltum Lunæ, fiunt XXX. [Hic apparet, quòd non addit, ſed ſalit retrò unum diem] Ita trigeſima Epacta eſt in capite*. Cum ſuperiùs pag. 209. hic inſertus titulus legatur: *Item cuiuſdam, quem probamus, de anteſcriptis argumentis*; quę proximè produxi, non Bedæ, ſed cuipiam vetuſto tamen Computiſtæ adſcribenda videntur. Ille tamen minùs rectè unam ibi Epactam auget ob ſaltum Lunæ, ut menſis fiat dierum 30. Nam ſaltus Lunæ menſem iuxta ordinem tricenarium in cauum demutat, uno die eidem ſubtracto. Verba illa: *Hinc apparet &c.* correctionis gratia, ab aliquo inſerta, intra parentheſim coercui. Præterea ubi Beda cap. 42. de Temp. rat. annos Cycli communes ac Emboliſmæos diſtinguit, eidem dicuntur *octavus decimus communis; nonus decimus Emboliſmus*, uti etiam Dionyſio appellantur, ac eodem modo in marmore Ravennate leguntur, & in lib. de arg. Lunæ pag. 195. ait: *In ultimo verò Emboliſmo Hendecadis, ſecundo*, id eſt pridie, *Nonarum Aprilis initium primi menſis invenitur*, nempè die 4. Aureo numero XIX.

Hęc Dionyſij ac Bedę teſtimonia non obſcurè indicant utrumque ab Aureo numero XIX. Cyclum decemnovennalem inchoaſſe. Nam uterque affirmat annum XIX. Cycli eſſe Embolimęum, ac menſem eiusdem intercalarem conflari ex epactis XVIII. ac duodecim inſuper adiectis. Beda diſertè ait eumdem intercalarem inchoari III. Nonas Martij, de quo etiam ſcribit in lib. de Emboliſmo pag. 283 *Septimus Emboliſmus quarto Nonarum Martij accenditur; extinguitur tertio Nonarum Aprilis* Vbi, ut dixi, legendum eſt *tertio Nonarum. Martij*; aliàs menſis haberet dies XXXI. cum deſinat III. Nonas ſiuè die 3. Aprilis & idem ait *pridie Nonas. Aprilis initium primi menſis invenitur*, quę dies 4. Aprilis notatur Aureo numero XIX. Quapropter cum annus Embolimęus, quem Beda ſæpè vocat *decimumnonum* Cycli, exitum habeat die 3. Aprilis, proxima die 4. incipit primus menſis anni primi Cycli Aureo numero XIX. Rurſus Dionyſius ait annum ultimum retinere

 ſuſce-

fusceptas antea Epactas XVIII. additisque non XI. sed XII. compleri mensem annumque intercalarem, ac nullas relinqui Epactas residuas; unde ait : *Nulla Epacta in principio ipsius Cycli ponitur.* Cum autem post certos periodi annos nullæ remanent reliquæ Epactæ, Cyclus Lunisolaris postremum sui annum terminavit. Beda rectè scribit tom. 1. in libro de Embolismo pag. 280. *In primo namque decemnovennalis Cycli anno, ideo nullas habemus Epactas, quia novemdecim anni Lunares, supplentibus septem Embolismis mensibus, totidem Solares annos æquiparant, pariter incipiunt, pariterque finiuntur.* Denique Dionysius saltum Lunæ Aureo labente numero XIX. inseruit, eiusque annum primum Cycli decemnovennalis instituit, ut capite sequenti prolixiùs exponam..

Ceterùm idem Beda alijs in locis annum I. Cycli ab Aureo numero I. inchoat, cuius opinionem auctoris nomine suppresso, recitans Paulus de Middelburgo lib. 6. Paulinæ, quarta eius libri pagina ait: *Alij hunc Cyclum Paschalem inchoare solent à decimo Calendas Aprilis, ubi ponitur pro Aureo numero unitas, dicentes locum Epactarum esse undecimo Calendas Aprilis*; quæ pariter observat Petavius lib. 6. cap. 10. Hæc Beda scribit in lib. de arg. Lunæ pag. 189. ubi nominat annum, *quo trigesima Luna in XI. Calend. Aprilis invenitur*; *ipse est enim primus decemnovennalis Circuli annus.* Et pag. 195. *Primo anno Circuli decemnovennalis trigesima est Luna in XI. Calend. Aprilis, eodemque anno Luna XIV. quinto die Calend. Aprilis, id est, Nonis Aprilis*; quæ ipsissima verba repetit in libello de Æquinoctio tom. 2. pag. 345. At aureo numero I. Luna numeratur XXX. die 22. Martij. Ita cap. 44 de Temp. rat. ait: *Primo anno Circuli decemnovennalis nulla sunt Epacta, quia in XI. Calend. Aprilis Luna finitus est cursus*; nempè paria cum Solis motu fecit, ac proinde exitum habuit Cyclus Lunisolaris, nullæque supersunt Epactæ, novusque Cyclus die sequenti X. Kal. Aprilis, sivè 23. Martij exordium sumit. Est celebre apud Bedam axioma *locum Epactarum esse diem XI. Kalend. Aprilis*; hoc enim docet in lib. de Temporibus cap. 13. in lib. de Temp. rat. cap. 48. & 58. ubi ait: *XI. Calendarum supradictarum*, nempè Aprilis, *sicut sæpè dictum est, proprius est omnium locus Epactarum.* Quòd videlicèt quot dies Lunæ XI. Kal. Aprilis numerantur, tot sunt pariter eius anni Epactæ. Ita scribit cap. 48. de Temp. rat. *Sed propriè quæ in Circulo decemnovennali annotata sunt Epactæ, Lunam quota sit in XI Calend. Apriles, ubi Paschalis est festi principium, signant.* Hinc patet initium Cycli ab eodem deduci à die 23. Martij, Aureo numero I. Cum Cyclus Lunaris ineat Kalendis Ianuarijs, anni eiusdem tot habent Epactas, quot numerantur dies Lunæ pridie Kal. Ianuarias. Nam annus primus exit die 20. Decembris, ac die 31. putatur Luna XI. ac proinde undecim sunt Epactæ. Annus secundus Cycli Lunaris finitur die 9. Decembris; hinc die 31. eiusdem mensis Lunæ dies erunt XXII. unde etiam Epactæ erunt XXII. Cum au-

tem

tem Beda annum primum Cycli decemnovennalis inchoet à die 23. Martij Aureo numero I. idem dierum 354. terminatur anno sequenti die 11. Martij, ac Luna Aureo numero II. inita die 12. sequentis, die 22. eiusdem mensis erit undecima; quare & undecim erunt Epactæ. Alter annus Cycli initus die 12. Martij, anno sequenti die 28. Februarij continebit dies 354. quot annum communem integrant. Hinc Luna insequens Kal. Martijs prima, die 22. Martij fit XXII. ac proinde tot erunt Epactæ anni secundi Cycli iuxta sententiam Bedæ. Prætetea apud eundem in lib. de arg. Lunæ pag. 216. hæc leguntur: *Annus communis, & Embolismus, & Cyclus decemnovennalis incipit à prima Luna primi mensis, id est, ab ipsa, quæ terminum Paschalem demonstrat eo anno, quo Luna prima est X. Kal. Aprilis*; nempè Aureo numero I. quo Neomenia Paschalis incidit in X. Kal. Aprilis, sivè 23. Martij. Eadem ferè leguntur pag. 200. §. *Constat igitur &c.* ubi traditur argumentum *ad inveniendum locum XIV. Lunæ per* 19. *annos*. Denique Beda saltum Lunæ conjicit in annum ultimum Cycli, qua de re in lib. Ephemerid. in notis ad mensem Augustum ait: *Item anno XIX. in Cal. Augusti, propter saltum Lunę, quo trigesima Iulij Luna transilitur, tertia Luna fit*, Aureo currente numero XIX. ad diem 30. Iulij in veteri Kalendario, & apud eumdem Bedam in lib. de Embol. pag. 273. affixo: unde Kal. Augusti Luna III. numeratur. De sententia Bedæ circa saltum Lunæ proximo capite disputabo.

Hactenus lapidem movi, sed non promovi. Nam plura Dionysij ac Bedæ de anno Cyclum decemnovennalem inchoante, secum invicem pugnantia testimonia recitavi, nec modum ostendi, quo non dicam alterum alteri: sed utrumque sibi ipsi conciliare possimus. Petavius paucis tantùm utriusque testimonijs recitatis, lib. 6. cap. 10. ita pag. 561. pronuntiat: *Ac videtur hac in parte nonnibil secum pugnare Dionysius*; de Beda verò ait pag. 562. *Proinde nequaquam sibi Beda constat*. Verumtamen constat Bedam Cyclum ab Aureo numero I. ac die 23. Martij inchoasse, quod locupletissimis eiusdem verbis ostensum est, iterumque capite proximo demonstrabitur, ubi eiusdem sententiam de Lunari saltu proponam. Quæ verò ex libro de argumentis Lunæ recitavi, aliena manu scripta, & eidem volumini appendicis loco adiecta sunt. Nam à pag. 207. sub titulo: *Per exempla de antedictis &c.* iterùm antea recitata, repetuntur. Rursus pag. 209. est titulus: *Item cuiusdam quem probamus, de antescriptis argumentis*; ubi deinceps tertiùm eadem quę priùs, argumenta replicantur. Quędam etiam ibi leguntur, quæ certis Bedæ sententijs aduersantur. Id uno, quod omnium instar sit, exemplo demonstro. Nam in eo libro de argumentis Lunæ pag. 214. titulo de Solstitijs, & Æquinoctijs, legitur: *Ex quo verò baptizatus est Dominus noster, usque in diem, qua passus est, fiunt anni duo, & dies numero 90. qui faciunt dies* 810. At Beda in lib.

de

de Temp. rat. cap. 45. scribit: *Habet enim, ni fallor, Ecclesiæ fides, Dominum in carne plusquàm XXXIII. annis usque ad sua tempora passionis vixisse; quia videlicèt XXX. annorum fuerit baptizatus, sicut Evangelista Lucas testatur, & tres semis annos post baptisma prædicaverit, sicut Ioannes in Evangelio suo, non solùm commemorato redeuntis Pascha tempore docet, sed & idem in Apocalypsi sua &c.* Cum ergo Beda putaverit iuxta fidem Ecclesiæ Christum Dominum post susceptum baptismum *annos tres ac semis* prædicasse, palam fit, eumdem non fuisse auctorem postremę partis laudati libri de argumentis Lunæ. Quod autem ad Dionysium spectat, extra dubium sentiendum est, eundem primum in suo Cyclo Pascha statuisse III. Idus Aprilis; Aureo numero I. uti superiùs solidè demonstravi, ex marmoreo præsertim Cyclo Ravennate, qui est ipsemet Dionysianus. Si verò Embolismorum propagatio consideretur, Dionysius ab Aureo numero XIX. Cycli decemnovennalis exordium duxit, quod clarissimè ostendit in epistola ad Bonifacium & Bonum, tum illis verbis: *Excepto videlicèt anno primo &c.* uti prolixiùs exposui; tum etiam in diagrammate totius Cycli, cuius annum primum *à XV. Kalend. Maij*, Aureo numero XIX. deducit. Cum Theophilus Alexandrinus Antistes suum laterculum Paschalem ab Aureo numero I. annoque Christi 380. inchoaverit, eiusque nepos ac successor Cyrillus suum Cyclum annorum XCV. exorsus fuerit ab anno Christi 437. itidem Aureo numero I. eorum exemplo Dionysius, qui succidaneum priori Cyrilliano Cyclum scribere destinaverat, ab Aureo pariter numero I. eundem auspicatus est. Quòd si Embolismorum progressus spectetur, etiam laterculus Theophili, ac Cyrilli Cyclus ab Aureo numero XIX. inchoandi sunt. Cæterùm illorum tabulę Paschales vulgò ab eo anno civili iniire dicuntur, cuius primum Pascha in ijsdem designatur. Hęc postea exponam cap. 7. in quo de ordine annorum Embolimęorum, qui in Ravennate Cyclo pertexuntur; pluribus disputabo. Interim ex recitatis Dionysij ac Bedę testimonijs, patet error Clavij, qui cap. 17. Kalend. Greg. num. 3. 5. 12. &c. scribit: *Cyclum Aurei numeri à nullo alio numero, quàm tertio in veteri Calendario initium habere potuisse*; Quæ quidem mirari liceat scripta fuisse à viro insigni, qui de argumento Paschali tam grande volumen procudit. Quamvis enim Cyclus pro cuiusque arbitrio à quocumque Aureo numero inchoari possit, certum tamen est Cyclum Dionysianum non fuisse ab Aureo numero III. deductum. Cum enim hic numerus Kal. Ianuarijs affigatur; omnes Embolismi in mensem Decembrem incidissent, ut putat Clavius; cum tamen a Beda in libro de Embolismo per varios anni menses dispersi fuerint, qui cum annis Embolimęis, quos ille veteribus affingit, nulla ratione conveniunt, uti rectè prænotavit Petavius lib. 6. cap. 10. Clavius Cyclum Lunarem, quia Kal. Ianuarijs initium capiebat, cum decemnovennali confundit, qui vel mense

Aprili

Aprili iuxtà Dionysium, vel à 23. Martij, uti Beda censuit, inchoabatur. Hic in lib. Epemerid. pag. 235. ait: *Quoniam in primo decemnovennalis Cycli anno, in Calendis Ianuarijs Luna IX. semper esse solet; in secundo etiam anno eius Cycli in prædictis Calendis Luna XX. atque in tertio Prima &c.* Ita annus quo Aureo numero III. Luna I. Kalendas Ianuarias aperit, tertius Cycli numeratur.

Priusquàm ad saltum Lunę transiliam, nova quædam Petavij contra Bedam accusatio discutienda est; cum ea pręsertim ex Cycli Dionysiani descriptione instituatur. Vir eruditissimus libr. 12. doctr. Temp. cap. 2. scribit, communem fuisse veterum Computistarum sententiam, Dionysium suum Cyclum annorum DXXXII. sic instituisse, ut annus eiusdem primus esset is, qui vulgarem Christi Æram antecessit, & Aureo numero I. obsignatur; anno verò proximè insequenti Aureo numero II. Verbum divinum Incarnatum fuisse, eiusque Natalem die 25. Decembris contigisse. *Hoc*, inquit, Petavius, *ut cæteris hactenus omnibus, ita mihi quoque Beda persuaserat.* Monet tamen, se Dionysij epistolas nondum editas, in vetustis codicibus curiosiùs perlegisse, atque inde primùm semet intellexisse, Dionysium Incarnationem Dominicam ac Natalem eodem anno, quo vulgò ponuntur, adscripsisse; ita tamen ut nos uno ferè minùs anno numeremus; quòd ille Epocham Christi init ab Incarnatione, quæ mense Martio contigit, nos verò anno proximo, octiduo post Natalem, à Kalendis Ianuarijs. Hinc concludit *Æram hodiernam non à Dionysio, sed à Beda propagatam esse suspicor, quam pro Dionysiana tamen ex hallucinatione posteris venditavit.* Ideo verò in eam sententiam descendit; quia Dionysius annum primum sui Cycli à Luna XIV. Paschali Aureo numero XIX. ad Lunam XIV. Paschalem anni sequentis Aureo numero I. collegit; nempè ab Aprili anni Christi 531. Vrbis conditæ 1284. Periodi Iulianæ 5244. Aureo numero XIX. Solis VIII. lit. E. ad Nonas Apriles anni proximi 532. V. C. à parilibus 1285. Aureo numero I. Solis IX. lit DC. Iam verò si ab anno Vrbis 1284. Periodi Iulianæ 5244. retrò numeretur integra periodus annorum 532. huius primus annus erit V.C. 753. Periodi Iul. 4712. Aureo numero XIX. quo anno à Luna XIV. Paschali init annus primus Cycli Dionysiani: *Vnde*, inquit Petavius, *consequens est, Incarnationem Dominicam in annum sequentem convenire, Iulianum XLV. Per. Iul.* 4713. *qui est ille ipse, quo vulgò Incarnatum, & in lucem editum Christum ponimus*; Siquidem Dionysius Æram Christi ab anno secundo Cycli putare cœpit, ut ipsemet Beda testatur. Omnia hæc ex Petavio exscripsit Langius sub initium lib. 1. de annis Christi affirmans Bedam *non animadvertisse, Dionysium Cyclos suos longè ante Calendas Ianuarias & statim à XV. Paschali incipere.* In eandem Petavij sententiam transivit Ricciolius lib. 8. Chronol. Refor. cap. 1. Beda in libro de Temp. rat. cap. 45. hæc de Dionysio scribit: *Qui in primo suo* Circu-

Circulo quingentesimum trigesimumsecundum Dominicæ Incarnationis annum in capite ponendo, manifestè docuit, secundum sui Circuli annum ipsum esse, quo eiusdem sacrosanctæ Incarnationis mysterium cœpit. Cum S. Cyrillus annis sui Cycli Epocham ab imperio Diocletiani addidisset, Dionysius Tyranni memoriam nomenque perosus, notam chronologicam conditi abs se parilis Cycli, ab Æra Incarnationis Dominicæ desumpsit, nova methodo ac nondum à Latinis in usum recepta. Ille ergo primum sui Cycli annum numeravit ab Incarnatione DXXXII. quo primum Cycli abs se restaurati Pascha designavit III. *Idus Aprilis*, qui fuit Per. Iul. 5245. Vrbis Romæ 1285. Aureo numero I. Hæc qui Dionysianum Cyclum modò deperditum, legit Beda testatur. Hoc perpetuò duraturis characteribus prodit lapis Ravennas, in quo initio periodi Dionysianæ annorum XCV. legitur: *Anno* I. *Luna* XIV. *Nonis Aprilis*, *Pascha* III. *Idus Aprilis*: *Luna* XX. quæ omnes sunt certissimę notæ Chronologicæ designantes annum Æræ Christi 532. Per. Iulianæ 5245. Vrbis conditæ 1285. ut planè erret Petavius pag. 403. scribens: *Verùm Dionysius postremum Cyrilli Pascha anno suo primo complexus fuerat*; quod postremum Pascha Cyrilli contigit anno Christi 531. uti fatetur ipsemet Petavius cap. 3. pag. 404. C. Cum autem Dionysius huic primo Paschati suæ periodi notam temporis adiecerit *annum ab Incarnatione Domini DXXXII.* qui fuit, uti prædixi, Per Iul. 5245. V. C. 1285. si ab hoc anno inclusivè retrò percurras integram periodum annorum 532. eris ad annum Per. Iulianæ 4713. V.C. 753. Cyclo Lunę I. Solis IX. litt. D C. qui quidem annus proximè antecedit annum primum Æræ vulgaris Christi, quam nos vulgò à Kal. Ianuarijs anni sequentis, Dionysius verò ac Beda ab Incarnatione post tres circiter menses à Martio inchoarunt, ita ut vulgaris Epocha Christianorum octiduo post Natalem Domini incipiat, cum eundem Natalem Christi Dionysius, ac Beda integro anno morentur. Florentini tradito à maioribus ritu, etiam id temporis annos non à Natali, sed ab Incarnatione Dominica supputantes, hac die 7. Martij anni Christi apud ceteros 1691. in publicis monumentis numerant *annum ab Incarnatione Domini* 1690. quam sanè Epocham ad elapsum usquè proximè sęculum Gallia retinuit; unde initio statim Chronici magni Virdunensis dicitur Christus Dominus *natus anno secundo Cycli decemnovennalis*, *Indictione* IV. *Concurrente* V. *Epacta* XI. *Feria* I. quibus caracteribus Chronologicis iuxtà Dionysium Incarnatio Domini designatur à Beda laudato cap. 45. de Temp. ratione. In eo tamen Chronico Indictio V. reponenda est, quia ibidem Natalis Christi, non verò conceptionis eiusdem tempus notatur.

Petavius novam illam sententiam ex Dionysij Cyclo hac ratiocinatione deducit. Primus annus Cycli colligitur à Dionysio à XIV. Luna Paschali die 17. Aprilis, Aureo numero XIX. anno Christi 531. unde

de si retrò Cyclum Dionysianum retexendo, numeres annos 532. devenies ad annum Per. Iul. 4712. Vrbis Romæ 752. Aureo numero XIX. biennio ante vulgarem Epocham; unde consequens est, ut incarnatio Dominica in annum sequentem protrahatur, Iulianum XLV. Per. Iul. 4713. Quæ & cetera alia statim idem Petavius compendiariò proponens, ait: *Vno verbo: primus dies anni primi Dionysiani incipit anno vulgari Christi DXXXI. Aprilis 17. Aureo numero XIX. isque quingentesimus trigesimus secundus Incarnationis sivè Domini numeratur annus. Ergo AEra Domimini sivè Incarnationis ex mente Dionysij, incipit uno anno ante primum Christi vulgarem: Cyclus verò decemnovennalis biennio*. At vir doctissimus, qui Bedam in Dionysij sententia exponenda *hallucinationis* insimulat, eo in ratiocinio vehementer hallucinatur. Nam cum anni Cycli Dionysiani à præcedenti Luna Paschali ad alterius anni Lunam Paschalem continuentur, quilibet duobus annis Iulianis partim correspondet. Nam iuxta methodum in superiori diagrammate Cycli Dionysiani descripram, annus primus init die 17. Aprilis Aureo numero XIX. anno Christi 531. idemque desinit anno sequenti Nonis Aprilis Aureo numero I. Cum Dionysius in suo Cyclo, primo Paschati ab se designato III. *Idus Aprilis*, ex Luna XIV. in Nonas Apriles incidente, annum ab Incarnatione 532. adposuit, non priorem anni primi Cycli partem cum anno Christi 531. concurrentem indicavit, uti Petavius falsò imaginatur, sed postremam eiusdem anni primi partem notavit, quæ Nonis Aprilis terminabatur, Aureo numero I. cuius anni Paschate suam periodum inchoasse Cyclus Ravennas tam manifestè prodit, ut pervicaciæ propior sit ea deinceps de re dubitatio. Rursus Cyclus secundus in diagrammate inchoatur VIII. Idus, id est, die 6. Aprilis, anno Christi 532. Aureo numero I. idemque exitum habet anno sequenti 533. Aureo numero II. *octavo Kal. Aprilis*, ut scribit Dionysius, sivè die 25. Martij, quo anno II. Cycli in marmore Ravennate signatur *Luna decimaquarta* VIII. *Kal. Aprilis*, *Pascha* VI. *Kal. Aprilis*, *Luna* XVI. Iam ipse, qui a Petavio ac Langio hallucinationis arguitur, Beda audiatur laudato cap. 45: *Quia ergo*, inquit, *secundo anno Circuli, quem primum Dionysius scripsit, quingentesimus trigesimus tertius ab Incarnatione Domini completus est annus, ipse est nimirum iuxta concursus siderum ille, in quo incarnari dignatus est; quia hic secundus annus decemnovennalis, octavus decimus est Cycli Lunaris*, XI. *habens Epactas*, V. *concurrentes septimana dies*, *Lunam Pascha decimamquartam* VIII. *Cal. Aprilis*; *omnia tunc fuere simillima*, *& si esset qui tunc Pascha more nunc Ecclesijs usitato, die Dominica faceret, ipsa nimirum dies, quomodò hic adnotatum est*, VI. *Kal. Apriles veniret*, *ac Lunam haberet decimamsextam*. Quia, uti ibidem prænotaverat, post annos 532. *totus Solaris Lunarisque recursus ordo in se sua per vestigia reuoluitur*. Quare ab anno Christi 533. eodemque secundo Cycli Dionysiani, per annos retrò 532. regredien-

 tes

tes, erimus ad annum primum ab Incarnatione Domini, Periodi Iul. 4714. V. C. 754. Aureo numero II. quo die 25. Martij Verbi divini Incarnatio contigit, in quem pariter incidit Luna XIV. Paschalis, iuxta laudatam Dionysij methodum, annum eumdem Cycli secundum claudens; Pascha verò iuxta Nicænos canones, fuisset VI. Kal. Aprilis.

Dionysius in epistola ad Petronium Episcopum, in qua compositum ab se XCV. annorum Cyclum describit, hæc ait: *Necnon & argumenta Aegyptiorum sagacitate quæsita subdidimus, quibus, si forsitan ignorentur, Paschales tituli possint facilè reperiri, id est, quotus sit annus ab Incarnatione Domini, & quota sit Indictio; quotus etiam Lunaris Circulus, sivè decemnovennalis existat, ceteriqui simili supputationis compendio requirantur*; nempè quot sint anni cuiusque Epactæ, tum etiam Concurrentes, uti hęc ipsa ex opere Dionysiano recitat Beda laudato sępiùs cap. 45. quę neutiquam dissimulanda erant Petavio. Et primo quidem Dionysium ad inveniendum quotus sit annus Cycli decemnovennalis, *sumere annos Domini & priusquam hos per decem & novem partiamur, unum præcipit adijcere, significans illo incarnato, unum Circuli decemnovennalis annum iam fuisse completum*. Quod ita apud eumdem Bedam in lib. de argum. Lunæ pag. 215. explicatur: *Quia quando Incarnatio facta est, unus annus de Cyclo decemnovennali præcessit. Attende quomodò; VIII. Kal. Aprilis Christus conceptus; dies Nonarum Aprilis iam transijt, & propter hoc unum addit.* Nonæ Aprilis sunt primus terminus Paschalis Cycli decemnovennalis, qui ante annum iam transierat, cum Christus anno altero VIII. Kal. Aprilis conceptus fuit, nempè anno secundo Cycli. Prætetea ad sciendum, inquit Beda, concurrentes hebdomadis dies, *sumere annos Domini iubet* Dionysius, *& addita quarta parte, quatuor insuper regulares semper adijcere docet, ac sic tandem per septem partiri; quia nimirum quinque erant Concurrentes anno, quo natus est Dominus, ut & computandi fixa series procurrere posset, necesse habeat computator quatuor, quæ prçcesserunt, annectere.* Hoc insigni Dionysij argumento Paschali nova illa Petavij opinio manifestæ falsitatis convincitur. Nam sume annum vulgaris Æræ Christi 533. quo Dionysius secundum Pascha sui Cycli designavit. Adde illi numero quartam partem, fient *666*. adde IV. regulares, erunt *670*. Hanc summam per septem partire, remanent residui V. ac proinde anno Christi 533. quinque erant Concurrentes, id est, ut superiùs pag. 73 notavi, litera Dominicalis B. Hinc autem retexendo annos 532. habebimus annum primum Incarnationis, Cyclo Lunæ II. Solis X. lit. B. iuxta Dionysij argumentum; ita ut nos modò octiduo post Domini Natalem vulgarem eiusdem Epocham inchoantes, Æram Dionisij uno anno prçvertamus; cum iuxta illius sententiam, Natalis Christi contigerit die 25. Decembris A. V. 754. C. Cæsare Augusti F. & L. Æmilio Paulo Con-

Consulibus; qua die vulgaris Epochæ à Natiuitate Domini, qua passim Christiani vtimur, annus secundus incipit numerari.

Langius lib. 1. de annis Christi cap. 1. cum Petavio existimat Dionysium ita Cyclum digessisse, ut eius annus primus per annos 532. rettò ductus, inierit ab anno Per. Iulianæ 4712. ubi omnia ratiocinia ex laudato Petavij loco describit; quæ verò de suo penu addidit, eundem vel ipsius initij Cycli Dionysiani inscium ostendunt. Eam autem disputationem hisce concludit: *Patet igitur, vulgaris Epochę auctorem minimè Dionysium esse sed Bedam, qui cum non animadverteret, Dionysium Cyclos suos longè ante Calendas Ianuarias & statim à* XV. *Paschali incipere: hanc opinionem Dionysij verbis minus congruam, ex verbis tamen Dionysij protulit: adeoque Epocham hanc constituit, qua nunc omnes ferè Christiani utuntur*. Hæc Langius, qui si Bedæ libros vel saltuatim legisset, ineptam contra eundem accusationem neutiquam instituisset. Equidem Beda legit epistolam Dionysij ad Bonifacium ac Bonum, in cuius calce Cycli cuiusque anni à XV. Paschali incipiunt. Nam lib. de Temp. rat. cap. 40. & 43. bina eiusdem epistolę fragmenta recitat, & priori loco ait: *Quod etiam Dionysius tangere videtur, cum ait: A decimaquinta Luna Paschalis festi, anni, verbi gratia, praecedentis usque ad* XIV. *sequentis, si communis annus est* 354. *dies habebit &c.* Rursus cap. 54. proponit diagramma Cycli Lunaris a Ianuario ineuntis, quemadmodum antea fecerat Dionysius in Cyclo decemnovennali, cuius se exemplum imitari testatur; *quod*, inquiens, *Dionysius in mense Paschali, nos in Ianuario facere curemus*. Imò in diagrammate Dionysij speciale quid observavit, quod Langium fugit, nempè annum primum Cycli non colligi à Dionysio à Luna XV. Paschali, sed a Luna XIV. quæ fuerat terminus anni ultimi Cycli. Ibi enim Beda annum XVII. Cycli Lunaris ab eadem die incipit, qua ipsa annum XVI. terminaverat, additque: *Quod ipsum Dionysius decemnovennalem Cyclum huiusmodi ordine percurrens edocuit, ab eodem die, quo ultimi conclusit anni metas, primi inchoando principium*. Nam Dionysius in descripto superius diagrammate, annum ultimum Cycli Embolimæum deducit *à tertio Kal. Aprilis usque in* XV. *Kal. Maij*, annum verò primum Cycli colligit *à* XV. *Kal. Maij, usque Nonas Aprilis*; nempè ut inquit Beda, *ab eodem die* XV. Kal. Maij, *quo ultimi conclusit anni metas, primi inchoando principium*. Itaque tam planum est, Bedam illam Dionysij methodum observasse, quàm Langium eandem ignorantem, in neomenia anni ultimi Cycli designanda, aberrasse. Nam exhibet ibidem pag. 5. expansas tabulas duorum mensium Paschalium, ubi è regione diei III. Aprilis locat Aureum numerum Alexandrinorum XIX. & diei IV. Aprilis affigit Aureum numerum VIII. Tum pag. 6. ita ratiocinatur: *Quare in tabula* XV. *Kal. Maij; quandoquidem hinc Dionysius primum annum Cycli sui auspicatur: & quoniam* XV. *Kal. Maij sivè* XVII. *Aprilis est decimaquinta Paschalis*,

 aufer

aufer 14. *& remanebit* III. *Aprilis neomenia mensis Paschalis. Iam verò in tabula ad* III. *Aprilis annotatum vides Aur. num. Latinorum* XVI. *Romanorum* XIX. Hæc olim vel ipsi pueri cum risu excepissent. Dionysius in suo diagrammate annos Paschalis Cycli à Luna XV. Paschali anni antecedentis ad Lunam XIV. anni sequentis enumerat, primo tamen anno Cycli excepto, quem uti rectè advertit Beda, à Luna XIV. Paschali inchoat, & ad alterius anni Lunam XIV. perducit, quod Langius non observans, die XV. Kal. Maij numerat Lunam XV. ac 14. ablatis, ponit eiusdem neomeniam die 3. Aprilis Aureo numero XIX. cum certum sit hoc numero currente, neomeniam diei 4. Aprilis affigi, cum qua Langius, geminato errore, Aureum numerum VIII coniungit, hallucinatione adeo manifesta, ut penè pudeat vel uno verbo eandem refellere. Vetusta enim Kalendaria exhibent diem 3. Aprilis sine ullo Aureo numero; cum die 4. repræsentent Aureum numerum XIX. ac die quinto Aureum numerum VIII. qui dies in tabula Langij vacuus est Aureo numero. In Ravennate marmore anno XIX. Cycli legitur: *Luna decimaquarta* XV. *Kal. Maij*, *Pascha* VIII. *Kal. Maij*, *Luna* XXI. Si anno XIX. Luna Paschalis die 17. Aprilis numeratur XIV. ac die eiusdem mensis 24. dicitur XXI. eiusdem Neomenia diei 4. Aprilis affigitur. Rursus in eodem marmore anno VIII. Cycli legitur: *Luna decimaquarta* XIV. *Kal. Maij*; *Pascha* VIII. *Kal. Maij*, *Luna* XX. Quare Luna quæ Aureo numero VIII. die 18. Aprilis est XIV. ac die 24 est XX. die 5. Aprilis initium cepit. Hæc Paschali Alexandrinorum canoni similiter scalpta sunt. Nam S. Proterius eorundem Patriarcha scribens ad S. Leonem Magnum de Paschate celebrando anno Christi 455. ait: *Nunc autem quia* XIV. *Luna primi mensis, per octavam Indictionem, quæ ventura est* XXII. *die Pharmuthi, qui est* XV. *Kal. Maij, invenitur; certum est, quòd initium eiusdem mensis primi iuxtà Lunæ cursum, nono die Pharmuthi, qui est pridie Nonas Aprilis, occurrat.* Anno Christi 455. Indictione VIII. currebat Aureus numerus XIX. quo neomenia Paschalis à Proterio designatur pridie Nonas, id est, die 4. Aprilis; Luna verò XIV. die 17. Aprilis. At Langius methodum Dionysij ignorans, nec idem monentis Bedæ voces inaudiens, in suis bellissimis tabulis Aureo numero XIX. diei 3. Aprilis adposito, ab eodem neomeniam auspicatus, die postea 17. Lunam numerat decimamquintam. Paschasinus doctissimus Antistes ac in Synodo Calchedonensi S. Leonis Magni Legatus, scribens ad eundem Summum Pontificem de Paschate anni Christi 444. ait de eodem dubitationem exortam, *eò quòd VII. Kal. Aprilis & die Dominica, Luna XXI. incurreret, & iterum IX. Kal. Maiarum die, ut rei veritas habet, Dominica dies, & Luna XIX. obveniret.* Ille annus numeratur Paschasino octavus *à consulatu Aetij II. & Segisvulti*, nempè Christi 444. Aureo numero VIII. Cyclo Solis V. litt. B A. quo die 26. Martij numerat Lunam XXI. & cum ille mensis sit inter-

calaris

calaris ac proinde tricenarius, terminabatur Luna XXX. incidente in diem 4. Aprilis. Ità neomenia Paschalis proxima die 5. Aprilis inchoata, prodebat Lunam XIX. Dominica die IX. Kalendarum Maiarum, id est, die 23. Aprilis. At in tabula Langij neomenia Aureo numero VIII. in diem 4. Aprilis retracta, dat Lunam XIX. die 22. Aprilis. Imò uno eodemque versu idem simul affirmat ac negat; siquidem pag. 4. de Dionysio scribit: *Ipse enim suum primum Cyclum à IV. Aprilis, si à Neomenia; à XVII. Aprilis, si à XV. Paschali numeraveris, deducit*. At, ò bone, si Neomeniam à IV. Aprilis deducis, ac dein in digitis numeres, XV. Paschalis incidet in diem XVIII. Aprilis, non autem in XVII. uti errando, supputas. Sed non hic Langij errorum finis; Nam appellato superiùs loco ait: *Patet igitur, vulgaris Epocha auctorem minimè Dionysium esse, sed Bedam*. At neuter est Epochæ vulgaris auctor. Hoc de Beda monstrandum est. Æra vulgaris Christianorum inchoatur à Natali Christi A. V. 753. Per. Iul. 4713. die 25. Decembris; sed quòd annus civilis à Kalendis Ianuarijs incipit, ab ijsdem annorum Christi initium deductum est, septem diebus ante easdem Kalendas omissis, ita ut à Kalendis Ianuarijs anni Per. Iul. 4714. Cyclo Lunæ II. Solis X. lit. B Epocha nostra vulgaris initium ceperit. At Beda Æram ab annis Christi Domini non ab eiusdem Natali, sed ab illius conceptione auspicatur, quæ contigit die 25. Martij, tribus ferè mensibus Æræ vulgaris elapsis. Hinc Natalis Christi iuxtà Bedam fuit die 25. Decembris primo anno Ætæ vulgaris exeunte; ac proinde vulgaris computus à Nativitate Dominica uno anno computum Bedæ præcedit; quem enim vulgò à Natali annum numeramus, Beda ab Incarnatione supputat. Hinc in lib. de Temp. rat. cap. 45. annus, sunt verba Bedæ, *in quo*, Dominus *incarnari dignatus est*, dicitur eidem *secundus Cycli decemnovennalis*, *&c. habens Lunam Paschæ* XIV *octavo Kal. Apriles*; qui sunt Nicæni characteres anni primi Æræ vulgaris à Natali qui in Æta vulgari præcessit octiduo Kalendas Ianuarias anni Per. Iul. 4715. qui quidem Natalis in sententia Bedæ in fine eiusdem anni die 25. Decembris collocatur. Idem Beda in historia Anglorum Epocha annorum ab Incarnatione Dominica passim vtitur, addens non semel feriarum dies, ut ostensum est superiùs pag. 64. unde constat eundem cum nostra Æra vulgari convenire; quod etiam patet ex lib. de Temp. rat. cap. 50. 56. & alibi, licèt ille, uti dixi, ab Incarnatione, non verò à Natali Domini, vti fit in Epocha vulgari, annos Christi dinumeret.

CA-

CAPVT VI.

Quid sit saltus Lunæ. Ab antiquis in varios Cycli annos insartus. Cyclus Paschalis in marmore Ravennate in Ogdoadem & Hendecadem diuiditur. Vtriusque dies Dionysio minùs rectè collecti, à Beda dicuntur. Dies Ogdoadis & Hendecadis iuxtà Astronomicos calculos numerati. In ciuili dispositione dies primo anno Ogdoadis, vel postremo Hendecadis subtrahitur, cuius facti ratio assignatur. Dies mensium AEgyptiorum erroneè à Petavio digesti, corriguntur. Saltus Lunæ eodem die in Cyclo Dionysiano & Alexandrino committitur. Dionysius à Petavio erroris incusatus, à Beda defenditur. Huius verba perperàm ab eodem Petavio torquentur. Dionysius anno primo Cycli saltum Lunarem inserit. Causa eius saltus falsa apud Bedam. Eiusdem propria opinio de saltu in finem Cycli reijciendo. Varij Petavij errores in ea Bedæ sententia exponenda, demonstrantur. Vera ac facilis eiusdem explicatio.

SAltus Lunæ apud veteres Paschalis Computi scriptores erat unius diei exæresis sivè dissimulatio, qua unus cuipiam Lunationi dies subtractus, mensem, qui iuxtà ordinem plenus esse debebat, in cauum demutabat. Vetus est hoc inuentum. Etenim Cicero in Verrina IV. ait Siculos ceterosque Græcos, quò Lunares epilogismos cùm Solaribus componerent, eximisse *aliquem diem aut summum biduum ex mense: quos illi*, inquit, *exæresimos vocant*. Sanctus Anatolius Laodiceæ maritimæ in Syria Episcopus, in Paschali Cyclo decemnouennali anno illius decimoquarto Lunæ saltum inseruit. Latini Patres in Cyclo annorum LXXXIV. duodecimo quoque anno Lunarem saltum repetebant, vt alio opere prolixiùs ostendi. Victorius anno semper XVI. magnæ periodi annorum DXXXII. eundem saltum infulcit. Denique Alexandrini anno vltimo, sivè vt alij volunt, primo Enneadecaeteridos Lunarem saltum committebant. At huiusce saltus causa altiùs nobis repetenda est. Auctores Cycli decemnouennalis eundem duas in partes diuidebant, quarum prior Octaeteris, posterior Hendecaeteris dicebatur; illa ex octo annis Lunaribus: hæc ex vndecim componebatur. Nostri easdem Ogdoadem & Hendecadem nuncuparunt. Dionysius Exiguus in epistola ad Bonifacium & Bonum ait: *Noverimus itaque, quia idem decemnouennalis Cyclus per Ogdoadem & Hendecadem semper in se revoluitur. Octo namque & undecim ipse numerus explicatur*. Beda etiam in lib. de Temp. rat. caput 44. hocce titulo inscribit: *De Ogdoade & Hendecade*. Hinc in Cyclo Ravennate post annum octavum Cycli decemnovennalis superius legitur: DIVISIO CYCLI II. quòd nempè ab anno nono altera Cycli pars, videlicèt Hendecas inchoatur. Ita apud Bedam in libro Ephemerid. tom.

1. pag.

1. pag. 222 in rota Paſchali ſupra octo priores annos in exteriori ſuperficie ſcribitur : OGDOAS HVC VSQVE ; dein ſupra annum nonum ac ſequentes : HENDECAS VSQVE HVC . In Circulis etiam Bedæ poſt octo quosque annos in margine additur *Ogdoas* , & poſt proximos vndecim *Hendecas*. Omnium vetuſtiſſima periodus Lunisolaris fuit Octaeteris ſivè Ogdoas , quia octo annorum ſpatio Lunam cum Sole patia facere arbitrabantur . Illius inuentor Cleoſtratus Tenedius , quam deinde Harpalus , ac poſtea Eudoxus utcumque emendarunt . Quamvis autem Meton Athenienſis Octaeteridos vitio demonſtrato , vndecim inſuper annis adiectis , longè meliorem Enneadecaeteridem induxiſſet , Octaeteridem tamen diutiùs ſeruarunt , ità vt tertio ac quarto quoque Chriſti ſæculo non pauci eiusdem methodo in Paſchali feſto ritè inſtaurando, vterentur , vt eruditè oſtendit Bucherius à pag. 307. not. in Canonem Hippolyti . Dionyſius in laudata epiſtola annos Ogdoadis ac Hendecadis colligens, ait quinque annos Lunares communes dierum 354. dare dies 1770. tres verò annos Embolimæos dierum ſingulos 384. prodere dies 1152. *ac per hoc* , inquit , *ſimul fiunt bis mille nongenti viginti duo* . Tum notat octo annos Solares dierum 365. cum quadrante , *facere ſimul bis mille nongentos viginti duos dies*. Rurſus conſiderat Hendecadis annos ſeptem communes , ac quatuor Embolimæos , quorum dies , ſi in ſummam colligantur , *tantumdem* , inquit , *penè reperies* , *quantum vndecim Solares anni conficiunt* , *hoc eſt* , *quater mille quatuordecim* . At Beda iure Dionyſium reprehendit , qui in Ogdoade Solari binos dies biſſextiles in numerum vocaverit ; in Hendecade verò dies biſſextiles omiſerit, cum anni vndecim Solares Iuliani contineant dies 4017. & horas inſuper 18. Hæc ſcribit Beda lib. de Temporibus cap. 11. *Licèt quidam violenter hos dies ex biſſextis octo annorum ſupplere nitantur* ; *cum Biſſextus ſoleat in menſe Februario Soli ſuperfuſus & Lunæ* , *futuro tempori nihil præiudicare* ; *& ipſi nullum Hendecadi Biſſextum addant* . Eadem ſcribit lib. de Temp. rat. cap. 44. vbi ait reliquas horas ſex vltra dies 365. anni Solaris à Lunæ quadrantibus æquari , de quibus agit cap. 39. cui titulum dedit : *Quòd & Luna quadrantem habeat* ; quæ de anno ciuili vtcumque dici poſſunt , non autem de Aſtronomico , vt mox dicam . Itaque Beda diebus intercalaribus ad numerum non vocatis , ait octo annos Solares prodere dies 2920. & octo annos Lunares habere dies 2922. cum quinque horum ſint communes : tres autem Embolimæi . Hinc Ogdoas Lunaris vno & altero die Solarem excedit ; qui tamen exceſſus in Hendecade componitur . Nam vndecim anni Solares ſine biſſextis faciunt dies 4015 ; totidem Lunares , quorum ſeptem ſunt communes ac quatuor Embolimæi , conficiunt dies 4014. ita vt Hendecas Solaris iuncta Ogdoadi prodat dies 6935. Hendecas verò & Ogdoas Lunæ habeant ſimul dies 6936. Tum inquit Beda : *Subtrahe*

vnum saltus Lunaris diem, & vno eodemque dierum numero Solis & Lunæ cursum decemnouennalem Cyclum includere probabis. Quare vno die Lunaribus epilogismis intra annos XIX. subtracto, Lunam cum Sole paria facere putabant. At anni Lunares aliter vsu civili, aliter iuxtà cœlestes Lunæ motus considerantur. Nam annus communis Lunaris medius & æqualis præter dies 354. qui eidem civiliter tribuuntur, habet horas 8. 48'. 38". Annus Embolimæus habet in Kalendario dies 384. qui tamen Lunari motui conformiter sunt 383. hor. 21. 32'. 41". Ita Ogdoas Lunaris continet dies 2923. hor. 12. 41'. 14". ac Solarem vno ac sesquidie superat. Hendecas Lunaris dat dies 4016. hor. 3. 51'. 12". Solaris autem Hendecas conflatur ex diebus 4017. & horis 18. Quare anni Lunares XIX. continent dies 6939. hor. 16. 32'. 27". Solares anni XIX. habent dies 6939. hor. 18. vnde post annos vndeviginti Novilunia citiùs contingunt hor. 1. 27'. 33". &c. quæ est Lunaris in Cyclo decemnouennali anticipatio, antiquis Paschalis computi magistris ignota, quæ successu temporis neomenias cœlestes quatuor in Kalendario diebus morabatur. Ceterùm cum in eodem Kalendario dies intercalares non recenserentur, ne Aurei numeri suis è sedibus pellerentur, ac anni tantum Lunaris civilis consideratio haberetur, nouemdecim anni Lunares, vti prædixi, dabant dies 6936. totidem verò Solares conficiebant dies 6935. Hinc anno cuipiam Lunari totius Cycli vnum diem subtrahi iusserunt, mense quopiam ex pleno in cavum demutato; ac tunc tres successivè menses dierum 29. decurrebant.

Iam verò inquirendum est, cuinam mensi Alexandrini ac eosdem imitatus Dionysius Exiguus, saltum Lunæ inseruerint. Petavius cum lib. 6. doctr. Temp. cap. 2. Cycli Epactalis Alexandrinorum tabulas ex lib. 3. Paulinæ Pauli de Middelburgo suum in volumen deportasset, postea cap. 6. eiusdem Pauli doctrinam secutus, notat Alexandrinos in Cyclo Paschali Aureos numeros Embolismorum in mense Pharmuthi vno inferiùs die detrusisse, vt omnes fierent tricenarij, ijdemque annum Paschalem clauderent; idque iuxtà Hebræorum ritum, qui menses intercalares, eosque omnes tricenarios, in finem anni coniecerunt proximè ante mensem primum Nisan, quo Pascha celebrabant. Cum autem in Cyclo septem essent anni Embolimæi, postremus mensis intercalaris cadebat in Aureum numerum XIX. quo decurrente, mensis Lunaris vltimus inibat die 9. Phamenoth, 5. Martij, cuius neomenia ante diem 8. Martij incidens, non erat apud Alexandrinos Paschalis. Est apud Bedam axioma, in lib. de Embolismo pag. 280. & alibi passim: *Omni anno quota Luna in XI. Kalendarum Aprilis euenerit, tota eodem anno Epacta erit*. Quare cum Lunatio Aureo numero XIX. cœpta die 5. Martij, die XI. Kal. Aprilis det Lunam XVIII. totidem erunt eiusdem anni Epactæ, quæ ea die 22. Martij

tij exibant. Tùm addendæ erant Epactæ XI. propriæ eiusdem anni ex Epactis menstruis conflatæ, vt mensis integer evaderet; quarum additione mensis dierum 29. exibat die 7. Pharmuthi, 2. Aprilis. At quòd erat mensis intercalaris, vt fieret dierum XXX. vnam præter ordinem Epactam insulcientes, eidem anno non vndecim, vt in cæteris faciebant, sed duodecim Epactas tradentes, illummet die 3. Aprilis terminabant, ac die 4. proxima, quæ erat IX. Pharmuthi, mensem Paschalem vnaquè etiam annum sacrum inchoabant. Cum autem Epacta illa duodecima præter ordinem insulcita faceret, vt dies Cycli decemnovennalis essent 6936. ac Solarem totidem annorum systema vno die superarent, admissum semel superfluum diem quarto postea mense, alterius diei subtractione, pensabant. Hæc Petavius lib. 6. cap. 4. ita exponit: *Nam cum Lunatio Cycli XIX. quæ in Pharmuthi secundo terminabatur in Epactali Cyclo, in Paschali desineret III. Pharmuthi, sequens syzygia Paschalis à IV. die Pharmuthi cœpta, cava est facta, quæ desijt in Pachon septimum*. Tum addit syzygiam, quæ *in Payni sexto* terminabatur, plenam: quæ in Epiphi sexto exibat, cavam statutam. At quæ in proximo Mesori definit, cum iuxta ordinem plena esse deberet, vno die subtracto cava remansit; *eaque*, ait, *vnius diei ὑπεξαίρεσις saltus Lunæ dicitur*. Vir eruditissimus acerbiora tum fortè cogitans in Scaligerum, dies mensium Romanorum loco Ægyptiorum, quos sæpe rectè designat, tunc perperàm appellans, vniuersam periodum erroneè expressit. Nam ea Lunatio Aureo numero XIX. in Epactali Cyclo, qualem sine teste, magna tamen arte, Paulus Episcopus Forosempronij Alexandrinis adscribit, non exibat Pharmuthi *secundo*, sed septimo, id est, Aprilis secundo; in Paschali verò terminabatur Pharmuthi octavo, non *tertio*; nempè Aprilis III. Insequens syzygia non *à quarto*, sed à nono Pharmuthi, 4. Aprilis deducta, desinebat cava in Pachon septimum, vt optimè hunc diem Ægyptij mensis designat, videlicèt Maij secundum. Proxima syzygia die 8. Pachon inchoata, Payni die non *sexto*, sed septimo, Kal. Iunijs plena claudebatur. Altera consequens Lunatio Epiphi sexto, Iunij 30. cava terminum habebat; vti etiam proxima Epiphi die 7. inita, die 5. Mesori, Iulij 29. itidem cava finiebatur, & hæc tertiam quoque cavam excipiebat, quæ die 4. Epagomenωn, 27. Augusti terminum habebat. Itaque tres successivè cavæ Lunationes Aureo numero XIX. decurrebant, in quarum media saltus Lunæ committebatur; quia cum die 6. Mesori numeranda esset Luna XXX; ea die Luna I. dicebatur, mense antecedenti ex pleno in cavum mutato. Beda de Temp. rat. cap. 40. ait saltum Lunæ a Latinis admissum, *iuxtà exemplum AEgyptiorum, qui hoc in penultimo anni sui mense, qui est noster Iulius, facere perhibentur*. In libro verò Ephemerid. in notis ad mensem Iulium scribit: *Item anno XIX. nos qui Epactas Lunares à Septem*

bre incipimus , in III. Kal. Augusti trigesimam Iulij Lunam saltus ratione prætermittimus , ita vt eodem die pro trigesima dicamus primam . Ita Latini in Cyclo Dionysiano in die saltus Lunæ cum Alexandrinis conueniebant . Paulus Episcopus in laudata Paulina lib. 7. & 9. & ex eodem Stœfflerus proposit. 34. pag. 48. alijque Astronomi huncce saltum Lunæ planè irriserunt ; *Et est profectò* , inquiunt , *res digna risu , quòd inutiliter additur dies vnus per Embolismos , quem mox postea per saltum Lunæ iterùm demere , abijcere , & expellere oportet* . Equidem Aureo numero XIX. ordo Lunatium mensium alternatim plenorum ac cavorum valdè perturbatur ; cum mensis initus die 3. Februarij , ac plenus terminatus die 4. Martij , alterum plenum excipit , qui die 3. Aprilis finitur , ita vt ambo contineant dies 60. cum duo menses Lunares non prodant nisi dies 59. hor. 1. 28'. 6''. Rursus ob saltum Lunæ eodem Aureo numero XIX. admissum , tres cavi successivè menses dant dies 87. cum reapse tres menses Lunares sint dies 88. hor. 14. 12'. 9''. Verùm in disponendo anno Lunari civili , sivè Ecclesiastico , neutiquam exactiores Astronomorum calculi seruari poterant . Quòd si septimum mensem Embolimum fecissent cavum , annus ille Aureo numero XVIII. initus die 16. Martij , ob mensem intercalarem dierum 29. exisset die 2. Aprilis , idemque habuisset dies 383. ac proinde saltus Lunæ admissus fuisset . Nam vsu civili annos omnes communes constabant ex diebus 354. embolimæos ex diebus 384. ità vt si annus vno minor die absolueretur , tunc Lunæ saltum in eodem factum dicerent .

Saltus Lunæ in Ravennate Cyclo ita colligitur. Anno XIX. Cycli signatur *Luna decimaquarta XV. Kal. Maij* , id est die 17. Aprilis ; vnde Neomenia , à qua annus ille Lunaris inchoatur , contigit die 4. Aprilis . At anno I. Cycli notatur *Luna decimaquarta Nonis Aprilis* , ita vt Neomenia , à qua idem annus initium capit , à die 23. Martij deducatur , cum die 22. præcedenti annus proximus desijsset , qui cum cœperit die 4. Aprilis anni præteriti , continet dies tantùm 353. ac proinde saltus Lunæ eidem anno inferitur. Dionysius Exiguus ità in suo Cyclo Lunarem saltum admisit , vt commento minimè callido , vti lepidè loquitur Petavius pag. 560. eundem occuleret . Nam in diagrammate capite superiori descripto , annos quosque Cycli a Luna XV. Paschali inchoat , eosque ad Lunam XIV. pariter Paschalem anni sequentis perducit . Postremum tamen Cycli annum videlicèt XIX. colligit *à tertio Kal. Aprilis , vsque in decimumquintum Kalendas Maij* . Annum verò primum deducit *à decimoquinto Kal. Maij , vsque Nonas Aprilis* , ita vt dies XV. Kal. Maij , sivè dies 17. Aprilis sit anni XIX. terminus , idemque etiam primi principium ; quod ideo ab eodem factum notat Beda cap. 54. de Temp. rat. *ne propter saltum Lunæ , quem dicunt , vnus eidem anno dies deesse videatur* . Nam si , vt in ceteris annis facit , initium anni primi a Luna XV. die Aprilis 18.

sum-

sumpsisset, cum eidem anno die 5. Aprilis finem imponat, idem annus habuisset dies tantùm 353. Quare ne ob saltum Lunæ vno die minor appareret, à Luna XIV. annum primum inchoans, ait: *Anno decemnouennali primo, Lunari XVII. à XV. Kal. Maij, vsque Nonas Aprilis, quia communis est, sunt dies trecenti quinquaginta quatuor*. Petavius lib. 2. doctr. Temp. cap. 68. cum ostendisset quædam perperam in Dionysiano Cyclo à Scaligero reprehendi, ait: *Superest Dionysij error alius, quem non aduertit Scaliger, nos autem in eius laterculo deprehendimus, & erat profectò minimè prætermittendus*; nempè quòd aduertit à Dionysio *vnam eandemque diem diversis annis attribui*; cum dies 17. Aprilis tamquam terminus spectet ad annum XIX. Cycli: quæ à Dionysio etiam ponitur initium anni primi. Sed diu ante Petavium hoc ipsum notaverat Bridefertus vetus Bedæ Scholiastes in notis ad cap. 40. de Temp. rat scribens: *Ideo Dionysius prædictum annum à XIV. Luna, & non à XV. inchoat, ne propter saltum Lunæ, unus eidem anno dies deesse videatur. Sed tamen talis compositio, ut unus dies pro duobus computetur, nihil prodest; quia nullo modo CCCLIIII. sed reuera CCCLIII. constat diebus*. Idem autem Petavius id *errore ioculari* à Dionysio factum dicit. Beda tamen non modò eam Dionysij methodum non reprehendit, verùm etiam iterato exemplo, comprobavit. Nam cap. 54. libri toties laudati, describens diagramma Cycli Lunaris, annum eiusdem XVI. ita colligit: *A XVI. Cal. Ianuarias, usque in Nonas Decembris, quia communis est, sunt dies* 354. Proximum verò annum ita describit: *Anno Lunari XVII. decemnouennali primo, à Nonis Decembris, usque in X. Cal. Ianuarias, quia Embolismus est, sunt dies* 384. Vbi vides Bedam bis *Nonas Decembris* numerare; primùm veluti terminum anni XVI. Cycli Lunaris, & iterum vt initium anni insequentis XVII. Cuius statim rationem assignat: *Idcirco autem septimidecimi Lunaris anni computus ab ipso, quo prior est explicitus annus, die incipit, & non à sequente ut cæterorum, ne propter saltum Lunæ quem dicunt, unus eidem anno dies deesse videatur. Quod ipsum Dionysius &c.* Huius se exemplo tuetur. Obijcietne Petavius etiam Bedæ errorem iocularem? Profectò idemmet Petavius errorem plusquam iocularem olim admisit, cum in notis Epiphanianis ad Hæres. LXX. Audianorum pag. 299. notat annos Cycli Lunaris à Beda describi cap. 54. de Temp. rat. ac annum Cycli XVII. cum primo decemnouennali componi; *eiusque*, inquit, *initium statuitur* Nonis Decembris. *Corrige* VIII. Idus Decembris. *Nam ex compendio Notarum profectus est error, cum scriptum esset* VIII. I D. *quod Nonas Dec. Librarius esse credidit*. Nullus ibi error librarij, sed insignis est hallucinatio Petavij. Nam Beda sciens, volens, consultò initium anni XVII. Cycli Lunaris statuit non VIII. Idus, sivè diem 6. Decembris, sed anteriorem quintum, nempè Nonas Decembris, cum disertè scribat: *septimidecimi Lunaris anni computus*

putus ab ipso , quo prior est explicitus annus , die, videlicèt à Nonis Decembris , *incipit* , *& non à sequente* . Quæ non legens Petavius , putat annum XVII. non ab ipsis Nonis Decembris , sed à sequente VIII. Idus Decembris inchoari .

Idem Petavius lib. 6. cap. 8. scribit , Alexandrinos , à quibus syzygia , *qua Pharmuthi IX. Martij V. cœpit* , quæque cava esse debuit , plena facta fuerat , ne unus in anno dies redundaret , in postremo mense Mesori uno die suppresso , saltum Lunæ inseruisse , ut tres cavæ syzygiæ sibi proximè succederent . *Itaque* , inquit , *postremus annus Cycli dies dumtaxat exigit CCCLXXXIII.* Addit Dionysium Alexandrinos imitatum , saltum eundem admisisse die 30. Iulij , *sed cum annus ille* , ait , *qui Aureo numero XIX. præditus est* , *& apud Alexandrinos Cycli totius ultimus est* , *ex Dionysij instituto sit primus* , *hinc ille saltus in annum primum Enneadecaeteridis incurret* , *qua CCCLIII. dies habet* , *quot à 4. Aprilis ad Martij 22. intercedunt*. In primis errore calami syzygia scribitur cœpta *Pharmuthi nono* , *Martij V.* vbi reponendum est *Phamenoth nono* ; quia nonus dies Pharmuthi est Aprilis IV. Deinde cum lib. eodem cap. 4. rectè monuisset , primum mensem anni Lunaris Ægypriorum eum fuisse , qui in Thoth desinebat , addit : *Illi primum deinceps statuerunt* , *in quem Pascha caderet* , *hoc est* , *qui in Pharmuthi desineret* . Quamuis hæc rectè dicantur de anno Lunari civiliter vsurpato , Alexandrini tamen annum quoque Paschalem obseruabant , qui in ipsorum Cyclo à neomenia Paschali initium ducebat, hæc ad Leonem Magnum Proterio Patriarcha scribente : *Nunc autem quia XIV. Luna primi mensis* , *per octauam Indictionem* , *qua ventura est XXII. die mensis Pharmuthi* , *qui est XV. Kal. Maij* , *inuenietur* , *certum est* , *quòd initium eiusdem mensis primi* , *iuxta Lunæ cursum* , *nono die Pharmuthi* , *qui est pridie Nonas Aprilis* , *occurrat &c.*. Si primus mensis die 4. Aprilis Aureo numero XIX. qui eo anno Christi 455. decurrebat , initium trahebat , ab eodem quoque die annus Paschalis apud Ægyptios incipiebat , cum à mense primo annus inchoetur . Quare annus ille initus die 9. Pharmuthi , ac anno sequenti desinens 26. Phamenoth, Martij 22. apud Alexandrinos quoque continebat saltum Lunæ , habebatque dies 353. & consequenter erat annus communis ; quamvis in anno Epactali , vti eum vocat Auctor Paulinæ , saltus Lunaris anno Embolimæo insulciretur . Hoc disertè Beda testatur lib. de Temp. rat. cap. 40. vbi cum prænotasset, à diversis Cyclorum conditoribus diversis annis *hunc eundem saltum interponendum* censeri , ait : *Porrò AEgyptij* , *in quorum sententiam nunc Catholica consentit Ecclesia* , *eandem mutationem primo anno Circuli decemnouennalis adfigunt* , *facientes Epactas Lunæ annuas* , *quarum locus est XI. Kal. Aprilis* , *de octauadecima in nullam facere saltum* . *Ideoque annum eundem* , *si non bissextus adsit* , *diebus trecentis quinquaginta tribus consummantes* . Vbi Beda causam

inserti

inserti postea saltus assignat; nempè quod Aureo numero XIX. annus susceptas antea Epactas XVIII. die 22. Martij mense intercalari absoluens, XII. insuper sibi proprijs auctus, mense 30. dierum III. Nonas Aprilis completur, quemadmodum capite præcedenti exposui. Ne verò ob duodecimam Epactam dies abundet, quarto postea mense unus dies detrahitur, nempè die 30. Iulij, & quidem, vt ille ait, *prima anno Circuli decemnouennalis*; ex quibus colligimus annum primum eius Cycli ab Aureo numero XIX. tum ab Ægyptijs tum etiam à Dionysio deduci, quod ipsum Beda tanquam Catholicæ Ecclesiæ sententiam tradit; nisi potius intelligat, eadem methodo Pascha ab Ægyptijs ac Romana Ecclesia instaurari; neque enim saltus Lunæ, nec eiusdem admissio circa primum vel postremum Cycli annum, pertinet ad dogma; imò saltus idem, vt quid chymæricum, ab eruditis Scriptoribus respuitur; & ipse Beda rectiùs censet eum saltum in finem totius Cycli reijciendum, vt mox ostendo. Interim expendenda est illius sententia in libro de Temporibus cap. 12. vbi ait Lunam singulis annis celeriùs accendi; *sicque*, inquit, *per nouemdecim annos paulatim Lunaris accensio sese praeoccupando, unius diei spatium amittens, ultimum decemnouennalis Circuli annum CCCLXXXIII. diebus facit computari*. Sæpiùs dubitaui, num liber ille *de Temporibus* auctorem habuerit Bedam. Nam caput decimumtertium est ipsamet præfatio, quam suis Circulis Paschalibus Beda præfigit. Rursus totum illud caput 12. legitur in notis Brideferti ad cap. 40. libri de Temp. rat. Passim verò ex fragmentis aliorum Bedæ voluminum videtur consutus. Scio Bedam in præfatione ad lib. de Temp. rat. testari se olim scripsisse *libellum de Temporibus*, & in lib. de argum. Lunæ pag. 189. & 190. remittit Lectorem *ad lib. 2. de Temporibus*, qui est ille ipse inscriptus de Temporum ratione, vt prior alter videatur qui *de Temporibus* prænotatur. Rem mihi nondum accuratiùs discussam, in medio relinquo. Profectò saltus Lunæ non infulcitur anno Embolimæo; etenim annus vltimus Embolimæus incipit Aureo numero XVIII. die 16. Martij, à qua ad diem 3. Aprilis, qua idemmet annus Aureo numero XIX. terminatur, numerantur dies 384. ac consequenter nullus eo anno fit saltus Lunæ. Prætereà septimus Embolismus, vt ait in libro de Embol. pag. 289. incipit die 5. Martij, *& extinguitur tertio Nonarum Aprilis* Aureo numero XIX. Quare iuxtà Bedam annus sequens inchoatur die 4. Aprilis, quod patet etiam ex eiusdem Circulis; & cum idem annus desinat die 22. Martij alterius anni, non prodit nisi dies 353. ita vt saltus Lunæ ad eundem annum simplicem spectet. Cum verò Beda Cyclum inchoet ab Aureo numero I. ac à Neomenia affixa die 23. Martij, Lunarem saltum anno communi ac Aureo numero XIX. committit, quod palam tradit cap. 40. & 41. de Temp. rat. vbi ait Lunam quotannis anticipare vna hora, minutis 15. ac ali-

 quot

quot etiam ſcrupulis, ac fieri, *unde unus anno nonodecimo tranſiliatur dies*. Vir doctiſſimus ſed rerùm Aſtronomicarum minùs peritus, Lunaris ſaltus erroneam cauſam aſſignavit. Libeat eundem audire, hæc in capite cit. 41. pronuntiantem: *Quòd ſi quis grauiùs huic inſiſtens quæſtioni, dixerit ſe nouam Lunam eo anno, quo ſaltus inſerendus eſt, hoc eſt, vltimo Circuli decemnouennalis biduo priuſquàm prima caneretur, multis cum teſtibus vidiſſe, id eſt, quarto Nonarum Aprilium die, cum eiuſdem anni XIV. Luna Paſchalis in Circulo memorato XV. Kal. Maiarum ſit annotata, ideoque non niſi pridie Nonas Apriles eſſe prima valeat &c.* Hęc ille ſcribebat anno Chriſti 725. Annus, quo Luna prima pridie Nonas, id eſt, 4. die Aprilis, ac Luna XIV. colligitur die XV. Kal. Maij, Aprilis 17. vocatur à Beda ille annus, *quo ſaltus inſerendus eſt, hoc eſt vltimus Circuli decemnouennalis*.

Hic annus Aureo numero XIX. ſignatur, atque ita cum Dionyſio convenit in anno ſaltus Lunaris, qui apud utrumque eſt communis, initque die 4. Aprilis, ac anno ſequenti finitur die 22. Martij, diebus 353. abſolutus. Dionyſius tamen in epiſtola ad Bonifacium & Bonum hunc annum videtur primum Cycli vocare, qui à Beda ultimus nominatur. Ceterùm & illi optimè biduo Lunam novam priusquàm in choro à Monachis prima diceretur, obſervabant. Nam anno Chriſti 341. qui erat a Nicæna Synodo decimus ſextus, Novilunium à Petauio lib. 5. cap. 1. iuxta tabulas Prutenicas dicitur contigiſſe Aprilis die 3. 0. 56′. à media nocte. At Neomenia Aureo tunc numero XIX. in Kalendario ab Alexandrinis poſtridie ſignata fuit. Cum verò poſt quinque periodos Calippicas, quæ dant annos 380. Novilunia anticipent uno die, hor. 5. 10′. 53″. anno Chriſti 721. Aureo itidem numero XIX. quadriennio antequàm Beda librum de Temporum ratione componeret, Novilunium commiſſum fuit iuxta eaſdem tabulas Prutenicas, Kalendis Aprilis, hor. 7. 45′. poſt meridiem; quare die ſequenti, id eſt, ut ait Beda, IV. Nonas, nocte iam incumbente, Luna in cœlo cœpit apparere, *biduo priusquàm Prima caneretur*. Ille verò Lunarem *προήγησιν* poſt annos XIX. nimiùm extendit, tradens Neomeniam vno die anticipare, quem tamen diem ſupprimi Lunæ ſaltu putavit. Nam poſt annos undeviginti Neomenię anticipant tantùm hor. 1. 27′. 32″. 41‴. Quæ ſi eo annorum ſpatio uno die celeriùs committerentur, Luna quæ anno Chriſti 341. dicebatur prima die 3. Aprilis, poſt abſolutos Cyclos decemnovennales XXI. anno Chriſti 721. fuiſſet in cœlo Luna XXII. nec iteratis ſemel ac vicies ſaltibus Cycli, prima unquam in cœlo appareret. Idem Beda cap. 44. de Temp. rat. ſcribit: *Nec nocet, quòd ſaltum Lunæ, quem quidam in Ogdoadis initio ponunt, in Hendecade ponendum memoravimus*. Vbi Dionyſij Exigui opinionem indicat, qui cum Cyclum à Luna XV. Paſchali inchoaverit Aureo numero XIX. anno quoque primo Ogdoadis, ſal-

tum

tum Lunarem insulciebat. Cum verò Beda Cyclum ab Aureo numero I. exordiretur; saltus ab eodem in annum postremum Hendecadis conijciebatur.

Quædam tamen propria eiusdem Bedæ opinio discutienda est, quam tantùm proponit, licèt a communi in die saltus Lunaris adsignando, neutiquam recesserit. Cum capite 40. laudati operis aliorum placita de situ saltus Lunaris narrasset, ait: *Qui profectò saltus non alibi aptiùs, quàm XII. Calendarum Aprilium die videtur anno reddendus &c. ut Luna mensis Martij, quæ eo fit die vigesima nona, dehinc vertatur in nonam*. Petavius lib. 6. cap. 8. pag. 549 rectè advertit postremam vocem in mendo cubare; quid est enim Lunam XXIX. in nonam converti? Itaque ait legendum esse: *vertatur in nullam*. At prorsus absona est emendatio. Nam cum Lunæ ætas semper computetur, nunquam in nullam potest converti, sed quolibet die quæpiam Lunæ ætas numeratur. Epactæ quidem in nullas verti dicuntur; unde Beda ait ibidem Ægyptios facere *Epactas Lunares* Aureo numero XIX. die XI. Kal. Aprilis *de octavadecima in nullam facere saltum*, nempè ait Bridefertus in notis: *in nullam, id est, trigesimam*. Quod ipsum etiam Beda in Ephemerid. in notis ad mensem Septembrem prædixerat: *ut triginta*, inquiens, *Epactas, quas nullas dicimus, efficere queamus*. Vnius literulæ inversione vera lectio restituitur, videlicèt, ubi incuria Typographi legitur: *dehinc vertatur in nonam*, repone *novam*, & integer sensus apparet. Ita è contra apud eundem Bedam in lib. Ephemerid. pag. 224. legitur: anno primo Cycli *in Kalendis Martijs nova invenitur Luna*; pro *nova* restituas *nona*, qualis reapse numerabatur Aureo numero I. quo neomenia incidit in diem 21. Februarij. Itaque ait Beda aptiùs sibi videri saltum Lunæ anno XIX. Cycli exeuntis, infarciri in diem 21. Martij, ut Luna, quæ eo die Aureo numero I. est vicesima nona, eo ipso die Lunatione absoluta, ac mense ex pleno in cavum demutato, die sequenti 22. Martij *noua*, seu prima Luna novum Cyclum decemnovennalem incipiat. Petavius loco appellato pag. 551. ait: *Hæc Bedæ dispositio mihi non displicet*; quam, antea dixerat in fine pag. 549. *etiam Alexandrino ac vulgari instituto prætulerim*. Verum saltu Lunæ in ultima die totius Cycli, nempè iuxta Bedæ opinionem, in XI. Kal. Aprilis commisso, bini Aurei numeri Petavio suo è loco dimovendi dicuntur, nempè ait: *in Martio quidem Aureus numerus I. à XXIII. die ad XXII. promovendus; in Aprili verò XIX. ab Aprilis V. die ad IV.* In primis error, qui in dies irrepsit emendandus est. Cum Aureus numerus XIX. non sit affixus diei V. Aprilis sed quarto, ibidem iuxtà opinionem Bedæ à die 4. ad III. retrahendus esset, ut idemmet Petavius rectè aliàs scribit in fine paginę 549. Errat tamen existimans Aureos tantùm numeros I. & XIX. in ea sententia Bedæ in proximè præcedentes dies 22. Martij, ac 3. Aprilis retrahendos esse; etenim omnes

Aurei numeri sursdeque trudendi forent, nisi alicubi extra ordinem compensatio fieret. Nam si Aureus numerus I. à die 23. Martij ad 22. transferretur, quid tum fieret Aureo numero XII. qui diem 22. Martij veluti propriam sedem in Kalendario occupat? Num hic in eodem laterculo una secum Aureum numerum I. pateretur? At hoc certam apud Computistas regulam infringeret, quam ipse Petavius lib. 5. cap. 30. ita proponit: *Vetus illa cautio est, quæ & à Computistis omnibus admittitur: in eodem Cyclo Neomenias eundem non occupare diem*; vti certè occuparent, si Aurei numeri I. & XII. in eandem diem 22. Martij contraherentur. Sin verò etiam Aureus numerus XII. in diem 21. Martij protrudendus foret, tunc annus Lunaris ea die cœptus, exitum haberet die 9. Martij anni sequentis; quare die 10. succederet Neomenia ab Aureo numero XIII. indicata. At hic numerus in Kalendario occupat diem 11. Martij. Rursus si Aureus numerus I. retraheretur ad diem 22. Martij, hinc numerati dies 354. terminum haberent die 10. Martij alterius anni, ac die 11. ponenda esset Neomenia Aurei numeri II quæ in Kalendario in die 12. Martij collocatur. Cum enim Aurei numeri sint miro inter se ordine in Kalendario dispositi, ac connexi, si quempiam numerum semel loco suo moveas, ceterorum quoque sedes perturbantur. Itaque sententia illa Bedæ perperàm Petavio explicatur; quæ tamen hoc altero modo facillimè exponitur. Aureo numero XIX. suo loco pridie Nonas Aprilis relicto, mensis inde cavus deductus, exit die 2. Maij. Proximus mensis plenus finitur Kalendis Iunij. Qui succedit cavus, exitum habet unà cum mense, die 30. Iunij. Nulla hactenus facta est mutatio dierum Neomeniæ eorum mensium in Kalendario. Huic mensi cavo alterum itidem cavum iungebant, inserto eidem saltu Lunæ, quem die 29. Iulij terminabant. Hæc scribit Beda in notis Ephemerid. mense Augusto: *In tertio Kalendarum Augusti trigesimam Iulij Lunam, saltus ratione, prætermittimus, ita ut eadem die pro trigesima dicamus primam.* Cum autem Beda aptiùs censeat saltum in finem Cycli transferri, remoto à die 30. Iulij eo Lunari saltu, eodem die 30. Iulij Luna XXX. numeretur, quæ iuxta ordinem mensem plenum post proximè cavum constituat. Hinc primùm sedes Aurei numeri XIX. mutabitur; siquidem à die 30. Iulij in 31. descendet. Hic verò mensis cavus finitur die 28. Augusti. Proximus plenus exit die 27. Septembris. Alter cavus clauditur die 26. Octobris. Inde plenus ad finem perducitur die 25. Novembris. Qui succedit cavus terminatur die 24. Decembris. Hactenùs à die 30. Iulij Aureus numerus XIX. in proximum inferius diem promotus fuit, qui à nullo Aureo numero occupatur, vacua Danente cellula. Rursùs die 25. Decembris initus mensis plenus, ad diem 23. Ianuarij cauus perducitur, & Aureus numerus I. in proximam vacuam sedem 24. Ianuarij descendens, mensem cavum inchoat, cui si die 21. Februarij iuxta ordinem plenus succederet, die

23. Martij exiret. At Beda in hoc extremo mense saltum collocandum docet. Ita hic quoque mensis è pleno in cavum mutatus, exitum habet die 22. Martij: ac die 23. sequenti, Aureus numerus I. assignatam sibi antiquitùs in Kalendario sedem retinens, annum primum Cycli inchoabit. Hæc minutatim ac gradatim pertexui, ut clariùs appareret, quàm aptè ac congruenter saltus Lunaris in finem Cycli à Beda reijciatur, ita ut nulla sequatur Aureorum numerorum perturbatio, quæ maxima ac prorsus absurda ex opinione Petavij resultabat; cum enim Aurei numeri XIX. & I. in inferiores dies, vti dixi, nullo Aureo numero signatos, promovendi forent, ille utrumque Aureum numerum in superiores proximè dies retrahens, universorum ordinem gravi errore turbauit. Hæc autem sententia Bedæ vel eò magis mihi probatur, quòd duos tantùm menses successivè cavos ponit; vbi in Alexandrinorum ac Dionysij methodo tres cavi menses iunctim decurrunt. Præterea annum primum Cycli integrum constituit, qui iuxtà Dionysium mutilus ac dierum 353. obtruditur ob insertum saltum Lunarem, quo subtrahitur dies, qui ex duodecima Epacta circa finem Cycli superfluò emergit: quod veluti absurdum urget contra Dionysium Paulus de Middelburgo paulò post initium libri 6. Paulinæ. At Dionysius cum Alexandrinam methodum in Romanum Kalendarium transferre destinasset, & Ægyptij in Epactali Cyclo in annum eiusdem vltimum Lunæ saltum infarcirent, Dionysius quinto antea mense anni Paschalis initium sumens, Lunarem saltum primo anno Cycli decemnovenalis inseruit, quò in die eiusdem, nempè sexto Mesori, 30. Iulij, cum ijsdem Alexandrinis conveniret,

CAPVT VII.

Annorum septem Embolimaeorum in Enneadecaeteride dispositio auctorem habet Metonem Athenienſem. Ex residuis Epactis conflantur. Annus VIII. Cycli apud veteres vt & in marmore Ravennate, Embolimæus statutus, secùs ac Clavius contendit. Embolismorum progressio in Dionysiano ac Ravennate Cyclo aliàs difficilis, noua methodo ab eodem Dionysio exponitur. Menses omnes Embolimi ab Alexandrinis in finem anni Paschalis coniecti. Beda alijque quinque menses Embolimos in diversos anni menses infarciunt. Ijdem Aureos numeros II. & XIII. in diem 2. Decembris perperàm constipant. Horum error in veteri Kalendario Romano correctus.

IN inferiori ac minimo circulo Cycli Ravennatis ordo ac situs annorum communium & Embolimæorum designatur illis literis C M, quæ *Communes*: & E B, quæ *Embolimaos* annos indicant. Annus Lunaris communis sivè simplex ex diebus 354. conflatur: Embolimaus

mæus verò dies continet 384. Græca vox Ἐμβολιμαῖος interiectitium & intercalarem exprimit: quam Latinitate donatam veteres Computistæ ad mensem anno communi superadditum explicandum adhibuerunt. Cyrillus in prologo Paschali primum Embolismorum magistrum Deum prodit: *Post*, inquiens, *annus Embolismicus occurrit, quem tredecim menses Lunares, id est trecentos octoginta quatuor dies habere, sancto Moysi divinitùs revelatum est*. Dionysius in epistola ad Bonifacium ait, eam annorum divisionem *ex Hebræorum traditione* descendere. Vti verò incertum est, num Hebræi antiquitùs Cycli Lunisolaris methodo, an potiùs à phase Neomenias colligerent, ita constat auctorem Cycli decemnouennalis ac septem in eodem annorum Embolimæorum fuisse Metonem Atheniensem insignem Astronomum, qui eam periodum publicè Athenis proposuit anno 4. Olympiadis LXXXVI. Qui verò anni fuerint in Metonis Enneadecaeteride Embolimæi, diversæ sunt Scriptorum sententiæ; dissentit enim à Scaligero Petavius lib. 2. doctr. Temp. cap. 9. & ab utroque Langius lib. 1. de annis Christi cap. 14. Alexandrini eodem XIX. annorum systemate ad Lunam Paschalem indagandam, in usum revocato, septem pariter annos Embolimæos in eodem disposuerunt. Hebræi mensem Embolimum in finem anni sacri post ultimum mensem Adar coniecerunt; quibus etiam plures fuerunt causæ intercalandi, quas eruditè Langius ibidem cap. 10. exponit. Has inter erat Tekupa, qua illi voce quatuor anni cardines designabant; ita ut quoties Luna XIV. incidebat ante Tekupam vernalem, sivè ingressum Solis in Arietem, mensem intercalarem anno adijcerent, & à sequente Neomenia Nisan annum sacrum auspicantes, Luna eiusdem XIV. Pascha peragerent. Cum autem Nicæna Synodus ingressum Solis in Arietem, sivè vernum Æquinoctium in die 21. Martij collocasset, ac post hanc tantùm diem Paschalia solemnia à Christianis instauranda iussisset, Alexandrini ita in Kalendario Aureos numeros disposuerunt, ut Aureo numero XVII diei primo Pharmuthi, Martij 27. affixo, ac reliquis Aureis numeris VI. XIV. III. XI. XIX. VIII. vsque ad decimum Pharmuthi, Aprilis V. diffusis, menses Embolimi inchoarentur; cum septem illi Aurei numeri proximè antecedentes menses inchoantes, Lunam XIV. ante diem 21. Martij proderent. Erratum est Petavio lib. 6. cap. 6. pag. 538. scribenti: *Citimus quippè Paschalis mensis in anno Embolimæo incipit trigesima die Phamenoth, Martij 26.* nullus enim mensis Paschalis initium capiebat diè 30. Phamenoth, quæ in Paschali Cyclo vacua erat Aureo numero; sed citimus mensis Embolimus die prima Pharmuthi incipiebat, Aureo numero XVII. Petavius ea scripsit oblitus eorum, quæ rectè antea dixerat cap. 4. pag. 527. ubi loquens de Cycli Paschalis Alexandrini dispositione, ait: *Numerum verò XVII. qui in trigesima die Phamenoth erat, ad Kalendas Pharmuthi retraxerunt*. In Cyclo Ravennate, qui totus est Alexandri-

nus,

nus, Anno XVII. fignatur *Luna decimaquarta* V. I D. APRILIS, id eft, die IX. Aprilis, quę Alexandrinis eft 14. Pharmuthi; unde Neomenia incipit die primo Pharmuthi, Martij 27. Videfis tabulas in fuperiori Differt. pag. 13. propofitas. Ille autem annus XVII. in Ravennate etiam Cyclo ponitur Embolimæus.

Menfes intercalares, qui annos in Cyclo Embolimæos conftituunt, ex annuis XI. Epactis conflantur, ubi illę numerum XXX. affequuntur. Cum enim annus Solaris diebus conftet 365. Lunaris verò contineat dies 354. vndecim diebus à Solari fuperatur; ita poft annum primum manent vndecim Epactæ, quæ poft alterum annum euadunt XXII. ac denique poft tertium fiunt XXXIII. quot nempè diebus tres anni Solares totidem Lunares excedunt. Ex his 33. Epactis adfumuntur 30. quæ primum menfem intercalarem componunt, idemque anno tertio additus, eundem facit Embolimæum, dierum 384. Tres refiduę Epactæ cum XI. Epactis anni IV. Cycli, fiunt XIV. quæ in fine anni V. euadunt XXV. ac dein in fine anni VI. numerantur XXXVI. Ex his 30. addunt anno VI. Cycli menfem intercalarem, fitque idem annus Embolimæus. Sex reliquæ Epactæ cum XI. quas annus VII. Cycli relinquit, funt XVII. quæ cum XI. anni octavi Cycli, numerantur XXVIII. Quare cum poft annum VIII. nondum ex Epactis habeatur plena syzygia intercalaris, idem ponitur à Clavio communis, non autem Embolimæus, quod fæpè repetit cap. 17. Calend. Gregor. ubi num. 7. tertium Embolifmum in annum nonum Cycli transfert, fcribens intercalari *in quolibet Cyclo feptiès tantùm, videlicèt in cuiuslibet Cycli decemnovennalis annis 3. 6. 9. 11. 14. 17. & 19. qui omnes ac foli funt Embolifmici.* Cæterùm Petavius tum in notis Epiphanianis ad hærefim Audianorum LXX. pag. 300. tum libro 6. de doctrina Temp. cap. 6. plurimis & invictis teftimonijs oftendit, veteres annum VIII. Cycli Embolimæum feciffe. Profectò annus octavus Cycli difertè dicitur Embolimęus à Dionyfio Exiguo in epiftola ad Bonifacium, & à Beda lib. de Temp. rat. cap. 43. & 44. ubi ultimum annum Ogdoadis ftatuunt intercalarem. Hoc ipfum utroque vetuftior teftatur S. Pafchafinus in epiftola Pafchali ad Leonem Magnum: *Pervidet ergo*, inquit, *Apoftolatus vefter prudentia octavum annum Ogdoadis fieri aliter non poffe, nifi Embolifmum teneamus.* Ogdoadem ibi ait incipere *à confulatu VV. CC. Aetij iterùm & Segesvulti*, anno Chrifti 437. Aureo numero I. Ita etiam qui Octaeteridem fervabant, annum poftremum habebant Embolimæum. Sanctus Epiphanius ad hærefim LXX. Audianorum, binos dies Epactarum, qui anno octavo Cycli reapfe deficiunt, ait conftitui ex horis fex quæ in anno Solari ultra dies XI. fupra anni Lunaris dies 354. colliguntur; fi enim octies quadrantem diei annuum, feu horas fex fupra dies 365. in fummam contrabas, habebis horas 48. fivè duos dies, qui additi Epactis XXVIII. menfem intercalarem dierum 30. conficiunt. Vulgò

tamen bidui verſuram faciebant, binos dies ex anno nono mutuantes, uti explicat Campanus in Computo maiori cap. 22. Bridefertus verus Bedæ Scholiaſtes in notis ad cap. 43. ait annum octavum eſſe Embolimæum, *licèt duo deſint dies, qui tamen ex Hendecade Solare complentur.* Hinc in marmore Ravennate in laterculo anni VIII. Cycli inferius ſcalptæ literæ EB, eundem deſignant Embolimęum.

Cum Dionyſius Cyclum annorum XCV. ex quinque minoribus annorum vndeviginti evulgaſſet ea prorſus methodo, qua in lapide Ravennate exprimitur, ordo annorum Embolimæorum initio ſtatim in dubium vocari videbatur. Nam *Anno II.* Cycli notatur *Luna decima quarta VIII. Kal. Aprilis*; cuius proinde Neomenia à die 12. Martij colligebatur; idem verò annus dierum 384. exibat altero anno die 30. Martij; cum anno III. Cycli Luna XIV. ibidem die 13. Aprilis affixa, Neomeniam die 31. Martij demonſtret. Itaque annus ſecundus Cycli erat reapſe Embolimęus, non autem annus III. uti in Rauennate Cyclo notatur. Rurſus annus ille III. cœptus die 31. Martij, terminatur anno ſequenti die 19. Martij, & habet dies tantùm 354. qui tamen in laudato marmore ſignatur Embolimæus. Eiuſmodi ratiocinijs monſtrantur anni Embolimęi in Cyclo II. V. VII. X. XIII. XVI. XVIII. Computiſtę, ut has difficultates evaderent, dixerunt Dionyſium Cyclum inchoare ab Aureo numero XIX. unde annus tertius Cycli concurrit cum Aureo numero II. ſextus cum Aureo numero V. & octavus cum Aureo numero VII. atque cæteri quoque anni Cycli unitate Aureos numeros excedunt. Et ſanè ſuperius cap. 5. non ſolùm ex diagrammate Dionyſiani Cycli, verùm etiam locupletiſſimo eiuſdem teſtimonio, quod fuſiùs expoſui, monſtratum mihi eſt, Dionyſium ſuum Cyclum ab Aureo numero XIX. inchoaſſe. Cum tamen primum ſui Cycli Paſcha deſignaverit III. Idus Aprilis, quod contingit Aureo numero I. ab hoc potiùs numero Cyclum deduxiſſe videtur. In re planè ancipiti, quid ipſe ſentiam, paucis exponam. Cum Dionyſius Cyclum annorum XCV. cum ſubiectis Ægyptiorum argumentis, anno Chriſti 525. evulgavit, primum in eodem Paſcha anni Chriſti 532. deſignavit III. Idus Aprilis. Hoc tum clariſſimis Bedæ, qui ipſummet Cyclum legit, teſtimonijs, tum etiam ex Cyclo Ravennate cap. 5. demonſtravi, ubi etiam probavi annos ab Incarnatione Dominica inchoari à Dionyſio à Martio, Cyclo Lunæ II. Solis X. anno Per. Iulianæ 4714. vrbis Romæ 754. Beda cap. 45. de Temp. rat. inter alia argumenta, quæ ſuo Cyclo Dionyſius adiecit, recenſet argumentum ad inveniendas ſingulorum annorum Epactas, quod hiſce recitat: *Porrò ad inveſtigandum quot ſint Epacta Lunares, annos Domini ritè ſumere, diuidere, multiplicare: item dividere, ſed nullo dempto, vel addito iubet: quia nimirum ſecundo decemnovennalis Cycli anno incipientes Epacta, ad inveniendum ſuum ſtatum, addi quid, vel demi de annis Domini, qui ſecum inchoaverant,*

mini-

minimè poscebant. Hoc ipsum argumentum tradit pro annuis Epactis investigandis, ipsemet Beda inferiùs cap. 50. & in lib. de arg. Lunæ pag. 207. 209. & alibi hac prorsus methodo. Datis annis ab Incarnatione Domini, eosdem divide per XIX. quod residui manet, multiplica per XI. Tum residuum fragmentum partire per 30. qui deinde numerus supererit, prodet Epactas anni propositi. Exempli gratia; vis scire Epactas anni 540. ab Incarnatione Dominica; partire annos 540. per XIX. remanent octo residui. Hos per XI. multiplica, evadunt 88. Hos divide per 30. tum reliqui sunt 28. Quare anno Christi 540. Cyclo Lunæ IX. numerantur Epactæ XXVIII. Hinc scribit Beda cap. 44. de Temp. rat. *Item nono eiusdem Circuli anno, id est, post dies 2922. nono Calend. Aprilium die trigesima Luna est, quod etiam Epactarum quæ tunc XXVIII sunt, ordo manifestè testatur*. Rursus annos ab Incarnatione Domini 532. partire per XIX. nihil remanet residui; unde nullæ erunt eo anno Epactæ Cyclo Lunæ I. quod disertè ęquè ac sæpè idem Beda inculcat. Nam ibidem ait: *Primo anno Circuli decemnovennalis nulla sunt Epactæ, quia in XI. Calend. Apriles Luna finitus est cursus*. Et cap. 18. scribit: *Primo decemnovennalis Circuli anno, in quo nulla sunt Epactæ, in Calend. Ianuar. nona est Luna; in Calend. Febr. decima; in Calend. Mart. nona; in Calend. Aprilis decima &c.* Aureo numero I. initio eorum mensium talem Luna ętatem habet in Kalendario. Idem repetit in lib. Ephemerid. pag. 235. 236. Cum enim Cycli ideo sint inventi, ut in eorum exitu Luna cum Sole paria faciat; finito Cyclo, nulli remanere debent dies Solares, qui Lunarium numerum excedant; ac proinde nullę novo Cyclo redeunte, Epactæ remanent, quas novus Cyclus assumat. Hinc Dionysius in epistola ad Bonifacium scribit: *Nulla Epacta in principio ipsius Circuli ponitur; secundus autem annus Epactas vndecim suscipit*. Ex hac Dionysij ac Bedę doctrina ordo Embolismorum in Cyclo descriptus, palàm pervertebatur. Nam si annus secundus Cycli undecim à primo anno Epactas suscipit, idem in sui exitu Epactas tantùm relinquet XXII. Verùm cum idemmet annus secundus contineat 384. dies, est planè Embolimęus; neque alia ratione mentem intercalarem habere poteit, nisi Epactę eius anni ad XXX. perducantur. Dionysius qui iam Cyclum ab Aureo numero I. inchoaverat, ex ijs salebris nova quadam nec hactenùs à quoquam usurpata Cycli expositione, semet expedire conatus est. Nam cum ceteri annos Lunares a Neomenia ad eam usque ætatem inchoaverint, Dionysius omnium primus, eosdem à Luna XV. Paschali ad Lunam XIV. Paschalem anni insequentis, perducendos docuit, vt ea arte positam abs se annorum Embolimæorum progressionem defenderet. Qua de re scribit ad Bonifacium: *Et ita semper quotiens dubitatio talis occurrerit*, nempè quinam sint in Cyclo anni communes, & quinam Embolimæi, *à decimaquinta Luna transacta festiuitatis, vsque in decimamquartam Paschæ*, quod

quod quarimus, dies follicitè computemus. Et si communis annus est, trecentos quinquaginta quatuor dies; si Embolismus est, trecentos octoginta quatuor inveniemus. Et statim proponit diagramma totius Cycli, cuius anni à XV. Luna Paschali ad anni sequentis decimamquartam Paschalem eidem describuntur: *Anno*, inquit, *decemnovennali primo, Lunari XVII. à decimoquinto Kal. Maij, usque Nonas Aprilis, quia communis annus est, sunt dies trecenti quinquaginta quatuor.* Itaque annus I. Cycli iuxta eam methodum, incipit die 17. Aprilis. Annus II. ibidem à Dionysio deducitur *ab VIII. Idus Aprilis vsque in VIII. Kal. Aprilis.* Quoniam ergo annus II. die 6. Aprilis initus, vndecim diebus Epocham anni primi Cycli diei 17. Aprilis affixam, antecedit, Epactas XI. suscipit, idemque cum exeat die 25 Martij, vndecim pariter diebus ante diem, qua cœperat, terminatur: duobus verò ac viginti ante Epocham anni primi. Hinc anno tertio duas ac viginti Epactas accommodat, quibus cum idem annus III. suas quoque Epactas XI. adijciat, evadunt simul XXXIII. Ex his 30. assumuntur, quibus mensis intercalaris eidem anno tertio additur, ita vt *ab VIII. Kal. Aprilis vsque in Idus Aprilis*, à Dionysio perducatur, continens dies 384. Hac ergo ratione idemmet Dionysius Embolismorum progressionem exposuit. Beda cum initium Cycli ab Aureo numero I. ac die 23. Martij passim deducat, vt superiori cap. 5. ostendi, nec Cyclo inde collecto, progressus Embolismorum vetustum in Cyclo ordinem retineret, non alia ratione eumdem seruare potuit, quàm Dionysij exemplo, annos a Luna XV. Paschali inchoando; etenim in lib. de Temporibus cap. 13. quod est etiam, vti aliàs dixi, præfatio eiusdem Bedæ Circulis Paschalibus præfixa, ait: *A' decimaquarta autem Luna*, nempè exclusiuè, *vsque ad XIV. anni sequentis, dies sunt 354. si communis annus est: si Embolismus*, 384. Eodem modo S. Isidorus annorum in Cyclo communium ac Embolimæorum notitiam expressit, vti eodem cap. 5. prænotaui. In hac autem methodo initium Cycli ab Aureo numero XIX. colligitur; si enim, ut ostendas annum primum Cycli esse simplicem seu communem, eundem cum Dionysio deducas à Luna Paschali anni vltimi totius Cycli XV. Kal. Maij vsquè Nonas Aprilis anni insequentis, dabis annum conflatum ex 354. diebus, ac consequenter communem. Hinc Dionysius ac Beda dum in suis Cyclis primum Pascha III. Idus Aprilis designarunt, scripto quidem ab Aureo numero I. Cyclum inchoasse videntur; mente tamen eundem ab Aureo numero XIX. deduxerunt. Paulus Episcopus Forosempronij, paulò post initium libri 6. laudati sæpiùs operis, cum Dionysiani Cycli formulas recitasset, quædam contra easdem obiecta refert; & primo quidem, *quia numeri earum non respondent suis annis, nisi in Ianuario, Februario, & Martio, quod absurdum videtur.* Cum enim Dionysius annum primum Cycli inierit à Luna Paschali

XV.

XV. Kal. Maij, Aureo numero XIX. & anno primo descripti Cycli notauerit Pascha III. Idus Aprilis, Aureo numero I; hic numerus primus mensibus tantùm Ianuarij, Februarij, & Martij cum anno primo Cycli concurrit; nam deinceps componitur cum anno II. Cycli, qui à Luna XV. Paschali, die 6. Aprilis inchoatur. Petavius lib. 12. cap. 2. pag. 403. ait: *Non dubitauit ergo Beda, quin Dionysius Cycli sui primordium ab eo Paschate sumpsisset, quod primo loco posuerat, siuè ab XV. Paschali. Ex quo tam Cyclum ipsum Dionysij, quàm eiusdem Æram vno anno moratus est. Verùm Dionysius postremum Cyrilli Pascha anno suo primo complexus fuerat*. Equidem prodigio propius esset, Petauium qui deperditum Dionysij Cyclum non vidit, rectiùs illius initium nouisse, quàm Bedam, qui eundem perlegit, ac in magnam etiam periodum annorum DXXXII. illum extendit. Hæc ait Beda cap. 63. de Temp. rat. *Placuit eundem plenario ordine Circulum præsenti opusculo proponere, sumpto exordio à quingentesimo trigesimo secundo Dominicæ Incarnationis anno, vbi primum Dionysius Circulum cœpit &c.* Postremum Pascha Cycli Cyrilli contigit anno Christi 531. vt ipsemet Petauius fatetur, ac superiùs cap. 1. ostensum est. Primum Pascha in Cyclo Dionysij idem omninò signabatur, quod primo loco in Circulis Bedæ legitur, anno ab Incarnatione Domini 532. Indictione III. Epacta o, Concurrente IV. *Luna XIV. Non. Aprilis, Pascha III. Idus Aprilis, Luna XX.* Dionysius quidem pro Embolismis sui Cycli faciliùs exponendis, annum postea primum a XV. Paschali anni præcedentis collegit; hoc ipsum fecit Beda, cuius verba mihi laudata, Petavius non observavit. Cæterùm in tabula Cycli annorum XCV. primum Pascha anni vulgaris Epochæ 532. descripsit, quod satis solidè demonstratum est. In marmore etiam Ravennate Embolismi cadunt in annos Cycli III. VI. VIII. aliosquè superiùs notatos; cum enim annus quilibet Paschalis cum duobus Aureis numeris concurrat, Embolismi in exitu anni apparent; quippè qui evadit dierum 384. ac inde Lunæ XIV. Paschales post diem 8. Aprilis contingunt, quoties mensis intercalaris annum proximè claudit. Annus secundus Cycli incipit Aureo numero II. in lapide Rauennate; idem tamen exit Embolimęus Aureo numero III. quia hoc tantùm labente numero, ultra dies 354. plena insuper Lunatione auctus, diebus 384. completur.

Beda tamen aliter menses intercalares disposnit; neque enim illos in finem anni Lunaris reiecit, sed duobus tantùm exceptis, ceteros per varios anni menses dispersit, ibi eos locans, ubi congruum inter duorum mensium Kalendas locum invenit. Nam cum in lib. de Temp. rat. cap. 43. pręnotasset Hebræos tertiumdecimum mensem Embolimum in fine anni proximè ante Nisan collocasse, ait Romanos, qui dispares habent menses, non in exitu anni, sed diversis anni partibus Embolismos inservisse, quorum situm ita describit: *Primam igitur Embolismo-*

Ifraorum Lunam quarto Nonas Decembris; secundam quarto Nonas Septembris, tertiam pridie Nonas Martias; quartam pridie Nonas Decembris; quintam quarto Nonas Nouembris; sextam quarto Nonas Augusti; septimam tertio Nonas Martias nasci dixerunt. Easdes Embolismis sedes assignat in notis ad menses anni in lib. Ephemerid. ac in lib. de Embolismo. Quare tertium tantùm Embolismum, quo Ogdoas clauditur, ac septimum, quo Hendecas terminatur, in fine anni collocat. Tunc inseritur Embolismus, cum duo menses tricenarij iunguntur, cum alterna vice caui plenique consueto ordine in annis communibus decurrant. Iudæi veteri instituto, mensem Veadar Embolimum dierum 30. in exitu anni sacri collocant, quem Nisan mensis primus consequitur pariter tricenarius. Paulus de Middelburgo lib. 3. Paulinæ auctor est Alexandrinos Iudæorum exemplo, menses omnes intercalares in postrema anni parte reposuisse, quod mihi probabile videtur; cum S. Cyrillus Patriarcha Alexandrinus in prologo scribat, annum Embolismicum *sancto Moysi diuinitùs reuelatum* fuisse; quapropter ea religionis opinione ducti Alexandrini, situm mensibus Embolimis Iudæis similiter tradiderunt. Præterea cum menses Lunares Aureis numeris III. VI. VIII. alijsque Embolismicis designati, Phamenoth initi, Lunas XIV. ante diem 25. eiusdem mensis, Martij 21. proderenr, ac proinde non essent Paschales, à proximè cuique eorumdem succedente Lunatione, mensis Paschalis inchoandus fuit. Cum autem menses illi in Pharmuthi desinerent caui, vtpotè mense pari exeuntes, ac veteri Christianorum instituto mensis, qui Paschalis sequebatur, cauus siuè dierum 29. seruaretur, ne duo caui menses succederent, septem antecedentes menses & Embolismicos ac tricenarios fecerunr, quamuis in Pharmuthi pari mense terminarentur. Dionysium Exiguum iuxta hosce Alexandrinorum canones menses intercalares in finem anni protrusisse, sentiunt laudatus Paulus ibidem lib. 7. cap. 3. Stœfflerus proposit. 34. pag. 49, litt. A b & in medio relinquit Petavius lib. 6. cap. 7. Quod ex marmore etiam Ravennate cuipiam fortè colligi posset, quia in altera Bedæ sententia Embolismi annis Cycli sivè Aureis suis numeris non vbique correspondent. Illius tamen auctores ibidem à Beda Romani laudantur, nec secùs in veteri Romanæ Ecclesiæ Kalendario apud Clauium cap. 9. Kalendarij Gregoriani situs mensium Embolimorum disponuntur, vno tantùm Embolismo excepto, ut proximè expono. Beda in Ephemerid. in notis ad mensem Decembrem, ait: *Luna primi Embolismi in quarto Nonarum Decembris incipit, & in secundo*, id est pridie *Calendarum Ianuarij finitur*. In Kalendario illo veteri Aureo numero II. mensis incipit IV. Nonas, siuè die 2. Decembris, ac cum eodem mensis tricenarius terminatur. Proximè succedens Kalen. Ianuariis incipit Aureo numero III. ac die 30. itidem plenus absolvitur. Sunt ergo duo successiuè menses tricenarij, quorum prior Bedæ dicitur Embolismi-

bolismicus, uti & annus III. non autem II. signatur in marmore Ravennate Embolimæus; ita alij quidam Embolismi non correspondent suis annis, siuè Aureis numeris, sed annis proximè antecedentibus. Verùm cum Beda, uti dictum est, Dionysij exemplo, Embolismorum progressionem à Luna XV. Paschali Aureo numero XIX. deducat, Aureo numero II. die 2. Decembris tertius iam annus ea ratione decurrit. Præterea in marmore Ravennate non indicatur mensis intercalaris, sed annus Embolimæus, qui talis non euadit, priusquàm tertiodecimo mense compleatur: quod fit Aureo numero III. Ea tamen primi Embolismi dispositio à quinto Embolismo impugnatur. Nam hic ibidem à Beda dicitur incipere *quarto Nonas*, id est die 2. *Nouembris*; qui cum sit mensis tricenarius, exit Kal. Decembris, ac die 2. sequenti proximus mensis exorditur. Hoc planè tradit Beda in lib. de Embolismo pag. 289. *Quintus*, inquiens, *Embolismus quarto Nonas Nouembris accenditur, extinguitur Kal. Decembris. Luna Decembris sequenti die incipit.* Et in lib. Ephemerid. mense Decembri ait: *In anno decimotertio, in Calendis Decembris trigesima Luna est: sed hac quinto Embolismo, qui IV. Nonarum Nouembris incipit, deputatur. Luna verò Decembris in III. Calendarum Ianuarij finitur. Luna primi Embolismi in quarto Nonarum Decembris incipit, & in secundo*, id est pridie, *Calendarum Ianuarij finitur.* In primis notandum est Bedam, si tamen illarum notarum auctor est, quintum Embolismum *in anno decimotertio* Cycli collocare. Ita etiam in notis ad mensem Octobrem *quinto anno* deputat Embolismum secundum; quo vtroque loco voce *anni* Aureos numeros significauit. Rursus Beda ponit Neomeniam die 2. Decembris, cum pridie exierit Luna trigesima quinti Embolismi. Verùm eodem quoque die 2. Decembris recitat initium primi Embolismi, ita ut binæ Neomeniæ à diuersis Aureis numeris II. & XIII. indicatæ, in unum eundemque diem secundum Decembris inculcentur, quod certo apud Computistas canoni repugnat, ac vulgò vti absurdum damnari rectè tradit Paulus Episcopus alias laudatus lib. 7. cap. 3. In eodem luto hæret Bridefertus antiquus Scholiastes Bedæ in notis ad cap. 43. de rat. Temp. ubi binas illas Neomenias quarto Nonas Decembris infarcit.

In veteri Kalendario apud Clauium error ille emendatur; nam Aureus numerus XIII. adfigitur diei 2. Novembris, qui mensis cauus finitur postremo die eiusdem mensis. Dein idem XIII. numerus Kalendis Decembris adponitur; & iterùm diei 31. qua annus clauditur. Tum anno nouo Aureo numero XIV. neomenia die XXX. Ianuarij prænotatur. Ita à prima die Decembris ad 29. Ianuarij bini menses tricenarij decurrunt, quorum alter est Embolimus. Hoc tamen Kalendarium neutiquam tantæ antiquitatis videtur, quantam eidem conciliat titulus ab ipso Clauio pagina 107. præfixus, videlicèt esse illud Kalendarium, *quo Ecclesia à Concilio Nicæno usque ad anni correctio-*

 nem

nem à Gregorio XIII. factam, usa est. Nam Beda rerum Ecclesiasticarum peritissimus, tum eodem longè recentior Bridefertus illud ignorarunt. Imò Petrus de Riuo circa annum Christi 1500. *secunda die Decembris posuit hos numeros XIII. II.* vti ibidem laudatus Paulus testatur; quod sanè non fecissent, si diversa vtrique Embolismo sedes iam inde à Nicæna Synodo in Ecclesiastico Kalendario assignata fuisset. Computistæ qui menses Embolimos in varias anni partes relegarunt, lunationum ratiocinia, quod ad Embolismos attinet, à Septembri mense inchoabant, à quo & Epactarum progressionem colligebant. Cum enim Ægyptij, à quibus vniuersa hæc disciplina deriuauit, Aureum numerum I. in ultimo die Epagomenωn, 28. Augusti collocassent, Latini verò à Kalendis Septembris Cyclum Epactalem & Embolismorum progressum colligerent, ita vt horum Cyclus quatriduo ab Alexandrino præuerteretur, initio Cycli ipsis Kalendis Septembris Regulares quinque attribuerunt, nempè diem Kalendarum ac quatuor Epactas; vnde initio Cycli Epactalis primo die Septembris Luna V. Latinis numerabatur. Hac ratione lunationes alternatim plenas ac cauas colligentes, vbi ex Epactis annorum præcedentium, ac Regularibus mensium anni tum labentis plena Syzygia complebatur, tum mensem Embolimum inserebant. Hac planè methodo Bridefertus in notis ad cap. 43. laudatum, septem Embolismos longioribus calculis supputat, vt vnus totam eam methodum facilè doceat, quæ cum dudùm antiquata sit, fontem, vnde illa defluxit, indicasse sufficiat. Beda cap. 18. de Temp. rat. ait: *Non autem transitoriè commemorandum, quod hoc argumentum à Septembri quidam incipiunt, ponentes eidem Septembri Regulares V. Octobri V. Nouembri VII. Decembri VII. & cætera vt supra nos posuimus.* Ex quibus laudatę methodi antiquitas innotescit. Illam autem ipsam etiam Bedam servasse indicant notæ ad mensem Iulium in lib. Ephemerid. vbi ait: *Anno XIX. nos qui Epactas Lunares à Septembre incipimus, in III. Calend. Augusti trigesimam Iulij Lunam, saltus ratione, prætermittimus.* Hinc factum est, vt Beda Embolismos per varios anni menses distribuerit, cùm primùm ex Epactis ac Regularibus plena Lunatio resultabat. Vti verò incompertum est, num Dionysius hanc ipsam Embolismorum dispositionem seruauerit, ita eorumdem distributio in Ravennate Cyclo obscura est, quam tamen Dionysianam esse nemo negare possit. Aloysius Lilius noster Veronensis in Kalendario, quod à Gregorio XIII. approbatum, vniuersa postea Catholica Ecclesia recepit, omnes menses Embolimos ad finem anni reiecit, quod & naturæ ac rationi conformius videbatur, vt ibi mensis Embolimus statueretur, vbi annus communium annorum 354. dierum mensuram egressus, tertiadecima lunatione auctus, ac diebus 384. completus, tunc reapse euadit Embolimæus.

FINIS.

APPROBATIONES

Adm. R. D. Fridericus de Giannettis Canon. Insignis Collegiatæ S. Laurentii S T. D. & L. P. complaceat perlegere attente hanc Differtationem II. de Cyclo Paschali, & recognoscat, an adsit aliquod aduersum fidei Orthodoxæ, & bonis moribus absonum, & referat. Dat. 2. Aprilis 1691.
Nicolaus de Castellanis Vic. Gen.

Vidi, & attentè perlegi hanc eruditissimam Differtationem de Cyclo Paschali & adeo in ea nihil animadverti, quod a Fide Orthodoxa, bonisq; moribus abhorreat, vt potiùs omnia non tam Authoris admirabile ingenium, quàm Doctrinæ veritatem eximiam, & Catholicam sinceritatem redoleant. In quorum fidem propria manu subscripsi, IV. Id. Aprilis.
Fridericus Giannetti.

Attenta supradicta relatione imprimatur ser. ser.
Nicolaus de Castellanis Vic. Gen.

L'Illustriss. Sig. Can Matteo Strozzi Consultore di questo S. Offizio si contenti esaminare l'opuscolo: *Differtatio II. de Cyclo Paschali Ravennate Annorum XCV. Auctore F. Henrico Noris Veronense Augustiniano*: e in scritto riferisca. Dal S. Offizio di Firenze questo dì 14. Aprile 1691.
F. Franc. Ant. Frati Cancell.

Differtationem hanc de Cyclo Paschali Rauennate attentè perlegi, & nihil in ea reperiri dissonum à vera Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Fide, aut contra bonos mores, inueni: In quorum fidem manu propria subscripsi VI. Kalend. Maij 1691.
Matthæus Strozza Can. Flor. & S. Inquisit. Officij Consultor.

Attenta supradicta relatione Imprimatur.
Fr. Franc. Antonius Frati Cancel. S. Off. Flor.

Robertus Pandolfinius Senat. Sereniss. M. Ducis. Aud.

